CONSILIORVM SIVE RESPONSORVM IVRIS

FRANCISCI SALERNI

SICVLI DOCT. THEOL. AC I. C. CANONICI PANORMITANI PRIORIS SS. LAVRENTII, ET PHILIPPI Argironis, & Prot. Apost.

LIBER PRIMVS

NVNC PRIMVM IN LVCEM PRODIT.

CVM PRIVILEGIO.



PANORMI

Typis Petri Coppulæ. M. DC. XXXX.

Superiorum permissu.

CONSILIORVM
SIVE
RESPONSORVM
IVRIS
FRANCISCI SALERNI
SICVLI DOCT. THEOL. AC
I. C. CANONICI PANORMITANI
PRIORIS SS. LAVRENTII, ET PHILIPPI
Argiroris, & Prot. Apost.

LIBER PRIMVS
NVNC PRIMVM IN LVCEM PRODIT.
CVM PRIVILEGIO.

PANORMI
[illegible] M. DC. XX [illegible]

ILLVSTRISS.^{MO} ET EXCELLENTISS.^{MO} D.

D. VINCENTIO DEL BOSCO

AVREI VELLERIS HEROI

PRAESTANTISSIMO PRINCIPI

CATHOLICAE, DVCI MISILMERENSI, COMITI
Vicarensi, Domino Siculianæ, Pritij,
S. Nicolai, &c.

FRANCISCVS SALERNVS S.P.D.

MISCELLA hacce responsa, meorum Ciuium, ac populariũ gratia, magna ex parte elucubrata, in lucem edere cum paratum iam habeam; imprudens profectò sim, atque ingrati animi nota inurendus, si meos hosce labores, primos ingenij mei fœtus, alteri commendauero, quam Excellentiæ tuæ. Id quod mecum omnes ij sentiunt, ad quos peruenit (ad quos verò non peruenit?) tuorum fama meritorum, quibus ità flores, vt omnia decora, quæ viritim in primores hominum distributa singulos exornant admodum, in te vnum congesta aceruatim, te præ cæteris conspiciẽdum efficiant. Nam egregio, Regioque pluribus nominibus sanguini (septimo enim tantum gradu, & materno, & paterno genere distas à Petro Secundo Siciliæ Rege) imperatoriam animi celsitudinem addidisti: plurium, vnà cum numero Oppidorum, quæ antea multorum obnoxia Dynastarum imperio, nunc tua sub ditione sunt, infinitam penè numeras animorum multitudinem, quos tuos tua liberalitate fecisti: opum denique, diuitiarumque vim, quibus cum summis Hispanæ ditionis primoribus contendis, virtutum vberrimarum cumulas censu. Accedit apud omnes Siculos, apud exteros etiam tui nominis auctoritas, quam etiam potentissimi Principes, ipsique rerum domini Reges plurimi facere, ditatis identidem honoribus, voluerunt. Verum isthæc, Excellentissime Princeps, vtpote eximia, & singularia, optimum quemque allicere poterant; me verò alia quoque, eaque potiori ratione videntur obstringere, vt tibi mea qualiacumque reddam, ac tuo consecrem nomini. Tuæ enim humanitati acceptum referendum est, quidquid ex hac mea officina prodierit, cum non modo auctor ipse mihi extiteris iam inde à puero excolendorum studiorum; verum etiam, quò ea totis viribus capesserem, suasor, atque

adiutor fuisti, vt D. D. Martinus Mira Cephaledensis Episcopus proauunculus meus, me in Panormitano Seminario (verè Seminario, & , vt ità loquar, Emporio omnis Sapientiæ, & religionis) collocaret: ibi bonis artibus; ibi Philosophiæ; ibi demum Theologiæ operam dedi; in qua magistrum habui admodum R. P. Cæsarem del Bosco, patruū Excellentiæ tuæ, sicuti Societatis Iesu, (cuius Prouinciam hanc Siculam vti Præpositus Prouincialis hodie moderatur) ità tuæ familiæ decus, & ornamentum: cuius sanè eximiam literaturam, morumque probitatem, aliasque animi dotes, quibus floret, nedum Sicilia vniuersa, sed tota etiam Italia, cæteræque Prouinciæ admirantur, inde mihi haud difficillimum fuit Iurisprudentiæ studium nauare; in quo, si quidpiam profeci, quod sentio, quàm sit exiguum, tibi dicatum volo, vt eò redeat, vnde profectum est. A primis deindè adolescentiæ meæ annis obseruaui semper omni obsequentis animi officio Illustrissimum D. D. Antonium del Bosco, Excellentiæ tuæ germanum fratrem, & D. Iacobi Equitem, nedum in Sicilia, verùm tum Romæ, vbi altius plurium Pontificum vidit imperia, ijsque, Paulo præsertim V. & Gregorio XV. inter honorarios, secretosque Cubicularios adscriptus, egregiæ virtutis, ac nobilitatis specimen ostendit: tum etiam in Regia Aula Matritensi, vbi illum Regijs Cortinis præfectum (Hispanè Sumilier de Cortina) non modo Aula Potentissimi Regis commendat, sed adgaudet quoque, talem habere se virum, in quo mendacij conuincat obtrectatores, nihil in Aula pium, nihil virtutis studiosum inueniri, clamitantes. Ab eo ità innumeris penè beneficijs me deuinctum agnosco, vt in illius ære me totum esse profitear. Ad hæc, Excellentissima Domina D. Laura, tuæ Excellentiæ filia, eiusque olim vir Excellentissimus D. D. Aloysius Gonzaga, Castilionis Princeps, ac sacri Romani Imperij absoluti regiminis Dynastes, qui inter Hispanos quoque Magnates non infimum obtinebat locum, suorum, quæ apud Regem Catholicum geruntur negotia, mihi curam demandarunt; id quod mihi perhonorificum sanè fuit; quando me præ cæteris ad id muneris, & honoris, quem plurimi ambiebant, selegère. Dum verò in Regia Matritensi vitam degerem, degebam inter studiosos, obsequiososque clientes Excellentissimi Domini Marchionis de Sancta Cruce, quem Socerum compellat itidem Excellentissimus D. D. Franciscus del Bosco, Dux Misilmerensis, Eques Alcantarensis ordinis, tuæ Excellentiæ filius primigenius: cuius ego quoque munificentiam non semel expertus, vti de me optime meritum colo. His nominibus accessionem facit studium, & humanitas erga me, multis modis perspecta, ac comprobata Excellentissimæ Dominæ D. Ioannæ Isfar, & Coriglies, tibi nuptæ, hæredis non modo amplissimi Patrimonij, sed virtutum etiam, prudentiæque præsertim, ac magnanimitatis suorum decessorum, domi, forisque præclarissimorum, quos olim Siculi Siculianæ Dominos indigitabant. Denique, vt vno verbo me expediam, nemo est tibi affinitate, vel consanguinitate coniunctus, quamuis in Sicilia, Neapoli, Hispania eos pene omnes numeres, qui præstātiores sunt, cui ego peculiari iure nō sim addictus, & obsequens maximè.

Verumenimuerò, quamuis hæc maxima sint, vti certè sunt; si tamen deessent omnia, superessent alia, quæ itidem me mei officij apprimè monerent: etenim, si ad maiores meos animum conuerto, hinc sese mihi obijciunt D. D. Martinus Mira, Episcopus Cephaledensis, quem antea nominaui, & Franciscus eius germanus frater, Me-

iro-

tropoleos Panormitanæ Canonicus, Proauunculi mei: nec non Ioannes, & Antonius Salernus, & Busacca, auus, ac pater meus, quos nedum peculiari studio prosecutus est, verum beneficijs quoque non exiguis cumulauit omnes Excellentissimus parens tuus D. D. Franciscus del Bosco, Dux Misilmerensis nuncupatus; quæsita appellatione ab suæ ditionis Oppido, quod Arabica voce dixerunt, Misilmir: hoc est habitationem Ducis, siue Maurorum cladem, quos ibi anno 1068. Rogerius Comes dira internecione profligauit. amplissimis idem iste honoribus Panormitanæ Præturæ, Mamertinæ Strategi Dignitatis insignitus, alijsque etiam Reip. muneribus ità bene gestis commendatus est, vt eï prudentes homines totius Regni administrationem permittendam esse, publici boni caussa, prædicarent. Hinc occurrit in oculos D. Artalis Busacca abauus meus, qui Magnæ Curiæ Siculæ Ex iudex, cum Messanæ nobilissimæ Ciuitatis fisci Patroni, nec non & Vicarij, Armorumque Capitanei, vti Siculi vocant, Regni primùm, deinde Pactensis munere fungeretur, magnam latronum vim fregit, ea tempestate Siculam Remp. acriter diuexantium; aliaque præstitit non vulgaria Regi, ac Patriæ obsequia, non alterius adiutus opera, consilio, ac patrocinio, quam celebris aui tui D. Vincentij del Bosco, quem Comitem Vicarensem, & Siciliensis Regni Magistrum Iustitiarium salutabant. Eum virum nominaui, qui, licet vltimus fuerit inter Titularios Proceres, qui munus tā præclarum obierit, sicuti etiam vltimus fuit Octauius del Bosco, eius frater germanus, qui post initam sæpius Panormi Præturam, Magni Cancellarij nomen gessit; nihilo secius opulentiam suorum Patrum locupletauit, & egregij Moderatoris encomio (ob id etiam renunciatus est Sardiniæ Prorex, quam Prouinciam, interueniente morte, suscipere nequiuit) & acerrimi bellatoris excellentia, vt optimè sensit Flandria, Gerba, & Melita liberata. Is idem tuus Auus post D. Artalis obitum, D. Francisci Busaccæ proaui mei patrocinium suscepit, eumque accitum Messanā; quò sibi citumum haberet, suisque beneficijs ipsum, ipsiusque posteros obstringeret, in proprio Oppido Vicarensi, in quo Maiores tui nobilissimi Comitatus initia suscepère, nuptias contrahere persuasit. In memoriam demum veniunt plures alij, quos possem recensere, meorum Maiorum, qui tuorum beneficentiam pluries experti sunt, præsertim celeberrimi Abaui tui colendi D. Francisci del Bosco, qui cognominatus Dominus Baydæ, antiquissimæ in tua familia ditionis, Vices Magistri Iustitiarij in Sicilia gessit; nec minus opibus, quam bene administratæ Reip. laudatione floruit. Sed doleo, quòd vlterius progredi nequeam: percensendi enim mihi essent Antonius, Franciscus, Antonius alter; VVillelmus, Franciscus, Henricus; decessores tui, qui Excellentissimæ familiæ tuæ DEL BOSCO cognominatæ (quæ nomen quidem cum cæteris, quæ in Hannonia, Barcinone, Gallia, Neapoli, in Sicilia ipsa enitent, habent commune, ab ijsdem tamen penitus est diuersa; nam, Vigintimilliorum nomenclatura mutata, in Sicilia olim originem fecit) præclarissima addiderunt ornamenta, quà sanguinis claritate, quà robore virium, quà locuplete oppidorum regimine, quà bellica virtute, quam sæpius perspectam, & exploratam Reges antiquissimi dignissimis remunerari prærogatiuis voluerūt, vt eiusdem tuæ familiæ priuilegia cōtestātur. At ego hos omnes, quos trecentorum fermè annorum tulit ætas, alijs permitto pro dignitate memorandos. Vnum equidem præterire non potero, qui mearum laudum parcita-

... tissimum

tem non horreat, suorum satis insignis cumulo meritorum. Is est Henricus tuæ familiæ institutor, qui cum in quodam luco, quem vernacula lingua cæperat id temporis appellare BOSCO, hostili manu infestu, egregiam victoriam reportasset, & desperatis iã rebus lucem attulisset, exemplum facturus posteritati, nè tanta rei memoria, temporum iniuriã, aboleretur, suis deinde posteris del BOSCO cognomentum imposuit, relicta Vigintimillia prosapia appellatione præclara, totique Europæ notissima. Atque idcirco gentilitijs insignibus aureo, rubeoque colore distinctis, inseuit arborem, ijsdem ex aduerso coloribus picturatam. Hic idem ducta in matrimonium fœmina optimate ex Doria gente, quoad conijci potest, orta, militari virtute plurimùm enituit; multisque ex hoste partis trophæis, tandem anno 1370. ex hominibus migrauit, suaq; ossa humãda tradidit in Aede Beatissimæ Virginis, quæ Drepanitana dicitur ab Vrbe proxima, totoque iam Orbe celeberrimam Icunculam Deiparæ confluentibus vsquequaque populis adorandam exhibet: vbi in marmoreo compositus iacuit monumento, vexillis hinc inde, bellicisque insignibus cælato. quo facto nascituris inde nepotibus exemplum præbuit, non modo quærendi in illa æde sepulchrum; sed suas etiam spes in Virgine collocandi. Quamobrem, vti suam illam ædiculam Virginis condidit, instaurauit idoneisque reditibus locupletauit, vt varijs tabulis testamentarijs, alijsque scriptis rerum monumentis, posterorum etiam suorum, tam suis, quam nostris temporibus auctoritate sancitis, ostenditur. Nam iuit in exemplum Patris, eiusdem Henrici primigenius filius Antonius, vir præclarissimus, quamuis prole orbus mortem obierit, multis rebus præclarè gestis, præsertim sub auspicijs Martini Regis, facta illi potestate, vt ad arbitratum animaduerteret in perduelles, vt prædia, donationesque diu deret, vt Magistratus toto Regno crearet; qui, etsi tamquam Dominus Baydam, Carinum, Cefalã, Fauonianam, Cudiam, Gisiam, Rapam, Cofanum, Dattalum, aliaque vberrima prædia possideret, abdicatis omnibus, matura iã ætate inter Benedictinorum claustra se abdidit, & vni Deo, quod fuit vitæ reliquum, consecrauit. Iuit etiam in eadem instituta fortissimus ille VVillelmus, Francisco secundigenio Henrici susceptus, qui Antonij virtutes pariter, ac bona, & copiosissimam hæreditatem adijt: iuere Antonius alter, eodem VVillelmo natus; cæterique per ea tempora omnes, quos ego facilius prætereo, dum nostris temporibus accedo, & possum cum tanta decorum celebritate nominare præclarissimum Abauum tuum, de quo antea mentionẽ feci; imò tuam Excellentiam possum potiori iure in medium adducere; quia, vt antiquum in ea familiæ tuæ æde iuspatronatus restaurares, nouum voluisti sancire super ea re monumentum, factum approbantibus admodum RR. PP. Carmelitis, quorum procurationis templum illud est; & efficere, vt rem omnem suo diplomate, supremaque authoritate. REX ANVS VIII. P. M. confirmaret. Itaque, vt iam illuc redeã, vnde deflexi, quando tot nominibus Excellentissimæ tuæ genti, tibique sum obstrictus, aliorum Principum ambire patrocinia nec debeo, nec possum. Debeo certè tibi reddere, quod tuum est. Patere igitur, vt amplissimæ tuæ lucis fulgore commendatus prodeat in conspectum hominum liber hic meus, qui suis tenebris lumen quæret à tua luce; suæ exiguitati accessionem ab auctoritate tui Excellentissimi nominis nanciscetur, in tua etiam fide habiturus potentiam, & benignitatem tutelarem: qui minora non despicis, nugas hasce meas excipere, tuerique ne dedigneris. Cæterùm diu viue, atque feliciter.

Panormi XVIII. kalend. Septembris Ann. 1640.

SVMMA PRIVILEGII

PHILIPPI IV. REGIS CATHOLICI.

NOS Philippus Dei gratia Rex Castellæ, Aragonum, Legionis, vtriusque Siciliæ, &c. Expositum nobis fuit ex parte fidelis nobis dilecti Doctoris D. Francisci Salerno in Ecclesia nostræ Felicis Vrbis Panormi sub inuocatione sancti Ioannis Eremitarum Canonici, se non absque summo labore, ac vigilijs quemdam librum Consiliorum Iuris composuisse, cupereque typis ipsum mandare: quapropter nobis humiliter supplicauit, vt concederemus, nequis, nisi ipse, aut ab eo potestatem habentes, &c. Nos vero perpendentes legum peritiam, & bonarum artium doctrinam, quibus dictus D. Franciscus Salerno condecoratus existit, &c. sperantesque hæc Consilia aduocatis, ac omnibus vtriusque iuris professoribus valdè vtilia fore; petitioni præfatæ libenti animo annuendum censuimus. Tenore igitur præsentium de certa scientia, regiaque auctoritate nostra, deliberatè, & consultò, ac ex gratia speciali, &c. expresse prohibemus, & iubemus, vt per annos decem à die datæ præsentium computandos, nemo imprimere possit, nec imprimi facere, aut alibi impressum asportare, & vendere in vlterioris Siciliæ Regno, præfatum librum Consiliorum iuris, nisi dictus D. Franciscus Salerno, aut ab eo potestatem habentes, aut alij, cum quibus suæ rationes coniunctæ sint, aut fuerint, sub pęna amissionis omnium instrumentorum, & librorum, absque dicta potestate impressorum, vel imprimendorum, ac ducentorum scutorum auri, in tres partes diuidendorum, quarum vna accusatori, altera Fisco nostro, tertia verò eidem D. Francisco Salerno applicetur. Mandantes, &c. Dat. Matriti die 6. Mensis Maij Anno à natiuitate Domini M. DC. XL.

YO EL REY.

Executæ in Regno Panormi 12. Iulij 1640.

ARGVMENTA
CONSILIORVM.
LIB. I. FRANCISCI SALERNI.

CONS. I. fol. 1.

DE origine, ac firmitate alternatiuæ beneficiariæ Siculis competentis. *Ad cap. 34. Regis Ferdinandi.* Agitur latè de cuiuscumque priuilegij remuneratorij firmitate: ac de absoluta Principis potestate, præsertim circa reuocationem Priuilegiorum à se, vel à suis prædecessoribus concessorum ob benemerita. Alternatiua in eodem corpore seruanda: neque compensatione ei satisfit, nisi Siculi consentiant. Responsum Regium hac de re.

CONS. II. fol. 25.

Alternatiua solis Siculis oriundis competit, non verò Siculis per priuilegium. Quid oriūdi appellatione significetur. An ciuilitas priuilegio tributa verum ciuem efficiat. Parochiæ Panormitanæ an conferri possint ciuibus per priuilegium. An priuilegium naturalitatis, licet verum oriundum non efficiat, saltē prosit ad beneficia consequenda. Paria sunt qualitatem natura, vel priuilegio inesse. Fictio, à lege inducta, idem operatur, quod ipsa natura, quómodo intelligendum. Oriundus extero priuilegiario saltem præferendus. Item ortus oriundo ex paterna natiuitate. Cōsuetudo contrà Regni Capitula non valet. In Seminario Panormitano Clericorū solum originarij admittendi, non ciues per priuilegium.

CONS. III. fol. 50.

Alternatiua omnia Siciliæ beneficia includit, etiam quę denuò crearentur. itē pensiones, contra *D. Tapiam decis.* 15. Perpenduntur iura, quibus ipse probat, pensionem non esse beneficiū ecclesiasticum, & contraria opinio *Barbatia* refertur. Pensio an differat à beneficio, quòd hæc temporanea, illud perpetuū sit, quòd hæc laico, illa nonnisi Clerico conferturquòd hęc commodum sit tēporale, illud non ità. In quibus hæc duo conueniant. Pensio saltem largè venit beneficij appellatione. Est pars beneficij. Alternatiua largè interpretanda. De iure cōmuni beneficia naturalibus conferenda. Sicula Siculis conferenda absq; onere pensionis in cōmodum exterorum. Sunt veluti *Patrimonialia.* Alternatiua cōprehendit beneficia, tum quæ naturali, tum quæ ciuili obitu vacant. Quamplurima huius rei exempla referuntur. Explicatur cap. 3. & 13. Regis Philippi II. Nonnulla de alternatiua Neapolitana. Responsum regium.

CONS. IV. fol. 124.

Indultum generale quādoq; Princeps Supremus concedere debet. Quæ causæ ad id illum mouere debēt. *Ad cap.* 365. 408. 451. 489. *Regis Alphonsi cap.* 68. *Ioannis ca.* 132. *Ferdinandi ca.* 23. 192. *Caroli V. cap.* 7. *Philippi.* Clemētia propria Principis Supremi. In administratione iustitiæ suū locū obtinere debet. Supremus Princeps quādoq; mulctam remittere debet. Responsum Regis refertur *cons. seq.*

CONS V. fol. 135.

Modus procedendi ex abrupto regulariter damnatur. quibus casibus sit licitus. *Ad cap.* 175. 197. 284. *Caroli V.* Responsum Regis de hac re.

CONS. VI. fol. 142.

Aduocati, & Procuratores fiscales interesse non debent, cum caussæ votantur. *Ad cap.* 370. *&* 462. *Regis Alphonsi.* Responsum Regis hac de re.

CONS. VII. fol. 143.

Panormitanæ Ciuitatis officiales visitatoribus generalibus minimè subijciendi. *Ad cap.* 229. *Caroli V.* Responsū Regiū.

CONS. VIII. fol. 146.

Vēditio annui reditus est contractus censualis. *Ad pragmaticā Regis Alphonsi, & Bullam Nicolai V. & Gregorij XIII. de cēsibus.* Ioānes Aloysius de Septimo in hac re impugnatur. Bulla Nicolai V. lo-

cho, omissis denūciationib⁹, initū, est validū. Reijcitur *Menoch.* cū suis asseclis.

CONS. XLI. *fol.* 477.

Post Conc. Trid. dari potest matrimonium præsumptum. Quodnā fuerit olim, & cur ita dictū. Satis est, cōsēsum cōiugū signis exprimi, nec verba desiderari.

CONS. XLII. *fol.* 484.

Filij ex matrimonio putatiuo, sunt legitimi quoad successionem, & alia omnia. Quodnam sit putatiuum.

CONS. XLIII. *fol.* 490.

An condemnatus ab Inquisitorib⁹ aliquo crimine, ad eorū cognitionē ptinēte, sit repellēdus à beneficijs, dignitatibus ecclesiasticis, siue secularibus obtinēdis.

CONS. XLIV. *fol.* 493.

Patronus, qui fictè præsētat clericum, quē verè scit præsentationi nō cōsēsurum, non ideo postea habet integrum tempus ad præsentādum. Hoc tempus patronis currit, ac deficit ipso iure.

CONS. XLV. *fol.* 497.

Donatio, seu renūciatio bonorū, q̄ fit in Societ. Iesu, iuxtà illius constitutiones, est absoluta, à futura professione, aut à perseuerātia nō pēdēs: dimiss⁹ ab ea nullū ius hēt ea bona recuperādi, siue illa eidē Societ. siue alij cuicumq; donauerit.

CONS. XLVI. *fol.* 505.

Caccabēsiū iura in remēsuratione ptensa à D. Comite de Mohac latè defēdūtur. Nemo inaudit⁹ spoliādus; caussa reintegrationis feudaliū est feudalis. Refertur decisio. vēr⁹ intellect⁹ *ad l. 3. C. fin. reg.* Nōnulla de cōtractu Coloniç, ac de Cōmunalib⁹ ciuitatū. Exponitur *lex quise granatos C. de cēsib. lib.* 11. In dubio cōcessio an ad corp⁹, an verò ad mēsurā psumatur. itē an mēsuratio ex temporis antiqtate psumatur: agiturq; de illi⁹ pscriptione, ac refertur decisio.

CONS. XLVII. *fol.* 520.

Vsuræ vsurarū, ēt licitarū, & in sortē redactarū, exigi nō possūt, secūdū ius positiuū: q̄d de iure naturç. variç interptationes ad *cap. nauiganti de vsur.* auctoris interptatio, & iudiciū. cābiū, & recābiū quo casu licitum: & an lucrum cessans his casibus debeatur.

CONS. XLVIII. *fol.* 535.

Bona p testatorē, antea absq; onere hæredi donata, in fideicōmissi restitutione regulariter nō veniūt: nisi expsse fideicommisso à testatore subijciantur. An in hoc casu donatario, ac simul hæredi inuentarij confectio prosit.

CONS. XLIX. *fol.* 543.

Seminarij Panormitani iura in pbāda libertate ecclesiarū Priorat⁹ S. Nicolai de Nemore, ac beneficij S. Mariæ la Noua, sitarū in territorio Caccabi, latè ostendūtur cōtrà D. Comitē de Mohac. Doctrina *Cōc. Trid. sess.* 25. *ca.* 9. *de reform.* eiusq; obseruationes. Prim⁹ mod⁹ pbādi titulū iurisp. ex fūdatione, & dotatione ex authētico documēto. hoc nomine q̄d veniat. Sacræ Congr. Cōc. Trid. auctoritas. Secūd⁹ mod⁹ pbādi titulum iurisp. ex multiplicatis psētationibus, cōiūctis tēpori immemorabili. Requisita ad pbationē immemorabilis. Terti⁹ mod⁹ nō datur. Forma pbādi titulū iurisp. quoad psonas suspectas de vsurpatione, in q̄b⁹ immemorialis debet esse qualificata. Tridētinū abrogat reliquos oēs patronat⁹ cū quasi possessione, itē oēs facultates, & priuilegia patronatuū. Paraphrasis prædictarū obseruationū. Quā vim habeāt ad pbādū iuspatr. situatio ecclesiæ, testes, fama, enūciatiuç, & psētationes. Quæ psona potēs, ac suspecta de vsurpatione iurisp. vtriusque ecclesiæ libertas ostēditur ex primæua fūdatione. itē ex vsu, & puisionib⁹ subsequutis. Exponitur regula, puisiones Apostolicç beneficiorū statū nō mutāt. Et clausulæ, p hac vice derogantes: &, dūmodo ad nos hac vice ptineat. Ostēditur valor vnionis beneficiorū Seminario factæ. Epitome totius consilij.

CONS. L. *fol.* 630.

Fruct⁹ beneficiorū post obitū beneficiarij, ad quosnā ptineāt, ad hæredesne, an ad successorē. Descriptio fructuū, & variæ illorū diuisiones. Resoluitur q̄stio de iure cōi, tū quoad fruct⁹ nāles, & industriales recollectos, ac pēdētes, tū quoad ciuiles. Quid de cōsuetudine. Quid post Bullam Iulij III. Quid in Regno Siciliæ.

CON.

CONSILIA
SEV
IVRIS RESPONSA
FRANCISCI SALERNI SICVLI DOCT. THEOL. AC I.C. CANONICI PANORMITANI, ETC.

LIB. I.

CONSILIVM I.

De origine, ac firmitate Alternatiuæ beneficiariæ Siculis competentis. Ad Cap. 34. Reg. Ferdinandi.

Complectuntur hęc tria priora Iuris responsa, seu mauis Cōsilia, Alternatiuę Siculę materiem. A nobis vero reddita sunt anno 1624. dum in Regia Matritensi degeremus. Cum enim inter cętera, quæ Siculi tunc temporis in Generalibus Comitijs, quæ singulis triennijs consueto more celebrātur, vocanturq; ab iisdem Siculis *Parlamenta*, seu *Colloquia Generalia*, à Catholico, ac Potētissimo Rege nostro Philippo Quarto enixè efflagitarunt, præcipuum ad beneficiorum Alternatiuam Siculis competentem pertinuerit; precesq; Regni nomine porrexerit Illustrissimus D. Don Antonius del Bosco à Regijs Cortinis, vulgò, *Sumilier de Cortina*, Miles Sancti Iacobi de Spata, & Abbas Sancti Philippi Argirensis; mihiq; onus imposuerit, vt Siculorum postulata iuri, ac rationi consentanea comprobarem: prouinciam suscepi meis humeris imparem, sed lubens, vt ei morem gererem, cui plerisq; nominibus me obstrictum agnoscebam, nedum vt Patriæ deseruirem. Primo igitur loco de Alternatiua agimus; acturi postmodum de alijs, quæ tunc temporis Siculi postularunt. Cuilibet autem Siculorum petitioni Regis responsio appendetur.

§. I.
De origine Alternatiuæ.

SVMMAE.

1 *Rerum humanarum inconstantia.*
2 *Siculi olim ad officia, ac beneficia Regni soli admittebantur. Sua iura, ac priuilegia,* Capitula *vocant. Quo tempore Regni beneficia in exteros conferri cœptum sit.*

 Di-

Dictio Tantum *quam vim habeat.*
Origo Alternatiuæ.
3 *Siculi pluries institerunt, vt antiqua priuilegia ipsis seruarentur, ac beneficia in solos Siculos conferrentur.*
Rationes quibus præcipuè nitebantur.
Residentia magis in oriundo, quam in extero præsumitur.
4 *Siciliæ Reges sæpè iurarunt, se seruaturos Alternatiuam.*
Prouisiones contrà Alternatiuam nullæ sunt: eaque in eodem corpore seruari debet.
Archiepiscopatus Montis Regalis ab ea extrahitur.

1 EA est rerum humanarum inconstantia, temporumq; vicissitudo, vt nihil firmum, nihil immutabile diutiùs in eodem statu permanere queat: *quid enim erit stabile inter homines*, inquit Iustin. in Authent. de non alien. reb. Eccle. §. vt autem lex, *& ita immobile, vt nullam patiatur mutationem, cum omnis noster status sub perpetuo motu consistat*? quorum enim esse à mutatione incępit, ea omnia mutationi sunt subiecta, aut in interitum eunt, aut sunt per electionem, aut pro voluntate mutabilia, aiebat *Ioannes Damascenus lib. 1. Orthodoxæ fidei ca. 3. relatus à Petro Gregorio Tholosano Instit. rei benef. cap. 9.* sic, inquit idem Tholosanus, omnium rerum semper quasi naturali lege mutatio est, proindeq; rectè *AElius Spartianus in Seuero Imperatore: creata*, ait, *omnino & mutabilia*. Rerumpublicarum mutationem inde oriri censuit *Socrates in Platonis Republica*, refertque *Aristoteles Polit. lib. 5. cap. 12. ac Tholosanus loco paulo ante laudato*, quod sic natura comparatum est, vt nihil permaneat, sed in ambitu quodam mutationem temporis accipiat. intereunt Imperia, Regna, Ciuitates, etiam quæ aratro subijciũtur, quod Carthaginem, Troiamque passas antumat *Modestinus & Accursius Glos. & graphus in l. si vsusfructus ff. quib. mod. vsusfruct. amit.* vndè, dixit rectè *Lucretius 1. de natura*.

Et quasi longinquo fluere omnia cernimus æuo.

2 Siculorum quoque priuilegia, quibus ij ad beneficia, atq; officia Regni Siciliæ soli admittebantur, quorum similibus etiam nunc frui cernimus Aragoniam, Castellam, Galliam, aliaque quamplurima Regna, hanc temporis mutationem passa animaduertimus: & quæ infinitis propemodum sęculis intacta permansere, Ferdinandi Catholici Regis tempore ferè interire visa sunt: tunc etenim, vt ex eiusdem Regni Capitulis, (ità Siculi sua iura, ac priuilegia appellant) satis liquet, in exteros quoque illius beneficia, conferri cæptum est: quod ægrè ferens Siciliæ Regnum, de eo Oratore Gaspare de Spes tunc Prorege Comite de Esclafani, apud eumdem Regem anno 1488. conquestum est; atque satis institit, vt Siculis prisca, atque à tot Regibus iuramento obfirmata priuilegia, præcipuè ab *Alphonso in cap. 386. 414. 416. & à Ioanne, Catholici Regis patre, in cap. 8.* obseruarẽtur: in quibus sanè capitulis dictio, *Tantùm*, similisuè reperitur, cuius ea est virtus, ac natura, vt restringat, ac personas, casusque penitus excludat, vt passim Iura, Doctoresq; animaduertunt: de eo tamen nihil tunc decreuit Catholicus Rex: ac proindè anno 1503. orator à Regno mittitur Episcopus Cephaludensis, vt de eo iterum ipsius Regni nomine quereretur: tuncque Rex idem Catholicus iussit, vt Siculis in omnibus prorsus beneficijs Ecclesiasticis Regij Iurispatronatus Alternatiua hæc, de qua nobis institutus est sermo, relinqueretur, idest vt alternis vicibus, nimirum vna in Siculos, alia in quos maluerit Rex, beneficia Sicula conferrentur: ità enim habetur in *cap. 34.* eiusdem Regis Catholici: *Placet Regiæ Maiestati, vt det maiorem occasionem Siculis seruiendi, & vacandi studijs literarum, omnium beneficiorum*

prædicti Regni, quæ sunt de Iurepatronatus suæ Maiestatis, cōcedere Alternatiuam; ita quod de duabus electionibus quarumcunque beneficiorū prædicti Regni, quæ sunt de Iurepatronatus suæ Maiestatis, vnam electionem faciet in personam alicuius Siculi, quā sua Maiestas idoneam, habilem, & sufficientem iudicabit, eique, vt moris est, prouidebit, aut præsentabit.

3 Ecce tibi originē Alternatiuæ, Siculis planè dissentientibus constitutæ: neq; enim ea ipsis fuit satis: quin iterum anno 1514. Oratore Io. Aloysio de Septimo ad eumdem Regem Catholicum misso, institere, vt priuilegia, ipsis ob caussam, vt dicitur, onerosam obsequiorum præstitorum concessa, integrè, vti æquum erat, obseruarentur, vt constat ex *cap. 95.* eiusdem Catholici Regis: qui nihilominus semper eamdem Alternatiuam dumtaxat cōfirmauit: quarè anno 1520. tempore Caroli Quinti Imperatoris, rursus enixè a Cæsarea Maiestate petiere, nè sibi antiqua hæc priuilegia minuerentur: quas qdē Siculorū pces Hector Pignatellus Mōrisleonis Comes, tūc tēporis Regni Prorex, legatusq; Imperatori porrexit, vt liquet ex *cap. 12.* eiusdem Imperatoris. ad idque comprobandū tres Comes, & sanè validas rationes proponebat: primam quidem, quia exteri minimè in beneficijs assidui erāt, seu, quod est idem, residebant: hincque sequebatur Templorū ruina, diuinique cultus, atq; etiam redituū diminutio, quam nunc re ipsa cernimus subsequutā, permaximo Regij Iurispatronatus detrimento, neutiquam contemnendo: plures enim Ecclesias omnino collapsas, aut certè labentes animaduertimus, ac etiam non paucas Abbatias, aliaque beneficia, quibus prætetito tempore plurimi, pinguesq; erant annui reditus, hodiè nullos, aut certè exiles obtinere. sanè certum est, assiduitatem, seu mauis residentiam, in Siculo potiùs oriundo, quam in extero præsumendam: *ad Reg. 17. Cācell. de concurrentibus in data, ad cap. nullus inuitis dist. 61. & cap. ad decorem, de Instit. vbi omnes.* Secūda autem ratio Comitis erat, quia Ecclesiastici reditus in Regno nequaquam expendebātur, imo in ipsius euidens detrimentum, atque incommodum, extrahebantur. Tertia denique ratio erat, quia nobilium nemo sese in Clericorū ordinem ascribebat: atque hinc huiusce ordinis diminutio haud paruifacienda sequebatur. Sed tunc quoq; Carolus Imperator Alternatiuam dūtaxat custodiri, seruariq; iussit. Anno deinde 1534. vigente eodem Comite, Cæsarea Maiestas, in beneficiorū præsentatione maximam se Siculorū, iuxtà eorumdem merita, curam habiturum promisit.

4 Et hanc quidem Alternatiuā, vti priscorum priuilegiorum reliquias, idem Rex Catholicus, atque alij subsequentes Reges, integram Regno custodiri sæpius præcepere, seque seruaturos crebrò promiserunt, atque identidem iurauere, vt ex ipsius Regni Capitulis satis constat. quin idem Imperator, eodem Comite iterum instante, anno 1526. præterquā quod iussit expressè, hanc seruari Siculis Alternatiuam; Viceregibus quoque imperauit in *cap.* 105. vt neutiquam executioni mādarent prouisiones, contrà eam inaduertenter emanatas: Antigonum tertium imitatus, qui, vt auctor est *Plutarch. in apophth.* Ciuitatibus scribebat, siquid contrarium legibus per epistolam mandaturus esset, nè parerēt; sed ipsum ignoratione lapsum cēserent: quod & Cæsares quoque frequēter voluere, vt in pluribus eorū legibus animaduertere licet. hac ipsa de re instituit D. Ioa. Marullo Augustę Comes, Regni quoq; legat. ad Cęsarē missus; q tūc quidē declarauit, Alternatiuā hanc in eodem corpore, vt ipse loquitur, intelligendam: id autem est, vt idem prorsus beneficium, quod in exterum fuisset collatum, illud ipsum, & non aliud, in

Siculum conferretur. id quod sancitũ reperitur *in cap* 187. quo quidem tẽpore idem Imperator ab Alternatiua Mõtis Regalis Archiepiscopatum extraxit; quamuis de cetero promittat, curam Siculorum idoneorum se se in illius præsentatione maximè habiturum: id ipsum quoque Philippus Rex Secũdus anno 1562. Ferdinãdo à Silua Fauarę Marchioni, Siculo Oratori, à Siculis ijsdẽ misso, vt de hoc ipso cõquereretur, promisit; prout in *ca.* 11. eiusdem Regis refertur.

§. II.

Firmitas Alternatiuæ.

SVMMAE.

5 *Quæstionis sensus aperitur.*

6 *Alternatiua est irreuocabilis, quippe priuilegium remuneratorium.*

7 *Priuilegium ex causa onerosa concessum vim obtinet contractus.*

Promissio, ac præsertim iurata, omnes obstringit.

Deus ipse pacto, ac promissione obligatur, & quo modo.

8 *Donatio remuneratoria neq; ob ingratitudinem reuocari potest: in qua quidem locum non obtinet l. si vnquam C. de Reuocan. donat.*

Quilibet ad Antidora tenetur: quæ obligatio est naturalis.

9 *Donatio remuneratoria non est propriè donatio: neq; indiget insinuatione, donansq; de euictione tenetur: & potius est permutatio quædam.*

Donatio quæ propriè dicatur. quæ fit magistro impropriè dicitur donatio.

10 *Remuneratio à natura instituta; & quo modo bestijs conueniat.*

11 *Princeps ius alteri quæsitum auferre nõ potest: neque ex plenitudine potestatis: alioquin læderet ius ciuile, gentium, naturale, diuinum.*

12 *Priuilegijs, & Capitulis Siculorum etiã mille contrarijs actibus non derogatur, & prouisiones contra illa nulla sunt.*

13 *Alternatiuæ læsio est contrà iustitiam commutatiuam, nedum legalem.*

Principis debitum in ordine ad communitatem. tenetur ex commutatiua suo munere rectè fungi.

CONsultò omittimus hoc loco illud discutere, num prisca illa priuilegia, quibus Siculos ad beneficia solos fuisse admissos paulo ante dicebamus, nunc quoque firma maneant, ac seruanda: tum quia illud est alterius instituti: tum quia ex ijs, quæ hic afferemus, eius resolutio facilè colligi poterit: tum denique quia fortassis ea firma apertè asserere nunc temporis durius videretur. Solum igitur quærimus hic de alternatiuæ firmitate; licet de reliquo ea, quæ modo afferemus, communia sint alijs quoque priuilegijs, & ad eorum firmitatem comprobandã, eodẽ prorsus modo apta censeri debeant: moneo tamen multa huc esse transferenda ex ijs, quæ in re simili cons. 19. afferemus; sicuti & hinc illuc alia trãsferri debent.

5 Quæstionis vero sensus minimè censeri debet is, qui fortassis prima frõte videri posset; num scilicet Alternatiua validè fuerit constituta: id enim supponimus omnino hoc loci. quod si quispiam contendat obstinatè, eam inualidam prorsus esse, idque probet ex eo, quod Catholicus Rex minimè potuit eam validè constituere, quippe de rebus ecclesiasticis agebatur, proindeque minimè illum potuisse de ijs disponere absq; Pontificis venia, & indulgentia: Aio, si id verum esset, Siculis nihil omnino nocere: quin potiùs maximè prodesse; quandoquidẽ, si Alternatiua inualidè fuisset constituta; firma omnino manerent prisca illorum priuilegia, quibus soli ad beneficia, & officia admittebantur: cum præsertim ea iuri communi maximè innitantur, vt infrà ostẽdemus copiosè: proindè equidem miror quosdam, alio-

alioqui doctos viros, hoc argumento tanquam Achilli inniti, vt Siculis aduersentur. Supposito igitur tanquam certo, quod validè Alternatiua fuerit constituta, solum in præsentiarum quærimus, an ita sit firma, vt nullo prorsus modo reuocari, aut quoquo modo imminui possit.

6 Alternatiuam igitur hanc ità firmã asserimus, vt nullo prorsus modo à Siciliæ Rege reuocari iure possit. Huius autem assertionis efficax ratio, ac fundamentum est, quia ea priuilegium est, quod remuneratorium nuncupamus, ac concessum ex causa mensurabili, & onerosa, vt vulgò loquimur, obsequiorum à Siculis præstitorum, nedum debitorum, sed etiam debitũ excedentium, eiusq; reuocatio apertè tendit in graue Regni damnũ, ac euidens detrimentum: quæ vero eiusmodi sunt priuilegia reuocari minimè possunt, vt præ cæteris docuit *Bald. in l. si cum mihi ff. de dolo & in l. qui se patris C. vnde liberi*, atq; omnes prorsus concludunt in *cap. nouit. de Iud. vbi Aret. Felin. & Abbas n.* 25. *& 26. Decius cons.*285. *à num.*4 *Mandos. in Reg.* 13. *Cancell. q.*8. *n.*10. *Hyppol. de Mars. sing.*333. *à n.*4. *Alex. cons.*216. *vol.*2. *Tiraq. in l si vnquam. verbo donatione C. de reuocãd. donat. n.*13. *Rolan. à Valle cons.*76. *vol.*2. *Ruin. cons.*130. *num.*19. *vol.*5. pluresq; alij apud eosdem, & *D. Carolum Tapiam in decis. supremi Italiæ Senatus decis.*5. *à n.*24. *& deinceps*, quos recensere superuacaneum duxi. vide quoq; *Suarez lib.* 8. *de leg. cap.*37. *num.*6.

7 Vlterior autẽ huiusce rei ratio est, quia priuilegium, iusta caussa concessum, vim obtinet cõtractus, proindèq; reuocari neutiquam potest, vt omnes prorsus Doctores monent in *l. digna vox C. de legibus, & in cap.*1. *de probat. vbi Butr. n.*3.4. *&* 5. *Abbas n.*1. *Decius à n.*1. *Felin. n.*1. *&* 2. *Anchar. n.*3. *Aret. n.*1. *Barbat. à n.*3. *& cons.*1. *n.*2. *vol.*1. & quamplures alij apud eumdem, cæterosq; suprà citatos, & *Paris. cons.*2. *à n.*128 *lib.* 4. *Abbatem quoq; in cons.* 94 *n.*4. *vers. quoad tertium. parte* 2. cum præsertim, quod attinet ad nostrum negotium, Alternatiuam hanc se obseruaturos sæpè promiserint, ac iurauerint Siciliæ Reges, vt ex dictis constat: atqui nemo promissione, præsertim iurata, non obstringitur: quin, vt Magistri sententiarum adhibita authoritate tradit *Bald. in l prima ff. de pactis*, quem refert *Dec. cõs.*285. *cit. n.*5. Deus ipse pacto, seu promissione obligatur: quod etiam Theologi omnes docent cùm *S Thom.* referetq; *Peregrin. de iure Fisci lib.* 6. *tract.* 1. *n.* 9. alijque: quamuis de cætero hæc obligatio nequaquàm sit ex iustitia strictim sumpta, sed solum ex quadam fidelitate, vt fusiùs Theologi declarant. Certè nusquam legitur, Deum O. M. suas reuocasse promissiones, præsertim iuramẽto obfirmatas: quin id nunquam prorsus præstiturum, satis elicitur ex illo *Psal.* 109. *Iurauit Dominus, & non pænitebit eum*, & *Psal.* 88. ipsemet de se ipso loquens, *quæ*, inquit, *procedũt de labijs meis, non faciam irrita*. Sanctus denique Paulus *ad Hebr.* 6. innuens maximã diuinæ promissionis, ac præsertim iuratæ, firmitatem: *homines*, ait, *per maiorem sui iurant, & omnis cõtrouersiæ eorum finis ad confirmationem est iuramentum. in quo abundantiùs volẽs Deus ostendere pollicitationis hæredibus immobilitatem cõsilij sui, interposuit iusiurandum, vt per duas res immobiles, quibus impossibile est mentiri Deũ, fortissimum solatium habeamus.* Vndè ità se pacto obstringi censuit Theodahadus Rex apud *Cassiod. var. lib.* 10. *Epistol.* 16. vt promissorum executionem Deo, non homini se debere existimauerit. vide *Rebuff. in præfat. ad Rub. de collat. in Concor.* qui rem totã duodecim rationibus aptè confirmat. legi quoq; possunt *Paris. cons* 11. *à n.* 48. *lib.* 1. *Mierez de Maiorat. parte* 1. *q.*26. *à n.*50. alijq; apud eosdem.

8 His adde, concessionem, qua de loquimur, donationem esse quamdam ob be-

ob benemerita, seu ob remunerationem, quæ reuocari minimè potest, etiamsi ingratitudo superueniat, *l. Aquilius l. si pater §. si quis aliquem ff. de donationibus. ibiq; glos. verbo irreuocabilis. Lud. Rom. sing.* 520. *Hippol. de Mars. sing.* 333. *n.* 4. *cit. vbi allegat Roman. cõs.* 298. *& Alex. d. cons.* 216. *vol.* 2. qua de re videri potest *Mandosius in Reg.* 13. *q.* 8. *cit. à n.* 7. *& Tiraquell. in d. l. si vnquam verbo donatione num.* 12. *C. de reuocand. donat. Menoch. cons.* 1003. *à n.* 49. *lib.* 11. Communis quoque Doctorum opinio est, *l. si vnquam cit.* disponentem, reuocari donationē antea factam, susceptis postea liberis, locum nequaquam obtinere in remuneratoria donatione, vt benè animaduertit *Decius cons.* 366. *n.* 10. vbi allegat etiam *Bald. Ang. aliosq; in d. l. si vnquam*, quorum rationem affert *Add. ad Lud. Roman. sing.* 520. *cit.* quia scilicet quilibet ad antidora tenetur, vt ibi multis iuribus ostenditur. quam sanè obligationem probat esse naturalem *Corasius in ijs, quæ præfatur ad l. frater à fratre, n.* 16. *ff. de condit. indeb.* vide *Tiraq. loco paulo ante laudato.*

9 Sed re vera donatio ob remunerationem non est propriè, ac verè donatio, vt rectè post *Bart. in proœm. ff.* affirmat *Abbas in Rub. de donat. num.* 3. quod etiam post eum probat *Mādos. loco cit. ex l. si vero non remunerandi in prin. ff. mandat. l. sed & si §. consuluit ff. de petit. hæred.* quem sanè textum ad hoc ipsum allegauit *Bart. loco citat.* prout etiam refert *Alex. d. cons.* 216. *n.* 2. qui *Abbatem* quoq; laudat, ostenditq; huiusmodi concessiones, ac donationes remuneratorias insinuatione minimè indigere, (idem *Corasius* probat *n.* 22. additq; id esse quoq; verum, etiamsi legitimum modum excesserit) ac donātem de euictione teneri, probat in *cons.* 47. *vol.* 3. *ex Bart. & Bald.* eumq; citat, ac sequitur *Hippol. de Mars. loco cit.* vbi ait, plurimum huic proposito conferre ea, quæ habet *Cepol. cauthel. donatio.* 112. *Iason. in l. pactum C. de pact. & in l. si stipulatus fuerim §. cum stipulamur ff. de verb. oblig. & in l. si non sortem §. libertus ff. de condict. indebiti.* Additq; *Abbas* loco paulo ante laudato, remuneratoriam donationem potiùs esse permutationem quamdam, seu compensationem obsequij recepti: idq; probat ex *l.* 1. *ff. de donationibus*, vbi Iulianus monet, eam esse propriam donationem, ad quam donat or nulla alia præcedente caussa, mouetur, nisi vt munificentiam, ac liberalitatem exerceat: ille autem, qui est obligatus ad antidora, nequaquā solum donat, vt eam exerceat; sed potius vt naturæ debitum soluat, eumq; remuneret, qui sibi seruiuit. pro qua re adducit textum *in l. Aquilius cit. ff. de donat.* vbi ea dicitur impropria donatio, quæ fit magistro, quia potiùs quadam mercede officium, atque obsequium magistri censetur remuneratum, laborisque merces nuncupatur *in l. si pater. ff. eodem titulo.* Cōfert maximè id, quod edocuit Vulpianus in *l. metum autem §. sed licet vim ff. de eo, quod met. caussa, & in d. l. sed et si §. consuluit ff. de petit. hæred.* vbi in fine. *Plane*, inquit, *si antidora acceperunt, dicendum est eatenus locupletiores factos, quatenus acceperunt, velut genus quoddam hoc esse permutationis.* Indè fortassis *Theod. Rex apud Cassiod. var. l.* 1. *epist.* 42. *Remuneratio*, inquit, *meritorum, iustum dominantis prodit imperium, apud quem perire nescit, quod quempiam laborasse contigerit: nam, si inopinata tribuimus, quemadmodum negare possumus, quod debemus? in tutū apud nos omnis reponit deuotio, quod meretur*: & cætera, quæ sequuntur. Adde eumdem *Abbatem, in cap. per tuas n.* 6. *de donat. Tiraq. in d. l. si vnquam. verbo donatione n.* 11. *& Ioan. Garsiam tract. de donat. reman.* qui vol. *de expen. & melior.* continetur, vbi contra *Arium Pinel. in l.* 1. *C. de bonis maternis par.* 3. *à n.* 59. remuneratoriæ donationis iura, ac priuilegia tuetur, copiosè.

Remu-

10 Remunerationem quoque, ac beneficiorum, obsequiorumque receptorum commensurationem à natura ipsa institutam, ostendit *Mand. loco cit. num. 9. ex cap. illud, cum glos. fin. 8. qu. 2. cap. cum in officijs, initio, de testam.* Antidoralis autem obligationis effectus plures vide apud auctores, quos refert *Add. ad Rom. Mand. ac Tiraq. locis suprà citatis. & Tiraq.* quidem *num. 56.* eam non solis hominibus, sed brutis quoque animalibus ait esse communem, *ex glos. in l. sed & si §. consuluit. ff. de petit. hered.* alijsque, quos ibi commemorat, vnà cum quibusdam mirandis sanè exemplis Leonis, Pantheræ, Draconis, Elephantis, Delphini, aliarumque belluarum, quæ glossæ, ac cæterorum sententiam aptè confirmant, etsi, vt verum fatear, nonnisi per quamdam similitudinem censeam, antidoralem obligationem brutis animalibus conuenire, cum ipsa, quippe rationis expertia, ea, quæ à ratione fluunt, habere non possint: id quod præsensit quoq; *Coras. in ijs, quæ præfatur ad l. frater à fratre ff. de Condict. Indeb. n. 19.* quamobrem nullam prorsus obligationē inferis Doctores agnoscunt in *l. 1. §. ff. 2. si quadrup. paup. fecis. dicatur.*

11 Denique ex Alternatiuæ concessione, seu priuilegio Siculis adquisitum est ius, vt omnium beneficiorum altera vice in eos fiat collatio: nequit autem Princeps alteri ius quæsitum auferre, vt ostendit *Alex. cons. 116. cit. num. 10. ex glos. Ioa. Andr. Innocen.* atque alijs: hancque affirmat esse receptiorem sententiam *Menoch. lib. 1. de arb. iud. q. 48. n. 6.* idque neque ex ea, quam vocant potestatis plenitudinem, vt multi censent apud eumdē *Menoch. num. 7 & cons. 1. nu. 422. & seqq. lib. 1.* aliosque passim. Cum alicui ius suum aufertur, non ciuile modò, verum naturale, & gentium, imo diuinum quoque ius lædi, optimè probat *Pinel. in rub. C. de rescind. vend. par. 1. cap. 2. n. 26.* idem legendus *à nu. 1.*

12 Quibus sanè omnibus satis ostenditur, Siciliæ priuilegia firma omnino esse, ac reuocari minimè posse, quodque aduersus ea rectè, vel obliquè, seu, vt Philosophi loquuntur, directè, vel indirectè, constituitur, prorsus infirmum esse, & contrà iustitiam inductum: sunt enim ea remuneratoria, atque ex causa onerosa obsequiorum præstitorum, horumque intuitu à Siciliæ Regibus concessa; ab ijsque sæpiùs iurata, vt apertè ex Regni Capitulis colligitur: eodemque pacto firmissimam esse Alternatiuam, inter eadem præcipuum priuilegium, ex hùcusque expositis quisque facillimè deprehendet. Vbi etiam animaduertendum est, generatim Siculorum priuilegijs etiam mille contrarijs actibus nō derogari, vt statutū est in *cap. 139. 405. 433. 434. 445. Regis Alphōsi, & in cap. 3. 52. 103. 146. 226. Caroli V. & cap. 31. Philippi secūdi:* & idē *Alphonsus in cap. 435.* prouisiones contrà Regni priuilegia, & capitula, nullas esse decreuit: ac speciatim pro Alternatiua idem statuit Imperator in *cap. 105.* vt prænotauimus *sup. n. 4.*

13 Ita vero Alternatiuam asserimus custodiendam, vt eius læsione iustitiam quoque commutatricem, nēdū legalem, lædi existimemus. Et quidem de legali, quæ in Principe, prout est communitatis caput, & publica persona, principaliter, & quasi architectonicè reperitur, vt loquitur *S. Th. 2. 2. qu. 58. art. 6. in corp.* res videtur manifesta: habet enim Princeps debitum iuri communitatis, in ordine ad commune bonum, commensuratè operandi, ipsique ex officio eiusdem boni curatio incumbit: hæc autem maximè dependet ex iurium, ac priuilegiorum eiusdem communitatis custodia; qua sublata, commune bonum omnino inuertitur, turbaturque. Commutatrix deindè iustitia lederetur, primùm quidem, quia Princeps ex eo, quod hoc munus suscipit, vi-

uit-

uitque ex reip.bonis, tributa, ac vectigalia exigit, &c. tacitum saltèm quemdam contractum init cum eadē, quo commutatrice iustitia tenetur suo munere rectè fungi, comparaturque in præsenti casu ad communitatē ipsam, non quidem, vt pars ad totū, quemadmodum in iustitia legali, verum vt persona quędam singularis ad aliam personam item singularem: nā hìc, vt rectè edocuit *Lessius lib. 2. de Iust. & Iure cap. 1. dub. 3. num. 13.* tota Respublica se habet ad Principem, sicuti particularis persona ad custodē, quem stipendio ad se tuendum, & custodiendum conduxit: improbè verò Princeps suum munus exercet, si eiusdem reipublicæ Iura, quæ custodire debuerat, lædat, atque peruertat: quique pastor, ac propugnator constituitur, lupus, atque expugnator existat. Deindè Alternatiuam hāc expresso contractu, pacto, ac promissione, Siculis deberi iam suprà probauimus: si ea igitur læditur, quis ambigat, commutatricem quoque iustitiam lædi? hæc enim nullibi perfectiùs, quā in pactis, atque contractibus reperitur, vt omnes prorsus profitentur.

§. III.

Oblecta contra Alternatiuæ firmitatem diluuntur; agiturque de Absoluta Principis Potestate.

S V M M AE.

14 *Princeps potestatis plenitudine vti debet, claue non errante: & nisi ea rectè vtatur, erit plenitudo iniquitatis, & tempestatis: eaque ex magna causa vti debet.*

15 *Princeps quomodo solutus legibus dicatur: & ex duabus qua necessitate necessitetur. licet verò sit supra ius ciuile; iuri tamen gentium, ac naturali subijcitur, ac neutrum tollere potest: & naturale quidem potentius est, quam principatus. Dignitate crimen augetur.*

16 *In Principe nō datur potestas absoluta; sed est peccandi potestas. Regis finis; item Tyranni. Impura vox Iuliæ nouercæ Caracollę Imperatoris. Princeps legibus obedire debet.*

17 *Est solutus legibus ab alio conditis; & à latis à se ipso, si spectent ad solemnitates. Etiam nomē potestatis absolutæ est ablegandum, & Princeps ea potestate vtendo peccat.*

18 *L. qui fundos. C. de omn. agr. desert. lib. 11. explicatur. Princeps absque causa priuilegiū reuocare nō pōt, & n. seq.*

19 *In Principe variatio improbatur; & debet esse immobilis sicuti polus: eumque saltem non decet priuilegium reuocare.*
Id posse dicimur, quod honestè possumus.

20 *L. 15. tit. 10. lib. 5. Recopilat. & l. 6. eod. tit. 10. conciliantur.*

14 Qvod si hìc obijciat quispiam Principis potestatis plenitudinem: occurrendum erit, ea Principem, sicuti ipsum quoque Pontificem summum, vti debere, claue non errante: debet enim præmittere clauem discretionis ante clauem potestatis, inquit *Gloss. cap. 4. ver. absolui, de Iureiurādo, & in cap. non est, de voto. Abbas in cap. proposuit num. 12. de concess. præb. Innocent. in cap. quanto de translat. prælat.* & nisi potestatis plenitudine rectè vteretur Princeps, eam potiùs plenitudinem iniquitatis, ac tempestatis esse nuncupandam, aiunt post *Cardin. Socin. Fulg. Curt. sen. Bald. atque alios, Surd. cons. 489. num. 48. vol. 3. Gail. obser. 55. & 56 lib. 2. Menchaca lib. 1. controu cap. 26. Ceuall. Com. contra Com. q. 106. n. 23. Molin. lib. 2 de primoge. ca. 7. n. 33.* atque hac eadem potestatis plenitudine non nisi ex magna caussa Principem vti debere, dixit *Innocen. in cap. innotuit, de electione; Ang. in l. benè à Zenone C. de quadri. præscript. Bald. in l. 2.*

l.2.C.de senten ex breuic. recit. nu.13. alijque relati *à Molin.num.31.loc.cit.*

15 Solutus quidem legibus dicitur Princeps quoad vim cogendi, vt rectè explicat *S.Thomas. 1.2.q.96. art. 5.in resp.ad tertium argum.* nullus enim propriè cogitur a se ipso: lex vero non habet vim coactiuam, nisi ex Principis potestate: sed quantum ad vim directiuam legis, inquit S. Doctor, Princeps subditur legi propria voluntate: vnde quantum ad Dei iudicium Princeps non est solutus à lege quantum ad vim directiuam eius, sed debet voluntarius, non coactus legem implere. rem hanc aptè prosequitur *Anast.Germon. lib 1. animaduers.cap.1.* & vide, quæ hac de re latiùs infrà *cons.19.à nu. 9.* dicemus: quamuis enim, inquit *Host.in summa de filijs præsbiterorum §.fin.in fine,* qui non habent superiorem in hoc mundo, neque habeant corrigentem, vel emendantem; tamen à Domino Dominorum, Rege Regum, & Pontifice omnium Pontificum, si sine pęnitentia decesserint, punientur: ideoque nouerint sibi terribilius iudiciũ, quã alijs inferioribus imminere, *cap.alio rum 9.q.3.Bart.quoque in l.Imperium ff.de iurisd.omnium Iudicum*, duplicẽ agnoscit necessitatem, alteram, quæ præcisè imperat: & hac, vt ipse ait, subditi à superioribus necessitantur: altera est necessitas honestatis, qua quidem Princeps necessitatur *l. digna vox C.de legibus*, & licet non sit, qui audeat dicere Principi, cur ità facis? ait *Bald.in prælud. feud.* tamen Deo subijcitur, qui omnibus honesta seruanda præcepit: neque ei Deus iurisdictionem dedit peccandi, nec auferendi alienum, rectè inquit *Bart. in l fin.num.2.C.si contrà ius, vel vtil. publ* quin reatu maiori delinquit, qui potiori honore perfruitur: & grauiora facit vitia peccatorum, sublimitas peccantium, inquit *Hilarius*, vt refertur in *cap.nulli 25.q. 1.* crimẽ enim augetur dignitate, vt ibidem probat *Gloss.fin.ex l.omne delictum §.2.ff.de re milit.cap.homo, dist.40.* & licet Imperator sit supra caput iuris ciuilis: est tamen sub pedibus iuris gentium, inquit *Barbat.in cap. 1. de constit. col. 11.vers.si mihi dicatur, & Bald. in cap.1.§.notandum nu. 2.qui feud. dar. poss.* prout eos refert *Molina lib. 3. de primog.c.3.num.17.* vbi post alios ait, ius naturale potentius esse, quam Principatum: obligatio autem Principis cum subditis est iuris naturalis, seu iuris gentium, quam Princeps tollere nequit, inquit *Innoc. in cap. quæ in ecclesiarum, de constit.* atque alij communiter. licet de reliquo quandoque inter eos ciuilem quoque obligationem enasci loco citato *Corasius* ostendat. legi poterit *Rebuff. in l. Princeps ff.de legib. & l. 1. ff. de const. Princip.*

16 Quamuis autẽ aliquorum opinio sit, posse Principem absoluta potestate, priuilegia à se concessa reuocare, alterique ius quæsitum tollere, Ius naturale, seu gentium inuertere, aliaque huiuscemodi; nihilominus eam omni ratione, atque æquitate carere nemo non intelligit, & contrà eam inuehuntur passim Doctores rectiùs, atque æquiùs sentientes: præcipuè *Couarr.lib.3.Variar.Resolu.cap.6. nu. 8.* vbi ordinariæ potestatis, ac absolutæ distinctionem in humanis Principibus falsissimam vocat; adeoque absurdam putat, vt sanè miretur, viros vtriusque iuris peritissimos ea visos fuisse; concluditque in fine eiusdẽ *num 8.* in hæc verba; *Nobis ergo, qui de iure disputamus, quæ sit in Principe potestas, non licet, nec licebit vnquam, in Principe constituere potestatem, quæ eius libidine, & libera volantate, absq; rectis rationis limitibus ducatur: quod sensit eleganter Fortu.in l. Gallus §. & quid si tantum ff. de liber.& posth. col. 140.vers.dicebat Bald.vbi eam peccãdi potestatem appellat. Aristoteles* quoque *3.Polit.cap 12.Nunc*, inquit, *de absoluta Regia potestate, in qua ex li-*

bidine sua Rex gerit, administratque omnia. sed hunc rectiùs Tyrannum indigitasset, quam Regem: is enim quicquid gerit, id honestatis caussa instituit; Tyrannus vero cupiditate, ac voluptate sua cuncta metitur: quæ his obstat, fugit, vt illa tueatur; vt rectè ex *Platone* edocet quam plures. Hinc *Corasius loco superiùs allegato nu. 39. in fine* eiusce modi Principem crudelis potius Tyranni, quam Principis nomine censendum iure optimo putat. copiosiùs vero *lib. 2. Miscellaneorum cap. 25. à n. 1. vsque ad 6.* hac de re disserit: *Occinitur assiduè*, inquit, *auribus Regum, etiam à Theologis, vox illa scelerata: Princeps, qui legibus non tenetur, quodcunque potest, etiam contra ius.* Idemque ferè reperit loco superius citato, & vtrobiq; impuram Iuliæ Antonini Caracollæ Nouercæ vocem refert, quæ, cum maxima sese corporis parte, veluti per negligentiã, denudasset, ac dixisset Imperator, *Vellem, si liceret*: respondit; *si libet, licet: an nescis te Imperatorem esse, & leges dare, non accipere? vox*, inquit Corasius, *infamis, & impura, scorto famoso magis, quam Augusta digna.* & infrà. *Sunt*, ait, *impuri assentatores, qui aucupandæ voluntatis Principum gratia, eius auctoritatem effusè, & plerūq; falsò extollentes, eum legibus obedire non oportere impiè prædicant, cum lex ipsa inuentum sit, & munus Deorum l. 2. ff. de legib. quorum decretis Principẽ solutum esse nemo sanæ mentis est dicturus, cap. cum inferior, de maior. & obedien.*

17 Solutum verò legibus vult Principem *Corasius*, ab alio quidem conditis, quia par in parem imperium nō habet, *l. nam & Magistratus ff. de Arb. Cap. innotuit de elect.* à se ipso autẽ promulgatis, quia nemo sibi imperare potest *l. penult. ff. de Arb.* quod etiam docuit *S. Thomas* suprà laudatus; aut legem sibi imponere, à qua recedere non liceat *l. si quis ff. de leg. 3.* cęterum hęc in solemnium legibus, similibusque censet locum obtinere, *l. imperfecto, l. omnium C. de Testam.* non vero in naturæ legib. Iustitiæ, & honestatis *l. 2. ff. de reb. eor.* Consule Corasium hac de re scitè disserentem. Iam vero *Menchaca*, seu mauis *Vasquius Controu. Illust. cap. 26. num. 2. Apparet*, inquit, *ex nostra sententia, id, quod sæpè incidenter attigimus, non minus ineptè, quam noxiè vsurpatum passim à nostris fuisse illum vulgarem dicendi modum, vt in Principibus sit duplex potestas, altera ordinaria, altera absoluta: nam, si rectè inspexeris, absoluta potestas Principibus non est*: rẽq; ibidem latiùs exagitat. *Arius quoque Pinellus in Rub. C. de rescind. Vend. 1. p. cap. 2. n 24. Infertur*, inquit, *omnino reijciendam, & exterminandam esse, inhumanam illã multorum traditionẽ, cum Principi tribuunt plenissimam, vel absolutam potestatem, eam ab ordinaria distinguentes, vt ex illa omnia possit, vtque, facta mentione talis potestatis, nulla exceptio obijci valeat: quod inter alios acerbiùs scripsit Ang. in l. itẽ si verberatum §. 1. ff. de rei vẽdic. alijq;* quos ibidem *Arius* allegat: vbi etiã eorumdem in hac assertione miram varietatem, atque inconstantiam refert, eamque satis indicare ait huiusce sententiæ falsitatem: atque ipsum absolutæ potestatis nomen affirmat *num. 25.* iuri contrarium esse, ac omnino a Iureconsultis ablegandum, sequutus *Couar. loco suprà cit.* Rem scitè prosequitur *Pinellus* omnino legendus. Rectè quoque *Additio ad Deci. in cap. quæ in Ecclesiarum, de constit. litt. T. de Angeli* sententia loquẽs, volentis, posse Principem absque caussa à nobis dominium auferre: *Potest quidem*, inquit, *sed vt latro magnus, & præpotens: verba autem de plenitudine potestatis, & similia, sunt ab adulatoribus Monarcharu confícta, quibus nec populus Romanus vnquã vsus fuit, nec Iulius, nec Octauius quidem Augustus, & Princeps vtendo potestate absoluta, peccat secundum Ioa. Iser. de rapita.*

*capitan.qui cur.vendid.in vsibus feud. Curt.sen.conf.*48.quarè optimum sanè consilium arriperent Principes, si horum auctorum doctrinam amplecterentur, illamque respuerent, quæ ipsis peccatorum nexibus illaqueat: *Melius autem est*, vt Salomon ait Ecclesiast.cap. 7.*à sapiente corripi, quam stultorum adulatione decipi*.

18 Textus autem in *l.qui fundos C. de omn. agr. desert.lib.*11.cui eius opinionis patroni maximè innitũtur, rectè explicatur à *Molina de primog.lib.*4. *cap.*3.*num.*16.qui in fine *num.*17. ità concludit *ex quibus comprehẽditur quantum absque fundamento soleat tex. in d.l.allegari ad probãdum, quod Princeps sine caussa possit priuilegium à se concessum reuocare, cum non de priuilegio, sed de contractu emphyteotico disponat: & quamuis de priuilegio, vt communiter intelligi solet, loqueretur; caussam præcisè requirat ad illam modificationem*. quoniam autem idem *Molina* ibidem alia quoque addit, quæ præsenti maximè conferunt instituto, ea liceat hoc loco trãscribere.

19 Numero igitur 18. subdit: *Imo, si hæc rectè considerentur, opinio illa, quod scilicet Princeps valeat priuilegium absque causa legitima reuocare, quamuis communis sit; iuris tamen, ac rationis fundamentis destituitur; nam, præterquam quod ex d.l.qui fundos, quæ erat eius præcipuum fundamentum, non probatur, neque ex tex.in cap. veniens de præscript.& in cap.sugestum, de decim.& in cap.in nostra de Iniur. & in cap.fin.de sent. ex comun. & in cap.* 1. *de const.lib.6.nec ex aliquo ex illis iuribus, quæ ad huius opinionis comprobationem adduci solent, prout ex illis constat, &, si otium daretur, facilè probari posset, nihil magis Regia Maiestate indignum dici valet, quã quod Princeps absque caussa possit propria priuilegia reuocare; cum incõstantia, & variatio in Principe, præsertim in beneficijs à se concessis, reprobetur;* (hac de re vide quoque quę dicemus infrà *cõs.*19.*n.*27.*&*28.)*& Princeps debeat esse immobilis, sicut Polus, & sicut lapis angularis, & habere vnam linguã, & vnum calamum, prout eleganter dixit Bald.conf.*279.*lib.*3.*Curt.Iun. cõs.* 170.*num.*41. *cum sequ. Thom. Gram. conf.*6.*num.* 5.*Albert.Brun.inter. conf. feud.conf.*117.*nu.*92. *cum seq. & alibi scrib.ideoque plures ex ijs maximi nominis dixerunt, Principem non posse priuilegium à se concessum absque causa legitima reuocare, idque satis apertè dixit Bald.in cap.*1.*de feud.fine culpa non amitt.ante num.*1.*And.de Isern.in cap. similiter, circa princip.* 6. *col. de capi. qui cur.vendi.idem in constit.Regni Siciliæ in const.incipit, ea, quæ, tit. quod nullus Prælatus, Alex.conf.* 3. *num.* 6. *lib.*5.*Guill.à Pern. conf.* 16. *inter. conf. feud.num.*5.*&* 8.*& quãuis de hac opinione dubitari posset propter auctoritatem illorum, qui contrariam sequuntur; illud autem certissimum est, quod Principem non decet proprium priuilegium reuocare, prout dixit Io. And. in cap. quod dilectio, de consang. & affin. in nouell.quem sequitur Bald. in cap.* 1. *§. notandum num.*2.*de his, qui feuda dar. poss. Io. Campe. conf.* 2.*num.*26.*Iacob. Leonar.conf.*114 *num.*125.*inter ead. conf.reg.decet de reg. Iur. lib.* 6. *ex quo planè deducitur, ciuili modo loquendo, id Principem facere non posse, cum nemo dicatur posse, nisi id, quod decenter & honestè facere potest, l. nepos* Pro-*culo, cum similib.ff.de Verb.sign.quod potiùs Principibus, quam alijs conuenire notissimum est: quæ opinio, si tex.in d.l.qui fundos, sit in priuilegio, non autem in contractu intelligendus, ex illo manifestè probatur: non enim ibi Imperator ex sola voluntate, sed ex iusta causa priuilegium à se concessum modificat: in quo tamen animaduertẽdum est, eam opinionem, quod scilicet* Princeps *valeat reuocare, etiam absq; causa, priuilegium, quod ex mera gratia concessit, hodie Iure Regio Castellę videri approbatam esse ex dec.s.l.* 11. *tit.*9.*lib.*5.*ordi.quæ est l.*5.*tit.* 10.*lib.*

5.*in noua leg.Reg.collectione,cuius verba sunt. Tenemos por bien, y mandamos, que las mercedes, que se hizieren por sola voluntad delos Reyes, que se puedan del todo reuocar. Sed dictæ legi satis contradicit quædam lex fori, quæ hodie est l. 6. tit. 10. lib. 5. in noua leg. Reg.collectione, cuius verba sunt: las cosas, que el Rey diere à alguno, que nò ge las pueda quitar èl, ni otro alguno sin culpa. quæ verba potiùs Regiæ Maiestati conuenire videntur*. Hæc Molina.

20 Sed has quidem leges conciliat *Mattiens.in d.l.6.Glos.1.nu.5.& sequ.* vt nimirum prima locum obtineat, quando alteri ius quæsitum non est: secunda verò in sensu contrario, vt etiam animaduertit *Tapia loco cit. decis.5.n.64.* qui alios quoque allegat, præfatam opinionem, seu potiùs potestatis absolutæ, ac ordinariæ distinctionem, execrantes. Monuerim tamen in *cit. l.15.* post relata verba, ità subdi: *Salbo si los, que la recibieron, siruieron despues acà à nos, que en todo ò en parte la mereziesen,* vt refert quoque *Mier. de maiorat.par.1.q.26.nu.55.* quæ quidem verba potiùs traditæ doctrinæ fauent, quam aduersentur. preterquam quod Rex in eadem *l.15.* videtur velle, eiuscemodi donationibus semper intelligi inesse conditionem, vt reuocari licitè possint; quamuis id minimè exprimatur: quò nimirū queat postea eas suo arbitrio reuocare, iuxta multorum doctrinam, quā *Mierez loco modo citato* refert.

§. IV.

Euertitur doctrina Theologi cuiusdam de potestate Principis absoluta.

SVMMAE.

21 *Refertur hæc doctrina innixa exemplo potentiæ Dei.*

22 *Sancti Thomæ doctrina de potentia Dei absoluta, & ordinaria refertur.*

In Deo idem est potentia, & essentia, intellectus, voluntas, Sapientia, Iustitia.

Quæ in Deo dicatur potentia absoluta, quæ ordinata.

Facere Dei subiacet præscientiæ, non ipsum posse.

23 *Cur à Theologis potentia absoluta ità appelletur: non potest efficere, nisi iustum.*

24 *Princeps legibus honestatis obstringitur.*

25 *Princeps indebitè aliquid per violentiā extorquens, rapinam committit. est iustitiæ custos.*

Regna, remota iustitia, magna sunt latrocinia.

In tributis exigēdis boni communis ratio attendi debet.

Regimen tyrannicum cur iniustum.

26 *Oeconomica subiectio etiam in statu innocentiæ reperienda. cur in Deo duplex potentia absoluta, & ordinaria distinguatur, non ità in Principibus.*

27 *Duplex obiectio precluditur.*

28 *Contrariæ opinionis auctores explicantur.*

21 Mirabar sanè plurimum, cum hæcce hac de re scriberē, Theologos reperiri, qui potestatem absolutam, atque ordinariam Supremis Principibus attribuerent, quique Regum auribus occinerent, vt *Corasius* refert, eos omnes, qui legibus non obstringuntur, quæcunque posse, etiam contrà iura, si ad absolutam potestatem referantur: quin & id ipsum aliqua praua, in nostrum Theologorum cętum, animi affectione relatum subdubitabam. Postea verò quā hæc exarauerā, mihi retulerunt viri primarij, se è suggesto quempiam audiuisse, non inferioris notæ Theologum, hac ipsa de re cōcionantem, seu potius summum, ac religiosum de cętero Principem, improbè adulantem, qui hanc potestatis plenitudinem Summis Principibus, per summam assentationē mordicùs appia-

appingere conabatur, tum ex his, quæ superiùs explicuimus; tū vel maximè exemplo potentiæ diuinæ, quā Theologi omnes in absolutam, & ordinariam, seu ordinatam partiuntur: aiebatque hanc eamdem potētiæ distinctionem mundi Principibus, qui superiorem neminem agnoscunt, in publicę rei gubernatione, ac regimine conuenire. Quoniam autem cętera iam satis hùc vsque diluimus; solum id, quod ineptè, me iudice, addit de potentia diuina, erit hic accuratè perpendēdum: quod, ni fallor, potiùs traditæ doctrinæ fauet, quā aduersetur.

22 Atque in primis superuacaneum puto discrimina referre, quę inter Deum, rerum omnium effectorem, Dominumque, & Principem summum, rem omnino creatam, perspici queunt; cuius in subditos dominium Dei dominio in creata omnia, coæquari, comparariuè nullo modo potest: ea enim cuique obuiā facili negotio esse possunt. solum hìc doctrinā *S Thomæ*, Theologorum omnium facilè Principis, de absoluta Dei potentia, atque ordinaria, seu, vt ipse vocat, ordinata, atque etiā discrimen, quod inter Dei, & hominum potētiam ipse constituit, afferre operępretiū duxi, vt indè euidens sit, eam nobis fauere, non aduersari. Is igitur *prima parte q. 25. art. 5. in resp. ad primum arg.* scitè, vt solet, ità hac in re ratiocinatur. *In nobis*, inquit, *in quibus aliud est potentia, & essentia à voluntate, & intellectu, & iterū intellectus aliud à sapientia, & voluntas aliud à iustitia; potest esse aliquid in potentia, quod non potest esse in voluntate iusta, vel intellectu sapiente.* docet itaq; Sanctus Doctor, posse nos quidpiam facere, quod neque iustè, neque sapienter faciamus: & hāc potiùs physicam potentiam, quam moralem interpretabor: etenim id, quod ità possumus, si ad mores referatur, non rectè dicimur posse, vt sępè monuimus. *Sed in Deo* (verba sunt Sancti Thomę) *est idē potētia, & essētia, & volūtas, & intellectus, & sapientia, & iustitia; vndè nihil potest esse in potentia diuina, quod non possit esse in voluntate iusta ipsius, & intellectu sapiente eius.* Vult ergo *S. Thomas*, sicut & omnes alij Theologi, Deum ea omnia, quę efficere potest, iustè, ac sapiēter facere posse, nihilque omnino posse, quod non simul iustè, ac sapienter facere queat. tum prosequitur S. Thomas. *Tamen, quia diuina voluntas non determinatur ex necessitate ad hæc, vel illa, nisi ex suppositione: neque sapientia Dei, & iustitia determinatur ad hūc ordinem rerū, nihil prohibet esse aliquid in potentia diuina, quod non vult, & quod non continetur sub ordine, quem statuit in rebus: & quia potentia intelligitur vt exequēs, voluntas autem vt imperans, & intellectus, & sapientia vt dirigens; quod attribuitur potentiæ secundum se consideratæ, dicitur Deus possè secundum potentiam absolutam; & huiusmodi est omne illud, in quo saluari potest ratio entis,* (seu vt ipsemet *S. Doctor* se le explicauerat *in corp art. 3. eiusd quæstionis*, q non implicat contradictionem) *quod autem attribuitur potentiæ diuinæ secūdum quod exequitur imperium voluntatis iustæ, hoc dicitur Deus posse facere de potentia ordinata. secundum hoc ergo dicendum est, quod Deus potest alia facere de potētia absoluta, quam quæ præsciuit, & præordinauit se facturum: non tamē potest esse, quod aliqua faciat, quæ non præsciuerit, & præordinauerit se facturum, quia ipsum facere subiacet præscientiæ, & præordinationi, non autem ipsum posse, quod est naturale: ideo enim Deus aliquid facit, quia vult; non tamē ideo potest, quia vult, sed quia talis est in sui natura.* Hæc *D. Thomas*.

23 Ex cuius sanè scita ratiocinatione duo, quæ ad rem subiectam apprimè spectant, colligi queunt: primum quidem, ea, quæ ad absolutam potentiā relata, neque præscita, neque præordinata sunt, vt fierent, sed tamen in ipsis nulla contradictio reperitur, seu, vt loquitur *S. Thomas*, in ipsis ratio entis

entis

entis saluati potest; hæc, inquam, Deũ ex hypothesi, quod non præsciuerit, neque decreuerit, se effecturum, re ipsa, seu de facto efficere minimè posse; ea scilicet ratione, qua mutari neutiquam potest; planè autem mutaretur, si quandoque sciret, ac statueret facere, quod ab æterno, non sciuit, nec statuit se facturum, vt benè monet *Valentia in 1. p. disp. 1. q. 25. punct. 3. vers. Argumentum autẽ*, licet de cetero absolutè, ac simpliciter illa etiam, quæ facere non decreuit, facere quoque possit; quia scilicet illa eadem absolutè, ac simpliciter ab æterno scire, ac statuere potuit, se aliquando facturũ. Quamobrem hinc censeo, potentiam hanc à Theologis absolutam appellari, non quod ea, quæ faceret, non essent conuenientia, atque iusta, vt in Principibus illi Doctores volunt; sed quòd absolutè, simpliciter, & vt loquitur S. Thomas, secundum se consideretur, & concipiatur. Atque hinc proximè alterum consequitur, quod ex S. Thomę doctrina colligitur, putà potentiam hanc Dei absolutam, si quandoque, vt aiunt, reduciur ad actum, vel reduci deberet, nonnisi conueniens, ac iustũ effecturã; vt docet quoq; *S. Doctor art. 5. cit. in resp. ad 3. arg.* ità quidem, vt impossibile omnino censẽdum sit, Deum, etiam potẽtia hac absoluta, quicquam efficere posse, quod iustum non sit, atque conueniens.

24 Si ergo, vt ad rem, qua de agimus, reuertamur, Principi summo quispiã absolutam potẽtiam exemplo Dei attribuere velit, eam ijsdem vtique regulis metiatur necesse est, quibus & ipsam diuinam Theologi metiuntur; nè plus huius sæculi Principibus, quã omnium conditori Deo tribuere videatur. quarè si quando, ea vti vellet Princeps, Deũ ipsum imitari deberet, (quò scilicet in aliquo tandem hę duę potentiæ conueniant) qui, si quicquã ea absoluta potestate faceret, id sanè iustum, atque conueniẽs foret; proindèque eiusce modi quoque id esse deberet, quod Princeps, ea vtens, efficeret: quod si id iustum, atq; conueniens esset, non ad absolutam, sed ad ordinatam potestatem esset penitus referendum: quæcunque enim iusta sunt, atque conuenientia, sua ordinaria potestate Princeps efficere potest: quod si talia nequaquam sint, sed prorsus iniusta, incongrua, & inhonesta; ea Princeps neque absoluta hac, ac fictitia potestate efficere poterit: neque enim Principes honestatis, ac iustitiæ legibus minus, quàm ceteri homines obstringuntur.

25 Hinc sæpè laudatus, sed nunquam satis laudatus *S. Thomas 2. 2. q. 66. ar. 8. in corp. & ad 3.* docet, Principibus publicam cõmitti potestatem, vt sint Iustitiæ custodes; *ideoque*, ait in corp. *non licet eis violentia, & coactione vti, nisi secundum iustitiæ tenorem, & hoc vel contrà hostem pugnando, vel contrà Ciues malefactores puniendo: & quod per talem violentiam aufertur, non habet rationem rapinæ, cum non sit contra iustitiam: si vero contrà iustitiam aliqui per publicam potestatem violenter abstulerint res aliorum, illicitè agũt, & rapinam committunt, & ad restitutionem tenẽtur.* & in resp. ad 3. *Si Principes*, inquit, *à subditis exigant, quod eis secundum iustitiam debetur propter bonum commune conseruandum, etiamsi violentia adhibeatur, non est rapina: si vero aliquid Principes indebitè extorquant per violentiam, rapina est, sicut & latrocinium: vndè dicit Aug. in 4. de Ciuitate Dei* (putà cap. 4. in princ. tomo 5.) *remota iustitia, quid sunt Regna, nisi magna latrocinia? quia & latrocinia quid sunt, nisi parua Regna? & Ezech. 22. dicitur: Principes eius in medio eius, quasi lupi rapientes prædam: Vndè & ad restitutionem tenetur, sicut & latrones, & tantò grauiùs peccant, quam latrones, quantò periculosiùs, & communiùs contrà publicam iustitiam agunt, cuius custodes sunt positi.* Vndè in tributis exigendis boni communis ratio, non sola Principis auctoritas, & po-

poteſtas eſt attendenda, atque etiam alia, quæ ad eorum iuſtitiã Doctores paſſim requirunt: atque ideo Regimẽ Tyrannicum non eſſe iuſtũ docet idẽ *S. Tho.* 2. 2. *q.*42. *art.*2. *ad* 3. quia non ad commune bonum, ſed ad priuatum Regentis, cum multitudinis nocumẽto, ordinatur, vt Philoſophus docet 3. *Polit. cap.*5. & 8. *Eth. c.*10. Ideo enim Deus œconomicam, ac ciuilẽ inſtituit ſubiectionem, vt is, qui præſidet, ſubiectis vtatur ad eorumdem bonum, atque vtilitatem, eoſque ad hoc proprium, vel ad commune bonum dirigat, vt etiam tradidit *S. Thomas* 1. *p. q.* 92. *art.* 1. *ad* 2. & *q.*96. *art.* 4. *in corp.* vbi ob hanc ipſam rationem, cenſuit œconomicam illam ſubiectionem in ſtatu quoque innocentiæ repetiendã. omnia ergo Princeps in ſuo regimine iuſtitiæ regulis, communiſque boni legibus, metiri debet, niſi malit Tyrãni nomen, ac latronis adipiſci: quod ſi eas accuratè cuſtodiat, quæcunque facier, iuſta erunt, conuenientia, rectęque cõſentanea rationi: quæ vero huiuſcemodi ſunt, ordinata ſua poteſtate Princeps, vt dixi, exequi poteſt: cur ergo abſolutam in orbem inuehamus reip. malo?

26 In Deo autem locum habet illud potentiarum diſcrimen, quod in diuina potentia aliqua perpendi poſſunt, quæ, licet poſſibilia ſint, nullamque contineant contradictionem; tamen, vel nunquam erunt, quin neque eſſe poſſunt futura; vel ſaltem ſunt ſuprà exigentiam huius ordinis, quẽ Deus ipſe ſtatuit in rebus; quorum reſpectu potentia diuina dicitur Abſoluta, putà quia abſolutè conſiderata, ea omnia efficere poteſt. atqui ea omnia, quæ Principis poteſtas licitè poteſt, futura quoque eſſe poſſunt, neque ſuprà rerum exigentiam intelliguntur, atq; adeo in eo minimè illud rerum genus reperitur, quod in Deo potentiam abſolutam conſtituit. Sed neque in ipſo locum habet potentia abſoluta, ſi illa eo modo intelligatur, quo aduerſarij cõminiſcuntur; hi etenim volunt, hãc potentiam efficere id poſſe, quod alioqui iniuſtum, & inconueniens eſſet, ſi ad ordinatam referretur. At potentia abſoluta, quam in Deo *S. Thomas*, ac Theologi agnoſcunt, ſi ad actum reduceretur, iuſtum, & conueniens efficeret; quandoquidem, omnino iuſtæ voluntatis imperium exequeretur.

27 Quod ſi occurrant, falsò aſſeri id eſſe inhoneſtum, & iniquum, quia eo ipſo, quod à potentia fiunt abſoluta, ſtatim iuſtum, conueniens, & honeſtum efficitur: primùm aio, ſi id erit iuſtum, & conueniens, iam ibi non agnoſcam in Principe potentiam abſolutam, ſed prorſus ordinatam, quæ iuſta, honeſtaque facit. deinde non ſatis intelligo quidnam ei tribuat potẽtia abſoluta, vt ex iniuſto, atque inhoneſto, iuſtum, honeſtumque reddat: intrinſecè enim, vt philoſophicè in re philoſophica loquamur, nihil prorſus elargitur, cum res ipſa immutata omnino remaneat: extrinſecè nihil tribuere poteſt, quo minus ad rectam animi rationem eumdem, quem antea habebat, ordinem obtineat; quandoquidem hic ordo ipſam rei eſſentiã ſequitur, quæ eadem prorſus, & immutata perſeuerat. Quod ſi iterum dicas, ob aliquam, quæ ſuperueniet, rationem, ac iuſtam cauſſam, aliquo tandem pacto rem illam mutari, atq; ex iniuſta fieri iuſtam: Reſpondeo id quidem reuera accidere quandoque; ſed tunc addo, minimè abſoluta potẽtia munitum Principem id efficere poſſe, ſed ipſi ſufficere ordinatam, quę ad ea prorſus omnia dirigendam cenſeo, quæ quocunque penitus modo, quacunque item cauſſa, iuſta, ac conuenientia dignoſcuntur: neque enim nouum cenſeri debet, rem quampiã, quæ alioqui mala foret, in his, illiſuè circumſtãtijs (à quibus maximè actuũ bonitas depẽdet, vt Theologi omnes docent *ex S. Th.* 1. 2. *q.* 18.) conſtitutã effici bonam, & cõſentaneam rationi: ſed vt iuſtè hæc eadem efficiatur, minimè

nimè absoluta potentia indiget Princeps, sed ipsi sufficit ordinata. Quod si quispiam obstinatè contendat, hanc Principis potestatem in eiuscemodi euentibus absolutam esse nuncupandam; non erit plurimum elaborandū, modo de re ipsa constet, puta Principem, etsi supremū, nihil efficere posse, quod non sit iuri, ac rationi consentaneū; siue de reliquo id ex ipsa rei natura proueniat, siue ex his, illisue circumstantijs, in quibus denuò cōstituitur, & in quibus antea minimè reperiebatur: quicquid tādem sit, num quandoque ipsius potestas, absoluta, an vero ordinata in certis quibusdam casibus sit appellanda: erit enim tunc de nomine dumtaxat disputatio, quæ nequaquā plurimi fit à Iurisconsultis.

28 Sed fortassis illius sententiæ patroni, qui aiunt, posse Principem priuilegium, à se concessum, absque caussa iusta reuocare, aut de simplici loquūtur priuilegio, seu, quod idem est, de non concesso in prǽmium, ac mercedē receptorū obsequiorum: aut intelligendi sunt id asserere, quando vrgēs, & vera, nō autem leuis, aut ficta caussa subest dispensandi: in quo quidem sensu iura, quę ad id probandum allegare solent, apertè loqui, quilibet ea perpendens animaduertere potest: quod breuitati studētes hoc loci ostēdere nequimus: horum autem neutrū reperitur in casu, de quo disputamus.

§. V.
Non decet Principem priuilegia à se concessa reuocare.

SUMMAE.

29 *Probatur multorum auctoritate, non decere Principem priuilegia reuocare: & num. seqq.*
Non omne, quod licet, honestum est.

30 *In maxima fortuna minima debet esse licentia: & quis Principi imperet.*

31 *Quod sibi non vult quisque fieri, id alteri nè faciat.*

32 *Tyranno voluptas proposita, Regi honestas. licitum ab honesto separatum.*

29 Sed illud hic iterùm inculcandū, Principem saltem non decere, quāuis ei licere daremus, eiusmodi priuilegia reuocare, vti plures edocent, quos citat, sequiturque *Menoch. cons.* 1003. *num.* 93. *lib.* 11. rectè *Theodor. Rex apud Cassiod. var. l.* 3. *ep.* 35. *Liberalitatem*, inquit, *nostram firmam decet tenere constantiam: quia inconcussum debet esse Principis votum, nec pro studio malignorum cōuelli, quod nostra noscitur prǽceptione firmari: quęque semel annuimus*, inquit epist. 26. *rescindi in perpetuum non merentur.* id quod licet ex *Molina* satis paulo ante probauerimus; addendam tamen censuimus regulam: *Non omne, quod licet, honestum est ff. de Reg. Iur.* atque ibi tradita *à Petro Fabro*, qui eam optimè, vt assolet, explicauit, cōfirmauitq; *Tullius quoq; in orat. pro L. Cornel. Balb. Est enim*, inquit, *aliquid, quod nō oporteat, etiam si licet: neque quicquid licet, id etiam honestum est*: idem pro *Rabi. Posthu. Quid deceat vos, Iudices*, ait, *nō quantum liceat vobis spectare debetis*: atque hoc ipso loco, alibique idem omnino reperit. *Ammianus Marcellin lib.* 30. *de Valētiniani* vitijs loquēs: *Crudelitati*, ait, *cupiditatē opes nimias congerendi miscebat, dissimulans scire, quod sunt aliqua, quæ fieri non oporteat, etiam si liceat. Plinius* quoque *lib.* 5. *epist. Oportet quidē*, inquit, *quę sunt inhonesta, non quasi illicita, sed quasi pudenda vitare. Seneca in Octauia act.* 2. *in Scē. Perage. id facere*, ait, *laus est, quod decet, non quod licet.*

30 Quam quidem regulam in Principibus potissimum obtinere firmat idē *Faber.* rectè *Claudian.* Honorium monens *in paneg. in* 4. *consul.* ait:

Sed comprime motus,
Nec tibi, quod liceat, sed quod fecisse decebit,
Occurrat, mentemque domet respectus honesti.

Pro-

Proindeque apud *Senecam loco cit. scena vltima*, ait Nero:

Prohibeor vnus facere, quod cunctis licet: cui ibi respõdetur:

Maiora populus sẽper à sũmo exigit. cõgruit *Salust.* sẽtẽtia: *in maxima fortuna minima debet esse licentia. Quo minor*, inquit Aristoteles 5. Polit. cap. 11. *potestas eorum est, qui imperant, & diuturnius, stabiliusque stat Imperium.* scitè quoq; *S. Ambrosius de dignit. sacerd. cap. 3. Magna*, ait, *sublimitas magnam debet habere cautelam: honor grãdis grandiori debet sollicitudine circumuallari: cui plus creditur, plus ab eo exigitur: dignitatis namq; magnitudo pecc. autem quemque fortiter deijcit, cap. homo Christianus dist.* 40. Quis Principi imperabit, quærit *Plutarchus in libello ad Principem ineruditum*, quem etiam refert *Mand. in reg. 29. Cancel. q. 2. n. 5. & Germon. lib. 1. animaduers. cap. 1.* Respondetque: *lex omnium Regina mortalium, atque immortalium, vt ait Pindarus, non ista quidem lex foris in libris, aut ligneis, aut æneis scripta tabulis, sed viua illa insita ratio semper cõuiuens, ac familiaris Principi, nec vnquã animũ suo ductu, sua moderatione destituẽs.* & Chrysippus Philosophus summus stoicæ sapientiæ, vt Martianus refert, lib. 1 Instit. & habetur in *l. 2. ff. de legib.* legem omnium diuinarum, & humanarum rerum Reginam vocat, omniũque ait esse Principem, & Ducem.

31 Atqui ratio ipsa suggerit, & Christianæ legis præceptũ est, quod *Matt. 7. cap.* continetur, vt quod sibi non vult quisquam fieri, id alteri minimè putet esse faciendum: quam quidem Alexander Seuerus, etsi nequaquam Christianus homo, adeo dilexit sentẽtiam, vt non modo illam frequenter vsurpauerit, sed etiam vbique in Palatio, & in operibus publicis inscribi mandauerit, vt ex *Lamprid. refert Scipio Amirat. lib. 17. Polit. dissert. in Corn. Tacit. discurs. 4.* vbi etiam ex eodem Tacito recenset, Galbam Pisoni, quo tempore eumdem pro concione adoptauit, regnandi monitum hisce verbis tradidisse: *cogita quid aut nolueris sub alio Principe, aut volueris.* cui apprimè congruit illud *Mecœnatis ad Augustum*, ab eodem *Ammirato* relatum: *si hæc*, inquit, *tua sponte omnia egeris, quæ velles alium in te imperium habentem agere, nulla in re peccabis.* cui quæso Principi non displiceret, si alius superior eius iura, ac priuilegia penitus inuerteret? Cur ergo alteri faciendum putet, quod sibi fieri nullo pacto luberet? *Zasi cons. 10. num. 7. vol. 2.* relatus ab *Andrea Gail. obser. 56 n. 9. lib. 2. Scio*, ait, *boni Principis potestatem ad subditorum tutelam, & ad Iustitiam asserẽdam amplissimam esse: verum vt iniuria subditis fiat, illic Principis potestatem non agnosco, sed Tyranni: id enim dicimur posse, quod honestè possumus, tex. notab. in cap. fin. §. fin. de rescrip. in 6. & in cap. faciat homo 22. q. 3.* Rectè Antigonus Rex apud *Plutarch. in apophtheg.* afferenti omnia Regibus honesta, iustaque esse: *omnino*, respõdit, *Regibus Barbarorum; sed nobis sola honesta sunt honesta, & iusta sola iusta.*

32 Aristoteles quoque 5. *Polit. cap. 10. Est*, inquit, *Tyrãno voluptas proposita, Regi honestas.* inde eius preceptor *Plato Dialogo 9. de Repub. Costat*, ait, *nullã Ciuitatem Tyrannide præssã esse miseriorem, nullamque Rege gubernata beatiorem.* Regis nomen nonnisi iusto cõgruere satis indicat Plato. Refert *Faber ex nouellis à Pithæo editis tit. 3. de bonis vacantibus*, Leonem, & Anthemium ità rescripsisse: *Neq; aliud imperatoriæ Maiestatis, cui semper debet æquitas inhærere, & vigere iustitia, videri accomodũ, quam commune ius omnibus seruare subiectis, & nihil amplius bonis licere Principibus, nisi quod liceat priuatis.* Rex quoque Theodahadus ad Vrbis Senatum apud *Cassiod. epist. 16. lib. 10. var. Imperiosa*, inquit, *nimium res est pietas nostra, quando propria voluntate vincimur, qui alienis conditionibus non tenemur; nam cum, Deo præ-*

C *stan-*

stante, possimus omnia, sola nobis licere credimus laudanda. Idemq; Rex *epist. 5. Potestatis*, ait, *nostrę censuram rerum volumus esse modestiam, ut quantum diuina beneficia percepimus, tantum aquabilia plus amemus; priuata siquidẽ studia à nostro animo probantur exclusa, quia generalis Dominus custos factus sum, Deo auxiliante, cunctorum*. Ac Theod. Rex apud eumdem *Cassiod. var. lib. 1. epist. 12. Quamquã*, inquit, *potestati nostræ, Deo fauente, subiaceat omne, quod volumus; voluntatem tamẽ nostram de ratione metimur, vt illud magis existimemur elegisse, quod cunctos dignum est approbare*. in eãdem rẽ alia congerit *Faber* loco cit. Addendũ hic quoque illud Apostoli relatum *in cap. aliud 11. q. 1. omnia mibi licẽt, sed non omnia expediunt*: quod satis intelligens Apostolorum Princeps Petrus, à fidelibus interrogatus, cur ad Gentes intraslet; non ex poteſtate officij, sed ex ratione diuinæ virtutis, qua gentes Spiritum Sãctum acceperunt, respondit, vt refertur *in cap. Petrus 2. q. 7*, licitum ab honesto separatum aptè ostendit idem *Faber in l. semper in coniũctiomibus ff. de regulis iuris*. &, quod propiùs ad rem subiectam accedit, *Scipio Amirat. lib. 1. differt. Polit. in Corn. Tacitum discur. 5. Diuersa sũt*, ait, *pacta, & conditiones, quas Populi, siue Respublica cum Principibus, quibus subduntur, contraxerunt: has autem mutare neutiquam licet*. remque ibidem aptè prosequitur.

§. VI.

Principis successor priuilegium à prędecessore ob merita cõcesũ reuocare nõ potest: imo illud confirmare debet.

SVMMAE.

33 *Probatur id plurimorum auctoritate.*

Ita fuit decisum per Supremum Italiæ Senatum.

34 *Plures Imperatores, etiam Ethnici, priuilegia à suis prædecessoribus concessa confirmarunt.*

33 Neque ea, quæ hùc vsque exposuimus, facilè euertũtur, eo quod reuocans non sit ipsemet, qui concessit, sed eius successor: etenim, vt rectè post complures alios asserit *Ioannes Ficard. in add. ad comm. opin. Villalobos R. 60. vers. fallit primo*, quem citat *Vigellius in meth Iur. controuer. lib. 1. cap. 3. ante finem*, aio, Principis successorem reuocare minimè posse priuilegium à prædecessore ob benemerita concessum: cuius quidem rei ratio efficax est, quia huiusmodi priuilegium in vim contractus transiuit, atque adeo neque successor illud poterit reuocare, vt plures alios sequutus autumat *Ruyn. cons. 7. n. 17. 31. & 32. lib. 1. & cons. 69. nu. 23. lib. 3.* latè *Rebuff. in præfat. ad Rub. de collat. in concord. vers. quæro an successor possit reuocare, & vers. item quãdo priuilegium concessum est ob remunerationem*, probat, illud etiam ingratitudinis intuitu reuocari non posse ex *l. si pater §. fin. ff. de donat. Bald. in d. l. si cum mibi, Rom. cons. 436. & viden. Menoch. cons. 1003. à n. 99. lib. 11.* qui receptam hanc esse Doctorum opinionem ait *cons. 534. n. 1 lib. 6.* vbi innumeros recenset, *& cons. 1. à nu. 226. lib. 1.* Iustitiæ namque, ac rationis ordo suadet, vt qui sua à successoribus desiderat mandata seruari, decessoris sui proculdubio voluntatem, & statuta custodiat, inquit Gregorius relatus *in cap. Iustitia 25. q. 1.* eadem repetit *Rebuff. in l. Princeps ff. de legibus in fin.* Atque hoc sanè enunciatum ab omnibus probatur ex *cap. 1. de probat. & cap. si ea 25. q. 2. vbi: Si ea*, inquit Pontifex *destruerem, quæ antecessores nostri statuerunt, nõ constructor, sed euersor iustè comprobarer: & l. Donationes C de Donat. inter vir. & vxor*, aitque *Tapia num. 33. loco cit.* id in Pontificis successore dixisse *Iason. cons. 86. lib. 2.*

Rolan.

Rolan.conf.1.n.42.lib.2.aliosque: ac de Regis successore, benè tradidit *Paris. con.2.cit.n.132.lib.4.* vbi allegat *Bald. & Abb.in dicto cap.1. de prob. per tex. in cap.Abbate,de re Iud.* aliosque allegatos à *Decio in cap.1.cit.n.7. & ibid. Felin.num.2. & in cap.nouit num.21. de Iud.* qui ibidem citat *Cyn. & Bald. in l.digna vox C.de legibus.* Et *Guid.de Suza.de vectigalibus,& cōmiss.ver. ratus*, prout eum refert *Alex.cons.216. cit.num.38.vol.2.* dixit, Imperatorem nequaquā posse reuocare priuilegiū à suo prædecessore concessum: adducit textum *in l.qui à patre ff.de confir.tut. l.1.& l.venditrici C.de reb.alienis non alien.* conferunt maximè ea, quæ fusè congerit *Tapia loco cit.* qui secundū ea ait, fuisse decisum in supremo Italiæ Senatu in fauorem priuilegij in modum cōtractus concessi, & in obsequiorum præstitorum remunerationem. idem probat *Suar.lib.8.de legib. cap.37.*

34 Certè plurimùm decet Principem successorem à prædecessoribus cōcessa beneficia omnino confirmare: quod ideo libenter præstitere olim Cęsares, vt varijs ex Auctoribus refert *Faber in l.Neratius ff.de reg.Iur.* *Suetonius de Tito loquēs,ca.8.Natura,*inquit, *beneuolentissimus, cum ex instituto Tiberij omnes dehinc Cæsares beneficia à superioribus concessa Principibus aliter rata non haberent, quam si eadem iisdem & ipsi dedissent; primus præterita omnia confirmauit edicto, nec à se peti passus est.* id quod & *Sextus Aurelius Victor* de eodem affirmat. Nerua quoque, prout memorat *Plin. lib. 10. epist post.66.epist. Satis est,*inquit, *cū hoc solū quisquè ciuium meorum spondere possit, me securitatem omnium quieti meæ prætulisse, vt & libenter noua beneficia conferrem, & ante me concessa seruarem.* & infrà: *ea demum sciant roganda esse, quæ non habent.* Theod. Rex apud *Cassiod lib.8.var.epist.25. valde dignum est,* ait, *in eis aliena seruare, quibus oportet propria dona conferre: quid enim de illa munificentia possis ambigere, quando à nobis te intelligis mereri, quod à nostris decessoribus accepisti?* Idem Theod. apud eumdem *Cassiod.lib.4.var.epist.20. Si desideramus,* ait, *locum beneficijs inuenire, vt titulos possimus nostræ pietatis erigere; quanto magis aliena beneficia intacta volumus defendi, qui propria cupimus spontè largiri?* ità quoque Imperatores Theodos. ac Valerian. in *l.scholarium C. de off.magistr. off.Scholarium,* inquiunt, *nostrorum deuotio probata à nostris parentibus circa maxima serenitatis nostræ affectionem enituit: vndè quidquid ad fouenda, seruandaq; eorum priuilegia postulatur, statim credidimus admittendum.* legi etiam potest hac de re *Mandos.in Reg. 11. Cāc el.q.10.n.3.*

§. VII.

Principis potestas, priuilegia subditis obseruando, non minuitur; sed augetur: de eaque disputare, quo casu non sit sacrilegium.

SVMMAE.

35 *PRinceps non suam, sed populi vtilitatem quærere debet: ac subiectorum commoda procurare, exemplo Dei.*

Qui præest magis est seruus, quam qui subijcitur.

Cur Papa Seruus Seruorū Dei dicatur.

36 *Priuilegiorum custodia commodum est subiectorum.*

Maiestas legibus, armisque munita esse debet.

Principis potestas augetur priuilegia subditis obseruando.

37 *Priuilegiorum custodia est tranquillitas subiectorum.*

Philippus Macedo bis sibi legi quotidie voluit pactiones cū Romanis initas.

Principis tutissima arx subditorū amor

38 *De Principis potestate disputare quomodo non sit sacrilegium.*

C 2 Sed

35 SEd neque inferas hoc loco, summam hinc Regis potestatem, ac libertatem offendi: etenim præter ea, quæ suprà attulimus de summę Principis potestatis recto vsu; eiusdem dignitas, atque auctoritas nequaquam minuitur, leges, ac priuilegia subditis obseruando: *Vict. Amerpach. interp. in Phocid. vers.* nec detrahit hoc Principum auctoritati: *Chrisost. Iauell. in Epitome lib. 5. Polit. tract. 3. cap. 6.* atque alij: colligiturque ex doctissimo *Bellarmino tom. 1. controu. gener. 5. lib. 3. cap. 7. vers. ex his ad argumentum*, vbi ait, Principem politicum, dum populum regit, non suā, sed populi vtilitatem quærere; Tyrannum autem non populi, sed suam, vt docet *Aristoteles lib. 8. de morib. cap. 10. itaque*, inquit Bellar. *reuera, si vlla est seruitus in politico principatu, magis propriè seruus dici potest, qui præest, quā qui subiectus est, vt docet Aug. lib. 19. de Ciuitate Dei cap. 14. & hoc ad literā significat illud Domini Matth. 20. qui voluerit inter vos primus fieri, erit omnium seruus; quomodo Episcopi seruos se plebium suarum, & Summus Pontifex seruus seruorum Dei se nominat.* Rectè quoque *Matthięs. ad l. 6. tit. 10. glos. 1. nouæ recoll. nec Princeps*, ait, *ęgrè ferre debet, quod hac in specie ei non liceat vti plenitudine potestatis; quandoquidem appetere non debet maiorem potestatem Deo, à quo habet principatum, imo nec quidem parem: sed Deus nihil potest, quod sit iniustum, quia hæc non dicitur potentia, sed infirmitas, seu defectus potentiæ. Tunc*, inquit Rex Iacobus initio Capitulorū Regni, *status Principis cum subditis in essentiæ soliditate firmatur, & tunc extollitur thronus Regis, quando nulla est voluntatum dissentia Domini ad subiectos, sic quod Dominantis non versetur intentio, nisi ad laudabilem, & pacificum statum subiectorum*: quod euenire credimus, cum illis sua priuilegia obseruantur; *Sicut in rebus humanis* ait Reccaredus Rex in Conc. Tolet. 3. post fidei confessionem ex ijs, quæ collegit Garcia Loaisa fol. 214. *gloriosius eminet potestas Regia, ita & prospiciendæ commoditati prouinciarum, maior debet esse prouidentia. Quod communiter*, inquit Imperator in l. vnica C. de caduc. tollend. § fin. *omnibus prodest, hoc rei priuatæ nostræ vtilitati præferendum esse censemus, nostrum esse proprium subiectorum commodum imperialiter existimantes*, & in l. *Imperialis C. de Nupt. Imperialis*, inquit, *beneuolentiæ propriū esse iudicantes, vt omni tempore subiectorum commoda tam inuestigare, quā eis mederi procuremus: nam ita credimus Dei beneuolentiam, & circa genus humanum nimiam clementiam, quantum nostrę naturę possibile est, imitari, qui quotidianis hominum peccatis semper ignoscere dignatur, & pœnitentiam suscipere nostram, & ad meliorem eam statum deducere: quod si circa nostro subiectos imperio nos etiam facere differamus, nulla venia digni esse videbimur.* & in l. 9. tit. 1. par. 2. ità legitur: *Deue el Rey guardar mas lo prò comunal de su pueblo, que la suya misma, porque el bien, y la riqueza dellos; es como suyo. Et parui, detectique animi est, de subditis non profectum quærere subditorum, sed proprium quæstū*, vt ait *S. Bernard. lib. de consider. relatus à S. Th. opusc. de erudit. Principum c. 3.*

36 Certum autem est subiectorum commoda ex suorum priuilegiorum obseruatione procedere; sicuti ex eorumdem interitu, vel inobseruantia, maxima illis sequuntur detrimenta, vt quampluribus exemplis comprobari potest. Hinc rectè prouinciarum proconsulibus, atque rectoribus imperatum est in *l. obseruare §. ingressum ff. de off. procons.* vt prouincijs vius, ac mores, nedum iurata, atque ex caussa onerosa indulta priuilegia, custodirēt; *Ingressum*, inquit ibi Vlpianus, *etiam hoc obseruare oportet, vt per eam partē prouinciam ingrediatur, per quā ingredi moris est: magni enim faciunt prouinciales seruari sibi consuetudinem istam,*

&

& huiusmodi prærogatiuas. & infrà: *Imperator Antoninus Aug. ad desideria Asianorum rescripsit, Proconsuli necessitatē impositā, pro more Asiā applicare, & metropoleō Ephesū primò attingere.* vide ibi *Bald.* suum igitur munus exequitur princeps, dum subditorum cōmodo prospiciens, eorumdem priuilegia inuiolata custodit: cur ergo indè eiusdem potestas, atque auctoritas offendatur? Imperatoriam ipsam Maiestatem legibus equè, atque armis munitam voluit *Iustin. in proem. Instit.* Theod etiam Rex apud *Cassiod. Var. l. 4 epist 6.* nihil dignius, quod die, noctuque assidua voluerit deliberationē censuit, nisi vt, sicuti Remp. protegunt arma, æquitas quoque inuiolata custodiret. Idemque *epist. 12.* repetijt. Atqui ipsiem alligatum legibus se Principem confiteri digna vox est Maiestate regnantis: adeo de iuris auctoritate illius pendet auctoritas: ac re uera maius imperio est submittere legibus principatum *l. digna vox C. de legibus*. ineptè igitur inde potestas Regia dicetur offendi, vndè potiùs recipit incrementum: id quod ostendit quoque *Ramirez de leg. Reg. §. 3. nu. 6. & §. 17. n. 5.* semper enim auget Principes obseruata iustitia, & quantum probabili institutione viuitur, tantum summis adhùc prouectibus aggregatur: atque in lucrum cedunt, quæ benemeritis conferuntur: & de ipso munere magis acquiritur, cum optimis digna præstantur: Regnique decus est æquitatis affectus, vt inquit laudatus *Theod. ead. epist. 12. 24. 32.* qui *lib. 5. variar. epist. 10. 30. & 39. Primus*, ait, *prosperitatis gradus est suis non esse damnosum, vt pro quorum compendio laboramus, eorum non videamur afflixisse fortunas: neque tātum armis, quātum iudicijs non effici cupimus clariores; quies enim suauissima populi, & tranquilla dispositio Regionum, præconium probatur esse Regnantium*. quod ante dixerat *Theodor. epist. 29. lib. 2.* Atque *epist. 24. lib. 6. erit*, inquit, *nostrū gaudium vestra quies; suaue lucrum, si nesciatis incommodum.*

37 Verum ex priuilegiorum custodia maximè pendere subiectorum tranquillitatem, omnique perturbatione carentem Regnorum possessionem innumeris comprobatur exemplis. rem appositè prosequitur *Scipio Ammirat. lib. 1. Dissertationum Polit. in Corn. Tacit. discur. 5.* Principes haud fugere debet, vt ipse affirmat, quo vinculo, quibusque alligentur: neque id incuriosè negligere eos debere, præsertim si cæteris viribus longè præpollent: *quia non expedit*, inquit, *Regnantibus mutationum crebritas*; refertque Philippum Macedoniæ Regem *ex Liuio lib. 44.* singulis diebus bis suas cum Romanis pactiones sibi prælegi curasse: *quandoquidē*, addit Ammiratus, *si Ciuitatem, aut Regnum pactis, aut conditionibus quæsiuisti, nequaquam subditorum priuilegia tantùm, vt omni ex parte dominus videare, inuertere decet: nam præterquam quod ea, quæ iure non potes, aggrederis; non video quomodo consilia ista voluētibus annis vtilitatem tibi paritura sint: quemadmodū sapientissimè Rubertus, Siciliæ Rex, Ducem Athenarum, Florentiæ dominantē, commonuit; quòd enim dominatum cæpisset, silentio transmisit; sed quia decreta immutare satageret, hæc ad eum scripsit: Ad nos perlatum est à te magistratum, qui Priorum nomine vocatur, ex vetere populi palatio propter ipsos ædificato extractum fuisse; proindè illùc eos restituas.* & paulò post. *quod si efficere neglexeris, tuam salutem longæuam fore nobis minimè videtur*. Atque ità ei contigit. Vide eumdem Ammiratum, qui de Iudæis ex Iosepho refert, quod cum anteà, nè Imperatorum imagines templo reciperent, permissum ijs fuisset; etiam Caij tēpore defecissent, nisi tempestiuè mors ipsius interposita fuisset; is enim, ut statuam suam in Tēplo Salomonis reciperent, demandaturus erat. Appositè quidem Rex ille apud *Cassiod. var. lib. 6. form. 23. Messis-*

sit nostra, inquit, *cunctorum quies est, quam non possumus aliter recordari, nisi vt subiecti non videantur aliquid irrationabiliter perdidisse*. Non nè Principum famam inde augeri comperimus, quod, recta, atque æqua sectantes, subditorum iura nulla prorsus ratione censeant lædenda? at illud verè thesauris reponitur, quod famæ commodis applicatur, vt ait sæpè laudatus Theod. apud eumdem sæpè quoque citatum *Cassiod. var. lib. 8. epist. 23.* inde etiam populorum beneuolentiam Principes apprime conquirunt, quod eorumdem iura illæsa custodiunt: atqui instructiorem sibi ij arcem nullam instruere queunt, quam si subditorum pectora fido erga ipsos amore præmuniant, vt rectè dixit *Ammiratus lib. 1. cit. cap. 1.* Quibus sanè omnibus satis ostenditur, falsum omnino censendũ esse, quod aliqui asseuerant, Principũ lædi auctoritatem, subditorum priuilegijs custoditis.

38 Neque hìc iure quis carpserit consilium nostrum, nosque sacrilegij criminis arguerit, quippe qui de Regia potestate disputamus, *l. sacrilegij C. de diuers. rescrip. l. disputare, C. de crim. sacril.* id enim intelligendum circa ea, quæ iuris ciuilis, & merè sunt positiua; non item quoad ea, quæ iuris naturalis, vel gentium existũt, quemadmodum contractus censentur, vt probat *Pascal. de vir. Patr. potest. par. 1. cap. 1. num. 90.* relatus à *Tapia decis. 5 cit. num. 56.* rectè *Alex. d. cons. 216. lib. 2. Nec arguendi sumus*, incipit, *si de Principis potestate disputare contingat, cum Imperatori, ac Pontifici à Deo potestates limitatæ tributæ sint, ita vt plura sint, in quibus eorum auctoritas versari non potest cap. literas. de restit. spoliat. cap. cum ad Monasterium in fin. de statu Monach. cap. sunt quidam 25. q. 1. & not. in cap. ex publico. de conuers. coniug. plenè Specul. in tit. de leg. §. nunc breuiter dicendum, glossa, & Doctores in d. cap. cum ad Monasterium, & in l. fin. C. si contra ius, & in l. eam quam, C. de fidei comm.* legi potest *Mierez de Maiorat. part. 4. q. 1. à n. 84.* Vide omnino, quæ dicemus *cons. 19. n. 12.*

§. VIII.

Alternatiua in eodem corpore seruari debet: neque compensatione ei satisfit, nisi Siculi consentiant.

SVMMAE.

39 *Princeps absque iusta causa inuito rem auferre nequit; etiam præstita æquali, vel maiori compensatione.*

40 *Achab Regi non licuit vineam Naboth occupare, oblata compensatione.*

Permutatio vtriusque partis requirit assensum.

Furtum, & Rapina vndè habeãt rationem peccati.

41 *Inuitus dicitur non solum qui contradicit, sed etiam qui consensisse non probatur.*

Errans non magis consentit, quam ignorans.

42 *Explicatur à Doctoribus illud commune enunciatum, Principis voluntas est magna causa.*

43 *Auctoris explicatio.*

44 *Cum læditur Alternatiua, etiam ex iusta causa, facienda est æquiualens compensatio.*

45 *Ità præstitit Philippus Secundus: atque etiam Quartus nunc feliciter regnãs.*

46 *Refertur responsio Regis.*

39 Ex his quidem omnibus, hùcusque explicatis, satis firma probatur Alternatiua, ità vt ea, simulque omnes eiusdem qualitates ad vnguem sint obseruandæ. Harum autem præcipua ea censeri debet, vt illa in eodem prorsus corpore exequutioni mandetur. id quod declarauit, ac etiam concessit Carolus Imperator *in cap. 187.* nosque explicuimus *num. 4.* Neque vero alterius beneficij prestita compensatione Siculorum iuri fiet satis,

tis,nisi hi in eadem expressim consentiant: idque non solum, quia ea fit, quoad fructus, vt plurimum, inęqualis;verum etiam,quia,si Princeps absque vera,& iusta causa, inuito cuipiā rem auferat,licet eius valorem eidem persoluat; non tamen indè cessat iniquitas,& iniustitia: quandoquidem ex vi libertatem tollit,atque iniuriam infert,vt ex *l.extat.ff.de eo,quod metus causa*, probat *Arius Pinellus in rub. de rescind.vend.par.1.cap.2.nu.24.vers. antequam vero:* non leue enim,inquit, interesse voluntatis cēsetur,*arg. l.fin. ff.de vsu,& habit.vt notat Bart. in l. si filius qui patri n.4.ff.de vulgar.glos. & Paul.in l.cum seruus ff.de condit.ob cau. optima glos.in l.quamuis melius.ff. de vsufruct. Alex cons. viso tit. quęstionis 55.in fin. lib.2.* ex quo ipse *Pinellus* aliqua transcripsit,ibique alij *in Add.* allegantur.

40 Id quod aptè comprobatur sacrarū literarum auctoritate *3. Reg. cap. 21.* vbi Achab Regi nequaquam licuit Naboth subditi vineam occupare, eidem alia meliori,iustoue pretio etiam oblatis: quod animaduertit quoque *Pinellus loco cit. & Rebuff. in l. Barbarius n.22.vers.nempè vsque ad fin.ff.de off.Prat.* Quis profectò neget, iniuriā ei maximam inferri,qui rem suam cogitur permutare, quam deinde vim obtinebit hæc omnino coacta permutatio,cuius valor, ac robur vtriusque partis necessariò exegerat assensum *l. 1.ff.de rer.permut.* Inde furtum committitur,ac rapina,habetque vtrumq; rationē peccati, quod acceptio prorsus est inuoluntaria ex eius parte, cui aliquid subtrahitur, vt apertè docuit *S.Thom.2.2 q.66.art.4.* quem Theologi omnes sequuntur:& quidem in furto ignorantia, in rapina vero uiolentia inuoluntarium constituit: raptor enim per propriam potestatem, fur per astutiam rem alienam vult obtinere, vt ipse S. Doctor disertè censuit.

41 Inuitos Siculos in re, de qua agimus,nemo inficietur ex eo,quod quādoque non contradicant: *inuitū enim accipere debemus*, inquit Vlpianus relatus in l.filius familias §.inuitus ff.de procuratoribus,*non eum tantum, qui contradicit;verum eum quoque, qui cōsensisse non probatur*,*Glos.1.in l.inuitus C.de procuratoribus,Faber in l.furiosi ff. de regulis iuris:* atque in totum omnia, quæ animi destinatione agenda sunt, nonnisi vera, ac certa scientia perfici possunt,inquit Papinianus in *l. in totū ff.de Reg.Iur.* atqui sæpe contradicere Siculi meruunt: in metu vero inest ignorantia, ait *Faber in l. id quod nostrum est sine facto nostro ad alium transferri non potest ff.de Reg.Iur.* quæ quidem lex subiectæ rei aptari non ineptè poterit: quamobrem errare eū dicimus,qui metuit,ait idem *Faber* & *Vlpianus* relatus in *l.si me in vacuam ff.de acquir.possess.* docet,errantem nō consentire,non magis, quam ignorātem;quoniam vtriusque nulla est voluntas *l.cum testamentum l. non iccirco C.de Iur.& facti ignorantia l.sed hoc ità ff.de aqua plu. arcend.* error consensum non habet, inquit idem Vlpianus adhibita Iuliani auctoritate, vt refertur *in l.2.§.cęterum ff.de Iudic.& in l.si per errorem ff.de Iurisd. omnium Iud.*

42 At,inquies,opportunè fuit appositum suprà, absque iusta causa Principem nequire rem inuito auferre: atqui satis vulgatum est *Glossę finalis* enunciatum in *l.relegati ff.de pœnis*, magnā nempè,iustamque caussam esse Principis voluntatem: quod omnes ferè Doctores amplectuntur, quorum aliquos refert *Pinellus loco supra cit.num. 12.* Sed aio nihil id nobis obstare: ea etenim *Glossę* assertio ab omnibus fermè ità intelligitur,vt solum, cum iuri derogatur positiuo,locum sibi vendicet,vt ipse quoque *Pinellus* animaduertit: at in casu,de quo disputamus, ipsum naturale ius, gētium,diuinumque offendi liquidò cōstat ex his,quæ hoc cōs. exposuimus: quod ipsum aptè

tè ostenditur ex congestis à *Pinello n. 26*, qui eodem *n. 12*. asserit, saniùs eius Glossæ doctrinam fore intelligendã; quandoquidem, vt ipse ait, loquitur tantùm, quando Princeps publicam pœnam, fiscalemuè remittit; non verò in omni prorsus Principis actu, minusque vbi aliquis dãno afficeretur: quod planè eueniret in præsenti casu: ibiq; *Pinellus* rem vlteriùs prosequitur.

43 Equidem adderem, Principis volũtatem ideo caussam dici iustam, quod in multis ipsius actibus nõ est vlteriùs ratio subtiliter exquirenda, vel saltẽ eam nihil proderit exquiri, cum eorũdem actuum corrector, atq; animaduersor hoc in mundo minimè reperiatur, vt supra hoc eodem responso monuimus: sed, nisi reuera subsit iusta caussa quidpiã agẽdi, pręcipuè quod ad subditorum vtilitatem, rectamuè reipublicæ administrationem spectet; nõ video qui possit Princeps tutus esse, quoad Deum ipsum, qui Principũ caussas prę cęteris suo reseruauit examini, cui ij debent innocentiam, indaginique eius subtilissimæ inuiolatam conscientiam exhibere, quod de prima ipsa sede dixit *Symmachus Papa* relatus *in cap. aliorum 9. q. 3.*

44 Sed nihilominus, quamuis in casu, de quo nos loquimur, subesset iustissima caussa illud exequendi; tamen faciendam omnino esse æquiualentem compensationem, satis ostenditur ex crebriori Doctorum sententia, asserẽtium id prorsus esse necessarium, quoties alicui absque eius culpa, licet iustissima caussa, à Principe res aufertur: quorum plures refert, ac sequitur *Pinellus in rubr. C. de rescind. vend. cap. 2. n. 14. 1. part. & Matthiens. ad leg. 6. glos. 1. n. 13. lib. 1. Recop. Rebuff. in l. ex hoc iure num 9. ff. de Iust. & iur. & in l. Barbarius n. 23. ff. de off. Prætoris*, vbi exemplum Dauidis præter alia recenset. quam quidem æquipollentem rei ablatæ satisfactionem necessariam quoque cum ius læditur positiuum, nedum cum iuri gentium derogatur, ostendit laudatus *Pinellus*. certè natura ipsa compensationis, seu permutationis videtur exigere, vt æquiualens omnino reddatur eius, quod ablatũ, seu donatum est, nisi aliud contrahẽtes ipsi conueniãt: quod euenire nequaquam solet in casu, de quo disputamus.

45 Atque hæc quidem omnia optimè perpendens, atque animaduertens Rex iustissimus Philippus Secundus, cum Abbatiam Terranæ in Iudicem Monarchiæ Regni Siciliæ voluit perpetuò intelligi collatam, illius compẽsationem in Prioratu Sancti Andreæ de Plaza, quoad fructus æqualem, Siculis se obtulit præstiturum; nec priùs illud exequutioni mandatum, quam ijdem Siculi in compensationem expressim consentirent: nimirum intellexit Rex optimus, hisce beneficiorum compensationibus iuri Siculorum satis minimè fieri, nisi hi apertè consentiant: quod nobis erat vltimo loco ostendendum. Similes compensationes a Rege nostro Philippo Quarto nunc feliciter regnante factas vide infrà *cons. 3. vers. fin.*

46 His ergo omnibus, quæ hoc primo responso latè allata sunt, Regi nostro Catholico, ac potentissimo humiliter, ac pressiùs expositis præfato anno 1624. Rex æquè pius, ac prudens, priuilegia omnia Siculorum, nedum Alternatiuæ confirmauit in hæc verba. *Los confirma en la forma acostumbrada, y como lo hã hecho los Señores Reyes predecessores de su Magestad.*

Decretum in Regia Secretaria Regni Siciliç asseruatur.

(: § :)

CON-

CONSILIVM II.

An solis oriundis Siculis competat Alternatiua.
Ad idem cap. 34. Ferdinandi.

QVamuis in more positum sit, Siculos quoque priuilegio, qui vulgo *naturalizati* nuncupantur, beneficia Regni Siciliæ passim obtinere, ea vice, quæ in Siculos conferenda sunt iuxtà Alternatiuam, ità vt ijs quoque ea competere videatur; nihilominus eamdem solum Siculis oriundis iure conuenire hoc loco ostendere conabimur.

§. I.

Quid oriundi appellatione significetur.

SVMMAE.

1 *ORiundus alicuius loci quis proprijssimè dicatur.*
2 *Oriundus sumitur etiam proprijssimè pro orto: & ortus pro oriũdo.*
3 *Oriundus ortum significat, si particula in ei addatur.*
Præpositio in sexto casui adiuncta significat aliquid immediatum.
4 *Oriundus quis dicitur natiuitate tum propria, tum paterna: & vterque gaudet Alternatiua.*
Refertur decisio Supremi Italiæ Senatus in fauorem D.D. Francisci de Elia Episcopi Syracusani.
5 *Origo materna, aut auita non sufficit. Filius non sequitur originem matris, nisi sit illegitimus: & cum deest paternum domicilium, sequendum est maternum.*
6 *Non sufficit sola natiuitas, veluti fortuita; sed requiritur etiam parẽtum domicilium: quod tamen solum incolam facit, non oriundum: & quo modo illud contrahatur.*

1 SEd antequam ad huius assertionis rationes deueniamus, exponendum omnino erit, quid demum oriundi appellatione intelligamus. qua de re post alios rectè, vt assolet, *Mand. in reg. 16. cancel. q. 40.* Oriundum igitur cuiuspiã loci, si proprijssimè loqui velimus, eum appellamus, cuius pater in eo natus est, licet filius alibi nascatur. Ità *Iason in l. huiusmodi §. legatum, n. 18. vers. aduerte tamen. ff. de legat. 1. l. qui in continentibus, cum ibi not. per Alciat. ff. de verb. signif. Gloss. in cap. 1. verb. alienigenas, de vsuris in 6. Carp. in statut. Mediolã. cap. 62. n. 4. Ioseph Gõzalez Flores var. quæst. cap. 36. n. 3. & seqq. Garcia de benef. part. 7. cap. 9. num. 26.* Addo tres doctissimos recentiores, putà *Nouariũ pract. concl. noui iuris Pont. tit de Ordinibus concl. 2. aliàs. 102. num. 3. Barbos. tract. de appellat. verb. vtriusque iuris signif. appell. 180. n. 2. & de potest. Episcopi alleg. 4. nu. 6. Campanil. in diuers. iur. can. rub. 9. cap. 8. num.* 8. qui omnes non paucos alios laudãt. *Hyppocrates*, inquit Liuius 4. belli Punici, *& Epicides nati Carthagine, sed oriundi ab Syracusis*: id est, vt explicat *Mandosius*, atq; *Ambrosius Calepinus in suo Dictionario ver. oriundus, alijque*, ab Syracusis originem trahentes, vndè parentes fuere. Idemque *Liuius lib. 1. ab vrbe condita*: *is*, inquit, *longè Princeps latini nominis erat, si famæ credimus, ab Vlysse, Deaque Circe oriundus.*

2 Sumitur quoque ex proprijssima verbi significatione *oriundus* pro *orto*, seu nato, quamuis aliundè originem ducat, seu, quod idem est, alibi eius pater natus sit: quod satis patet, tum ex communi loquendi vsu, qui hodiè viget; tum ex *l. assumptio. § 1. ff. ad municip. cum gloss. ver. oriundus*, quæ exponit, id est ortus, allegatque *l. nulli C. de Episc. & Cler. & d. cap. 1. de vsur. in 6.* ità accepit Plaut. in *Pœn. secunda sce. 5. actus. Agora. Ergo hic*, inquit, *apud me hospitium tibi præbebitur: namque haud repudio hospitium, neque Carthaginem*,

vndè sum oriundus. Pen. *Dij dent tibi omnia, quæ velis: sed quid ais? qui potuit fieri, vt Carthagini natus sis, hic autem habuisti Aetolum Patrem?* Ecce vox *oriūdus* pro *orto* interpretata. *Columella* quoq; *lib. 1. cap. 1. Nam quemadmodum*, inquit, *sapientis est fortuitos casus magno animo sustinere; ità dementis est ipsam sibi malam facere fortunam; quod facit, qui nequam suum vicinum nummis parat, cũ à primis cunabulis, si modo liberis parentibus est oriundus, audisse potuerit.* Atque ita cẽsent omnes prorsus citati Doctores. Contrà vero etiã *ortus* pro *oriundo* sumitur quãdoque. *Cesar lib. 2. de bello Gall.* ait, plerosque Belgas à Germanis ortos esse: quem locum bonarum literarum professores pro, *oriundos esse*, interpretantur. Alia de Originarij voce appositè tradidit *Mandos. loco cit.* quem vide, si lubet.

3 Animaduertendum hìc reor, præpositionem, *In*, si quãdo voci, *oriundi*, adiungatur, eius vis esse, vt ea nonnisi pro orto interpretari iure possit: vti si dicatur, in Sicilia oriundus: vt re vera ante huius Alternatiuæ institutionem à Catholico Rege factam, in priscis Siciliæ Priuilegijs addebatur, vt patet ex *cap. 386. Regis Alphonsi*, ibi; *solũm si debiano concedirì alli Siciliani oriundi in Sicilia*; tunc enim natiuitatis qualitas immediatè inhærere necesse erat illi, in quem officium, vel beneficium conferri debebat; vt in simili statuto in Castellæ Regnis autumat *Azebed. lib. 1. tit. 3. l. 19. n. 1.* rescripsitque *Pereyr. in cons. vnico post tract. de restit. in integr. num. 6.* id quod satis videtur ostendi, nã ea præpositio texto casui adiuncta quid intrinsecum significat, atque immediatum, vt probatur ex *l. 1. §. in flumine ff. de flumin.* vbi Vlpianus: *In publico*, ait, *flumine factum accipere debemus quicquid in aqua factũ est; nam si quid extra factum sit, non est in flumine factum, & quod in ripa sit, non videtur in flumine factum.* atque illud ipsum docet *Alex cons. 137. nu. 14. lib. 2. post Glos. Bart. Bald. Cynum. Aret. Archi.* aliosque locis ab eo allegatis.

Sed id non videtur locum obtinere in casu, de quo agimus; siquidem in Alternatiuæ constitutione nequaquam præfata apponitur præpositio; solum enim dicitur, *oriundi tantum di lo ditto Regno*: at verò præpositio, *A.* similisuè, quæ particulæ, *dilo*, respondet, non eãdem vim, quam præpositio *in* habere censendum est: quin apertè *Liuij* auctoritate modò laudati constat, quempiam in aliqua ortum Ciuitate, oriundum ab alia rectè nuncupari; ait enim ipse: *nati Carthagine, sed oriundi ab Syracusis*. Idem dicendum putarem, si in Alternatiuę constitutione poneretur dictio, *De*, vel *ex*: quamuis enim vtraque originē importet. *l. 1. ff. ad Municip. Surd. decis. 129. n. 15. Pereira de potestate eligendi cap. 13. n. 21.* nomine tamen originis, & paterna, & propria concluditur, vt diximus. Ità præsensit *Barbos. d. alleg 4. n. 9. & 10.*

4 Hoc igitur loco oriundi appellatione, & oriundum proprijssimè dictum, ac etiam ortum volumus comprehendi: vterque enim ex vocabuli proprietate significatur. Et quidem, quod attinet ad ortum, nemo est, qui dubitet, Alternatiuæ priuilegio frui: quod vero spectat ad oriundum ex paterna natiuitate, decisum fuit anno 1639. per Supremum Italiæ Senatum, Illustrissimum D. D. Franciscum de Elia eodem Alternatiuæ priuilegio frui, quamuis extrà Regnum natus sit, cum eius pater in Sicilia ortus fuerit: ac proindè eius præsentatio ad Episcopatum Syracusanum effectum sortita est.

5 Sed illud hìc quoque admonendũ est, oriundum quidem dici à natiuitate tum propria, tum paterna, tã quoad temporalia, quam quoad spiritualia, vt omnes fatẽtur, præsertim *Boer. decis. 13. n. 13. & seqq. Guttierez cons. 7. n. 1. Barbos. n. 12.* vbi quoad ordines suscipiẽdos: & nouissimè *Thomas Carneua-*

neualius vir doctissimus tom. 1. *de Iudicijs disp.* 2. *quaest.* 2. *n.* 50. quoad fotū, vbi innumeros allegat. Nemo tamen est, qui aliam originem, veluti auitā, sufficientem agnoscat: solum enim paternam nominant, & iure, quia alioquin in infinitū progredi valeremus. Vndè rectè censuit *Couarr. de spōsalib. par.* 2. *cap.* 7. §. 1. *num.* 15. *Ricci. resol.* 298. *nu.* 5. *in prima editione prax. fori Eccl. & in* 2. *resol.* 257. *Vgolin. de potest. Episc. cap.* 26. §. 1. *post. n.* 4. *vers. excipitur*, quos refert, ac sequitur *Barbos. d. alleg.* 4. *nu.* 13. ex origine aui non dici nepotem originarium, seu otiundum illius loci, in quo auus natus est: & videtur opinio *Gloss. in d. l. assumptio ver. filius:* licet ab ea discedāt aliqui apud *Carneual. n.* 51. *& seqq.* quoad forum, & auitam originem tantùm. Item sola patris origo ad id sufficit, non item matris, cuius originem filius non sequitur *l.* 3. *C. de Municip. & originar. lib.* 10. *alijsque apud Pichard. de Nobilit. communicatiua à n.* 9. *Barbos. n.* 14. nisi fortè filius esset illegitimus, aut vulgò quæsitus, qui matris originem sequuntur, *l.* 1. *in fin. & l. eius ff. ad municip. l. cum legitimo ff. de statu homin.* sicuti cum deest paternum domiciliū, sequendum est maternum, *Gonzal. in Reg. Cancel. Gloss.* 9. §. 1. *à n.* 14. *Piaseq. in praxi noua Episcop. cap.* 1. *n.* 19. *p.* 1. *Barbos. n.* 16. Expositus vero absque dubio censetur otiundus eius loci, in quo expositus est. *de quo vide Gratiā. discep.* 75. *n.* 12. *Carneual. n.* 101.

6 Sed neque putes solam natiuitatē paternam, aut propriam sufficere ad hoc, vt quis oriundus dici possit: illam enim debet parētum domicilium comitari: ità vt, si quis alicubi nascatur, non tamen inibi eius parentes domicilium contraxerint; hic oriūdus illius loci censeri non possit, vt notant *Doctores in cap. Rodulphus de rescriptis, Rota Rom. decis.* 327. *n.* 3. *p.* 1. *in nouiss. apud Barbos. n.* 7. Vtrumque igitur requiritur; putà & natiuitas propria, vel paterna, & parentum domicilium; & vnum sine altero non sufficit: nam domicilium solum, etiam vltrà decem annos, incolam quidem facit, seu domiciliarium, non tamen ortum, seu otiundum *l.* 1. *cum seqq. ibique omnes C. de Municip. l.* 2. *C. de incol. lib.* 10. *Greg. Lopez l.* 2. *verb. Maguer. vers. aduerte tamen tit.* 24. *partit.* 4. *Menoch. de Arbitr. Iud. lib.* 2. *casu* 86. *apud Garf. p.* 7. *cap.* 9. *n.* 30. *& Barbos. n.* 11. Natiuitas sola absque domicilio insufficiēs erit; veluti si quis forruitò, ac per transēnam nascatur in aliquo loco, in quo domicilium à parentibus contractum non sit, hic ex eo loco oriundus dici non potest. *Ità censent innumeri contra alios apud Carneual. n.* 92. *& seqq. Ceual. com. cont. com. q.* 458. *n.* 17. *Barbos. n.* 18. vbi post alios monet, in mari natum originem habere vbi pater domicilium habet. Contrahitur vero domicilium, cum adest habitatio animi destinatione perpetua, in qua quis rerū suarum magnam summam constituit. *l. ciues C. de Incol. lib.* 10. *cap. cum nullus, ibique Gloss. verb. domicilium de tēp. ordin. in* 6. *& plures apud Barbos. n.* 23. qui alia huiusmodi aptè recollegit. Plura alia ad rem pertinentia tradit *Carnealius loc. cit.* præsertim *à n.* 67. vbi latissimè explicat, quisnam ciuis originarius alicuius loci dici possit, gaudeatque priuilegijs eiusdem loci; vbi inuenies plures quæstiones aptè enodatas, quas ipsi hoc loco discutere parabamus, & ab incepto destitimus, nè actum agere videremur. Cōsule etiā, *Mascard. cōcl.* 1146. *Garf. Barbos.* aliosque antea laudatos.

His igitur hunc in modum breuiter præmonitis, quærimus, an solis Siculis otiūdis competat Alternatiua.

(:†:)

§. II.

Solis oriundis Siculis, non vero Siculis per priuilegium competere Alternatiuam.

SVMMAE.

7 *Responsio indeterminata iuxtà interrogationem intelligenda est.*

Priuilegium iuxtà petitionis formam intelligitur.

8 *Negatio vnius est concessio alterius.*

Natura, non aduentitius casus considerandus.

9 *Statutum non porrigitur ad id, quod secundum fictionem inducitur, nisi specialiter exprimatur: verè, non fictè disponit.*

Verba naturaliter, non ciuiliter intelligenda.

Dispositio hominis ad casum fictum non extenditur.

10 *Adoptiuus filiorum nomine absolutè prolato non comprehenditur: neque succedit in feudo filijs delato: neque in iure primogenituræ: neque in legatis: neque in emphyteusi: neque in iurepatronatus: neque fœminas excludit: neque ad immunitatē patri prodest: & in eo locum non habet l. si vnquā, C. de reuoc. donation. neque est verè filius.*

11 *Naturalizatio dicitur adoptio.*

12 *Legitimus in maioratu, quamuis primogenitus, legitimos non excludit: neque in iure primogenituræ: neque fœminas excludit: neque in feudis legitimos: neque in primigenio agnatos, & cognatos: non est verè legitimus.*

Legitimatio Alchimiæ similis.

13 *Siculi priuilegio non sunt verè Siculi.*

Dictio, perindè *fictionem denotat: item dictio,* quasi.

14 *Ciui priuilegiario non conceduntur ea, quæ originarijs iure extraordinario competunt.*

15 *Qualitas, ad priuilegium requisita, verè, non fictè inesse debet.*

Verba conditionis sunt strictè, & naturaliter intelligenda.

16 *Vox,* Siculi, *in potiori significatu tātum Siculum oriundum significat.*

Communis loquendi vsus verborum proprietati præfertur.

Verbum statuti dubium secundum communem loquendi vsum est intelligendum.

Verba intelligenda simpliciter, & non secundum quid.

17 *Capitula Regni Siciliæ in ipsius fauorem interpretanda.*

Fictio nunquam in iure inducitur, nisi æquitas suadeat.

7 Dicendum opinor, solis oriundis Siculis, & neutiquam exteris priuilegio Siculis iure competere Alternatiuam. Ostenditur hæc propositio, ni fallor, apertè ex eadem Alternatiuæ institutione à Rege Catholico Siculis relictæ in *cap. 34.* sępiùs allegato, vbi, cum Regnum ab eo efflagitasset, vt eius beneficia tantum Siculis *oriūdis*, & nullo pacto exteris concederentur, ibi: *Per tantu dittu Regnu supplica, si digni concediri, & prouidiri, che de cetero tutte Prelatie, dignitati, & beneficij ecclesiastici di lu dittu Regnu, non si possano, nè digiano dari, nè concediri ad exteri di lu dittu Regnu, sed solum à Siciliani oriundi tantum di lu dittu Regnu, &c.* Respondet Rex, se vnam quorumcunque beneficiorum electionem in personam Siculi cuiuspiam facturum, quam idoneā reperisset, vt retulimus *cons. 1. num. 2.* Etenim, quamuis ipse minimè vocem *oriundi* addiderit in responsione, quæ in oblatis precibus consultò fuerat apposita; nihilominus certum videtur, eam intelligi debere tacitè repetitam: indeterminatam namque responsionem iuxtà interrogationem, seu petitionē, eiusque qualitates, ac circumstantias, intelligendam, rectè post plures alios ostendit *Mandos. in Reg. 33. Cancel. q. 11. n. 10 per legem, si defensor ff. de interrogat. action. §. præterea, & §.*

quo-

quoties, instit. de inutil stipul. l. legatorum ff. de leg. 2. cap. Inter dilectos. §. cęterum. ibi, quamuis ex forma petitionis de fid. instrum. Aret. Alex. Iason. & Doct. in l. si mei serui §. 1. ff. de leg. 1. Bar. & Doct. in l. 1. §. si quis simpliciter, & §. si stipulanti. ff. de verb. oblig. idemque docent alij passim: *neque enim necesse est,* inquit Iustin. in d. §. præterea, *in respondendo eadem omnia repeti, quę stipulator expresserit: quę enim,* subdit Gloss. ibidem ver. expresserit, *in præfationibus dicuntur, in contractibus repetita creduntur l. Titia §. item respondit ff. de verb. oblig.* Priuilegium quoque concessum intelligi debere secundum petitionis formam, asserit *Decius cons. 403. n. 15. ibique allegat Bald. in d. cap. inter dilectos,* ac sequitur *Rebuff. in prax. benef. 2. par. signat. n. 30.* atque alij passim.

8 Eadem propositio satis efficaciter cõfirmatur ex *cap. 187. Caroli Quinti,* à quo, cum Regnum ibi inter alia hoc petijsset, vt scilicet illius beneficia in solos oriundos Siculos conferrentur; Imperator aliqua expresse negauit: quare hoc necessariò tacendo concessit. *cap. nonnè, de præsumpt.* quod si vterque Rex, nempe Catholicus, atq; Imperator, id concedere noluissent, illud vtique expressissent, *arg. l. si stipulatus fuerim, & l. cum stipulamur ff. de verb. oblig.* vt in simili casu arguit *Rota Romana par. 1. diuer. decis. 70. n. 6. & decis. 475. n. 6. par. 2. decis. 171. nu. 13.* atque alij passim. Supponendi quoq; sunt Reges, minimè cogitasse de his, quæ extrà ordinem eueniũt, vt in re simili arguunt *Mantica de coniectur. vlt. vol lib. 6 tit. 6. n. 17.* quem refert, ac sequitur *Mierez de maiorat. par. 1. q. 51. n. 135.* alijque apud eosdem: atque hic *n. 161.* ex pluribus probat, naturam, nõn aduentitios casus considerandos: neque id, quod absque dispensatione obtineri non potest, vt idem affirmat *n. 268. post Rom. in cons. 499. per l. legem si vinum legauerit ff. de vino legato, & decis. 20. Rotę in Antiq.* atqui extrà ordinem est, atque aduentitius casus, vt quis Siculus priuilegio efficiatur.

9 Præterea statutum ad id non porrigitur, quod secundum fictionem inducitur, nisi specialiter exprimatur, *l. 3. § hac verba, & ibi omnes Doctores ff de negotijs gest.* qui autem priuilegio est Siculus, fictione, non veritate talis est, vt ex se patet, atque inferiùs ostẽdetur. Verba quoq; Catholici Regis, quibus se in alicuius Siculi personam vnam electionem facturum promisit, omnino naturaliter, ac propriè intelligẽda sunt, *l. fin. C. de his, qui ven. ætat. impetr. l. 3. cit. §. hac verba, ibique glos. verbo hæredis; probatque Mand. in reg. 4. Cancel. q. 18. n. 2. & reg. 16. q. 23. nu. 3. præcipue q. 45. in fin.* vbi similem nostræ quæstionem exagitat; & *reg. 20. q. 4. n. 2. Tiraq. in l. si vmquam C. de reuocand donat. verbo susceperit liberos n. 15. Mierez de Maiorat. 1. par. q. 51. n. 123. & seq.* atque alij plures. Eodemque pacto *glos. in cit. l. fin. ver. restitutionibus,* multis iuribus ostẽdit, nequaquam sufficere aliquid ciuiliter fieri, nisi quoq; naturaliter efficiatur: atque in his, quæ iuris sunt positiui, statutum, legemuè non fictè, sed verè disponere pluribus Doctoribus, iuribusque probat *Mand. in reg. 32. q. 6. n 6. & 7.* legendus est omnino *Decius in cons. 541. nu. 13.* vbi docet, quod si dispositum sit, vt idonea persona ad beneficium præsentetur, talis ea debet esse verè, naturaliter, ac iure communi, non autem priuilegio, & dispẽsatione, vt ibidem, *ex l. fin. cit. C. de his, qui ven. ætat. impetr.* atque alijs appositè demonstrat: quem refert, ac sequitur *Mierez de maiorat. d. p. 1. q. 51. n. 116. qui nu. 117. & 120.* post alios vult, hominis dispositionem ad casum fictum nequaquam extendi: quodque dispensatione indiget, rectè dici, fieri non posse: aliaque plura instituto nostro maximè conducentia adducit, præcipuè *à n. 166. & plur. seq.*

10 Hinc est, adoptiuum in dispositione

ne de filio simpliciter loquente non comprehendi, vt probat *Molin. de primoge. lib. 1. cap. 4. n. 50. per legem adoptiones*, ibique per scribentes *ff. de adop. Bald. in l. fideicommissum ff. de conditionibus, & demost. Tiraq. in l. si vnquam ver. susceperit liberos nu. 6. & seq. C. de Reuoc. donat. Ruin. consi. 173. n. 6. vol. 2. ex l. si ità quis §. is cui ff. de leg. 2. & l. fideicommissum, cit. & consi. 87. n. 16. vol. 3.* Atque ità in feudo filijs debito adoptiuus non succedit, *§. adoptiuus, si de feu. fuerit controu. int. Dom. & Agnat. Molin. loco cit. & Decius consi. 399.* nec in iure primogenituræ, *idem Mol. allegans Car. Molin.* auctorem de cętero damnatum, *in Consuet. Parisi. tit. 1. §. 8. Glos. 1. nu. 33. Tiraq. de primog. q. 84.* Neque in legatis, aut fideicommissis filiorum appellatione veniunt adoptiui, *l. si ità quis, & l. fideicommissum, modo citatis.* Neque in emphyteusi pro se, ae filijs cõstituta, *Specul. tit. de locat. seu de emphyt. §. nunc aliqua q. 68. n. 88.* Nec in iure patronatus familiæ adquirendo: *plures apud Mandos. in reg. 16. q. 23. n. 3. & reg. 30. q. 7. n. 18* Statutum quoque excludens fęminas propter masculos, in adoptiuo locum nõ obtinere, affirmat *Decius consi. 399. cit. nu. 4. vbi allegat Ioa. de Ana. consi. viso casu 27.* additque immunitatem, quæ patri ob filios conceditur, in adoptiuis non obtinere locum *per l. sextum §. adoptiuus ff. de vacat. muner. & §. 1. ver. sed adoptiui, instit. de excus. tut.* Neque dispositionem *l. si vnquam C. de reuocand. dona.* citatque *Alex. consi. 40. lib. 4. aliosque allegat Tiraq. eadem lege, ver. susceperit liberos n. 24. & 11. omnino videndus ab eodem n. 2. vsque ad 21.* vbi, quæ hùcusque de adoptiuo exposuimus benè prosequitur. Alia huiuscemodi passim apud Doctores animaduertere licet, à quibus horum omnium ratio ea censetur esse, quia scilicet filius adoptiuus minimè est naturalis filius, & verus, sed ciuilis, fictus, atque imaginarius: quod apposi-tè demonstrat *Molin. num. 50. cit. post Tiraq. loco cit. n. 7. ex l. filio quem pater* ibi, *nè imagine naturæ veritas obumbretur, ff. de lib. & posth. & l. cum in adoptiuis §. sed nè articulum*, ibi, *quasi imaginaria quædam C. de adop.*

11 Atque hæc, quæ vulgò *naturalizatio* dicitur, à pluribus *adoptio* nuncupatur *ex l. ciues C. de incol. lib. 10. & l. 1. ff. ad municip.* & à *Petro Greg. Tholos. instit. rei benef. cap. 27. n. 17.* adoptionis literæ, seu naturalizationis priuilegia huiusmodi appellantur. Eruditus quoque *Famianus Strada in suis Academicis prolusionibus lib. 2. prolus. 6. fol. 363. Nasci*, inquit eleganter fanè, *alicubi fortunæ est; adoptari verò virtutis.* & fol. 366. *dignamque*, ait, *vel hoc nomine ceseret, qui ab Etruscis adoptatus fuisse diceretur:* alijque permulti eo loquendi modo passim vtuntur: quarè ipsi naturalizati, adoptati optimè, eleganterque nuncupari possunt: quod vlteriùs ostendere, superuacaneum duximus.

12 Atque ex eadem, quam hùcusque explicuimus, ratione procedit, quod filius, licet primogenitus, natalibus ex Principis rescripto restitutus, seu, vt aiunt, legitimatus, nullo prorsus modo, exclusis verè, ac naturaliter legitimis, in maioratu legitimis debito succedere potest, vt aptè probat idem *Molin. de primog. lib. 3. cap. 2. à num. 1.* neque in iure primogeniture, vt censent *Imol. & Domi. loquentes de Regno in cap. grandi, de supp. negli. prælat. in 6.* atque alij quamplures apud eumdẽ *Mol. lib. 2. cap. 11. nu. 22.* Et quamuis caueatur, quod, masculis existẽtibus, fęmina non succedat; legitimatus tamen eam non excludet: idem *Molin. lib. 3. cap. 2. nu. 7.* ex pluribusque probat *Tiraq. in d. l. si vnquam ver. susceperit liberos nu. 81.* vbi hanc ait esse communem opinionem, alijque plures apud eosdem. In feudis quoque legitimatus ad legitimorum exclusionem nequaquam admittitur, vt ex *cap. 1. §. naturales, si de feu. defunt. in vsib.*

vsib.seu, affirmat *Mol. loco cit. n.* 8. Neque in primigenio, in quo filij legitimi sunt vocati, legitimatus, legitimis deficientibus, succedere potest, exclusis agnatis, vel cognatis transuersalibus, in filiorum legitimorum defectū substitutis: latè *Molin. loco cit. cap.* 3. *à n.* 3. Quorum etiam omniū, ac pluriū similium ratio ea censetur esse, quia nimirum legitimorum appellatione legitimati minimè cōcluduntur: quādoquidem hi dici minimè possunt legitimi ex vocabuli proprietate, sed potiùs ciuiliter, ex priuilegio, atque ex fictione: *Bald. in l. eam, quam C. de fideicom. n.* 44. 45. *Decius cons.* 283. *n.* 15. *Tiraq. de primog. q.* 34. *n.* 58. & in *d. l. si vnquam, ver. susceperit liberos n.* 79. *alijque apud Mol. cap.* 3. *cit. nu.* 5. *& Decium*. qui *à n.* 12. obiectionibus occurrit: quam quidem ob causam *Bald. in cap.* 1. *de const. n.* 23. aptè legitimationem Alchimiæ similem autumat, quæ, licet efficere queat, vt æs aurum appareat; verè tamen ex ære aurum facere nequaquam potest: & in *l. eos etiam C. de appellat n.* 1. legitimatum à legitimo ait differre, veluti imaginem ab eo, cuius figuram repræsentat; seu, quod propiùs ad rem nostram accedit, veluti ille, qui à Principe vsū togæ impetrauit, vt Ciuis Romanus efficeretur, ab eo, qui verè Ciuis Romanus extitit: vbi expressè *Bald.* ciuē priuilegio comparat legitimato.

13 Cum igitur, vt ad institutum sermonem reuertamur, priuilegio Siculi tales dicantur solū ciuiliter, imaginariè, fictè, atque impropriè, non verò naturaliter, verè, realiter, neque ex vocabuli proprietate, tum ex *trad. à Bart. in l. si maritus §. legis Iuliæ ff. de adult. relato à Paris. cons.* 71. *lib* 1. *nu.* 9. tum quia, vt modò diximus, naturalizatio, adoptio quædam est, ac legitimationi comparatur; tum quia quod tale est fictione, non est propriè tale *l. lege Cornelia ff. de testamentis l.* 2. *ff. de vsuf. ear. rer. quæ vsu consum. §. constituitur instit. de vsuf.* monetque *Mantica de coniect. vlt. vol. lib.* 11. *tit.* 12. *nu.* 18. fictionem quoque impropriètatem quandam appellat *Menoch. de arb. Iud lib.* 2. *cēt.* 4. *casu* 360. *n.* 109. quam statuta, inquit, non admittunt *l. tutelas ff. de capit. diminu. & l. fin. cit. C. de his, qui ven. ætat. impetr.* quam profectò fictionem in casu, de quo disputamus, satis etiam inducūt particulæ, quæ in naturalizationis priuilegijs apponi solent, putà, vt ij, quibus ea indulgentur, *perinde*, vel *quasi* veri Siculi habeantur: dictionem namque *perinde* fictionem denotare probat *Tiraq. in d. l. si vnquam C. de reuocan. donat. n.* 7. *ex l. qui à patre ibique Bart. ff. de confir. tut. post eumde Bart. alibi, Glos. Iason. aliosque*: idemq; ostendit de dictione, *quasi*, post *Rom. & Alex. in l. si quis vi ff. de adq. poss.* atque alios: Cum hæc, inquam, ita se habeant, consequens est, vt dicatur, priuilegio Siculos Siculorum appellatione absolutè prolata nequaquam comprehendi.

14 Ad hæc, cum quispiam Ciuitate aliqua donatur, priuilegio sanè amplissimo, vt scilicet in omnibus, & per omnia, vt verus ciuis habeatur; nihilominus ei non intelliguntur concessa ea, quæ ciuibus originarijs extraordinario iure, ac priuilegio, sed quæ ordinario iure competunt, *vt ex Cin. Bald. Ang. alijsq; probat Ruin. cons.* 200. *num.* 19. *lib* 2. omnino legendus: atqui Alternatiuam Siculis oriundis iure extraordinario, ac priuilegio, licet iuri communi maximè conformi, competere nemo inficiabitur. adde, quæ habet *Mand. in reg.* 32. *Cancel q.* 23. *n.* 3. *alijque apud Mierez, de maiorat.* 1. *p. q.* 51. *n.* 146. *&* 277.

15 Neque illud omiserim, qualitatem requisitam ad priuilegium quodpiam consequendum, non fictè, sed verè, ac re ipsa inesse debere, vt ex *l. cum hic status §. si sponsus ff de donat. inter vir. & vxor.* probat *Mierez nu.* 671. *post Aret. & Tiraq* aliaque addit numeris sequentibus omnino legēda. Id quod con-

confirmatur, quia dictio illa, *Siculi*, in Alternatiuæ concessione apposita, censeri debet veluti quædam conditio, sine qua non potest quispiam Siciliæ beneficia adipisci: conditionis autem verba strictim, proprieq; intelligi debere: probat *Decius cons.* 283. *cit. num.* 15. *ex l. Meuius, & l qui heredi ff. de condit. & demostr. & cap. Rodulphus. ibique Abb. de rescriptis.* Siculus quoq; priuilegio, talis est solum accidentaliter, & iure speciali, non vero naturaliter, & iure communi, vt quisque animaduertere potest: atqui verba qualitatis, seu conditionis appositæ, naturaliter intelligi debere, ostendit idem *Decius loco cit. ex d. l. fin. C. de his qui ven. ætat impet.*

16 Atque ex doctrina eiusdem *Decij*, quam ipse elicit ex *l.* 1. §. *qui in perpetuum ff. si ager. vectig. vel emphyt.* commodè inferri potest in casu, de quo loquimur, vocem *Siculi* in potiori significatu esse accipiendam: quod si ità sumatur, apertè elicitur nostrum enunciatum; quandoquidem in potiori significatu Siculum eum solum nuncupari, qui talis est natura ipsa, & non priuilegio, satis videtur manifestum. certè ex communi loquendi vsu, Siculorum appellatione solum oriundos concludi, saltem in potiori sensu, constare videtur ex eo, quod quilibet interrogatus, an sit Siculus, nec nè; siue affirmet, negetuè, suæ responsionis rationem reddit ex natiuitate, affirmantis quidem, quia in Sicilia natus est; negantis vero, quia ibi non est ortus: nimirum tota ratio, quare quis sit Siculus, vel non sit, ex ortu ipso petitur adęquatè: ac nemo prorsus prima frõte, ac veluti directè cogitat de Siculo per priuilegium, sed solum quadam quasi reflexione; ità vt Siculi vocabulo simpliciter, absolutèque prolato, solum natura, seu origine Siculus intelligatur; isque, qui talis est priuilegio, solum Siculus cum hoc addito, putà per priuilegium, & secundum quid nũcupatur; ac proindè Hispanũ ortu, priuilegio Siculum, nemo vnquã absolutè Siculum, sed Hispanum appellauit. Communi autem, loquendi vsui tãta vis inest, vt etiam verborum proprietati præferatur, vt *Bart. concludit in l.* 1. *in principio ff. de suis, & legitimis, per l. liberorum* §. *quod tamẽ Cassius ff. de legat.* 3. vbi in fine ait, verbũ statuti dubium secundum communẽ loquendi vsum intelligi debere: *Bartolum* refert, ac sequitur *Decius cons.* 140. *n.* 8. alijque plures *apud Menoch. lib.* 2. *de arbit. Iud. centur.* 5. *casu* 489. *n.* 1. præterquamquod verba sunt intelligenda simpliciter, & non secundum quid, vt ex *l. hoc legatum, ibique Bart. ff. de legat.* 3. *cap. statutum, iuncto cap. licet canon. de electione in* 6. *probat Decius cons.* 52. *n.* 2. *post medium*, quẽ refert, ac sequitur *Mierez* 1. *par. de maiorat. q.* 51. *n.* 166.

17 Denique in præsenti quæstione vocem *Siculi* in Regni fauorem esse interpretandam, apertè constat ex eiusdem Regni capitulis *cap.* 6. 435. 441. *Regis Alphonsi, cap.* 86. *Regis Ioannis*, atque alijs: cum præsertim hæc ipsa interpretatio æquior, benignior, verisimilior, iurique communi congruentior censeri debeat ex ijs, quæ infrà *cons.* 3. à nobis explicabuntur: at vero in iure nunquam fictio inducitur, nisi æquitas suadeat, exigatque, *vt ex l. postliminium ff. de captiuis, & postlim. reuer. Bart. Bald. alijsq; affirmat Mierez d. q.* 51. *n.* 128.

§. III.

Prima obiectio diluitur, tractaturque, an ciuilitas, priuilegio tributa, verum ciuem efficiat.

SVMMAE.

18 *Ciuilitas priuilegio acquisita verum ciuem facit, non fictum: explicatur num. seqq.*

19 *Ciuis priuilegio non est propriè ciuis. Officia, quę ciuibus naturalibus sunt cõferẽda, priuilegiarijs nõ cõcedũtur.*

20 *De-*

20 *Denominatiuum nomen, quid principaliter, quid minus principaliter significet.*

21 *Ciuis nomen ciuile est: & ciuilitas est quid factibile.*

Patria nomen est naturæ, & originem demonstrat.

22 *Ciues æquè verè constituuntur priuilegio, ac origine: & per priuilegium fiũt verè, ac propriè ciues, nõ autem fictè, & impropriè: præcipuè in fauorabilibus, vt pro beneficijs obtinendis, ciuibus tantum destinatis.*

23 *Siculi nomen est naturæ.*

Ciuis vnius ciuitatis priuilegio, potest se ciuem alterius efficere.

Origo est immutabilis.

24 *Oriundi qualitas à iure suppleri non potest, nisi imitatione quadam.*

Priuilegium non tribuit, nec mutat originem.

Ciuis originarius vnius ciuitatis non potest se alterius effici quoque originarium.

25 *Parochiæ Panormitanæ an conferri possint ciuibus per priuilegium.*

18 SEd contrà hucusque exposita obijcies, quia, sicuti ciuilitas priuilegio adquisita verum, ac propriè ciuem efficit, non fictum; præsertim si geminata, ac pregnantia verba priuilegio apponãtur, vt post alios probat *Paris. cons. 71. lib. 1. Ruin. cons. 217. n. 2. lib. 1. Cepha. cons 451. alijque plures apud Mierez q. 5 1. cit. n.* 87. *&* 88. ità hæc, quæ vulgò naturalitas nũcupatur, extero concessa, verum, ac propriè Siculum, non fictum cõstituit.

19 Sed tripliciter respondeo. Primùm quidem, quidquid sit de laudatis auctoribus, qui tamẽ explicari commodè possent, vt nobis non aduersarentur, sicuti re vera eos aliqui exponũt, puta intelligentes, eosdem loqui de ciuilitate in genere sumpta, secundũ quam omnes, qui in *l. Ciues C. de Incol. lib. 10.* numerantur, veri ciues dicuntur; non vero de ciuilitate in specie accepta, secundum quam solum originarij veri ciues censendi sunt, vt eximiè monuit *Bald. in l. 2. nu. 2. C. de iure ann. aureor.* de qua legi potest *Curt. cons. 48. n. 5. Raud. de Analog. cap. 34. n. 267. Surd. cõs. 313.* qdqnid, inquã, sit de his Doctoribus: aio plures etiã existimare, priuilegio ciuem nequaquam propriè talem esse nuncupandum; sed ciuis appellatione solum originarium propriè, non creatum comprehendi: sicuti filij vocabulo, naturalis, & minimè ciuilis, putà adoptiuus demostratur *l. si ità scriptum §. is cui ff. de legatis 2. l. fideicommissum ff. de cõd. & demonst.* Ità sentire videtur *Bald. in l. ciues n. 4. ibique Additio Barbat. lit. F. C. de appellationib.* eũq; refert *Ruin. loco cit. n. 1. & in l. 3. §. hæc verba ff. de negot. gestis Glos. 1. in d. l. ciues C. de Appel.* explicans, qui sint ciues: *ibi nati, inquit, dicũtur ciues. Bertach. in repert. verb. ciuis propriè dicitur originarius, non ex priuilegio, allegatque d. l. ciues, ibique Doctores, Rebuf. in l. pupillus §. munus publicũ ver. item ciues licet vocentur hi, qui in ciuitate nati sunt ff. de verb. signi. latiùs Roland. à Valle cons. 79. lib 3 Surd. cons.* 313. citari quoque possunt alij plures, qui breuitatis studio omittuntur: sed legi possunt laudati auctores, *ac Bart. in l. si maritus 2. §. legis Iuliæ ff. de adult. Aret. cons. 77. Bald. in l. si nõ speciali. n. 6. 7. & 8. C. de testam. Caldes in suo responso pro Ioanne de Tassis. fol. 427. Mierez loco cit. n.* 94. qui *n.* 288. refert quamdam *Baldi* doctrinam in *l. in vrbe ff. de statu homi.* vbi ait, officia, quæ ex consuetudine ciuibus naturalibus (nota additam vocẽ, *naturalibus*, q̃ ciuiliter, & impropriè competit ciuibus adoptatis. *post alios Garsia p. 7. cap. 9. n. 31.*) sunt conferenda, adoptiuos ciues, putà ad ciuilitatem receptos, habere minimè posse: quod affirmant alij quoque apud eumdem *Mierez*: idque fortassis obseruauit quoque Romana Respublica, quæ municipes, etiam in ciues receptos, à Magistratibus adipiscendis exclusisse videtur, vt satis colligitur

ex verbis *Festi* relatis ab *Hotoman.* auctore licet dãnato, *de verbis iuris, verbo municipium,* addita etiam *Ciceronis in orat. pro l. Corn. Balb.* auctoritate; ibi: *itaq; ex Latio multi, vt Tusculani*, & c. quam quidem rem latiùs indagare, non est huius instituti. Illud tamen velim hic annotes, *Baldum in d.l. ciues de appel.* referre Glossę opinionem volentis, solos natos dici ciues, non tamẽ illam expressè approbare: quin imo addere, alios contrarium edocere: quorum sententiam putat, posse esse veram, vbi de fauore agitur, non de odio, *arg. l. cum quidam, de liber. & posth.* quam expositionem amplexi videntur alij citandi *n. 22.*

20 Ratio quoque, cui contrariæ sententiæ assertores innituntur, putà quia ciuilitas plures sub se continet species, quarum quælibet vera censeri debet; nõ videtur satis firma: supponit enim, quamlibet ciuilitatis speciem veram esse: id quod potiùs esset probandum, cum cõtrariũ veriùs videatur: etenim forma denominans, vt logici loquuntur, huius denominatiui nominis, putà *Ciuis*, proculdubio ipsa ciuilitas cẽsenda est: vox enim *Ciuis* est quoddã concretum nomen, demonstrans subiectum, ac formam ipsam, nempè hominem, ipsamque ciuilitatem eidem inhærentem: quæ quidem in originario ciue inest ipsamet natura, absque vllo nostri opere intellectus: at in ciue per priuilegium creato inesse fingitur ab intellectu, à cuius quidem actu si abstrahamus, ea corruat necesse est: quarè hæc, de qua loquimur, denominatio omnino intellectus, seu, quod idem est in casu præsenti, legis fictione induci censendum est. Ecquis autẽ inficiatur, denominatiuo nomine propriè, ac principaliter illud significari, quod re, naturaque ipsa denominantem formam participat, & impropriè, minusque principaliter id, quod eam obtinet ex intellectus nostri operatione? id quod logici ostendunt: Quamobrem, etsi ciuilitas plures sub se species complectatur; eæ tamen videntur regulis Analogorum attributionis, vel proporrionis definiẽdæ, ità vt vna, putà originaria ciuilitas, principale sit Analogatum, ad quod ceteræ dicant attributionem, & respectum, vt in similibus Dialectici ratiocinantur.

21 Secundò respondeo, quod attinet ad hoc obiectum, illud nihil omnino concludere cõtrà traditã doctrinam: quandoquidem maximum inter vtrũque casum discrimen intercipitur: etenim ciuis nomẽ ciuile est, si credimus *Accur. in princ. de verb. oblig.* vt eum refert *Ruin. loco suprà cit.* idemque placuit *Baldo in l. si non speciali C. de testã. dum nu. 6. 7. 8.* ait, nequaquam simile esse de ciue, & patria: *ciuis namque nomen, inquit, est ciuile, ideoque per Statutum, ac priuilegium potest introduci: nomen verò patriæ naturæ est, ac propriissimè originem demonstrat, sicuti nomen patris de originario intelligitur, non de adoptiuo.* idemque *Bald.* relatus quoque à *Ruina in cons. 409. lib. 2.* ait, ciuẽ effici arte, quia ciuilitas est quid factibile, & non solum nascitur ciuis, sed creatur: quod etiam confirmari potest ex *l. ciues C. de incol. lib. 10. & l. 1. ff. de municip.*

22 Quibus quidem iuribus motus doctissimus *Melchior Lotterius lib. 1. de Re Beneficiaria q. 25. n. 78. & seqq.* docuit, non solum ciues, qui origine tales sunt, sed etiam, qui adoptione, aut manumissione, aut allectione, idest adscriptione in numerum ciuium, verè esse ciues: vndè infert, etiam hosce ciues ex speciali iure, putà ex priuilegio, non fictè, & impropriè, sed verè, & propriè sumpto vocabulo, ciues esse: ex *Decian. cons. 44. n. 13. lib. 4. Ceph. cons. 451. nu. 16. 27. 30. 60.* præsertim in fauorabilibus ex *Barbat. cons. 23. n. 9. vol. 1. Boer. decis. 13. n. 20.* quem, vt ait *Lotter.* probauit in terminis capacitatis beneficiorum ciuibus tantum destinatorum, *Rota in vna Bononiens. Canonicatus 22. Iunij 1610. coram Pe*nia,

nia, & in alia simili Bononien. Canonicatus 28. *Iunij eiusdem anni coram Reuerēdissimo Domino Coccino. vide Barbosam in cap. statutum* §. *cum vero, de rescrip. in* 6. Ac ciuis quidem nomen rectè cadere in ciues priuilegio creatos, benè exposuit *Carneual. lib.* 1. *tit.* 1. *disp.* 2. *q.* 2. *n.* 82. *ex Cephal. conf.* 451. *à n.* 16. *lib.* 4. *Menoch. Lopez, & alijs*: apud quem alia videnda sunt hac de re: & *Nouarium concl.* 63. *n.* 4. *& seqq.*

23 At verò Siculi nomen naturæ est; significat enim patriam ipsam, & originem proprijssimè demonstrat, vt suprà ex com nuni etiam sensu, vsuque loquendi, comprobauimus: quarè haud rectè ab vno ad alium casum omnino diuersum argui censendum est *vulg. l. Papinianus ff. de min. l. inter stipulantem* §. *sacrum: vers. sed hæc dissimilia sunt ff. de verb. oblig. cap. Audiētiam de decim. alibique*. Inde est, vt priuilegio ciuis vnius ciuitatis possit se alterius item priuilegio ciuem efficere, cum in eius sit potestate priori illi priuilegio renunciare, vt post alios autumat *Menoch lib.* 2 *de arbitr. Iud. cen.* 6. *casu.* 584. & innuit *Gloss. in cap. statutum.* §. *cum vero. verb. eiusdem ciuitatis, de rescrip. in* 6. At quispiā efficere non potest, quin eius ciuitatis sit ciuis, vbi natus est, vt ex *Bart.* rectè animaduertit *Iacob. Rebuff. in l. origine C. de municip. & origin. lib.* 10. origo enim, vt idem *Rebuff.* ait, quippe à natura, immutabilis censeri debet, vt mox quoque dicetur, atque in simili re ratiocinantur quidam apud *Mierez q.* 51 *cit. n.* 142.

24 Tertio respondeo, propositam obiectionem nihil prorsus contrà nos vrgere; quandoquidem in re nostra iam initio probauimus, in Alternatiuæ cōcessione expresè poni, aut apertè intelligi repetitam vocem *oriundi*, quarè, etsi vltrò daretur, Siculi appellatione priuilegio quoque Siculos comprehendi; ea tamen voce addita, procul dubio excludendi ij erunt ab Alternatiua: oriūdi enim qualitas, quippe à natura, ab arte, seu à iure suppleri nequaquam potest *arg.* §. *constituitur, instit. de vsufruc. l.* 2. *ff. de vsufruc. ear. rer.* nisi imitatione quadam, ac similitudine, quæcunque tandem sint verba, quæ priuilegio apponuntur, vt etiam ex infrà dicendis vlterius poterit confirmari. Sanè *Matthiens. in l.* 1. *tit.* 10. *glos.* 5. *n.* 3. *lib.* 5. *recop fol.* 275. expressim autumat, priuilegio effici quem ciuem vèrum; at originarium fictè; priuilegium enim, inquit, non tribuit, nec mutat originem, sicuti nec præscriptio, *vt in l. assumptio, cum pluribus alijs ff. ad municip.* vbi clarè probatur, oriundi qualitatem naturalem esse: ità enim loquitur ibi Vlpianus: *Assumptio originis, quæ non est, veritatem naturæ nō perimit: errore enim veritas originis non amittitur, nec mendacio dicentis se esse vndè non sit, deponitur, neque recusando quis patriam, ex qua oriundus est, veritatem mutare potest.* idem innuitur a Paulo in *l senatores ff. de Senatoribus: Senatores*, ait, *licet in vrbe domicilium habere videantur; tamen & ibi, vndè oriundi sunt, domicilium habere intelliguntur*. Paulum sequitur *Glos. in cap cum nullus ver. oriundus, de tēpor. ordin. in* 6. Indè *Menoch. lib.* 2. *de arb. Iudicum cent.* 6. *casu* 584. *cit. n.* 6. post alios permultos, quos ipsemet ait, se allegasse in *commentarijs de præsumptionibus lib.* 6. *præsump.* 30. *n.* 32. affirmat, absque controuersia ciuem quoque originarium vnius ciuitatis, alterius nequaquam etiam originarium effici posse; cum origo ipsa, inquit, tamquam quid naturale nequeat mutari *l. assumptio, in princ. ff. ad municip.* adde *l. origine C. eodem tit. lib.* 10. *& Mand. in reg.* 16. *cancel. q.* 41. *n.* 4. aliosque apud eumdem.

25 Atque ex hac quidem triplici responsione, hoc §. 3. explicata, obiter quis elicere posset, quid tandem dicēdum sit de ea perceleb ri quæstione, diù agitata inter Panormi ciues originarios, & adoptatos; num scilicet solis primis, an vero etiam secundis Pa-

vndè sum oriundus. Pen. *Dij dent tibi omnia, quæ velis: sed quid ais? qui potuit fieri, vt Carthagini natus sis, hic autem habuisti Aetolum Patrem?* Ecce vox *oriūdus* pro *orto* interpretata. *Columella* quoq; *lib. 1. cap. 1. Nam quemadmodum*, inquit, *sapientis est fortuitos casus magno animo sustinere; ità dementis est ipsam sibi malam facere fortunam; quod facit, qui nequam suum vicinum nummis parat; cū à primis cunabulis, si modo liberis parentibus est oriundus, audisse potuerit*. Atque ità cēsent omnes prorsus citati Doctores. Contrà vero etiā *ortus* pro *oriundo* sumitur quādoque. *Cæsar lib. 2. de bello Gall.* ait, plerosque Belgas à Germanis ortos esse: quem locum bonarum literarum professores pro, *oriundos esse*, interpretantur. Alia de Originarij voce apposite tradidit *Mandos. loco cit.* quem vide, si lubet.

3 Animaduertendum hìc reor, præpositionem, *In*, si quādo voci, *oriundi*, adiungatur, eius vis esse, vt ea nonnisi pro orto interpretari iure possit: vti si dicatur, in Sicilia oriundus: vt re vera ante huius Alternatiuæ institutionem à Catholico Rege factam, in priscis Siciliæ Priuilegijs addebatur, vt paret ex *cap. 386. Regis Alphonsi*, ibi; *solum si debiano concediri alli Siciliani oriundi in Sicilia*; tunc enim natiuitatis qualitas immediatè inhærere necesse erat illi, in quem officium, vel beneficium conferri debebat; vt in simili statuto in Castellæ Regnis autumat *Azebed. lib. 1. tit. 3. l. 19. n. 1.* rescripsitque *Pereyr. in cons. vnico post tract. de restit. in integr. num. 6.* id quod satis videtur ostendi, nā ea præpositio sexto casui adiuncta quid intrinsecum significat, atque immediatum, vt probatur ex *l. 1. §. in flumine ff. de flumin.* vbi Vlpianus: *In publico*, ait, *flumine factum accipere debemus quicquid in aqua factū est; nam si quid extra factum sit, non est in flumine factum, & quod in ripa fit, non videtur in flumine factum.* atque illud ipsum docet *Alex. cons. 137. nu. 14. lib. 2. post Glos. Bart. Bald. Cynum. Aret. Archi.* aliosque locis ab eo allegaris.

Sed id non videtur locum obtinere in casu, de quo agimus; siquidem in Alternatiuæ constitutione nequaquam præfata apponitur præpositio; solum enim dicitur, *oriundi tantum di lo ditto Regno*: at verò præpositio, *A*. similisuè, quæ particulæ, *dilo*, respondet, non eādem vim, quam præpositio *in* habere censendum est: quin apertè *Liuij* auctoritate modò laudati constat, quempiam in aliqua ortum Ciuitate, oriundum ab alia recte nuncupari; ait enim ipse: *nati Carthagine, sed oriundi ab Syracusis*. Idem dicendum putarem, si in Alternatiuæ constitutione poneretur dictio, *De*, vel *ex*: quamuis enim vtraque originè importet. *l. 1. ff. ad Municip. Surd. decis. 129. n. 15. Pereira de potestate eligendi cap. 13. n. 21.* nomine tamen originis, & paterna, & propria concluditur, vt diximus. Ità præsensit *Barbos. d. alleg. 4. n. 9. & 10.*

4 Hoc igitur loco oriundi appellatione, & oriundum proprijssimè dictum, ac etiam ortum volumus comprehendi: vterque enim ex vocabuli proprietate significatur. Et quidem, quod attinet ad ortum, nemo est, qui dubitet, Alternatiuæ priuilegio frui: quod vero spectat ad oriundum ex paterna natiuitate, decisum fuit anno 1639. per Supremum Italiæ Senatum, Illustrissimum D. D. Franciscum de Elia eodem Alternatiuæ priuilegio frui, quamuis extrà Regnum natus sit, cum eius pater in Sicilia ortus fuerit: ac proindè eius præsentario ad Episcopatum Syracusanum effectum sortita est.

5 Sed illud hìc quoque admonendū est, oriundum quidem dici à natiuitate tum propria, tum paterna, tā quoad temporalia, quam quoad spiritualia, vt omnes fatētur, præsertim *Boer. decis. 13. n. 13. & seqq. Guttierez cons. 7. n. 1. Barbos. n. 12.* vbi quoad ordines suscipiēdos: & nouissimè *Thomas Carneua.*

menalius vir doctissimus tom. 1. *de Iudicijs disp.*2.*quæst.*2.*n.*50.quoad forū, vbi innumeros allegat. Nemo tamen est,qui aliam originem, veluti auitā, sufficientem agnoscat: solum enim paternam nominant & iure,quia alioquin in infinitū progredi valeremus. Vndè rectè censuit *Couarr. de spōsalib. par.* 2. *cap.* 7. §. 1 *num.* 15.*Ricci.resol.* 298.*nu.* 5.*in prima editione prax. fori Eccl.& in* 2 *resol.*257.*Vgolin.de potest. Episc.cap.*26.§. 1.*post.n.*4.*vers. excipitur*,quos refert,ac sequitur *Barbos. d. alleg.*4.*nu.* 13.ex origine aui non dici nepotem originarium, seu oriundum illius loci,in quo auus natus est: & videtur opinio *Gloss.in d.l.assumptio ver. filius:* licet ab ea discedāt aliqui apud *Carneual.n.*51.*& seqq.*quoad forum, & auitam originem tantùm. Item sola patris origo ad id sufficit, non item matris, cuius originem filius non sequitur *l.*3.*C. de Municip. & originar. lib.*10. *alijsque apud Pichard. de Nobilit.communicatiua à n.*9.*Barbos.n.* 14. nisi fortè filius esset illegitimus, aut vulgò quæsitus, qui matris originem sequuntur,*l.*1.*in fin.& l.eius ff.ad municip.l. cum legitimo ff. de statu homin.* sicuti cum deest paternum domiciliū, sequendum est maternum,*Gonzal. in. Reg.Cancel.Gloss.*9.§.1.*à n.*14.*Pia seq. in praxi noua Episcop.cap.*1.*n.*19.*p.* 1. *Barbos.n.* 16. Expositus vero absque dubio censetur oriundus eius loci,in quo expositus est. *de quo vide Gratiā. discep.* 75.*n.*12. *Carneual.n.*101.

6 Sed neque putes solam natiuitatē paternam, aut propriam sufficere ad hoc,vt quis oriundus dici possit: illam enim debet parētum domicilium comitari: ità vt,si quis alicubi nascatur, non tamen inibi eius parentes domicilium contraxerint, hic oriūdus illius loci censeri non possit; vt notant *Doctores in cap. Rodulphus de rescriptis, Rota Rom.decis.*327.*n.*3.*p.* 1. *in nouiss. apud Barbos.n.*7. Vtrumque igitur requiritur; purà & natiuitas propria, vel paterna, & parentum domicilium; & vnum sine altero non sufficit: nam domicilium solum, etiam vltrà decem annos, incolam quidem facit, seu domiciliarium, non tamen ortum, seu oriundum *l.* 1. *cum seqq. ibique omnes C. de Municip. l.* 2. *C. de incol. lib.* 10. *Greg.Lopez l.*2.*verb. Maguer. vers. aduerte tamen tit.*24. *partit* 4. *Menoch. de Arbitr.Iud.lib.*2.*casu* 86.*apud Gars. p.*7.*cap.*9 *n.*30.*& Barbos.n.* 11. Natiuitas sola absque domicilio insufficiēs erit; veluti si quis fortuitò,ac per transēnam nascatur in aliquo loco, in quo domicilium à parentibus contractum 8 non sit, hic ex eo loco oriundus dici non potest. *Ità censent innumeri contra alios apud Carneual.n.*92. *& seqq. Ceual.com.cont.com.q.*458.*n.*17.*Barbos. n.*18.vbi post alios monet, in mari natum originem habere vbi pater domicilium habet. Contrahitur vero domicilium,cum adest habitatio animi destinatione perpetua, in qua quis rerū suarum magnam summam constituit. *l.ciues C.de Incol. lib.* 10. *cap.cum nullus,ibique Gloss.verb. domicilium de tēpordin.in* 6.*& plures apud Barbos.n.* 23. qui alia huiusmodi aptè recollegit. Plura alia ad rem pertinentia tradidit *Carneualius loc.cit.* præsertim *à n.* 67.vbi latissimè explicat, quisnam ciuis originarius alicuius loci dici possit,gaudeatque priuilegijs eiusdem loci; vbi inuenies plures quæstiones aptè enodatas,quas ipsi hoc loco discutere parabamus, & ab incępto destitimus,nè actum agere videremur. Cōsule etiā,*Mascard.cōcl.*1146.*Gars. Barbos.* aliosque antea laudatos.

His igitur hunc in modum breuiter præmonitis, quærimus, an solis Siculis oriūdis competat Alternatiua.

(:†:)

§. II.

Solis oriundis Siculis, non vero Siculis per priuilegium competere Alternatiuam.

SVMMAE.

7 *Responsio indeterminata iuxtà interrogationem intelligenda est.*

Priuilegium iuxtà petitionis formam intelligitur.

8 *Negatio vnius est concessio alterius.*

Natura, non aduentitius casus considerandus.

9 *Statutum non porrigitur ad id, quod secundum fictionem inducitur, nisi specialiter exprimatur: verè, non fictè disponit.*

Verba naturaliter, non ciuiliter intelligenda.

Dispositio hominis ad casum fictum non extenditur.

10 *Adoptiuus filiorum nomine absolutè prolato non comprehenditur: neque succedit in feudo filijs delato: neque in iure primogenituræ: neque in legatis: neque in emphyteusi: neque in iurepatronatus: neque fœminas excludit: neque ad immunitatẽ patri prodest: & in eo locum non habet l. si vnquã, C. de reuoc. donation. neque est verè filius.*

11 *Naturalizatio dicitur adoptio.*

12 *Legitimus in maioratu, quamuis primogenitus, legitimos non excludit: neque in iure primogenituræ: neque fœminas excludit: neque in feudis legitimos: neque in primigenio agnatos, & cognatos: non est verè legitimus.*

Legitimatio Alchimiæ similis.

13 *Siculi priuilegio non sunt verè Siculi.*

Dictio, perindè *fictionem denotat: item dictio*, quasi.

14 *Ciui priuilegiario non conceduntur ea, quæ originarijs iure extraordinario competunt.*

15 *Qualitas, ad priuilegium requisita, verè, non fictè inesse debet.*

Verba conditionis sunt strictè, & naturaliter intelligenda.

16 *Vox*, Siculi, *in potiori significatu tãtum Siculum oriundum significat.*

Communis loquendi vsus verborum proprietati præfertur.

Verbum statuti dubium secundum communem loquendi vsum est intelligendum.

Verba intelligenda simpliciter, & non secundum quid.

17 *Capitula Regni Siciliæ in ipsius fauorem interpretanda.*

Fictio nunquam in iure inducitur, nisi æquitas suadeat.

7 Dicendum opinor, solis oriundis Siculis, & neutiquam exteris priuilegio Siculis iure competere Alternatiuam. Ostenditur hæc propositio, ni fallor, apertè ex eadem Alternatiuæ institutione à Rege Catholico Siculis relictæ in *cap.* 34. sępiùs allegato, vbi, cum Regnum ab eo efflagitasset, vt eius beneficia tantum Siculis *oriũdis*, & nullo pacto exteris concederentur, ibi: *Per tantu dittu Regnu supplica, si digni concediri, & prouidiri, che de cetero tutte Prelatie, dignitati, & beneficij ecclesiastici di lu dittu Regnu, non si possano, nè digiano dari, nè concediri ad exteri di lu dittu Regnu, sed solum à Siciliani oriundi tantum di lu dittu Regnu, &c.* Respondet Rex, se vnam quorumcunque beneficiorum electionem in personam Siculi cuiuspiam facturum, quam idoneã reperisset, vt retulimus *cons.* 1. *num.* 2. Etenim, quamuis ipse minimè vocem *oriundi* addiderit in responsione, quæ in oblatis precibus consultò fuerat apposita; nihilominus certum videtur, eam intelligi debère tacitè repetitam: indeterminatam namque responsionem iuxtà interrogationem, seu petitionẽ, eiusque qualitates, ac circumstantias, intelligendam, rectè post plures alios ostendit *Mandos. in Reg.* 33. *Cancel. q.* 11. *n.* 10 *per legem, si defensor ff. de interrogat. action.* §. *præterea, &* §. *quo-*

quoties, instit. de inutil stipul. l. legatorum ff. de leg. 2. cap. Inter dilectos. §. cęterum. ibi, quamuis ex forma petitionis de fid. instrum. Aret. Alex. Iason. & Doct. in l. si mei serui §. 1. ff. de leg. 1. Bar. & Doct. in l. 1. §. si quis simpliciter, & §. si stipulanti ff. de verb. oblig. idemque docent alij passim: neque enim necesse est, inquit Instin. in d. §. præterea, in respondendo eadem omnia repeti, quæ stipulator expresserit: quæ enim, subdit Gloss. ibidem ver. expresserit, in præfationibus dicuntur, in contractibus repetita creduntur l. Titia §. item respondit ff. de verb. oblig. Priuilegium quoque concessum intelligi debere secundum petitionis formam, asserit Decius cons. 403. n. 15. ibique allegat Bald. in d. cap. inter dilectos, ac sequitur Rebuff. in prax. benef. 2. par. signat. n. 30. atque alij passim.

8 Eadem propositio satis efficaciter cōfirmatur ex cap. 187. Caroli Quinti, à quo, cum Regnum ibi inter alia hoc petijsset, vt scilicet illius beneficia in solos oriundos Siculos conferrentur; Imperator aliqua expresse negauit: quarè hoc necessariò tacendo concessit. cap. nonnè, de præsumpt. quod si vterque Rex, nempe Catholicus, atq; Imperator, id concedere noluissent, illud vtique expressissent, arg. l. si stipulatus fuerim, & l. cùm stipulamur ff. de verb. oblig. vt in simili casu arguit Rota Romana par. 1. diuer. decis. 70. n. 6. & decis. 475. n. 6. par. 2. decis. 171. nu. 13. atque alij passim. Supponendi quoq; sunt Reges, minimè cogitasse de his, quæ extrà ordinem eueniūt, vt in re simili arguunt Mantica de coniectur. vlt. vol lib. 6 tit. 6. n. 17. quem refert, ac sequitur Mierez de maiorat. par. 1. q. 51. n. 135. alijque apud eosdem: atque hic n. 161. ex pluribus probat, naturam, non aduentitios casus considerandos: neque id, quod absque dispensatione obtineri non potest, vt idem affirmat n. 268. post Rom. in cons. 499. per legem si vinum legauerit ff. de vino legato, & decis. 20. Rotæ in Antiq. atqui extrà ordinem est, atque aduentitius casus, vt quis Siculus priuilegio efficiatur.

9 Præterea statutum ad id non porrigitur, quod secundum fictionem inducitur, nisi specialiter exprimatur, l. 3. § hæc verba, & ibi omnes Doctores ff. de negotijs gest. qui autem priuilegio est Siculus, fictione, non veritate talis est, vt ex se patet, atque inferiùs ostēdetur. Verba quoq; Catholici Regis, quibus se in alicuius Siculi personam vnam electionem facturum promisit, omnino naturaliter, ac propriè intelligēda sunt, l. fin. C. de his, qui ven. atat. impetr. l. 3. cit. §. hac verba, ibique glos. verbo hæredis: probatque Mand. in reg. 4. Cancel. q. 18. n. 2. & reg. 16. q. 23. nu. 3. præcipue q. 45. in fin. vbi similem nostræ quæstionem exagitat; & reg. 20. q. 4. n. 2. Tiraq. in l. si vmquam C. de reuocand. donat. verbo susceperit liberos n. 15. Mierez de Maiorat. 1. par. q. 51. n. 123. & seq. atque alij plures. Eodemque pacto glos. in cit. l. fin. ver. restitutionibus, multis iuribus ostēdit, nequaquam sufficere aliquid ciuiliter fieri, nisi quoq; naturaliter efficiatur: atque in his, quæ iuris sunt positiui, statutum, legemuè non fictè, sed verè disponere pluribus Doctoribus, iuribusque probat Mand. in reg. 32. q. 6. n 6. & 7. legendus est omnino Decius in cons. 541. nu. 13. vbi docet, quod si dispositum sit, vt idonea persona ad beneficium præsentetur, talis ea debet esse verè, naturaliter, ac iure communi, non autem priuilegio, & dispēsatione, vt ibidem, ex l. fin. cit. C. de his, qui ven. ætat. impetr. atque alijs apposite demonstrat: quem refert, ac sequitur Mierez de maiorat. d. p. 1. q. 51. n. 116. qui nu. 117. & 120. post alios vult, hominis dispositionem ad casum fictum nequaquam extendi: quodque dispensatione indiget, rectè dici, fieri non posse: aliaque plura instituto nostro maximè conducentia adducit, præcipuè à n. 166. & plur. seq.

10 Hinc est, adoptiuum in dispositione

ne de filio simpliciter loquente non comprehendi, vt probat *Molin. de primoge. lib. 1. cap. 4. n. 50. per legem adoptione, ibique per scribentes ff. de adop. Bald. in l. fideicommissum ff. de conditionibus, & demost. Tiraq. in l. si vnquam ver. susceperit liberos nu. 6. & seq. C. de Reuoc. donat. Ruin. cons. 173. n. 6. vol. 2, ex l. si ità quis §. is cui ff. de leg. 2. & l. fideicommissum, cit. & cons. 87. n. 16. vol. 3.* Atque ità in feudo filijs debitò adoptiuus non succedit, *§. adoptiuus, si de feu. fuerit controu. int. Dom. & Agnat. Molin. loco cit. & Decius cons. 399.* nec in iure primogenituræ, *idem Mol. allegans Car. Molin.* auctorem de cętero damnatum, *in Consuet. Paris. tit. 1. §. 8. Glos. 1. nu. 33. Tiraq. de primog. q. 84.* Neque in legatis, aut fideicommissis filiorum appellatione veniunt adoptiui, *l. si ità quis, & l. fideicommissum, modo citatis:* Neque in emphyteusi pro se, ac filijs cōstitutâ, *Specul. tit. de locat. seu de emphyt. §. nunc aliqua q. 68. n. 88.* Nec in iure patronatus familiæ adquirendo: *plures apud Mandos. in reg. 16. q. 23. n. 3. & reg. 30. q. 7. n. 18* Statutum quoque excludens fęminas propter masculos, in adoptiuo locum nō obtinere, affirmat *Decius cons. 399. cit. nu. 4. vbi allegat Ioa. de Ana. cons. viso casu 27.* additque immunitatem, quæ patri ob filios conceditur, in adoptiuis non obtinere locum *per l. sextum §. adoptiuus ff. de vacat. muner. & §. 1. ver. sed adoptiui, instit. de excus. tut.* Neque dispositionem *l. si vnquam C. de reuocand. dona.* citatque *Alex. cons. 40. lib. 4. aliosque allegat Tiraq. eadem lege, ver. susceperit liberos n 24. & 11. omnino videndus ab eodem n. 2. vsque ad 21.* vbi, quæ hùcusque de adoptiuo exposuimus benè prosequitur. Alia huiuscemodi passim apud Doctores animaduertere licet, à quibus horum omnium ratio ea censetur esse, quia scilicet filius adoptiuus minimè est naturalis filius, & verus, sed ciuilis, fictus, atque imaginarius: quod apposite demonstrat *Molin. num. 50. cit. post Tiraq. loco cit. n. 7. ex l. filio quem pater* ibi, *nè imagine naturæ veritas obumbretur, ff. de lib. & posth. & l. cum in adoptiuis §. sed nè articulum,* ibi, *quasi imaginaria quædam C. de adop.*

11 Atque hæc, quæ vulgò *naturalizatio* dicitur, à pluribus *adoptio* nuncupatur ex *l. ciues C. de incol. lib. 10. & l. 1. ff. ad municip.* & à *Petro Greg. Tholos. instit. rei benef. cap. 27. n. 17.* adoptionis literæ, seu naturalizationis priuilegia huiusmodi appellantur. Eruditus quoque *Famianus Strada in suis Academicis prolusionibus lib. 1. prolus. 6. fol. 363. Nasci,* inquit eleganter sanè, *alicubi fortunæ est; adoptari verò virtutis.* & fol. 366. *dignumque,* ait, *vel hoc nomine censeri, qui ab Etruscis adoptatus fuisse diceretur.* aliique permulti eo loquendi modo passim vtuntur: quarè ipsi naturalizati, adoptati optimè, eleganterque nuncupari possunt: quod vlteriùs ostendere, superuacaneum duximus.

12 Atque ex eadem, quam hùcusque explicuimus, ratione procedit, quod filius, licet primogenitus, natalibus ex Principis rescripto restitutus, seu, vt aiunt, legitimatus, nullo prorsus modo, exclusis verè, ac naturaliter legitimis, in maioratu legitimis debito succedere potest, vt aptè probat idem *Molin. de primog. lib. 3. cap. 2. à num. 1.* neque in iure primogenituræ, vt censent *Imol. & Domi. loquentes de Regno in cap. grandi, de supp. negli. prælat. in 6.* atque alij quamplures apud eumdē *Mol. lib. 2. cap. 11. nu. 22.* Et quamuis caueatur, quod, masculis existētibus, fęmina non succedat; legitimatus tamen eam non excludet: idem *Molin. lib. 3. cap. 2. nu. 7.* ex pluribusque probat *Tiraq. in d. l. si vnquam ver. susceperit liberos nu. 81.* vbi hanc ait esse communem opinionem, alijque plures apud eosdem. In feudis quoque legitimatus ad legitimorum exclusionem nequaquam admittitur, vt ex *cap. 1. §. naturales, si de feu. defunt. in vsib.*

vsib.feu, affirmat *Mol.loco cit.n.* 8. Neque in primigenio, in quo filij legitimi sunt vocati, legitimatus, legitimis deficientibus, succedere potest, exclusis agnatis, vel cognatis transuersalibus, in filiorum legitimorum defectū substitutis: latè *Molin.loco cit.cap.* 3. *à n.* 3. Quorum etiam omniū, ac pluriū similium ratio ea censetur esse, quia nimirum legitimorum appellatione legitimati minimè cōcluduntur: quādoquidem hi dici minimè possunt legitimi ex vocabuli proprietate, sed potiùs ciuiliter, ex priuilegio, atque ex fictione: *Bald.in l. eam, quam C. de fideicom.n.*44.45. *Decius cons.* 283.*n.* 15. *Tiraq.de primog.q.*34.*n.* 58. & in *d.l.si vnquam, ver. susceperit liberos n.* 79.*aliique apud Mol. cap.* 3.*cit. nu.* 5. *& Decium.* qui *à n.* 12. obiectionibus occurrit: quam quidem ob causam *Bald.in cap.*1.*de const.n.*23.aptè legitimationem Alchimiæ similem autumat, quę, licet efficere queat, vt æs aurum appareat; verè tamen ex ære aurum facere nequaquam potest: & in *l.eos etiam C.de appellat.n.*1.legitimatum à legitimo ait differre, veluti imaginem ab eo, cuius figuram repræsentat; seu, quod propiùs ad rem nostram accedit, veluti ille, qui à Principe vsū togæ impetrauit, vt Ciuis Romanus efficeretur, ab eo, qui verè Ciuis Romanus existit: vbi expressè *Bald.* ciuē priuilegio comparat legitimato.

13 Cum igitur, vt ad institutum sermonem reuertamur, priuilegio Siculi tales dicantur solū ciuiliter, imaginariè, fictè, atque impropriè, non verò naturaliter, verè, realiter, neque ex vocabuli proprietate, tum ex *trad. à Bart.in l.si maritus §.legis Iuliæ ff. de adult.relato à Paris.cons.*71.*lib* 1. *nu.* 9.tum quia, vt modò diximus, naturalizatio, adoptio quædam est, ac legitimationi comparatur; tum quia quod tale est fictione, non est propriè tale *l.lege Cornelia ff. de testamentis l.* 2.*ff.de vsuf.ear.rer.quæ vsu consum.* §. *constituitur instit.de vsuf. monetque* *Mantica de coniect.vlt.vol.lib.*11.*tit.* 12.*nu.* 18. fictionem quoque improprietatem quamdam appellat *Menoch.de arb.iud lib.*2.*cēt.*4. *casu* 360. *n.*109.quam statuta, inquit, non admittunt *l.tutelas ff.de capit.diminu. & l.fin.cit.C.de his,qui ven. ætat. impetr.* quam profectò fictionem in casu, de quo disputamus, satis etiam inducūt particulæ, quæ in naturalizationis priuilegijs apponi solent, putà, vt ij, quibus ea indulgentur, *perinde*, vel *quasi* veri Siculi habeantur: dictionem namque *perinde* fictionem denotare probat *Tiraq. in d.l. si vnquam C. de reuocan. donat.n.*7.*ex l. qui à patre, ibique Bart.ff.de confir.tut. post eumdē Bart.alibi, Glos. Iason. aliosque*: idemq; ostendit de dictione, *quasi*, post *Rom. & Alex.in l.si quis vi ff.de adq.poss.* atque alios: Cum hæc, inquam, ita se habeant, consequens est, vt dicatur, priuilegio Siculos Siculorum appellatione absolutè prolata nequaquam comprehendi.

14 Ad hæc, cum quispiam Ciuitate aliqua donatur, priuilegio sanè amplissimo, vt scilicet in omnibus, & per omnia, vt verus ciuis habeatur; nihilominus ei non intelliguntur concessa ea, quæ ciuibus originarijs extraordinario iure, ac priuilegio, sed quæ ordinario iure competunt, *vt ex Cin. Bald.Ang.alijsq; probat Ruin.cons.*200. *num.*19.*lib* 2.omnino legendus: atqui Alternatiuam Siculis oriundis iure extraordinario, ac priuilegio, licet iuri communi maximè conformi, competere nemo inficiabitur. adde, quæ habet *Mand.in reg.*32.*Cancel q.*23.*n.* 3.*alijque apud Mierez, de maiorat.* 1. *p.q.*51.*n.*146.*&* 277.

15 Neque illud omiserim, qualitatem requisitam ad priuilegium quodpiam consequendum, non fictè, sed verè, ac re ipsa inesse debere, vt ex *l. cum hic status §.si sponsus ff de donat.inter vir. & vxor. probat Mierez nu.* 671.*post Aret.& Tiraq* aliaque addit numeris sequentibus omnino legēda. Id quod con-

confirmatur, quia dictio illa, *Siculi*, in Alternatiuæ concessione apposita, cẽseri debet veluti quædam conditio, sine qua non potest quispiam Siciliæ beneficia adipisci: conditionis autem verba strictim, proprieq; intelligi debere: probat *Decius cons.* 283. *cit. num.* 15. *ex l. Mæuius, & l qui hæredi ff. de condit. & demostr. & cap. Rodulphus. ibique Abb. de rescriptis.* Siculus quoq; priuilegio, talis est solum accidentaliter, & iure speciali, non vero naturaliter, & iure communi, vt quisque animaduertere potest: atqui verba qualitatis, seu conditionis appositæ, naturaliter intelligi debere, ostendit idem *Decius loco cit. ex d. l. fin. C. de his qui ven. ætat impet.*

16 Atque ex doctrina eiusdem *Decij*, quam ipse elicit ex *l. 1. §. qui in perpetuum ff. si ager. vectig. vel emphyt.* commodè inferri potest in casu, de quo loquimur, vocem *Siculi* in potiori significatu esse accipiendam: quod si ità sumatur, apertè elicitur nostrum enunciatum; quandoquidem in potiori significatu Siculum eum solum nuncupari, qui talis est natura ipsa, & non priuilegio, satis videtur manifestum. certè ex communi loquendi vsu, Siculorum appellatione solum oriundos concludi, saltem in potiori sensu, constare videtur ex eo, quod quilibet interrogatus, an sit Siculus, nec nè; siue affirmet, negetuè, suæ responsionis rationem reddit ex natiuitate, affirmantis quidem, quia in Sicilia natus est; negantis vero, quia ibi non est ortus: nimirum tota ratio, quare quis sit Siculus, vel non sit, ex ortu ipso petitur adęquatè: ac nemo prorsus prima frõte, ac veluti directè cogitat de Siculo per priuilegium, sed solum quadam quasi reflexione; ità vt Siculi vocabulo simpliciter, absolutèque prolato, solum natura, seu origine Siculus intelligatur; isque, qui talis est priuilegio, solum Siculus cum hoc addito, putà per priuilegium, & secundum quid nũcupatur; ac proindè Hispanũ ortu, priuilegio Siculum, nemo vnquã absolutè Siculum, sed Hispanum appellauit. Communi autem, loquendi vsui tãta vis inest, vt etiam verborum proprietati præferatur, vt *Bart. concludit in l. 1. in principio ff. de suis, & legitimis, per l. liberorum §. quod tamẽ Cassius ff. de legat.* 3. vbi in fine ait, verbũ statuti dubium secundum communẽ loquendi vsum intelligi debere: *Bartolum* refert, ac sequitur *Decius cons.* 140. *n.* 8. aliique plures *apud Menoch. lib. 2. de arbit. Iud. centur.* 5. *casu* 489. *n.* 1. præterquamquod verba sunt intelligenda simpliciter, & non secundum quid, vt ex *l. hoc legatum, ibique Bart. ff. de legat. 3. cap. statutum, iuncto cap. licet canon. de electione in 6. probat Decius cons.* 52. *n.* 2. *post medium*, quẽ refert, ac sequitur *Mierez 1. par. de maiorat. q.* 51. *n.* 166.

17 Denique in præsenti quæstione vocem *Siculi* in Regni fauorem esse interpretandam, apertè constat ex eiusdem Regni capitulis *cap. 6.* 435. 441. *Regis Alphonsi, cap. 86. Regis Ioannis*, atque alijs: cum præsertim hæc ipsa interpretatio æquior, benignior, verisimilior, iurique communi congruentior censeri debeat ex ijs, quæ infrà *cons.* 3. à nobis explicabuntur: at vero in iure nunquam fictio inducitur, nisi æquitas suadeat, exigatque, *vt ex l. postliminium ff. de captiuis, & postlim. reuer. Bart. Bald. alijsq; affirmat Mierez d. q.* 51. *n.* 128.

§. III.

Prima obiectio diluitur, tractaturque, an ciuilitas, priuilegio tributa, verum ciuem efficiat.

S V M M Æ.

18 *Ciuilitas priuilegio acquisita verum ciuem facit, non fictum: explicatur num. seqq.*

19 *Ciuis priuilegio non est propriè ciuis. Officia, quę ciuibus naturalibus sunt cõferẽda, priuilegiarijs nõ cõcedũtur.*

20 De-

20 *Denominatiuum nomen, quid principaliter, quid minus principaliter significet.*

21 *Ciuis nomen ciuile est: & ciuilitas est quid factibile.*

Patria nomen est natura, & originem demonstrat.

22 *Ciues aquè verè constituuntur priuilegio, ac origine: & per priuilegium fiũt verè, ac propriè ciues, nõ autem ficte, & impropriè: præcipuè in fauorabilibus; vt pro beneficijs obtinendis, ciuibus tantum destinatis.*

23 *Siculi nomen est natura.*

Ciuis vnius ciuitatis priuilegio, potest se ciuem alterius efficere.

Origo est immutabilis.

24 *Oriundi qualitas à iure suppleri non potest, nisi imitatione quadam.*

Priuilegium non tribuit, nec mutat originem.

Ciuis originarius vnius ciuitatis non potest se alterius effici quoque originarium.

25 *Parochiæ Panormitanæ an conferri possint ciuibus per priuilegium.*

18 SEd contrà hùcusque exposita obijcies, quia, sicuti ciuilitas priuilegio adquisita verum; ac propriè ciuem efficit, non fictum; præsertim si geminata, ac pregnantia verba priuilegio apponãtur, vt post alios probat *Parif. conf. 71. lib. 1. Ruin. conf. 217. n. 2. lib. 1. Cepha. conf 451. alijque plures apud Mierez q. 51. cit. n.* 87. & 88. ità hæc, quæ vulgò naturalitas nũcupatur, extero concessa, verum, ac propriè Siculum, non fictum cõstituit.

19 Sed tripliciter respondeo. Primùm quidem, quidquid sit de laudatis auctoribus, qui tamẽ explicari commodè possent, vt nobis non aduersarentur, sicuti re vera eos aliqui exponũt, putà intelligentes, eosdem loqui de ciuilitate in genere sumpta, secundũ quam omnes, qui in *l. Ciues C. de Incol. lib.* 10. numerantur, veri ciues dicuntur; non vero de ciuilitate in specie accepta, secundum quam solum originarij veri ciues censendi sunt, vt eximiè monuit *Bald. in l. 2. nu. 2. C. de iure ann. aureor.* de qua legi potest *Curt. conf. 48. n. 5. Raud. de Analog. cap. 34. n. 267. Surd. cõf.* 313. quidquid, inquã, sit de his Doctoribus: aio plures etiã existimare, priuilegio ciuem nequaquam propriè talem esse nuncupandum; sed ciuis appellatione solum originarium propriè, non creatum comprehendi: sicuti filij vocabulo, naturalis, & minimè ciuilis, putà adoptiuus demostratur *l. si ità scriptum §. is cui ff. de legatis 2. l. fideicommissum ff. de cõd. & demonst.* Ità sentire videtur *Bald. in l. ciues n. 4. ibique Additio Barbat. lit. F. C. de appellationib.* eũque refert *Ruin. loco cit. n. 1. & in l. 3. §. hæc verba ff. de negot. gestis Glos. 1. in d. l. ciues C. de Appel.* explicans, qui sint ciues: *ibi nati*, inquit, *dicũtur ciues. Bertach. in repert. verb. ciuis propriè dicitur originarius, non ex priuilegio, allegatque d. l. ciues, ibique Doctores, Rebuf. in l. pupillus §. munus publicũ ver. item ciues licet vocentur hi, qui in ciuitate nati sunt ff. de verb. signi. latiùs Roland. à Valle conf. 79. lib 3 Surd. conf.* 313. citari quoque possunt alij plures, qui breuitatis studio omittuntur: sed legi possunt laudati auctores, *ac Bart. in l. si maritus 2. §. legis Iuliæ ff. de adult. Aret. conf.* 77. *Bald. in l. si nõ speciali. n. 6. 7. & 8. C. de testam. Caldes in suo responso pro Ioanne de Tassis. fol. 427. Mierez loco cit. n.* 94. qui *n.* 288. refert quamdam *Baldi* doctrinam in *l. in vrbe ff. de statu homi.* vbi ait, officia, quæ ex consuetudine ciuibus naturalibus (nota additam vocẽ, *naturalibus*, q̃ ciuiliter, & impropriè competit ciuibus adoptatis. *post alios Garsia p. 7. cap. 9. n. 31.*) sunt conferenda, adoptiuos ciues, putà ad ciuilitatem receptos, habere minimè posse: quod affirmant alij quoque apud eumdem *Mierez*: idque fortassis obseruauit quoque Romana Respublica, quæ municipes, etiam in ciues receptos, à Magistratibus adipiscendis exclusisse videtur, vt satis colligitur

nia, & in alia simili Bononien. Canonicatus 28. Iunij eiusdem anni coram Reuerẽdissimo Domino Coccino. vide Barbosam in cap. statutum §. cum vero, de rescrip. in 6. Ac ciuis quidem nomen rectè cadere in ciues priuilegio creatos, benè exposuit *Carneual. lib. 1. tit. 1. disp. 2. q. 2. n. 82. ex Cephal. consl. 451. à n. 16. lib. 4. Menoch. Lopez, & alijs*: apud quem alia videnda sunt hac de re: & *Nouarium concl. 63. n. 4. & seqq.*

23 At vero Siculi nomen naturæ est; significat enim patriam ipsam, & originem proprijssimè demonstrat, vt suprà ex communi etiam sensu, vsuque loquendi, comprobauimus: quarè haud rectè ab vno ad alium casum omnino diuersum argui censendum est *vulg. l. Papinianus ff. de min. l. inter stipulantem §. sacrum: vers. sed hæc dissimilia sunt ff de verb. oblig. cap. Audiẽtiam de decim. alibique*. Inde est, vt priuilegio ciuis vnius ciuitatis possit se alterius item priuilegio ciuem efficere, cum in eius sit potestate priori illi priuilegio renunciare, vt post alios autumat *Menoch. lib. 2 de arbitr. Iud. cen. 6. casu.* 584. & innuit *Gloss. in cap. statutum. §. cum vero. verb. eiusdem ciuitatis, de rescrip. in 6.* At quispiã efficere non potest, quin eius ciuitatis sit ciuis, vbi natus est, vt ex *Bart.* rectè animaduertit *Iacob. Rebuff. in l. origine C. de municip. & origin. lib.* 10. origo enim, vt idem *Rebuff.* ait, quippe à natura, immutabilis censeri debet, vt mox quoque dicetur, atque in simili re ratiocinantur quidam apud *Mierez q. 51 cit. n. 142.*

24 Tertio respondeo, propositam obiectionem nihil prorsus contrà nos vrgere; quandoquidem in re nostra iam initio probauimus, in Alternatiuæ cõcessione expressè poni, aut apertè intelligi repetitam vocem *oriundi*, quarè, etsi vltrò daretur, Siculi appellatione priuilegio quoque Siculos comprehendi; ea tamen voce addita, procul dubio excludendi ij erunt ab Alternatiua: oriũdi enim qualitas, quippe à natura, ab arte, seu à iure suppleri nequaquam potest *arg. §. constituitur, instit. de vsufruc. l. 2. ff. de vsufruc. ear. rer.* nisi imitatione quadam, ac similitudine, quæcunque tandem sint verba, quæ priuilegio apponuntur, vt etiam ex infrà dicendis vlteriùs poterit confirmari. Sanè *Matthiens. in l. 1. tit. 10. gloss. 5. n. 3. lib. 5. recop fol.* 275. expressim autumat, priuilegio effici quem ciuem verum; at originarium, fictè; priuilegium enim, inquit, non tribuit, nec mutat originem, sicuti nec præscriptio, *vt in l. assumptio, eum pluribus alijs ff. ad municip.* vbi clarè probatur, oriundi qualitatem naturalem esse: ità enim loquitur ibi Vlpianus: *Assumptio originis, quæ non est, veritatem naturæ nõ perimit: errore enim veritas originis non amittitur, nec mendacio dicentis, se esse vndè non sit, deponitur, neque recusando quis patriam, ex qua oriundus est, veritatem mutare potest.* idem innuitur a Paulo in *l senatores ff. de Senatoribus: Senatores*, ait, *licet in vrbe domicilium habere videantur; tamen & ibi, vndè oriundi sunt, domicilium habere intelliguntur*. Paulum sequitur *Glos. in cap cum nullus ver. oriudus, de tẽpor. ordin. in 6.* Indè *Menoch. lib. 2 de arb. Iudicum cent. 6. casu* 584. *cit. n. 6.* post alios permultos; quos ipsemet ait, se allegasse in *commentarijs de præsumptionibus lib. 6. præsump. 30. n. 32.* affirmat, absque controuersia ciuem quoque originarium vnius ciuitatis, alterius nequaquam etiam originarium effici posse; cum origo ipsa, inquit, tamquam quid naturale nequeat mutari *l. assumptio, in princ. ff. ad municip.* adde *l. origine C. eodem tit. lib. 10. & Mand. in reg. 16. cancel. q. 41. n. 4.* aliosque apud eumdem.

25 Atque ex hac quidem triplici responsione, hoc §. 3. explicata, obiter quis elicere posset, quid tandem dicẽdum sit de ea percelebri quæstione, diù agitata inter Panormi ciues originarios, & adoptatos; num scilicet solis primis, an vero etiam secundis Pa-

rochiales Ecclesiæ eiusdem vrbis cōferri possint. Cuius sanè quæstionis ansam dedit Pontificium diploma, quod retulit, non minus ingenij lucubrationibus, quam animi pietate insignis *D. Abbas D. Rocchus Pirrus in Notitia Eccl. Panorm. fol. 186. & seqq.* quo quidem Clemens Papa VIII. sanciuit, solis ciuibus eas conferri oportere; cum verò non addiderit, *oriundis*, seu *originarijs*, controuersię aditum fecit; contendentibus proindè adoptatis; sibi omnino relictū ad illas Ecclesias adipiscendas, cum ciuis nomine absolutè prolato, ipsi etiam proprijssimè concludantur: quibus tamen originarij acriter obnituntur, volentes illos non propriè, sed solum fictè ciuis appellatione concludi; proindeque ab illarum Ecclesiarum adeptione penitus excludi. Sed hac de re nos alibi, Deo fauente, fusiùs agemus.

§. IV.

Instantia dissoluitur, agiturque, num priuilegium Naturalitatis, licet verum oriundum non efficiat; saltem prosit ad beneficia consequenda.

SVMMAE.

26 *Aliud est esse oriundum; aliud pro oriundo haberi.*

27 *Aliud est exteros priuilegiarios alternatiua concludi; aliud posse Siciliæ beneficia obtinere.*

28 *Siculi alternatiuæ priuilegium non possunt alijs indulgere.*

29 *Siculi qualitatem, ab alternatiua requisitam, exteris nequeunt impertiri.*

Oriundi qualitas vna sola competere potest.

30 *Species vnius generis non continetur sub alia eiusdem generis.*

31 *Ius ad rem nō potest in alium transferri.*

32 *Cur exteri à beneficijs prouincię arceantur.*

Iuribus in publicam inauctis vtilitatē renunciari non potest.

33 *Priuilegia naturalitatis metu conceduntur.*

Preces potentum sunt minæ, ac metum inducunt.

34 *Actus de re non verisimili præsumitur metu factus.*

35 *In his priuilegijs concedendis non seruatur forma statuti; ac proinde actus est nullus, contrà quam formā, quippe substantialem, nihil valet consuetudo.*

26 SEd instabis, esto priuilegiū adoptionis verum Siculum oriundū efficere nequeat; illud certè præstabit, vt nimirum eo munitus, ad eumdem planè modum, quo ipsi oriundi, sicula beneficia obtinere, alijsq; immunitatibus, ac priuilegijs perfrui possit, proindèq; quoad hæc pro oriundo habeatur: siquidem aliud est esse oriundum, aliud pro oriundo haberi; vti aliud est esse ciuem, aliud pro ciue haberi, vt post alios plures affirmat *Ant. Gama. 1. par. decis. 332. num. 7. Mandos. in reg. 32. cancel. q. 23. nu. 4. Mierez q. 51 sæpè cit. n. 296.* qui *num. 170.* aliud ait, esse exemptum, vel religiosum; aliud verò exemptionis, vel religionis priuilegia obtinere ex *cap. si Papa, & cap. volentes de priuil. in 6. cap. si Religioso de senten. excom. in 6.* alijsque: cęteraque eiuscemodi exempla vide apud *Bart. in l. si maritus 2. §. legis Iuliæ ff. ad l. Iul. de adult.* malè ergo negatur, exterum priuilegiariū Alternatiua concludi quoad effectum consequendorum beneficiorum.

27 Verumenimuero hæc vltima illatio, vt hinc exordiar, minimè subsistere videtur: siquidem etsi gratis omnino daretur aduersarijs, priuilegiariū hunc Sicula beneficia consequi iure posse; non tamen ideo eum Alternatiua comprehendi rectè inferri arbitramur: quandoquidem illud quidem obtineret ex eorumdem Siculorum vo-

voluntate, atque consensu, eidem ius suum veluti cedentium, idest consentientium, vt Siciliæ Rex, si libuerit, possit eum ad Sicula beneficia præsentare, qua vice eisdem oriundis deberentur: quo quidem casu iuri suo ij cedere viderentur, eumque substituere in locũ suum: quarè is beneficia eiusmodi, ea vice peteret iure veluti sibi cesso, non vero Alternatiuę vi, sibi cõpetentis. Indè in huiuscemodi priuilegijs ea verba, vel similia poni solent, si quando ità conceduntur, vt scilicet priuilegiarius ille *perindè*, ac Siculus oriundus beneficia consequi possit: quod idem est, ac si diceretur, ei Siculos indulgere, vt iure, alioqui solis oriundis vi Alternatiuę cõpetẽte, ex eorumdem voluntate, id planè concedẽtium, perfrui queat. Hinc vero satis liquet, non ideo eum Alternatiua concludi. ad eum planè modum, quo, si quispiam alteri iura, ex testamento sibi competentia, cederet, velletque eumdem ijs omnino frui, nequaquam is esset dicendus ea ex testamento, sed potiùs ex cessione obtinere: id quod innumeris propemodum exemplis illustrari posset.

28 Deindè, quod attinet ad assumptũ illud, quod scilicet priuilegiarius is Sicula beneficia cõsequi queat; aio, posse quempiam negare, & non ineptè quidem, Siculis ius esse Alternatiuæ priuilegium exteris impertiendi. Sanè Siculę Prouincię, sicut & cęteris, propria priuilegia alijs communicandi facultas solum indulgetur veluti obliquè, putà cum eidem potestas tribuitur eosdem exteros adoptandi: (id quod tamen in iure expressim prouincijs, sicuti ciuitatibus, indultum reperire minimè potui: affine quid solum *in l. fin. ff. de cens.* inueni) proindeque eam impertiendi qualitatem, quæ Siculorum priuilegiorũ participem facit, putà Sicilianeitatem (liceat verborum inopia eam sic appellare) quam quidem nunc gratis damus, posse priuilegio impertiri, cum id nihil prorsus nobis hoc loci obsit; de quo tamen satis dubitari posset ex his, quæ paulo ante *n.* 21. *&* 23. exposuimus, ex quibus contrarium satis ostẽditur. Quod si fortè nequeant Siculi eiuscemodi adoptione eam inducere qualitatem, quæ necessariò requiritur, vt cuiuspiã priuilegij effectu exteri perfruantur; putandum erit, tunc neutiquam posse Siculum Regnum exteris prodesse, vt ij eo gaudere queant: neque enim aliter, quam obliquè, modo iam exposito, possunt Siculi sua priuilegia alijs impertiri: horum namque recta, seu mauis directa ad alios extensio Siculis, vt cęteris priuilegiarijs, denegatur: siquidem nemo suum priuilegium alij communicat sua dumtaxat voluntate: indè vnius Religionis priuilegia Summus ipse Pontifex, nõ priuilegiaria Religio, absque huius detrimento ad aliam extendit. certè, si id Siculis esset indultum, ijsdem necessè non esset exteros adoptãdi, vt eorum priuilegijs fruerentur; verum ad eos illa possent extendere absque eo, quod in adoptionem eosdem reciperent.

29 Atqui tale Alternatiuæ priuilegiũ censendum est, vt qualitatem ab eo requisitam Siculum Regnum conferre non possit: etenim, vt eo quispiam perfrui queat, necessariũ omnino est, vt is Siculus sit oriundus, vt hùcusque satis ostensum fuit: at vero hæc oriundeitas (neque hæc amabo vox, ad rẽ aptiùs exponẽdam apposita, cuiuspiã aures offendat) qualitas est naturæ ipsa conueniens, ità vt eius essentia, seu quidditas, vt Philosophi loquuntur, sit esse in Sicilia ortum, vel indè originem trahere, vt initio expositum est; qui ergo inibi natus non est, vel indè originem minimè trahit; quo sanè modo eam habere qualitatẽ verè dici poterit? ciuem originarium vnius ciuitatis, alterius nequaquam etiã originarium effici posse, diximus *suprà n.* 24. ex plnribus, quos recenset, sectaturque *Menoch.* eodemque pacto cẽsendum erit vnius prouinciæ oriũdũ, alte-

alterius nō posse quoq; fieri oriūdum, cum origo ipsa, quippe naturalis, immutabilis censeri debeat, *l. assumptio, alijsque suprà citatis.* quin pęnis affici eum, qui, ementita patria, alterius se ciuem ciuitatis facit, postmodum dicemus. oriundeitas igitur eius existimatur naturæ, vt nonnisi vna, eademque naturalis cuique competere queat, neque priuilegio poterit alia impertiri.

30 Id quod vlteriùs confirmatur, quia vna species generis cuiuspiam, nequaquam sub alia eiusdem continetur: seu indiuidua, q̃ vna spe cōcludūtur, non obtinēt naturā specificam aliorū, quæ alia specie coercentur: differentia namque vnius alteri nequaquam poterit conuenire, vt mult is comprobatur exemplis: atqui Sicilianeitas genus quoddam est, plures sub se species continens; sicuti & ciuilitas ab omnibus censetur *in l. ciues C. de incolis lib.* 10. atq; alibi passim: eas inter præcipuę sunt, quæ origine, quæque priuilegio tribuitur; quarum vna sub alia minimè cōtinetur; atque alterius formalis ratio, vt philosophicè loquamur, alteri cōpetere nequaquam potest. quare Sicilianeitas priuilegio tributa eam conferre nequit, quæ origine competit; proindè qui Siculus est priuilegiatius, oriundus nullo penitus modo dici poterit.

31 Non ineptè fortassis hìc adderet quispiam, omnino inualidè à Siculis ius illud beneficiorum consequendorum externis concedi: quandoquidē illud ad summum esse ius ad rem censendum erit; hoc autem haud eius esse potentiæ, vt possit in alium transferri, post alios monet *Flam. Paris. lib. 2. de resig. benef. q. 32. n. 4.* quidquid de cere ro fit, quod Siculi illud à se minimè abdicant: ipsa enim præcisa translatio impossibilis existimatur: quin difficilius videtur esse, idem ius retentum ad alios extendi.

32 Sed neque id omittendum putauerim, huiusmodi iura, vt nimirum exteri alienæ prouinciæ, Regnìue beneficia consequi nequeant, indulta censeri maximè ob publicum prouinciarum bonum, nè scilicet exteri ijs bonis, quæ sunt oriundorum, perfruantur: ne earumdem secreta pandant: nè pecuniam ex ijsdē extrahant, &, quod præcipuum puto, nè beneficia defectu assiduitatis, seu residentiæ Prælarorū, paulatim labantur, vt *cons. 1. n. 3.* perpensum fuit. quarè non solum in oriūdorum publicam vtilitatem, verum etiam in exterorum odium ea iura sunt introducta. at vero ijs, quæ huiusmodi sunt, iuribus renunciare, aut derogare, prohibentur ij, quibus eadem conueniunt, vt placuit *glos. alijsq; in cap. si diligenti ver. pacto priuatorū de foro competente, & Mandos. in reg. 34. Cancel. q. 6. nu. 9.* Quamobrē *Mierez 1. par. de maiorat. q. 51. nu. 315. & seq.* postquam asseruit, posse Hispaniarum Regem eiusmodi priuilegiarijs, atque adoptatis, sicuti oriundis Hispanis ciuitatem, villam, aliudue simile donare; huncque esse posse intelle-*ctū l. 10. tit. 9. lib. 6. ordinā.* id quoad externos prohibentis: *sed hic,* subdit, *intellectus ad dictam l. periculosus videtur, quia dicta lex fuit facta propter bonum publicum Regni, & nè exteri fruātur bonis, quæ propria sunt naturalium Regni, & nè secreta Regni pandant, & paulatim fiant domini bonorum Regni, & propter alios bonos fines: vndè non licet astutis interpretationibus legum mentem fraudare l. non dubium C. de legibus, l. contrà legem ff. eodem tit. & hæc priuilegia naturalitatis sunt odiosa,* & cætera, quæ subdit. *Rebuff. quoque in tract. nominat. q. 22. & 23. num. 15.* loquens de hisce adoptionis priuilegijs: *adhuc tamen, inquit, esset cogitandum, quia hæc priuilegia (putà nè in exteros Galliæ Beneficia conferantur) sunt introducta pro oriundis Regni. ergo alijs nō proderūt, videlicet exteris:* adde adoptatis.

33 Denique hoc loco duo addebant nonnulli: primum quidem verè nunquam

quam prorsus Siculos velle exteros adoptare; sed ad id metu semper, nedum sæpissimè cogi. colligunt id ex *cap. 166. Caroli V.* vbi id apertè indicatur. Certè, inquiunt, potentum preces sunt minę, proindeque metum inducunt, vt ait *Paris. cons. 5. nu. 162. tom. 4. Alex. cons. 124. n. 4. lib. 1. Bald. in l. si mandator C. quod cum eo, Gloss. in l. 1. verb. quemadmodum ff. quod iussu. alijque.*

Est rogare ducum species violenta iubendi.

Rectè Ausonius

Scribere me Augustus iubet, & mea carmina poscit.
Penè rogans: blando vis latet imperio.

Velle enim non creditur, qui obsequitur imperio patris, vel domini, inquit *l. velle ff. de Reg. Iur.* Hinc benè *Corn. Tacit. lib. 14. Annal.* mercedem ab eo, qui iubere potest, vim necessitatis afferre cognoscit. Lepidè, vt assolet *Martialis lib. 2.*

Quid si me tonsor, cum stricta nouacula supra est,
Tunc libertatem diuitiasque roget?
Promittam, nec enim rogat illo tempore tonsor.
Latro rogat, res est imperiosa timor.

Neque enim sunt preces, vbi negandi libertas non est, inquit, *Quintilian. declam. 181.* quique superioris imperio obsequitur, paret potiùs, quàm assentitur, aiebat *Seneca epist. 97. lib. 16.* id quod & sapientibus sæpè accidit: vndè ait *Ennius apud Tullium lib. 3. de orat.*

Pauor sapientiam mihi omnem ex animo expectorat.

34 Horum opinionem corroborat non parum inverisimilitudo: quis enim censeat, aiunt, Siculos voluntariè, liberè, ac spontè eiusmodi naturalitatis priuilegia exteris impertiri, quæ originarijs maximum afferunt detrimentũ? vt in simili casu arguit *Clemens VII. in cap. super hoc, de renunciat.* præsumitur verò metu factum, quod de re non verisimili gestum est, vt volunt. *Bald. alijq; apud Mascard. concl. 1055. n. 41.* præsertim quando ex hoc exurgeret ingens damnum, fieretque inter personas, quas inter reuerentia præsumitur *l. si superstite C. de dolo. vide Mascard. n. 15. 28. & 29. Menoch. lib. 2. de Arbitr. Iud. casu 136. à n. 6. Ruin. cons. 170. nu. 17. lib. 1. aliosque apud ipsos.*

35 Alterum, quod addebant, ad formam pertinet, quæ in *cap. 166. cit.* in illis concedendis priuilegijs obseruanda statuitur: quæ quidem & forma est, & substantialis *ad trad. per Mandos. in Reg. 24. q. 3. n. 8. & 9. & in Reg. 27. q. 24. n. 14. & 15. Deci. cons. 228. num. 5.* cum præsertim nullitas aduersus non obseruãtiam inducatur: *Deci. cons. 10. n. 2. Mandos. d. q. 24. n. 15.* Hanc vero formam non seruari asserebant; proindeque eiuscemodi concessiones inanes esse, nulliusque momenti, *ex ijsdẽ Dec. cons. 228. & Mandos. loc. cit.* nihil penitus refragante contrario vsu, cum contrà formam substantialem existat: *Gloss. in cap. 2. verb. officiali, de consuetud. in 6.* vbi enim non consistit substantia, neque actus subsistere potest *vulg. l. cum precario ff. de Precar. l. 2. ff. de vsufr. ear. rer. Dec. cõs. 279. n. 6.* certè huius formæ in priuilegijs specialis derogatio fieri deberet, *ex Mandos. in reg. 26. q. 2. à n. 4. Deci. loco cit.* Quæ quidem omnia locum obtinent, si illud statutum vim habeat ex Siculorũ voluntate, hoc ius sibi constituentiũ, *iuxtà l. omnes populi ff. de iust. & iure, & §. ius ciuile, instit. eod. tit.* Quod si valeat ex Regis auctoritate, illud confirmantis; tunc contrariam consuetudinem nullum prorsus robur obtinere, ostendemus *infrà §. 7.* Atque ex his inferebant, huiusmodi naturalitatis priuilegia nihil penitus exteris suffragari.

§. V.

§. V.

Secunda obiectio soluitur, atque explicatur duo iuris axiomata, idest, paria sunt, qualitatem natura, vel priuilegio inesse: &, fictio, à lege inducta, idem operatur, quod ipsa natura.

SVMMAE.

36 *Qualitatem natura, vel priuilegio inesse, paria sūt: id quod explicatur num. 37. 38. 39. 40.*

37 *Naturali iure omnes homines liberi sūt, & seruitutes iure gentium sunt inuectæ.*

38 *Nobilitatis priuilegium verum nobilem non efficit.*

39 *Bartoli eximia doctrina de lege fingente.*

40 *Libertus, iure annulorū aureorum munitus, à tutela patroni, eiusque filiorum non excusatur.*

Ab eius hæreditate patronus non excluditur: neque ille hunc potest in ius absque venia vocare: torqueturque pro domini nece.

41 *Fictio à lege inducta idem operatur, quod ipsa natura.*

42 *Explicatur, & n. seqq.*

36 SEd obijcies iterum, quia paria sunt qualitatem natura ipsa, vel priuilegio inesse *l. cum ex oratione ff. de excus. tut. alijsque probat Mand. in reg. 3. cancel. q. 18. n. 7.* quæ deindè repetit in *reg 16. q. 23. nu. 10. & q. 45. atque alibi, Mierez q. 51. cit. à n. 62.* eodem igitur iure natura, vel priuilegio Siculi quoad omnia censeri debent.

37 Respondeo tamen, propositionem hanc, quæ contrà nostram assumitur, ità videri intelligendam, vt tunc sibi locum vendicet, quando æquè à natura, atque à priuilegio ea qualitas tribui potest: quod euenire censendum est, quo tempore eiusdem qualitatis priuatio nequaquam inducta fuit ab ipsa natura in eo, cui postea à priuilegio eadem qualitas tribuitur; quin natura ipsa inest, sed à iure aliquo fit, aut, si rectiùs loqui velimus, fingitur, vt quoad effectus aliquos minimè cessatur inesse; tunc enim nihil omnino prohibet, quo minus Princeps efficere possit, vt ea quasi excitetur, quæ veluti consopita manebat. Atque hic allatæ propositionis intellectus apertè colligi videtur ex ipsamet lege, ex qua eadem deprompta est; ibi enim statuitur, ingenuum, ac libertum, iure annulorum aureorum munitum, excusare æquè se posse à tutela, curanè liberti; proindeque ingenuitatis qualitatem pari prorsus modo vtrique prodesse; cum tamen liberto ea solum priuilegio, ingenuo ipsamet natura inhæreat: sed, vt patet, hæc, quæ priuilegio liberto tribuitur ingenuitas, iā ipsi naturali iure competebat, quo sanè omnes prorsus homines liberi sūt, iureque gentium seruitutes, eidem naturali iuri contrariæ, sint inuectæ *§. Ius gentium, instit. de iure natur. gētium, & ciuili.* Vndè rectè *Glos. in l. 1. C. de iur. ann. aur. verb. natales antiquos*, id est, inquit, in quibus omnes homines nati sunt liberi, & ingenui; citatque *§. Ius gentium, alleg.* Ac proindè liberti, quibus antiquorum nataliū restitutio conceditur, hisce natalibus, in quibus initio omnes homines fuerunt, *l. 2. ff de natal. restit.* restituti dicuntur, quasi in pristino statu, iure naturali sibi competente, iterum statuuntur.

38 Atque hic idem intellectus satis comprobatur ex ijs, quæ superiùs exposuimus, præcipuè de adoptiuo filio, qui maximè discrepat à naturali; neq; in ijs paria sunt qualitatem natura, ac priuilegio inesse propter eādem, quā attulimus rationē, putà quia filiationis priuatio in adoptiuo à natura censetur

ſetur inducta, ſolumque fictione quadam, & non verè à priuilegio tribuitur, quod idem euenit ſecundum *Otalor. de nobilit. par. 3. cap. 6. nu. 4. & Io. Garſ. de nobil. gloſ. 1. §. 1. n. 5.* in nobilitatis priuilegio, quod, licet exemptũ, non tamen verum nobilem facit: quãobrem Sigiſmundus Imperator ignobili homini, vt nobilis iuberetur, efflagitanti: *faciliimè*, reſpondit, *poſſem te diuitem efficere; nobilem haud poſſum*: atque in alijs eiuſcemodi exemplis animaduertere licet. Doctores quoq; qui à *Mandoſ.* ad hanc eamdem propoſitionem comprobandam afferuntur, loqui in caſibus, in quibus qualitatis priuatio à iure aliquo fuit inducta, vt expoſitum eſt, apertè cuilibet patebit, qui illorum doctrinam attentè perpendat.

39 Id quod vlteriùs confirmari poſſet ex doctrina *Bart. in l. ſi is, qui pro emptore ff. de vſucap.* alibique, quã ſequũtur plures alij apud *Mierez 1. parte de maiorat. q. 5. 1. n. 70.* docet ſanè Bartolus, quod vbi aliquid à lege eiuſuè poteſtate dependet, lex ipſa fingendo, vel verbis fictionem denotãtibus vtẽdo, id verè efficit, & nequaquam fictè. vbi ergo id ab ea non dependet, illud præſtare minimè poterit: atq; id euenit in caſu, de quo diſputamus. ſimile quidpiam docet *Bart. in l. ſi maritus §. legis Iulię ff. ad l. Iuli. de adult.*

40 Addo, non videri rectè ex ea lege propoſitionem illam ità vniuerſalem inferri: quandoquidem in ipſius quoque legis exemplo plurima licet animaduertere diſcrimina; quamqis de reliquo in eo peculiari caſu à Principe ij æquiparentur: ſiquidem primùm, libertus, iure annulorũ aureorũ munitus, à tutela patroni, eiuſque filiorũ minimè excuſatur *l. libertum, §. ſed et ſi ius ff. de excuſ. tutorum, notatque gloſ. in eadem l. cũ ex oratione, verb. reſcripſit.* Deindè ab eius hæreditate patronus non excluditur, *l. qui ius, & Gloſ. fin. ff. de iur. aur. ann.* neque poteſt patronũ in ius abſque venia vocare, *l. ſed & ſi §. patronum ff. de in ius vocando*: torqueturque pro domini cæde, *l. idemq; ff. ad syl.* aliaſque refert differentias *cit. Gloſ. fin.* quæ tradit quoque ea in quibus, vt ingenuus æſtimatur.

41 Inſtabis tamen, quia fictio à lege inducta idem omnino operatur, quod ipſa natura, vt ex *l. filio quem pater, ibique not. ff. de lib. & poſth. l. vnica in prin. ibique etiam not. C. de rei vxor. actione, cap. ferrũ cũ gloſ. fin. diſtin. 50. Bart. in l. ſi is, qui pro emptore cit. ff. de vſucap.* alijſque oſtendit *Mand. in reg. 32. Cancel. q. 6. n. 2. Rebuf. in prax. beneſ. in reg. de infir. Gloſ. 14. n. 10. & 11.* alijque. in præſenti igitur caſu idem operabitur in Siculo ex priuilegio ficta illa naturalitas, quod in vero, atque oriundo Siculo eadem vera naturalitas intelligitur operari.

42 Verum hæc quoque propoſitio in idem ferè recidit, quod ſuperior: quarè & illi allata reſponſio congruè aptari poteſt: ac præcipuè animaduerte, quod in *ead. leg. ſi is, qui pro emptore* docet idem *Bart.* quod retulimus *nu. 36.* & quæ *§. ſeq.* dicemus.

§. VI.

Siculus oriundus in beneficijs conſequendis extero priuilegiario ſaltem præferendus erit.

SVMMAE.

43 *Fictio veritati cedit, quando ambæ concurrunt circa idem ſubiectum.*

Veritatis cultu nihil eſt honorabilius.

Ariſtotelis monitum de veritate.

44 *Qualitas naturalis præualet accidẽtali.*

Nobilitas ex natura nobilitati ex accidenti præfertur.

Priuilegium, iuri communi conueniens, alteri præfertur.

Præſentatus iure communi habilis ei præfertur, qui diſpenſatione talis eſt.

Si eſſet locus gratificationi, oriundis eſſet gratificandum.

F 45 Fi-

45 *Filius naturalis in legitimorum præiudicium non legitimatur.*

Aequitas plurimum in iure spectanda.

46 *Originis locus alijs præfertur in muneribus deferendis.*

Ciues originarij alijs præferendi in rep. administranda, etsi nouus ciuis dignior esset originario.

47 *Caussa necessaria voluntariæ præfertur.*

Ciuis, qui patria emētita, alterius se ciuem facit ciuitatis, pęnis afficitur.

Crotoniatæ grauiter ob id ipsum in Astylum animaduertere.

48 *Filius adoptatus, vt in feudo succedat, fęminas, quæ ex pacto possunt succedere, non excludit.*

43 SEd vlteriùs aio, hanc ipsam propositionem ità saltē esse intelligendam, vt solum locum obtineat, quo tempore fictio, & veritas nequaquam circa rem eamdem, idēque subiectum concurrere cernuntur: si .n. ita cōcurrāt, fictio veritati cedere debet *l. in rebus C. de iure dotium, idem Bart. in l. 1. §. hoc autem senatus ff. ad Syll. Cassadorus tit. de conc. pręb. decis. 6. n. 1. & 2.* idque satis debetur veritati, cuius cultu nihil est honorabilius, ait *Mantica lib. 11. de coniect. vlt. vol. tit. 12. n. 37. ex l. cum ita legatum ff. de cond. & demon.* vbi refert *Aristotelem 1. Eth.* dicentem, duobus existentibus amicis, Platone, & veritate, sanctum esse præhonorare veritatem: quod idē tribuit *Mant. Baldo, alijsque.* Hic allatæ contrà nos propositionis intellectus apertè infertur ex ipsamet *lege filio quem pater*, ex qua precipuè ea elicitur, hæc enim lex ab omnibus ferè, ac præsertim ab eodemmet *Bart.* ità in epitomē redigitur: *Quādo veritas, & fictio tendunt ad vnum finem, veritas præualet fictioni.* Eamdem sanè interpretationē amplectitur *Gomesius, seu mauis Sarnēsis in reg. de infir. q. 30. post num. 3. ver. dictum igitur Bart. & Mand. loco suprà cit.* eaque propositionibus quoque in superioribus obiectionibus, contrà nos adductis, aptari non ineptè poterit. Quibus profectō satis ostenditur, ni fallor, Siculum oriundum ei, qui priuilegio est Siculus, saltem præferendum, quo tempore vterque ad idem beneficium concurrit: quod certè Siculis oriundis peroptandum esset.

44 Idque vlterius confirmatur, quia certum est, atque ab omnibus receptum, naturalem qualitatem accidentali omnino præualere, præponique, atque illam potiùs, quam hanc, esse attendendam *l. qui habent, ibique Doctores ff. de tutelis, not. atque etiam Iacob. Rebuf. in l. filios C. de municip. & orig. lib. 10.* hinc nobilitatem ex natura nobilitati ex accidenti pręferendā, dixit *Iacob. Portius cons. 167. n. 98. vt refert Mierez de maiorat. 1. part. q. 5. c. cit. n. 95.* qui *n. 168. post Alciat.* aliosque ait, sāguinis qualitatem, tamquā naturalem, hæreditati esse præferendam. Inter paria quoque habētes priuilegia præferri eum, qui priuilegium obtinet iuri communi conueniens, aut certè iuris regulis magis consonum, ostendit *Couar. pract. quest. cap. 9. n. 4. ver. 6.* idem probatur ex *Bald. in l. si quis in graui §. vltimo, & in l. sequenti ff. ad Syll. Deci. in cap. in præsentia nu. 51. de probat.* alijsque. Quamuis ergo daretur omnino gratis, quod vterque frueretur Alternatiuæ priuilegio; cum tamen hoc respectu oriundi Siculi sit iuri communi, eiusque regulis maximè conueniens; respectu autem priuilegio Siculi communi iuri sit, maximè difforme, vt infrà *cons. 3. à n. 84.* ostēditur copiosè; consequens prorsus est, vt ille huic præferatur, cui congruit doctrina *Decij cons. 609. n. 11.* quam egregiā vocat *Mierez loco cit. n. 141.* vult sanè *Decius* ex duobus præsentatis eum præferri, qui communi iure est habilis, illi, qui dispensatione, ac priuilegio habilis existit, idque probat ex *l. eius militis §. militia missus ff. de test. milit.*

45 Quod si quoque gratificationi locus esset, nihilominus Siculo oriundo neces-

necessariò foret gratificandum; quippe qui innititur veritati, vt in simili casu rectè concludit *Cassad. loco paulo ante cit. allegatque cap. veritate, ibique not. dist.* 8. nimis enim improprium, ac irrationale videtur, vt ij, qui fictè, impropriéque sunt Siculi, ad beneficia Siculis debita admittantur, ijs prorsus exclusis, qui verè, ac natura ipsa tales existunt, vt rectè *Mol. lib. 3. de primog. cap. 3. n. 4.* arguit in legitimato, cui similem esse priuilegio Siculũ diximus *suprà n. 12. ex Bald.* Naturalis quoque filius nequaquã in legitimorum præiudicium legitimari potest, vt apertis sanè iuribus post alios ostendit *Mol. lib. 3. cit. cap. 2. n. 1. & 2.* ipsaque naturalis ratio, atque æquitas, (quam in omnibus quidem, maximè tamen in iure spectandam monuit *Paulus in l. in omnibus ff. de reg. Iur.* quod luculenter more suo comprobat *Faber*) dictare videtur, vt oriundi Siculi priuilegio Siculis præponãtur; sicuti idem præcipit in adoptiuis filijs respectu naturalium; atque in legitimatis respectu legitimorum, vt suprà fusiùs expositũ fuit. Vndè ex illo *Gen. 21. & ad Galat. 4. non erit hæres filius ancillæ cum filio liberæ*, eliciunt nonnulli, ex diuino iure aliquatenus oriri, quod illegitimus cum legitimo succedere non possit. Ità dixit *Bart. in l. 3. n. 7 ff. de testam. quẽ Bald. atque Ang.* ibi sequi, aliosque idem profiteri affirmat *Mol. loco cit.*

46 Illud hoc loco omittendum non existimo, quod animaduertit *Glos. fin. in l. 1. C. de municip. & origina. lib. 10. & in l. ciues ver. allectio post medium, & Iacob. Rebuff. ibidem n. 9. C. de incol. eodem lib. alijsque, ex aperto tex. in l. libertus §. præscriptio ff. ad municipales*, putà si ciuis origine vnius, alterius vero ciuitatis priuilegio, alioue modo, ad vtriusque munera simul vocetur, omnino originis locum præferri, illiusque caussam esse potiorem: cui quidem doctrinę congruentes textus affert *Glos. verbo potior est, eadem l. libertus.* Ciues quoque deligendos ad Rē-publicam administrandam, atque originarios alijs anteferẽdos, post *Luc. de Pen. Alciat. aliosque affirmat Menoch. in comm. de præsump. lib. 5. præsump. 12. n. 2. & Mierez de maiorat. 1. par. q. 51. n. 292.* id quod verum est quoque, etiam si ciuis nouus dignior esset originario, vt animaduertunt ijdem Doctores, alijque: cur ergo originis caussa potior quoque non dicatur in casu, de quo disputamus? Si originarius ciuitati plus obligatur, quam priuilegio ciuis; cur non item ciuitas eidem magis, quam alteri obstringatur? vt in simili benè arguit *Mand. in reg. 16. q. 41. n. 3. & 4.*

47 Ad hæc. Caussam necessariam voluntariæ præferendam, autumat idem *Rebuff. in fin. citatæ legis, ex l. quo balneum ff. qui potior. in ping. hab. alijsque:* ità vero necessaria obligatione originarius propriæ obstringitur ciuitati, vt nullo prorsus pacto alterius quoque ciuis fieri possit originarius, vt suprà etiam diximus, præcipuè ex *l. assumptio ff. ad municip.* imo pęnis afficitur is, qui, patria ementita, alterius se ciuem facit ciuitatis. sanè Constantinus *in l. fin. C. de municip. & orig. lib. 10.* eum vtriusque onera ciuitatis sustinere sãciuit. Olim, vt ex *Pausania lib. 6. refert Menoch. lib. 2. de arbitr. Iud. cent. 6 casu 584. n. 6.* grauiùs animaduersum à Crotoniatis in Astylũ origine Crotoniatam, qui cursor tribus Olympicis continuis vicit Stadio, Diaulo, & Dolicho: quòd enim is in vltimo, se Hieronis magistrum, ac Syracusanũ, à præcone declarari fecerit; Crotoniatæ irati, eius statuam infamiæ caussa fregerunt, bonaque insuper publicauere. At priuilegio ciuis, vt suprà quoque dictum fuit, ità caussam habet voluntariam, vt eiusmodi priuilegio omnino possit renunciare, alteriusque se ciuem facere ciuitatis, vt idem *Menoch. n. 13.* affirmat.

48 Neque sanè, quoad hoc, de quo nunc agimus, hisce exteris in Siculorum numerum priuilegio ascitis quid-

quam suffragatur, quod fortassis ità ea fit adoptio, vt ipsis omnino beneficiorum consequutio indulgeatur: non enim ideo ij Siculis oriundis erũt anteponendi: id quod satis firmatur doctrina *And. Iserni*. *Card. Alex. in §. adoptiuus. si de feud. fue. conten. inter Dom. & Agn. vassal.* quam amplectẽs *Tiraq. in l. si vnquam vers. susceperit liberos n. 12. C. de reuocãd. donat.* Baldũ asserentem in feudum succedere adoptatum, quando adoptio facta ità fuit à Principe, vt in ipsum adoptatus succederet, ità intelligit, vt, si sint filiæ, quæ ex pacto possũt succedere in feudo, nec iste quidem ità adoptatus eas excludat; quin potius ab ijs excludetur: & quamquam etiam cũ filio succedat in feudum, hoc intelligitur, deficientibus masculis, non aliàs, vt vult idem *Tiraq. per cap. 1. § filia, de successione feud.* id quod in re nostra haud incongruè dici posset.

§. VII.

Vltima obiectio, ex contrario vsu eruta, dissoluitur.

S V M M AE.

49 *OBiectio ex contrario vsu.*

50 *Consuetudo contrà Regni capitula non valet: neque illis cõtrarijs actibus derogatur.*

51 *Consuetudo interpretatiua magnam vim habet.*

52 *Interpretatio non est necessaria, vbi res est clara.*

Mala consuetudo vim non habet.

49 DEnique objicies, quia iã vsus obtinuit, vt priuilegio Siculi Sicilia beneficia passim obtineant, qua vice in Siculos sunt conferenda, vt exemplis satis ostenditur: videtur igitur Alternatiuæ contrario vsu quoad hoc derogatum.

50 Hanc equidem obiectionem *cons. 3 n....* diluo, indeque hùc est transferenda solutio: quæ in eo maximè innititur, nimirum, quod consuetudo contrà Regni capitula inducta, nullius est roboris, ac momenti: sed ea semper sunt in viridi obseruantia, etiã si millies, aut pluries aduersus ea fuerit iudicatum, vt nec actu contrario illis derogatũ intelligatur, vt expressim statuitur in quampluribus eiusdẽ Regni capitulis, à nobis relatis *cons. 1. n. 12. & d. cons. 3. n....* Ex quo proximè censendum est sequi, eamdem irritam omnino esse, atque inanem, quippequæ est inducta contrà constitutiones habentes derogatoriam ad futuram consuetudinem contrariam, & absque Siculorum cõsensu prorsus necessario, quippe de eorumdem maximo præiudicio agitur; qui sępè à Regibus enixè postularunt, vt beneficia Siculis tantum oriundis concederentur, vt ex ipsiusmet Regni capitulis satis constat: aut saltem supponenda est ex eorumdem Siculorum errore inducta: proindeque inualida, atque extirpanda: procul enim dubio, si oriundi Siculi sciuissent, priuilegio Siculos beneficia, de quibus loquimur, iuxtà alternatiuam consequi nequaquam potuisse, id vtique numquam consensissent, vt ex se manifestum est. Eodemque modo quis non videt naturali aduersari æquitati, quod veris Siculis ficti præponantur? vt suprà quoque expositum est. ad quorum quidem omnium comprobationem videnda omnino erunt ea, quæ inferiùs loco citato à nobis afferuntur.

51 Sed dices hanc, quæ objicitur cõsuetudo, malè à nobis capitulorum derogatoriam nuncupari: ea enim potiùs eorumdem interpretatiua cẽsenda foret: cui quidem quãta vis insit, passim Doctores edocent, præsertim in *l. si de interpretatione ff. de legibus, & cap. cum dilectus, de consuetud.* vtrobique enim ea optima legum interpres appellatur.

52 Respondeo tamen, id verè dici de ea, quæ eorum, quorum interest, cõsensu, scientiaque inuecta, rationalis,

lis, iusta, naturalique æquitati nequaquam cõtraria appatet, vt passim Doctores animaduertunt: quæ quidẽ obiectæ consuetudini minimè conueniunt, vt ex dictis, dicendisque loco cit. liquido constat. Deindè eadem cõsuetudo iuris communis dispositioni omnino aduersatur, vt infrà *cons. seq. n.* 84. fiet manifestũ. Rursus huius capituli intellectus, quod scilicet exteri priuilegio Siculi ab eo excludantur, videtur satis clarus, apertusque, vt suprà ostensum fuit: quarè nulla est necessaria interpretatio vulg. *l. ille, aut ille ff. de legatis* 3. *not atq Guido Papa sing.* 308. *& Aloif. de Alber. sing.* 13. *Abbas in eodem cap. cum dilectus nu.* 7. *ibi, quod lege existente dubia, de consuetud. ibique Add.* vnde potius hæc consuetudo destructiua, quam illius capituli interpretatiua censenda esset; rectiùsque legis transgressio diceretur, proindèque nullius roboris, ac valoris: *Bald. in Auth. omnes peregrini C. comm. de success. in* 1. *col. vers. not. quod omnis.* malè quidem adinuenta, malæque consuetudines, neque ex longo tempore, neque ex longa consuetudine confirmantur, inquit *Iustinianus in Auth. vt nulli Iudicum, paulo post initium, vbi gloss. ver. malè* congruentes rei textus affect. Illud certè rationi cõtrarium satis censendum est, Siculos priuilegio, oriundis omnino præponi, quique verè sunt filij, adoptiuis postponantur, vt suprà fusiùs explicatum fuit. Denique certum prorsus est, Regni capitula statuere, vt eadem in ipsius Regni fauorem intetpretentur: vsum quoque, ac consuetudinem aduersus ea nullius esse roboris, ac momenti, vt sæpè monuimus, infràque repetemus: obiecta igitur consuetudo irrita omnino erit, inanisque, quippe quæ Regni capitula in ipsius detrimẽtum interpretatur: quarè eadem capituli vsum, ità illa exponentem, nedum illis derogantem, omnino damnare, atque nullum reddere censenda erunt.

S. VIII.

Ortus, in Siculis beneficijs consequendis, oriundo ex paterna natiuitate præferri debet.

SVMMAE.

53 *Corollarium ex dictis.*
Rex Philippus IV. extero priuilegiario prætulit oriundum.
54 *Oriundus, id est ortus, præferendus oriundo, id est originem trahenti, in beneficijs consequendis.*
Ciuitas originis alteri præfertur in muneribus deferendis.
Obligatio ex propria persona potior est, quam ex aliena.
55 *Patria omnium parens.*
Caussa proxima, & ĩmediata potior est.

53 EX dictis hùcusque satis efficaciter, ni fallor, videtur concludi, Alternatiuam solis oriundis Siculis iure ipso competere, nulloque pacto exteris, adoptionis, seu Naturalitatis priuilegio munitis, quęcunque tandem sint verba, quæ eiusce modi priuilegijs apponuntur: Aut saltem, quod in præsenti casu satis omnino Siculis foret, vtrisque simul circa idem beneficium cõcurrentibus, oriundos cæteris esse præferendos, quod superiùs satis ostensum est, vlteriusque ijs poterit roborari, quæ sequenti cõs. à n. 84. adducemus. Licet vero id Regnum in Comitijs prædicti anni 1624. id à Rege expressè non postulauerit: oblata tamen occasione vacationis Messanensis Archimandritatus, cum illum enixè peteret vir non minus nobilitate, quam pietate conspicuus, ac ipsiusmet Regis obsequijs tunc temporis addictus; sed exterus, priuilegio tamen Siculus (de quo quidẽ priuilegio alibi sermo iterum redibit) Rex optimus, de hoc Siculorum iure doctus, illi prætulit Illustrissimum D. D. Didacum de Reque-

quesens, Siculum oriundum, paris nobilitatis, ac pietatis virum, tunc etiam regijs obsequijs mancipatum.

54 Sed opportunè hìc quæret quispiã, si ad idem beneficium duo Siculi concurrant, ambo quidem oriundi; sed alter propria tantum natiuitate; alter verò solum paterna: quęret, inquã, vter præferendus? Equidem putarem eum, qui propria solum origine Siculus est, ei, qui tantum paterna, præferendum. Moueor ad id asserendum, quia si quis duarum ciuis sit origine ciuitatum, putà vnius propria, alterius paterna, voceturque simul ad munera vtriusque; proprię originis ciuitas præfertur ei, in qua pater ortus est; quia nimirum potior est obligatio, qua quis ex propria obstringitur persona, quam ea, qua alterius nomine obligatur *l. & magis ff. de solution. alijsque probat Iacob. Rebuff. in l. ciues nu. 9. C. de Incol. lib.* 10. originis ergo propriæ caussa potior est, ac fortior, quam paternæ: quare in consequendis quoque beneficijs eiuscemodi censeri debet.

55 Illud hìc quispiam adderet, fortassis non ineptè, Patriam, parentesque à iure æquiparari, vt *in l. veluti ff. de Iust. & Iure l.* Postliminium *§. filius ff. de capt. & postlim. reuers. alijsque apud Mandos. in reg.* 16. *Cancell. q.* 41. *nu.* 3. 4. Patriamque nostram, omnium parentem, adhibita *Ciceronis de orat.* auctoritate, rectè appellauit *Menoch. in com. de præsump. lib.* 5. *præsump.* 12. *n.* 2. *alijque passim*. Atqui parentes plus filijs, quam nepotibus obstringũtur: vtrisque sanè concurrentibus, quis ambigat filijs potius prouidẽdũ? quin imo minimè desunt parentum exempla, quos non piguit suæ vitæ iactura filiorum vitam redimere, quorũ aliqua retulit *Tiraq. in l. si vnquam in princ. n.* 8. *C. de reuo. donat. alijque apud eudem*: nescio sanè an quispiam interimendos omnino nepotes, vicaria morte se se obtulerit seruaturum. Sed, qui in Sicilia nati sunt, filijs; qui autem paterna tantum origine sunt Siculi, nepotibus non incongruè comparari queunt: ipsa etenim Sicilia primos veluti parit; secundos verò nequaquam, sed eorumdem solum parentes aliquando parturijt: igitur illis potius, quam his prouidendum erit. vndè rectè *Mandos. in cit. reg.* 16. *q.* 40. *n.* 4. affirmat, eam, quatenus in beneficiorum assecutione, de qua ibi loquitur, oriundum non oriundo statuit præferendum, fortiùs procedere in orto tantum, quam in oriundo solum; caussa enim, inquit, proxima, & immediata potior est, ac fauorabilior *l. qui hæredi in princ. ff. de cond. & demonstr.*

§. IX.

Resoluitur quæstio incidens, num scilicet in Seminario Clericorum ex decreto *Conc. Trid. sess.* 23. *cap.* 18. *de Reform.* solum pueri originarij ciuitatis, & diœcesis: an etiam ciues per priuilegium admittendi sint.

SVMMAE.

56 Originarij solum sunt admittendi.

57 *Vox*, Panormitanus *v. g. significat patriam ipsam, & originem demonstrat: & illi dicuntur de aliquo loco, qui ratione originis sunt de illo. Vox*, ipsius, *in d. cap. Trid. significat quid immediatum.*

58 *Verbum Substantiuum*, sum, es, est, *denotat veritatem.*

59 *Explicatur* Gloss. in cap. statutum §. cũ vero, de rescrip. in *6.* verb. eiusdem ciuitatis.

60 *Casus* cap. cum nullus, de Tempor. ordin. in *6. est specialis, quoad ordines suscipiendos.*

61 *Episcopus non potest ordinare ciuem suæ ciuitatis per priuilegium.*

62 *Refertur decretum Cardinalis Palæoti* pro

pro Seminario Bononiensi, quod solum orti admittantur.

63 *Refertur simile decretum Eminentissimi Cardinalis Doria pro Seminario Panormitano.*

56 EQuidem hac de re quandoque interrogatus, originarios solos admittendos respondi: atque hic publicandę responsionis occasionem nactus, aio solos originarios ciuitatis, & diœcesis ad huiusmodi Collegia, seu Seminaria, admitti iure posse: ciues vero per priuilegium omnino esse excludendos. Elicitur hęc assertio apertissimè ex ijs, quæ hoc consilio latè tradidimus: etenim Concilium Episcopos obstringit, vt certum puerorum numerum ipsius *ciuitatis*, & *diœcesis*, exempli gratia Panormitanæ, in Collegijs, seu Seminarijs, per eos erigendis, alant, religiosè educent, & ecclesiasticis disciplinis instituant. Idē autem est dicere, pueros debere esse Panormitanæ ciuitatis, ac dicere debere esse Panormitanos: & sic de locis diœcesis. Hinc autem fit, vt huic casui statim ea omnia aptari possint, quæ antea exposuimus, ac præsertim §. 2. nimirum, statutum non porrigi ad id, quod secundum fictionem inducitur, nisi specialiter exprimatur: ac verè, non fictè disponere: item verba naturaliter, simpliciter, ac propriè, non autem ciuiliter, secundum quid, ac fictè, esse intelligenda: insuper qualitatem, ad priuilegium requisitam, verè, non fictè inesse debere, & cætera huiusmodi. Quis autem neget, priuilegio Panormitanum solum ciuiliter, secundum quid, impropriè, ac fictè esse Panormitanum, sicuti de Siculo *d.* §. 2. admonuimus.

57 Hinc doctus *Garsia p. 7. de benef. cap. 9. n. 21. & seqq.* docet, quòd quando impetrans beneficium dicit, se clericum *Abulensem*; verbi gratia, per illud nomen, *Abulensem*, origo significatur, quoniam, vt ipsi quoque prænotauimus, verbum naturaliter, non accidentaliter intelligi debet. Ità *Glossa in l. sed & reprobari* §. *amplius ff. de excus. tut.*: aliàs est *l. si duas* 6. §. *amplius*, & *illud scire. ff. de excusat.* Ego quidē illud colligo ex eodem textu: ibi enim statuit Modestinus, docentes in patria propria, habere immunitatem: tum subdit: *Si enim existens Comaneus in Cæsarea doceat, aut medicetur, apud Comanenses immunitatem non habet.* Vbi satis indicat Iurisconsultus, nomē illud, *Comaneus*, patriam ipsam, ac proinde originem significare, vt diximus *sup. n. 21.* vndè *Glossa cit. verb. Comaneus*, explicat, *idest de Comaneo*: particulam vero, *De*, originem importare, diximus *suprà n. 3.* Sicuti quando quis dicitur, *de Perusio*, intelligitur naturaliter, vt docuit *Bald. in cap. significante n. 1.* ibique etiam *Felin. n. 8. de rescript. Rebuff. in Prax. benef. in forma signaturæ verb. Magalonen.*, & *in l. 2. ff. de verb. signif. Garsia d. num. 21. & 22.* qui addit, illos propriè dici de aliquo loco, qui ratione originis sunt de illo, ex *Bald. in l. 1.* §. *quod autem ff. de tut. dat. ad his, & Gregor. Lopez in l. 32. tit. 2. partita 3. verb. natural. in fine.* Et ità, cum in supplicationibus, pro beneficijs consequendis, Pontifici porrectis, quis se dicit clericum Abulensem, in literis dici solet, *oriundus*: vt quotidiè videmus, inquit *Garf. num. 23.* Et similiter, quando in supplicatione dicitur. N. clericus. Abulensis diœcesis, intelligitur secundum stylum, subdit idem *Garf. num. 24.* ex diœcesi Abulensi oriundus: & ità in literis dicitur: vidè iam de stylo non procedere *Rotæ decisionem 76. de rescrip. alias 628. in antiquis*, monet idē *Garsia*. Pondero etiam dictionem illā, *ipsius*, quæ quid immediatum significat: post plures *Barbos. diction. 177. nu. 2.* Vnde hic locum habet doctrina à nobis tradita *suprà n. 3.* Omitto incommodum, quod ex contraria sententia sequeretur: nimirum, quod admittendi essent non solum allecti in ciues; verum etiam & manumissi,

&

& adoptiui filij ciuium oriundorum; cũ hi omnes dici possint quoquo modo ciues *l. ciues C. de Incol. lib.* 10.

58 Addo illam concilij locutionem: *alere certum numerum puerorum ipsius ciuitatis, & diœcesis*: resolui per verbum substantiuum, *Sum, es, est*, in hãc aliam: *Alere certum numerum puerorũ, qui sint ipsius ciuitatis, & diœcesis*. At vero illud verbum, veritatem denotat, eò quòd substantiam demonstrat: id quod procul dubio verum est, quãdo potest veritas denotari, vt fatetur *Bald. in l. quæ fortuitis n. 9. C. de pignorat. action.* quem citat, ac sequitur *Iason in l. cætera §. item quæri n. 6. ff. de leg. 1.* In re verò nostra certissimũ est, verbum illud posse significare veritatem, puta quod pueri sint verè Panormitani; non autem per fictionem, idest per priuilegium. Vndè ob contrariam rationem intulit vterque laudatus auctor, in statuto Perusino decernente, quòd Florentini sint originarij ciues Perusini, verbum, *sint*, exponi, *idest fingantur*: quia non potest auctoritas statuentium à subiectis naturalem veritatem remouere, vt *l. 1. & 2. ff. de vsufr. ear. rer. & l. filio, quẽ pater ff. de lib. & posth.* ac supra etiam admonuimus. Vbi ergo veritas denotari potest, vt accidit in nostro casu, ea solum, & non fictio significatur.

59 Neque dicas in *cap. statutum §. cũ vero de rescrip. in 6. iuncta gloss. verb. eiusdem ciuitatis*, apertè indicari, satis esse domicilium in ciuitate, seu diœcesi, ad hoc quis dicatur esse illius ciuitatis, vel diœcesis. Nè, inquam, id dicas: nam primùm aio, id à *Glossa*, non à Pontifice dici. Deindè addo, illud rectè in eo peculiari casu asseri; agitur enim ibi de extrahendis habitatoribus, ac domiciliarijs ex locis, vbi habitant, & domicilium habent: hasce enim caussarum euocationes vtrumque ius prohibet, nè subditi è proprijs domibus extrahantur, vt latè *infra cons.* 25. explicabimus: neque hac in re habetur ratio oriundeitatis, sed solum domicilij: nam alioqui liceret Hispanum, Panormi habitantẽ, ac domicilium habentem, in Hispaniam trahere ad litigandum, cum Hispaniæ sit oriundus: id quod absurdissimum est, ac fieri nullo modo potest, *ad trad. per Nouar. in praxi elect. & var. fori q. 63. sect. 4. & Ricc. dec. 27. p. 4.* In casu igitur euocandarum caussarum per ea verba veritas significari non potest, ne absurdum sequatur: ac proinde in eo locum obtinet *Baldi* doctrina, antecedenti numero explicata.

60 Neque iterum dicas in *cap. cũ nullus, de tẽp. ordin. in 6.* apertè statui, satis esse alternatiuè, vel originem, vel beneficium, vel domicilium, ad hoc vt quis sit, ac dicatur talis diœcesis. Nè, inquam, id dicas, nam casus illius capitis est omnino peculiaris, ac specialis, quoad habendam subiectionem illius diœcesis Episcopo in ordinibus suscipiendis; vt colligitur ex *eod. cap.* ibi: *superior intelligitur in hoc casu*: vndè illiꝰ dispositio nõ est ad alios casus extendenda; atque ità *Thomas Sanchez lib. 3. de Matrim. disp. 23. nu. 12.* fatetur, casum huius *cap. cum nullus*, esse specialem quoad Sacramentum ordinis suscipiendum. Immo ex hoc ipso nostra doctrina cõfirmari posset: cum enim necessarium fuerit illud expressè statuere, vt domiciliarius, ac beneficiarius Episcopo diœcesis domicilij, ac beneficij, subderetur; hinc certè sequitur, in ijs casibus, in quibus id expressè decretum non est, huiusmodi statutum locum nullatenus obtinere: vt in re simili arguit *Sanch. loco cit.*

61 Adde nos hoc loco agere de adoptatis, seu allectis in ciues; quos quidem non posse ordinari ab Episcopo illius ciuitatis, decisum refert *Ricc. decis. 317. part. 4. Cur. Archiep. Neapol. n. 8. per decis. Ant. Fabr. 17. de verb. signif.* vbi ciuis adoptatus, seu allectus dicitur ciuis fictus: & ciuis appellatione nonnisi originarius comprehenditur.

ditur: *Fabri* tamen decisio reijcitur à *Nouario in Praxi electionis, & variationis fori d. q. 63. num.* 10. vide quæ diximus §. 3. Et quidem *Ricij* decisio vera videtur, etsi ratio dubia: nam verè pontifex triplicem solum superiorem in *cap. cum nullus vir*, constituit, qui suscipiendorum ordinum licentiã concedere possit; inter quos minimè numerat Episcopum illius ciuitatis, vbi quis in ciuem per priuilegium receptus est: quamobrem, vel canonis doctrina diminuta fuisset, quod dicẽdum non est: vel hic alius superior agnoscendus non est: id quod Curia Neapolitana decidit.

Atque hinc colligitur alia ratio, cui nostra assertio inniti potest: quia concilium requirit, vt pueri admissi *statim* tonsura clericali initientur: *statim* vero idem est, ac sine temporis interuallo *l. si finita* §. *non autem statim ff. de damno infecto*, *alijsque apud Barbos. de diction. vsufreq diction.* 383. *num.* 1. Quare si ciuis per priuilegiũ admitteretur, nequaquam statim initiari posset; sed eius ordinarij dimissoriæ expectandæ essent: quod absque temporis interuallo fieri non potest.

Denique pondera pro nostra assertione, an vox, *pueri*, significet natiuitatem in ciuitate, ac diœcesi. Item an concilij intentio alioqui inanis foret, si exteri priuilegiarij reciperentur, qui facilè ciuitatem, ac diœcesim desererent; ac ità vtraque ministris in earumdem fauorem alitis fraudaretur: atque alia huiusmodi, quæ breuitatis gratia vlterius perpendi omittuntur.

62 Atque hinc equidem censeo, Eminentissimum dominum Cardinalem *Gabrielem Palæotum*, Præsulem omnibus numeris absolutum, *in suo Archiepiscopali Bononiensi part.* 5. *tit. de Clericis Seminarij Bononiensis cap.* 1. initio statuisse, eos solos in Seminariũ Bononiense esse admittendos, qui aut Bononiæ, aut in diœcesi nati sint.

63 Hinc etiam Eminentissimus Dominus meus Cardinalis Ioannettinus Doria Archiepiscopus Panormitanus, quæ sua est pastoralis vigilantia, ac sollicitudo, ac præsertim in Clericis erudiendis Seminarij Panormitani, toto orbe celeberrimi; Sacrosancti Tridẽtini Concilij vestigijs inhærens, hac in re decretum edidit, cuius exẽplar hoc loco transcribere operepretium duxi.

Die 28. Augusti 4. Ind. 1636.

EMinentissimus, & Reuerendissimus D. Don Ioannettinus Doria S. R. E. Cardinalis, Archiepiscopus Panormitanus, inhærẽdò dispositioni Sacri Concilij Tridentini *sess.* 23. *cap.* 18. *de reformat.* voluit, ordinauit, & statuit, quod in omnibus, & quibuscumque futuris receptionibus Puerorum Alumnorum in Seminario huius Vrbis, in posterum recipiendorum, tam ex hac vrbe, quã ex alijs Ciuitatibus, Terris, & locis Panormitanæ diœcesis, omnes prædicti pueri recipiendi, præter alia requisita, sint, & esse debeant veri, & naturales ciues, legitimè nati in hac Vrbe, Ciuitate, Terris, & locis, in quibus occurreret casus vacantiæ, & receptionum, & omnes prędicti pueri ad concursum venientes, tales vt supra esse debeant, & non aliter. Volens, & mandans, quod ciues recepti, & effecti per priuilegium, aut alibi nati, penitus excludantur: & sic obseruari semper debeat, & non aliter, &c. & vt in futurum appareat, factus est prẽsens actus hodie die, quo supra, suis die, loco, & tempore valiturus.

Antoninus Camali Mag. Not.

CONSILIVM III.

Quænam includat Alternatiua. Ad idem cap. 34. Ferdinandi.

§. I.

Alternatiua omnia Siciliæ beneficia includit: etiam quæ denuo crearentur.

S V M M AE.

1 *Refertur cap. 34. Ferdinandi, vbi constituitur Alternatiua.*
2 *Verba*, omnium, & quorũcumque, *in Alternatiua, quippe generalia, generaliter intelligenda: qua regula etiam in odiosis dispositionibus locum habet.*
Dispositio generalis omnes casus includit, & verbo generali omnia concluduntur.
3 *Verbum simpliciter prolatum generaliter est exponendum: & indefinita propositio vniuersali æquipollet.*
4 *In priuilegijs verbum generale, & indefinitè prolatum, ad futurum extẽditur; & quomodo hæc regula restringatur.*
In beneficijs fieri debet largissima interpretatio.
5 *Archiepiscopatus Montis Regalis Alternatiua comprehenditur.*
6 *Princeps dedignari non debet sententiã in melius commutare.*
Magnæ sapientiæ est reuocare hominẽ, quod malè loquutus est.
Etiam Deus legitur mutasse promissa.
7 *Alternatiuæ instauratio omnino facienda.*
Cautum debet reddere, non sequacem error alienus.
Princeps successor prædecessorum debet malè facta corrigere.

1 SAtis liquet ex d. cap. 34. Regis Ferdinandi, quod initium dedisse Alternatiuæ ostensum est *suprà cons.* 1. §. 1. eam omnia prorsus beneficia complecti, quæ de iure patronatus Siciliæ Regis existunt: hæc enim ibi habentur: *Placet Regiæ Maiestati, vt det maiorem occasionem Siculis seruiendi, & vacandi studijs literarum*, omnium *beneficiorum prædicti Regni, quæ sunt de iurepatronatus suæ Maiestatis, concedere Alternatiuam, ità quod de duabus electionibus* quorumcumque *beneficiorum prædicti Regni, quæ sunt de Iurepatronatus suæ Maiestatis vnam electionem faciet in personam alicuius Siculi, quam sua Maiestas idoneam, habilem, & sufficientem iudicabit, eiq; vt moris est, prouidebit, aut præsentabit*. Quod quidẽ capitulum sæpè cõfirmauit idem Catholicus, alijque subsequentes Reges vt *suprà eod. cons.* 1. §. 1. retulimus.

2 Ex eo igitur manifestè constat, omnium prorsus beneficiorum eiusd. Regni vnam electionem, seu mauis præsentationem, in alicuius Siculi personam fieri necessariò debere, nèque vllum excipi iure posse: verba enim illa, *omnium, quorumcunque*, generalia sunt, proindeque omnia prorsus beneficia complectuntur *vulg. l.* 1. §. *quæ fraudationis, ff. quæ in fraud. cred.* ac generatim esse intelligenda, multis iuribus probat *Gloss. in d. l.* 1. *verb. generalia. & in l.* 1. § *generaliter verb. in infinitum, ff. de leg. præstand.* Quã quidem regulam etiam in odiosis dispositionibus, atque exorbitantibus locum obtinere, permultos alios sequutus, ostendit *Mandos. in reg.* 1. *cancell. q.* 6. *n.* 3. & 5. Dispositionem quoque generalem omnes prorsus casus includere, licet maior ratio in vno, quam in alio, perspiciatur, probat *Decius cons.* 5. *n.* 2. *ex l.* 1. §. *quod autẽ, ff. de aleat. l. fin.* §. *vxori ff. de aur. & arg. leg. l.* 1. §. *generaliter ff. de leg. præstand.* verboque generali omnia comprehendi, statuitur in *cap.* 1. *dist.* 19. *alijsque ibidem relatis à Gloss. verb. dicendo.*

3 Quin immo, quamuis simpliciter, seu indefinitè Rex loqueretur; id tamen

men vniuersè, ac generatim esset intelligendum, ità vt omnia prorsus beneficia includerentur in Alternatiua: verbum namque simpliciter positum, generatim exponendum est; *cap. præterea, ibique Gloss. vers. simpliciter, de off. deleg.* Indefinita quoque propositio vniuersali æquipollet, *cap. 9. dist. 19. alijsque ibidē allatis à Glos. fin.* multisque probat *Mandos. regu. 16. q. 23. n. 9.* Maximè cōfert *cap. quia circa ibique Abb. n. 1. de priuileg.* vbi: *Prædecessor tuus*; inquit Innoc. 3. *indefinitè decimas Episcopales Monasterio remittendo, cum nihil exceperit, & potuerit excepisse, ac in beneficijs plenissimà sit interpretatio adhibenda, nec debeat vna, eademque substantia diuerso iure censeri; intellexisse videtur, non solum de decimis possessionum illius temporis, sed etiam futuri.*

4 Atque ex hoc quidem *cap. quia circa* illud obiter animaduertendum est, in priuilegijs, ac per consequens in nostro casu, generale verbum, & indefinitè prolatum, ad futurum extendi, vt etiam alijs iuribus ibidem *Gloss. fin.* ostendit: & quamuis, vt inquit *Abbas post Gloss. in cit. cap. n. 5.* vbi dispositio indefinita concernit rem, aut est multum præiudicabilis, non extendatur ad futurum, vt ibi multis iuribus probat; hæc tamen regula fallit, vt rectè monet ipsemet *Abbas*, quando dispositio indefinita est in priuilegio, & tātum præiudicat concedenti, vt licet sit graue præiudicium, nihilominus extēdatur ad futura, quia in beneficijs debet fieri largissima interpretatio, vt hic; *quod nota* inquit Abbas, *& de hac materia vide per Bart. in d. l. si ità ff. de aur. & arg. leg. a. & in l. talis scriptura, ff. de leg. 1. & in reg. qui sentit onus, de reg. iur. lib. 6. & per Ioa. Anan. in mercuria.* Ex his igitur videtur satis colligi, quod si alia beneficia denuo crearentur regij iurispatronatus, in illis Siculi Alternatiuam obtinerent. Id tamen existimo minimè euēturum, cum hodiè potius antiqua eāt in interitum, præsertim ob non residētiam Prælatorum, quam noua construantur.

5 Cum ergo, vt etiam infrà vlterius confirmabitur, satis liqueat, Alternatiuam omnia prorsus beneficia cōplecti, nonnulli Siculi Doctores occasionem sumpsere affirmandi, illam etiam Montis Regalis Archiepiscopatum comprehendere, in eoque obseruari debere: licet enim, aiunt, Imperator illud exceperit *in cap. 187.* id tamen præstitisse censeri debet, vel importunis petentium precibus; vel non satis doctus de iure Siculorum: ac proindè, inquiunt, si de eo doctus fuisset; procul dubio, quæ sua erat æquitas, ac religio, id seruari præcepisset; quod suæ regiæ conscientiæ conuenisset; libenterque præbuisset assensum; cum vox fuisset iusta poscētium: id quod professus est Theod. Rex apud *Cassiod. lib. 1. variar. epist. 14.* qui quidem Rex apud conscientiam suam læsionis genus esse putabat, profutura tardare, nec poterat existimare iucundum, quod ingrata fuerat dilatione suspensum; sub eoq; neque oportebat remedia postulare subiectos: quoniam supplicationem præcedebat humanitas; miroque modo posteriora fiebant vota, quam præstita, vt legitur apud eundem *Cassiod. lib. 3. var. epist. 40. & 42.* apud quem idem *Theod. lib. 4. epist. 32. patimur*, inquit, *superari, salua æquitate, per leges, vt inter arma semper possimus esse victores: nam quem licenter subiectus superat, non debellat aduersus:*

6 Nec dedignatus fuisset pijssimus Imperator priorem sententiam in melius commutare, summos Ecclesiæ Pontifices imitaturus, quorum *Alex. 3. in cap. si quando de rescrip.* Rauenn. Episc. rescribens: *si quando*, inquit, *aliqua tuæ fraternitati dirigimus, quæ animum tuum exasperare videntur; turbari non debes; qualitatem negotij, pro quo tibi scribitur, diligenter considerans,*

rans, aut mandatum nostrum reuerenter adimpleas, aut per literas tuas, quarè adimplere non posſis, rationabilem causam prætendas; quia patienter sustinebimus, si non feceris, quod praua nobis fuerit insinuatione sugestum. In hanc eamdem rem legi possunt ibidē *Gloss. & cap cum teneamur, ibique etiā Gloss. de præben.* Nicolaus quoque Papa relatus *in cap. sententiam 25. q. 9. sententiam*, ait, *Romanæ Sedis non negamus posse in melius commutari.* vide *cap graue, eadem q. & causa* §. 1. *in Auth. de nuptijs cap. Alma mater, de sēt. excomm. in 6.* magnæ namque sapientiæ est reuocare hominem, quod malè loquutus est, vt ait *Aug.* relatus in *cap. magna 22. q. 4.* & incommutabilis, eademque semper existens Dei natura, parcens sua sæpè in sacris literis legitur mutasse promissa, & pro misericordia temperasse sententiam, *cap. incommutabilis, eadem q. & causa:* ac proindè ipsi Romani, atque vniuersæ Ecclesiæ Antistites, alijs licentiam se redarguēdi libēter tribuerūt, aliorumque iudicio se vltrò subiecerunt: quod præcipuè præstitere *Gregorius* relatus in *cap. si quis 2. q. 7. & Leo. in cap. nos si, eadem, q. & causa.* Iustinianum quoque Imperatorem nequaquam piguit proprias emendare leges, volens subiectis vbique vtilitatem inuenire, vt ipsemet fatetur, *Authen, vt fratrum filij, initio*, atque in *Authen. de nuptiis, paulo post principium: Existimauimus*, inquit, *oportere nunc consilijs perfectioribus causam considerantes, quadam corrigere, non aliorum solummodo, sed quæ à nobis ipsis sancita sunt; non enim erubescimus, si quid melius etiam horum, quæ ipsi prius diximus, adinueniamus, hoc sāncire, & competentem prioribus imponere correctionem, nec ab alijs expectare corrigi legē.* qua de re vide *Ant. Gam. decis. 110. n. 38.* quem allegat, ac sequitur *Mierez de Maiorat. par. 1. qu. 44. n. 63.* lege quoque, quos *Additio Gamæ* recenset.

7 Et hanc quidē Alternatiuæ instaurationem ab eodem Imperatore Siculi petiere in *cap. 161.* & iterum à Philippo II. in *cap. 11.* pro qua quidem notanda sunt verba Valentiniani, ac Valentis ad Symmachum Vrbi præfectum, relata à *Fabro in l. Neratius ff. de reg. iur. ex l. 1. C. Theod. de priuilegijs corpor. tit. 2. lib. 13.* vbi: *Ea*, inquiunt, *priuilegia, quibus pro reuerentia vrbis æternæ varia corpora hominum, vel priscarum legum cautio, vel antecedentium principum fouit humanitas, magnifica sinceritas tua sciat, vel confirmata esse arbitrio serenitatis nostræ, vel, si in aliqua parte titubauerint, restituta.* Vbi veluti obiter nota; Principis quoque successorem debere prisca subditorum priuilegia instaurare; ac prędecessorum facta corrigere: cautum enim reddere debet; non sequacem error alienus, aiebat *Cassiod. forma 2. lib. 7. variar.* Item Gelasius relatus in *cap. decessorum 25. q. 2.* decessorum statuta; sicut legitima, & iusta successorem custodire voluit; ità debere etiam malefacta corrigere: *vide Gloss. fin. ibid.* quæ citat *cap. Episcopi, de Rebus eccles. alien. vel non, & cap. 2. de precar.* nam quod quis commisit illicitè; aut à prędecessoribus suis inuenit admissum; si proprium periculum vult euitare, damnabit, vt ait Hilarius, *in cap. quod quis 35. q. 9.* & quæ à quolibet illicitè committuntur, siue à prędecessoribus admissa inueniuntur, in melius reuocari oportet: aiebat *Gratianus post cap. loci, ead. q. & caussa.* vnde intulit *Arius* Pinellus *in rub. C. de rescind. vend. cap. 2 nu. 27.* quòd Principis successor eius iniquitatem emēdabit, rescindetque acta, quæ emanarunt ex rescripto, vel iussu auferēte parti rem suam, vt hoc benè, ac breuiter probat *Fortun. in l. Gallus* §. *& quid si tātū n. 305. ff. de lib. & posth.* & de successore, subdit *Pinellus*, reuocante iniquè factum ab antecessore, *cap. vn. qui succ. tene. & ibi Aff. n. 49. & 98.* Sed nolo hac in re diutiùs immorari:

rari:

rari: satis sit hæc breuiter attigisse, atque ostendisse, Alternatiuam omnia prorsus beneficia comprehendere, ità vt nullum prorsus iure excipi possit. Sed hinc statim duplex suboritur dubitatio.

PRIMA quidem, num Alternatiua pensiones quoque cōprehendat.

SECVNDA, anità beneficia omnia contineat, vt non modò quæ naturali, sed etiam quæ ciuili obitu vacant, complectatur.

Et vtriusq; quidem dubitationis affirmatiuam resolutionem Regnum in Comitijs prædicti anni 1624. à Rege petijt, vti rationi, ac iuri congruentē, hisce verbis. *Que se obserue al Reyno la Alternatiua en la presentaciō de Prelacias, y beneficios ecclesiasticos, que vacaren, assi por muerte, como por promocion, ò otro qualquiera accidente. Particularmente, que se quite la introducion, que se ha hecho nueuamente, de presētar alos Regnicolas para prelacias, y beneficios con reseruacion de fructos, assignandoles tan solamente al Prelado, ò beneficiado poca parte dellos para su congrua sustentacion, y lo demas reseruando de pensiones para extrangeros. Y que quando se presentan Regnicolas para prelacias, abadias, y otras cosas ecclesiasticas, sea sin reseruacion de pensiō sobre los fructos: però quando se quiera hacer, las tales pensiones sean para los naturales del Reyno, à fin de gozar enteramente de sù Alternatiua.*

Vtramque igitur petitionem tunc temporis rationi, ac iuri innixam ostendi, vt integrò hoc consilio latè explicabimus. Sit igitur.

§. II.

Proponitur sententia negans, Alternatiua pensiones comprehendi, eiusque præcipua ratio, ac fundamentum: & affirmans eligitur.

SVMMAE.

8 *DOm. Carolus Tapia negat pēsiones alternatiua concludi.*

9 *Eius præcipua ratio, & num. seqq.*

Pensio, ac beneficium satis differunt: & pensio est ius temporale.

10 *Neque habet aliquid spiritualitatis: neque est titulus perpetuus; & potest laico assignari.*

11 *Non vacat, si pensionarius fiat miles: & cetera huiusmodi: quæ omnia §§. seqq. expenduntur.*

12 *Contraria sententia contrà Tapiam verissima, & amplectenda, & n. seq.*

Vis rationis contrariæ explicatur.

8 QVærimus autem, an, qua vice beneficium in Siculos est conferendum; pensiones etiam, si quæ imponatur, iisdem Siculis sint constituendæ. In qua quidem difficultate doctissimus Regens D. D. *Carolus Tapia in decisionibus Supremi Italiæ Senatus decis. 15* partem negantem tueri conatur.

9 Præcipua autem ratio, cui innititur est, quia beneficium, ac pensio satis differunt: nam pensio, vt ait *Tapia*, est certa portio ex mensa, vel beneficio ex caussa ad tempus, & non perpetuò separata: seu est ius quoddā temporale, separatum, formale, distinctum: id quod ex aliquibus Auctoribus ostendit: quodque beneficiū non sit, probat ex *cap. quamuis 1. de præben. in 6.* vbi, si alicui mandatur de beneficio prouideri, non ideo intelligitur, vt sit mandatum de pensionē prouideri: cuius rei, inquit, ea est ratio,

ratio, quia pensio non est beneficiũ, vt tradunt Doctores in *cap. ad audientiam 2. de rescriptis*: ibi enim dicitur *Annuas pensiones, seu alia beneficia*. Vndè, ait, cum dictio, *seu*, ponatur inter diuersa, vt ibi not. *Abb. nu.* 2. sequitur, vt aliud sit beneficium, aliud pensio: citatque *Gigantem de pension. q.* 28. *aliosque*.

10 Id ipsum iterum probat *n.* 10. quia pensio nihil habet spiritualitatis, sed merè commodum temporale, ex quo detrahitur, sicut vsusfructus à proprietate: neque dici potest titulus perpetuus; nec spiritualis; potestque laico assignari: quę omnia ex pluribus auctoribus probat. Nec quidquam refert, inquit *Tapia*, quod pensio ex beneficio procedat; nam cum beneficium illegitimus consequi absque dispensatione non possit, pensionem tamen obtinere potest, si Clericus fuerit primæ tonsuræ, & super illegitimitate dispensatũ; pro quo aliquos Doctores allegat: subditque, inhabilitatum ad obtinenda beneficia non esse inhabilitatum ad pensiones obtinendas, ex *Nauar. cons. vnico n.* 15. *de rescrip.* aliosque citat, qui affirmarunt, beneficij appellatione pensionẽ minimè comprehendi.

11 Hinc est, infert idem *Tapia nu.* 11. & 12. quod si pensionarius fiat miles, vel vxorem ducat, non vacat pensio, nullumque adquirit titulum pensionarius, neque ad residentiam obligatur, vt tradunt Auctores ab eodẽ allegati. In fine deindè *n.* 12. sic concludit. *Ex his omnibus, cum sit fundatum, pensionem esse rem penitus diuersam à beneficio, sequitur, vt concessio facta de beneficio, non includat pensionem, & per consequens gratia prædicto Regio concessa non obligant suam Maiestatem de iustitia ad concedendum pensionem Regnicolis, quando beneficium est illis conferendum.*

12 Atque hæc quidem omnia, quę ex *Tapia* hùcusque retulimus, illud solũ probant, pensionem non esse beneficium, ac proinde nequaquam in beneficiorũ Alternatiua concludi. Alia quoque ipse addit, quæ in tota hac ratiocinatione discutienda sunt, ac diluenda. Vna verò opera, & hanc præcipuam rationem triplici responsione dissoluemus, & contrariam sententiã affirmantem, pensiones Alternatiua concludi, verissimam esse comprobabimus. Quã quidem rationẽ, maioris claritatis gratia in enthymema logicũ ità redigimus. Pensio non est beneficium, ergo in Alternatiua non includitur: cui quidem rationi, seu argumento tripliciter respondebimus: primo enim negabimus antecedens: secundo illud distinguemus: tertio gratis illud dabimus, sed consequentiam abnegabimus.

§. III.

Euertitur primò negantis sententię fundamentum: ac perpenduntur iura, quibus probat, pensionem non esse beneficium ecclesiasticum: contrariaque opinio Barbatiæ refertur.

SVMMAE.

13 P*Rima dilutio rationis contrariæ negat pensionem non esse beneficium: neq; nõ esse beneficiũ probatur ex* cap. Quamuis, de præb. in 6. *quod explicatur*.

Beneficium curatum non venit appellatione beneficij absolutè prolata. literæ beneficiales sunt ambitiosæ, ac restringendæ.

14 *Ambitum canones, & leges execrantur.*

Eligendi qui fugiunt, non qui ambiunt dignitates.

Christianæ disciplinæ confusio, & pernicies ex ambitu orta.

15 *Casus* cap. quamuis, *est peculiaris*.

16 *Pensionem non esse beneficium, malè probatur ex* cap. ad Audientiam 2. de rescrip.

Di-

Dictio, seu, *sæpè ponitur inter similia: auget, ampliatque*.

17 *Præsertim cum additur particula*, Alia, *quæ natura sua relatiua est eiusdem qualitatis*.

Cap. ad Audientiam, *potius probat, pensionem esse beneficium*.

18 *Dictio*, seu, *quandoque inter diuersa collocatur: & ità quoque dictio*, Alius. *quorumdam responsio* ad cap. ad audientiam *reijcitur*.

Vndè colligendum sit, tàs voculas similia, vel diuersa complecti.

19 *Sylua responsio improbatur*.

20 *Gigantis responsio, cæteris aptior, etiam improbatur*.

Beneficium, ac Pensio sub eodem saltem generè concluduntur.

13 Alio igitur certissimum esse, Alternatiuam comprehendere etiam pensiones. Atque hæc quidem assertio non aliundè vera cõuincitur, quàm ex solutione propositæ rationis, vt ex dicendis manifestissimè apparebit. Primò igitur assumptum, seu antecedens enthymematis prædicti abnegamus, nempè pensionem non esse beneficium; addentes, illius probationem esse omnino infirmam: neque enim rectè illud infertur ex *cit. cap. quamuis* 1. *de preb. in* 6. licèt de reliquò ad id probandum omnes ferè illud allegent: quod etiam à *Gigante* legi animaduersum *in q.* 28. *de pension.* Huius autem rei ratio ea est, quia pensiones ibi haud excludũtur, quod beneficia non sint: imò potiùs contrarium ex *eodem cap.* colligi posset: quandoquidem Pontifex eas negat comprehendi ex restrictione, quã ibi vult locum habere: eademque ratione excludit quoque beneficia, ac præbẽdas Ecclesiæ Cathedralis: quas tamen esse beneficia nemo ambigit. Eodemque pacto in *cap. cum illis, eod. tit.* habetur, quod cum aliquibus de Ecclesijs, personatibus, dignitatibus, vel alijs beneficijs quibuscumque, de animarum cura mentione non habita, prouideri mandatur, ijs nequaquã posse, nec debere de beneficijs, quibus hęc cura imminet, prouideri: quæ tamen aliàs beneficij appellatione concluduntur, *cap. tua nobis de verb. signif.* & ridiculum profectò esset ex modo *cit. cap. cum illis*, inferre, beneficium curatum non esse beneficium, etiamsi proprijssimè loqueremur. Tota igitur ratio, cur pensiones, aliaque beneficia in eiusmodi casibus excluduntur, est, quia impetratæ literæ beneficiales, quippe ambitiosę, sunt omnino restringendæ, vt expressè ait Pontifex *in d cap. quamuis*, ibiq; animaduertunt Doctores, & *Gloss. in in cap. cum illis cit. ver. prouideri*, alijsque probat *Mandos. in reg.* 32. *cancell. q.* 5. *n.* 4.

14 Etenim ambitum tum canones, tum leges passim execrantur: *Sicut locus*, inquit Gregorius relatus in cap. in scripturis. 8. q. 1. *regiminis desiderantibus negandus est; ità fugientibus offerendus*. Idem Greg. relatus in cap. sicut is 1. q. 6. *Sicut is*, ait, *qui inuitatus renuit, quæsitus refugit, sacris est altaribus admouendus, sic qui vltrò ambit, vel importunè se ingerit, est proculdubio repellendus: nam qui se nititur ad altiora conscẽdere, quid agit, nisi vt crescendo decrescat? Tantum ab ambitu Prelatus debet esse sepositus*, inquiunt Leo, & Anthemius Augusti relati in l. si quẽquam C. de Episcop. & Cler. *vt quæratur cogendus, rogatus recedat, inuitatus effugiat, et sola illi suffragetur necessitas excusandi: profectò enim indignus est Sacerdotio, nisi fuerit ordinatus inuitus*. Ambitum quoque in Magistratib⁹ lex Iulia puniebat *ff. ad L. Iul. de ambit.* Platonis quoque præcepto magistratus nec cupienti, aut ambienti; at nolenti, sæpè & recusanti cõmitti oportere, refert Auctor tractatus de Regis, Regnique institutione Scipionis Ammirati discursibus adscripti. Rectè *Pet. Greg. Tholosan. de electione cap.* 9. *n.* 5. hac de re loquens *Misera hominum nunc ambitio*, inquit, quę

quæ non solum non considerat onus prælaturarum; sed vltrò se introducere in illas omnibus, etiam illicitis vijs, & modis detestabilibus, satagat, beneficia beneficijs accumulet; imo vi possessores spoliet, vt in se transferat; vt vel nobilis suæ domus, & consanguineorum fulciat labentes ruinas; vel vt suprà nobiles, quibus inferior videbatur, vnus appareat: Christianæ disciplinæ confusio, & pernicies hinc nata est, ex quo bona Ecclesiæ, quæ pauperibus alendis distribuenda erant, in venerabilium dominorũ domos transrapta sunt. Sed hæc obiter hac de re satis: eam idem *Tholos. à nu. 3.* aptè prosequitur: *& lib. 36. Syntag. iuris cap. 29.*

15 Cum ergo in *cit. cap. quamuis* pẽsio beneficij appellatione non veniat, haud quia beneficiũ non est; sed quia literæ ad beneficia ambitiosæ existimãtur, proindeq; ob rationem modo expositam, restringendæ, illiusque capitis casus omnino particularis, ac singularis censendus sit; consequẽs prorsus est, vt dicantur in alijs casibus, in quibus eadem ratio minimè perspicitur, pensiones beneficij nomine comprehendi: non esse autem eamdem in præsenti casu rationem ex infrà dicẽdis perspicuum fiet, vbi Alternatiuã iuri communi maximè conformem potius, quam contrariam demonstrabimus.

16 Iam vero, quod attinet ad *cap. ad audientiam 2. de rescriptis*, à *Tapia* allatum, vbi ex particula, *seu*, posita inter beneficium, ac pensiones, infert horũ diuersitatẽ: aio, falsum omnino esse; eam voculam sẽper inter diuersa collocari: imo potiùs sæpè ponitur inter similia, atque idem significantia, prout dicimus: Alexander, seu Paris: Cicero, seu Tullius, vt rectè ait *Mandos. in reg. 1. cancell. q. 12. n. 18.* quin eius natura est, vt augeat, amplietq; vt probat *Parisius cons. 7. nu. 38. lib. 2. secundum Bart. per l. si quis ità ff. de aur. & arg. leg. l. eum quis decedens. §. fin. ff. de legatis 3. l. si is ducenta §. vtrũ ff de reb. dub. ibiq; Doctores, Bald. Cin. alijque in l. cum quidã C. de verb. sign. Gloss. & Doctores in cap. inter cæteras de rescrip. ibique Abb. n. 4. Felin. nu. 11. Dec. n. 9.*

17 Cũ præsertim in *d. cap. ad audiẽtiã.* dictio, qua de loquimur, particulæ, *Alia*, annectatur, quæ suapte naturã est relatiua, ac repræsentatiua eiusdẽ qualitatis, cuius erat id, de quo mentio facta est, vt ait, ostenditque *Alex. cons. 204. n. 4. lib. 2.* ex *cap. fin. de pactis in 6 ibique Aret. Gloss. & Doctores in l. non solum §. quæritur vers. cæteros ff. de procurat. & in cap. sedes de rescrip. cap. cum non ab homine, de Iud. & in l. quidam relegatus initio ff. de rebus dubijs, in l. si fugitiui C. de seruis fugitiuis*, atque alijs, quæ repetit, ac sequitur *Ruin. cons. 3. n. 5. lib. 3. alibiq; latè Gõz. in reg. 8. cancell. Gloss. 3. n. 22. & multis sequentibus, Berth. in repert. verb. aliũ, initio, Mandos. in reg. 12. qu. 6. num. 2, Farin. lib. 2. Pract. & Theor. crim. tit. 3. q. 17. n. 15. Menoch. de recup. possess. remedio 9. n. 256.* qui alia iura, ac Doctores allegant. Notandi sunt præcipuè textus in *d. cap. cũ non ab homine, & l. si fugitiui*, atque alij similes, in quibus in specie dictio, *seu*, aliaue similis particulæ, *Alius*, adiungitur, ac similia inuoluit. Et ipsemet *Abbas*, qui contrà nos à *Tapia* producitur, *in cap. sacris n. 2. de sepult.* affirmat, dictionẽ, *Alius*, qui in *eo cap.* particulæ, *vel*, quæ æquiualet, *seu*, adiungitur, facere positionem eiusdem qualitatis cum præcedentibus, allegatque *not. in d. cap. sedes.* Ex quibus omnibus videtur potius inferri per *cap. ad audiẽtiam*, probari, pensiones esse beneficia, quam contrariũ: vt fanè probauit *And. Barb. in eodem cap.* qui vniuersè, ac generatim, pensionem esse beneficium, tuetur: id quod alijs quoque rationibus corroborat, vt animaduertere licet apud eumdem *Gigantem, ac Flam. Parisium* mox allegandos: & *Barbatiam* sequuti sunt *Paul. Rom. tract. de Pensi- on. cap. 6. n. 34. & cap. 7. n. 16. Gambarus*

rus de officio legati lib.6.à n.309. Matier.14.dist.25.q.5. teste *Nicolao Garcia de* Benef.*part.1.cap.5.n.2.*

18 Non negauerim tamen, dictionē, *seu*, quandoque inter diuersa collocari, vt post alios probat *Mãd. in proem. Reg. Cancell.q.5.n.11.& Reg.1.q.12.n.10.* atque alibi: idemque affirmauerim de voce, *Alius*: hanc enim nequaquam semper similitudinem inferre, putandum erit, vt etiā post alios ostēdit idem *Mandos.in reg.12.q.6.n.13.* Atque id affert *Gigas d.q.28.nu.4.& Flam.Paris.de Resig.benef.lib.2.q.15.n.21.* vt soluant *Barbatia* rationem ex *d.cap.ad audientiam*, desumptam, & hucusque explicatam. Sed, meo quidē iudicio, minus rectè: neque enim ideo sequitur, in *cit. cap.* eam vocem dissimilitudinem inferre: etenim id aliundè colligendum est, an scilicet in hac, illauè oratione, ea dictio similia, an diuersa complectatur: putà ex ipsa rei natura, de qua agitur, seu, quod idem est, ex re, siue materia subiecta, alijsuè coniecturis: ac præcipuè ex eo, quod aliquod sequeretur omnino absurdū: veluti in Euangelio *Ioan.cap.19.* vbi: *Crucifixus*, inquit S.Ioannes, *est Christus, & alij duo latrones*: tunc enim, quia, si dictio, de qua loquimur, similiū esset repetitiua, argueretur, Christum Dominum esse latronē; id quod impium, atque absurdissimum est; rectè asseritur, inibi particulam illam dissimilia, diuersaq; inuoluere, vt benè animaduertit *Gonzal.in reg. 8. cancel. gloss.3.cit.n.50.*

19 Meliùs fortassis respondet *Sylua de benef. p.1.q.3.* relatus à *Gigante d. qu.28.n.3.* quia scilicet in casu, de quo loquimur, alijs iuribus declaratum est, pensionem, ac beneficia esse omnino dissimilia, puta per *cap.quãuis cit.* quarè in *cap.ad audientiam*, de quo nunc loquimur, vt diuersa poni censendum est: quæ quidem illatio satis probatur ex ijs, quæ notant Doctores in *d. cap. sedes de rescriptis*. Sed etiā hoc displicet: etenim in sæpè allegato *cap. quãuis*, extrahuntur pensiones, haud ea ratione, quia non sūt beneficia; sed ex stricta interpretatione, quam ibi fieri expressè vult Pontifex, in odium ambitionis: qua etiam ratione excluduntur beneficia Ecclesiæ Cathedralis. quare non rectè ex eo arguitur horū diuersitas, ac dissimilitudo, vt suprà satis explicatum est.

20 Aptiùs præ cæteris, ni fallor, respōdet *Gigas loc.cit.n.4.* docet enim, hanc dictionem non esse similium repetitiuam, vbi materia subiecta hoc non patitur, vt in casu nostro, in quo manifestè constat, vt ipse ait, quātum pensio differat à beneficio Ecclesiastico, de quo vidimus, inquit, *q.1.& q.21.* Sed nihilominus neque hæc responsio caret difficultate: posset enim quispiam asserere, differentias, quas inter beneficia, ac pensiones *Gigas*, alijque intercedere autumant, nequaquam esse genericas, atque essentiales; sed solū, vel accidentarias, ac veluti indiuiduantes ecclesiastici beneficij speciem; vel saltem essentiales quidem, sed tātum specificas; ità vt pēsio, ac beneficium propriissimè dictum, differant quidem specie, sicuti equus, ac leo; nō tamen genere, veluti qualitas, ac substantia; sed sub eodem beneficij Ecclesiastici genere contineantur: licet de reliquo beneficium, strictissimè sumptum, ex sua specifica ratione habeat, vt semper sit spirituale; quod non cōpetit pensioni, quæ quandoque temporalis esse potest. Certè hanc dici posse ecclesiasticum beneficium, licet non spirituale, fatetur ipsemet *Gigas d.q.28.n.18.* quod elicit ex mente *Abbat. in cap. ad audientiam cit. in 1. notab. de rescriptis*. Hinc autem sequitur, dictiones, *seu, & alia*, inter beneficia, & pensiones positas, similitudinem, saltem genericam, inferre: vti, si quis diceret, Titio do equos, seu alia animantia, quę in meo dominio reperiuntur; proculdubio eæ particulæ eādem genericam similitudinem inducerent.

§. IV.
An Beneficium à Pensione primo differat, eò quòd hæc temporanea, illud perpetuum sit.

SVMMAE.

21 *Pensio, ac Beneficium solum accidentaliter differunt.*
Duratio non est de essentia rerũ creatarum.

22 *Plus, & minus diuersas species non constituunt.*
Beneficium non dicitur perpetuum, quia æternum.

23 *Perpetuũ dicitur quidpiam per similiũ subrogationem: & pensio sicuti beneficium, in hoc sensu perpetua est.*
Natura rei, non simplex denominatio attendi debet.

24 *Pensionem regulis vsusfructus Doctores metiuntur.*
Vsusfructus cum proprietate confusus extinguitur: & tunc rectè diceretur formaliter desinere, non entitatiuè.

25 *Vsusfructus causalis quis sit: nõ est propriè vsusfructus nuncupandus.*

26 *Perpetuum quid dicitur, cum ad alicuius vitam perseuerat: & pensio in hoc sensu perpetua est.*

27 *Item, quia sine temporis præfinitione conceditur: item ex erigentium intẽtione.*

21 SEd quod pensiones, ac beneficia solum differentijs accidẽtarijs, non vero essentialibus discriminentur, videtur posse non inefficaciter probari: quia principalis differẽtia, quam inter hæc duo ponit, atque explicat *Gigas q.* 1. ab ipso citata, est, quòd beneficium perpetuum est, pẽsio temporanea. Quæ quidem differẽtia primùm non videtur essentialis; quippe duratio non est de essentia rerum creatarum, & ea, quę magis durant, ab ijs, quæ minus, solum differũt secundum magis, & minus, vt Philosophi loquũtur; si de cętero in reliquis conueniant: quod sanè discrimen non est essentiale: neque enim plus, & minus diuersas species constituunt *l. si is cui ff. quemad ser. amitt. l. fin. ff. de fun. instruct.*

22 Deindè beneficia nequaquam perpetua dici possunt ex eo, quod sunt ęterna, nullique obnoxia mutationi: nihil enim est ità stabile inter homines, vt inquit *Iust. in auth. de non aliẽ. reb. Ecclesiæ* §. *vt autem lex*, & ità immobile, vt nullã patiatur mutationẽ, cũ omnis noster status sub perpetuo motu consistat, vt initio *conf.* 1. expositum fuit, ac de beneficio speciatim ostendit *Pet. Greg. Tholos. Inst. rei benef. cap. 9. n.* 1.

23 Quod si perpetuum intelligatur beneficium per subrogationem similium, eiusdemque qualitatis, atque officij, quia scilicet, vno mortuo, alius in eius locum in beneficio substituitur, vt in *l. proponebatur. ff. de Iud.* alijsque iuribus, quæ refert *Tholos. loc. cit. Mand. in superscrip. Gloss. facult. verb. ad perpetuam, &* § *volentes verb. perpetuo, &* §. *habita verb. in perpetuum*: Si, inquam, hunc in modum beneficiũ perpetuum censeatur, aio pensionem quoque nescio quid perpetuitatis obtinere: etenim ea de vno in alium sẽper trãsfertur; licet de reliquo nequaquam sub eadem pensionis denominatione: mortuo enim pensionario, quamuis pensio, quoad hoc nomen, extinguatur; tamen ius illud partiale percipiendi fructus ex bonis Ecclesię, quod apud pensionarium residebat, & in quo formaliter ipsa consistit, vt inferius dicetur, in ipsum beneficiariũ transferri, patet: qui enim antea hoc iure priuabatur, tunc illud obtinet, eoque fruitur: atqui hîc de rebus ipsis, ac minimè de nominibus curandũ est: attendi enim potius debet rei natura, quam simplex denominatio, vt probat *Abb. conf.* 47. 2. *par. ex cap. ea, quæ de simon. l. si vno ff. locati*: ac proindè, licet pensio secundum hoc nomen inte-

intereat; quia tamē res ipsa, eo nomine significata, semper perseuerat; ea quoque perpetua videtur.

24 Simile quid animaduertimus in vsufructu, cuius regulis pensionem Doctores metiūtur, vt infrà dicemus: eū etenim, quo tempore cum proprietate cōfunditur, omnino dicimus extingui; sed quatenus est vsusfructus formalis, putà formam habens separatam à proprietate, vt explicat *Rebuff. in l. rectè ff. de verb. signif. ver. præmittendum est, & sequenti, Glossam*, atque alios secutus. fortassis formalis extingui dicēdus esset, quia formaliter, vt philosophico more loquamur, esse desinit, vt in multis similibus accidit in philosophia, quæ formaliter asseruntur corrumpi, & tamen remanent secundum entitatem. Id quod prorsus euenit in vsufructu, qui entitatiuè sēper perseuerat, solumque conceptus ille formalis esse desinit. quamobrem confundi dicitur cum proprietate, illique consolidari, atque ad eam reuerti, *Instit. de vsufruc. §. fin* de eo autem, quod omnino nō est, vel prorsus definit esse, hæc prædicari minimè possunt.

25 Vndè Doctores passim vsūfructum cum proprietate confusum, *causalem*, appellant, puta cum sua caussa coniūctum: quodque causalis vsusfructus nomine vsusfructus nuncupetur, probatur ex *l. si cum testamento §. penul. ff. de exceptione rei iud. & l. cum in fundo in princ. ff. de iure dot.* vt rectè expendit idem *Rebuff.* qui optimum addit textum in *l. si ità stipulatus 6. §. Titius, ibi:* minus in eo vsufructu est, quē per se quis promisit, quā in eo vsufructu, qui proprietatē comitatur *ff. de verb. oblig.* licet de reliquo propriè vsusfructus is non sit nuncupandus, vt animaduertit idem *Rebuff. ex d. l. cum in fundo §. quod si mulier*: idemq; probat Pinel. *ad leg. 1. C. de bon. mater. par. 2. à n. 9.* quem citat, sequiturque *Ludou. Mol. tom. 1. de Iust. disp. 7. tract. 2. versu, additur in diffinitione*; & neutiquam vsumfructum appellandum probat *Coras. in Miscell. cap. 3. lib. 5.*

26 Iam vero, si perpetuū intelligatur beneficium, quia ad habentis vitam conceditur, seu, quod idem est, quamdiù obtinens vixerit, vt in *l. 1. §. 1. ff. de iure dotium, l. 1. ff. pro socio, notatque Gloss in cap. 2. §. perpetua, 10. qu. 2. Petrus Greg. & Mandos. locis paulo ante citatis*: quo sanè modo illud perpetuū censuit *Abb. in cōs. 47. 2. par.* dicemusque infrà: si, inquam, hoc modo beneficium perpetuum intelligatur; manifestum est, pensionem quoque perpetuam censeri debere: ad vitam enim habentis conceditur.

27 Si iterum perpetuum dicatur, quia sine temporis præfinitione cōceditur, vt in *l. 3. ff. de excep.* aliisq; apud *Mādos. & Tholos.* pensionem quoque ità concedi, nemo negabit. Si deniq; perpetuum intelligatur ex erigētium intentione, quæ est, vt perpetuò sint, semperque à clericis regantur, iisque vtenda, quamdiù vixerint, conferātur, vt *Tholosanus* affirmat: quam etiam legis, & canonis intentionem ita esse autumat, vt etiam nolit, semel prouisos illis priuari sine maxima, eaque iustissima caussa, *cap. 1. de cler. ægrot. cap. scripsit, cap. quamuis, cap. qualiter, cap. petisti. 7. q. 1.* hanc certè erigentiū mentem respectu omnium fructuum agnoscere debemus; proindeque etiā in ordine ad pensiones, eorum partē cōplectētes. Ecquis beneficia erexit, vt laicis indè pensionibus prouideretur? Sed quo sensu beneficia dicantur perpetua, rectè explicuit *Lotterius de re benef. lib. 1. q. 7. num. 20.*

(: † :)

§. V.

An Beneficium à Pensione secundò differat, eò quòd hæc laico, illud nonnisi clerico conferri possit.

SVMMAE.

28 *Beneficium laico non confertur; pensio sic.*

29 *Hæc differentia inter ea duo non est essentialis.*

30 *Iura, quibus probatur laicis iure constitui pensiones, efficacia non videntur.* Cap. possessiones 16. q. 1. *explicatur.*

31 *Seruitus species est alienationis.*

32 Cap. illud 16. q. 16. *explicatur.*

33 *Laicis pensiones constitui posse, quomodo intelligendum.*

Francorum Rex est Canonicus Pictauensis: & Dux Barbantiæ ciuitatis Maſtricht.

34 *Pensiones laicis non concedi absque Papæ dispensatione: ex curiæ stylo, qui ius facit.*

Beneficia sine diminutione conferenda: neque diuidi possunt.

35 *Milites Sancti Petri pensiones obtinere queunt.*

Papa secundum aliquos absoluta solum potestate, non ordinaria potest laicis pensiones constituere.

36 *Papa in dubio non censendus est vti plenitudine potestatis.*

Pensio inualidè reseruata laico, si is clericus fiat, minimè conualescit.

28 Altera principalis quoque differentia, quam inter beneficium ac pensionem posuit *Gigas loc. cit.* sese remittens ad suam *quæst.* 21. ea est, quòd nimirum beneficium laico non confertur, *cap. ex literis, de transactionibus, cap. 2. de instit.* alijsque allatis à *Mandos. in reg. 24. q. 4. n. 3.* pēsio autem in laicum quoque conferri potest, vt est crebrior Doctorum opinio, quorum plures refert ipsemet *Gigas d. q. 21. & Flam. Paris. de resing. benef. lib. 2. q. 15. nu. 20.* atque alij passim.

29 Sed hæc quoque differentia non videtur essentialis: quandoquidem id dici poterit prouenire ex natura huius beneficij indiuidua, idest pensionis; non vero ex specifica quidditate, vt Philosophi loquuntur. Permulta sanè habent beneficia simplicia omnino diuersa ab ijs, quibus animarum cura imminet: & tamen nemo negat, ea omnia beneficia esse, ac solum in indiuidua ratione differre.

30 Deindè iura, quibus Doctores mouentur ad asserendum, pensiones laicis quoque constitui iure posse, sunt *cap. possessiones 16. q. 1. & cap. illud q. 6. eadem caussa*, vt ipse *Gigas* affirmat, ac *Rebuff. tract. de pacificis possess. num.* 133. Sed hæc quidem iura parum ad rem facere quispiam, & non iniuria, dicere posset: quod enim attinet ad *cap. possessiones*, ibi ità loquitur Symmachus Papa: P*ossessiones, quas vnusquisque Ecclesiæ proprio dedit, aut reliquit arbitrio, alienari quibuslibet titulis, atque distractionibus, vel sub quocūque argumento non patimur: nisi fortè, vt clericis bonorum meritorum, aut monasterijs religionis intuitu, aut certè peregrinis, si necessitas largiri suaserit: sic tamen, vt hæc ipsa non perpetuò, sed tēporaliter perfruantur.* Quibus profectò verbis nō video, quo modo rectè colligatur, laicis pensiones iure deputari, cum de ijs Symmachus nè minimā quidem faciat mentionem: præterquā quod loqui minimè videtur de beneficiorum redditibus, quorum partem percipiendi ius est pensio; sed de bonis Ecclesiæ relictis, quibus alioqui ipsa, & non alij, etiam clerici, frui debet: super quibus propriè non dicuntur pensiones constitui, sed eorum reditus in pauperum peregrinorum, aliorumuè egentium commodum deputari.

31 Quod si de beneficijs omnino loqui placeat; adhùc ex eodem capite absolutè inferri videtur prohibita pen-

pensionis impositio, in quorumcumque tandem fauorem constituantur: cum enim ea alienatio quædam sit, vt ait ipse *Rebuff.n.107.tract.cit. at Leonard. Lessius lib.2.de iust. & iure, cap. 34.dub.38.n.206.* probaturque, quia, vt infrà dicetur, pensio seruitus quædam est: hăc autem speciem esse alienationis, ostendit *Rota diuers. vol. 1. decis.717.n.14. ex l.fin.C de reb.alien. non alien.* Pontifex vero Symmachus quamlibet prorsus alienationem interdicat; sequitur apertè, pensionum quoque constitutionem prohibere.

32 Quod vero spectat ad *cap.illud 16. q.6.* posset aliquis affirmare, minus ex eo probari, quod laudati Doctores ruentur: *Illud*, inquit Gelasius ibi relatus, *statuendum censuimus, vt quascumque munificentias clericis, aut sibi seruientibus de rebus Ecclesiæ in vsum, aut de proprijs in proprietatem, præcedentes dederint Sacerdotes, subsequentes Pōtifices nullatenus auferre præsumăt.* Nam neque hic Gelasius videtur loqui de beneficiorum reditibus, vti suprà de Symmacho asseruimus. Deindè, vt probabilior tuetur sententia, quò citati capitis casus conferat *Gratiani* instituto, eę res clericis Ecclesiarum nomine, seu ipsis Ecclesijs fuerăt tributæ: quarè ob illorum delicta minimè erant auferendæ: nulla ergo de laicis hôc loco mentio efficitur.

33 Denique, cum aiunt, pensionem laicis posse constitui, vel illud affirmăt iure fieri, præmissa Pontificis venia, seu dispensatione, vel eam prorsus nō esse necessariam. Si primum afferant; aio, laicos etiam, priuilegio munitos Pontificio, beneficiorum esse capaces, vt omnes censĕnt, ac præsertim ipsemet *Gigas loc.cit.n.4. ex Abb. & Inoc. in cap. quanto de consuet.* Atq; ibidem, ex eodem *Abb. in cap. extirpandæ, de Preb.* refert, Francorum Regem canonicum esse in Ecclesia S. Hilarij Ciuitatis Pictauēsis. Et *Ludouicus Guiciardinus in descriptione Germaniæ inferioris, in descriptione ciuitatis Mastricht*, quæ olim dicta est *Traiectum Mosæ in Belgio*, refert, Ducem Barbantiæ esse Canonicum Ecclesiæ Sancti Seruasi illius ciuitatis.

34 Si secundum respondeant; occurri poterit id falsum videri: nam hodiè laicis pensiones nō conceduntur absque Pontificis dispensatione, de quo benè *Lotter. de re benef. lib.1.q.35.à n. 18. aliique apud ipsum*: idque non solū, quia, vt probabilior tuetur opinio, de qua *Less. loc.cit. & Petrus Greg. Tholos. instit.rei benef. cap.29.n.3.* atque alij, pensionum constitutio ex curiæ stylo, qui ius inducit, vt probat post alios *Gigas ipse, q.22.n.14.* Summo Pontifici reseruatur, quippequę continet iuris communis relaxationem, quo cautum est, vt beneficia sine diminutione conferantur *cap.vnico, vt benef. sine dim.conf.* eaque diuidere prohibitum est *cap.maioribus de preb.* alijsque: verum etiam, quia laicis bonorū Ecclesiasticorum reditus applicari indecorum videtur, si non interdictum.

35 Vndè Papa aliquando laicis solet indulgere, vt pensiones obtinere queant: vti præstitit Leo X. qui Sancti Petri militibus indulsit, vt, etiam merè laici, eas possent obtinere super beneficiorum fructibus, vsque ad summā ducatorum 150. vt in eorumdem priuilegijs legi potest, refertque idē *Gigas d.q.21.n.6.* quod tamē priuilegiū fuit reformatum à Gregor. XIII. vt ait *Nauarr. Miscell. 45. de oratione in fine*: reuocauit namque ijs militibus facultatem pēsiones post ductas vxores retinendi, quas antea fuerant consequuti. Quin imo idem *Nauarrus ibidē n.4.* ait, Pontificem pro sua plena, atque absoluta potestate posse iusta de caussa super beneficij ecclesiastici fructibus laico pensionem constituere, vt inde honestè, decenterque pro sua conditione viuere queat: de quo etiā ait *Sotum* dubitare. Refert quoque *Nauarrus* Greg. XIII. ac Sixtum V. ab huiusmodi pēsionum impositione abstinuisse, nolentes vti absoluta potesta-

testate, sed tantum ordinaria, qua illæ laicis reseruari non possunt; ac meliùs est, easdem clericis egentibus constituere.

36 Addit, & rectè, *Nauarrus*, Papam nequaquam præsumi pensiones laico cum facultate laicè viuēdi, constituere: quia, inquit, in dubio non videtur vti plenitudine potestatis, iuxtà dictū *Innoc. receptum in cap. innotuit. de elect.* quem sequuntur Panor. *in cap. ad hæc, de rescrip. Felin. cap. 1. & cap. quæ in Ecclesiarum de constit.* atque alij: idem tradit *Nauar. cons. 52. de prẹb. n. 4. lib. 3. & cons. 56. eodem tit. n. 2.* ait, esse ab omnibus receptum, ab inferiori Papa vlli laico, etiam non coniugato, pensionem constitui nequaquam posse: & sæpè alibi idem repetit *Nauarrus*, vt etiam ex infrà dicendis constabit. Idem quoq; censet *Emanuel Sà verb. pensio nu. 3.* vbi citatur idem *Nauarr. cap. 25. n. 119. in enchirid. Salon. 2. 2. q. 63. art. 2. concl. 1. controu. 6.* Eamdem *Nauarri* sententiam docuerant *Sot. de Iust. & Iure lib. 9. q. 7. art. 2. Rebuff. de pacif. possess. n. 134.* Et *Flam. Paris. lib. 4. de resig. benef. q. 2. n. 7.* ait, laico non posse pensionem reseruari, esse communiter ab omnibus receptum: ipsiq; reseruatam, licet postea clericali caractere sit insignitus, nihilominº nullā esse; affirmat fuisse ab omnibus resolutum in *Rota 13. decemb. 1547.* teste *Peregrin. decis. 50. lib. 1.* alias Rotas citat, ac sequitur *Lotter. lib. 1. de Re Benef. q. 36. nu. 20.* quarè quoad hoc, nullum prorsus discrimen est inter beneficia, ac pensiones: amborum enim capax est laicus Pontificis indulgentia.

§. VI.

An Beneficium à Pensione tertiò differat, eò quòd hæc sit commodum merè temporale; beneficium non ità.

SVMMAE.

37 *Pensio res est spiritualis, quippequæ spiritualibus adhæret.*
Neque absque dispensatione redimi potest secundum plures.

38 *Contrariorum eadem est disciplina.*
Iuspatronatus est quid annexum spirituali.
Pensio non potest concedi illegitimo, aut irregulari sine dispensatione secundū plures.
Spirituali annexum non potest emi, neque vendi absque vitio Simoniæ.

39 *Pensionis definitio ex Nauarro.*
Pensio non est fructuum portio, sed ius illam percipiendi.

40 *Vsusfructus in iure consistit.*

41 *Quomodo pensio sit annexa spirituali.*

42 *Pensio suapte natura requirit clericatū: & obligat ad horas Beatæ Mariæ.*

43 *Rota Romana tenet pensionem esse quid spirituale.*

44 *Iura, quæ videntur probare, pensionem, quid esse temporale, nō sunt efficacia.*
Simonia, iure diuino prohibita, requirit commutationem rei spiritualis cum temporali.
Simonia iuris humani datur.

45 *Hæc non requirit, vt alterutrum extremorum res sit temporalis: idq; apertis exemplis ostenditur.*
Beneficiorum permutatio Simoniaca.
Simonia realis etiam sine traditione rei temporalis esse potest.

46 *Vulgata pensionis definitio improbatur.*
Definitio conuerti debet cum definito.
Hodiè nō dubitatur, pensionem esse quid spirituale.

37 QVod si fortè hìc addas, ad comprobandas inter hæc duo differentias, id quod suprà

ſuprà ex *Tapia* retulimus;puta penſionem eſſe commodum merè temporale,nihil prorſus habens ſpiritualitatis;aio id quidem à pluribus aſſeri, ac præſertim ab antiquis Canoniſtis, vt monuit *Suarez tom. 1. de Religione lib. 4 de Simonia cap. 26. n. 1.* nulla de cætero habita diſtinctione de hac,illaúè ſpecie penſionis; ſeu, quod idem eſt, vniuersè,ac generatim loquentes; nō tamen ità certum cenſeri debere:quæ enim ſpiritualibus rebus adhærent, ſpiritualia exiſtimari debent: ſicuti quæ religioſis religioſa,*l. quæ religioſis ff. de reiuendicat.* Vndè *Nauarr. d. conſ. 52. de Præb.* vbi quærit,an penſio abſque Apoſtolica auctoritate redimi poſſit,probans negantem ſententiam, (quam ſequuntur *innumeri apud Garciam p. 1. cap. 5. n. 20.* cōtrà *Caiet. tom. 1. opuſc. tract. 31. & 17. q. 10.* quem tamen,licet non eius rationem,ſequitur *Gregor de Valentia 2.2. diſp. 6. qu. 16 pun. 3. verſ. nihilominus eſt alia ſententia: Toletus lib. 5 inſtr. cap. 82. n. 3. & cap. 92. n. 1. verſ. Dico tertiò. de quo vid. Gar. loco cit. Leſſ. lib. 2. de iuſt. & iure cap. 35. à nu. 124. Suar. d cap. 26.*) poſt alias rationes *n.* 4. ità ſubiungit.

38 *Tum quia penſio non poteſt emi ſine Papæ auctoritate ſecundum omnes: ergo nec redimi: quia contrariorum eadem eſt diſciplina l. 1. ff. de his, qui ſunt ſui, vel alien. iur. cap. ſciendum. 8. q. 1. tum quòd penſio, de qua loquimur, licet non ſit quid ſpirituale;eſt tamen annexa ſpirituali,ſicut iuſpatronatus cap. quanto, de iud. traditq; S. Thomas 2.2. q. 100. art. 4. imo magis annexa, quam iuspatronatus quia illud eſt annexum antecedenter, vt ibi ait. S. Thomas; penſio autem conſequēter,vt beneficium; quod ideo dicitur ſpirituale conſequenter, ſecundum eudem; quia prærequirit rem ſpiritualem, videlicet ordinem: & pēſio etiam prærequirit ordinem, quia nemo inferior Papa poteſt eam concedere laico;neque ipſe Papa poteſt id facere poteſtate ordinaria, ſecundum ſtylum Curiæ: neque poteſt conferri illegitimo, aut irregulari ſine diſpenſatione, ſecundum communem opinionē.* Sed de hac Nauarri ratiocinatione vide *Suar. d. tom. 1. de Relig. lib. 4. cap. 26. à n. 7.* De irregulari idē tradit *Emanuel Sà ver. penſio n. 6.* & alij plures apud *Garc. p. 1. cap. 5. n. 135.* qui tamen refert contrariam Sacræ Congregationis declarationem *n. 136.* De illegitimo *Gigas q. 16.* & innumeri alij, quos citat, ac ſequitur *Garcia d. p. 1. cap. 5. nu. 119.* Deinde *n. 5.* ſubdit Nauarrus. *At annexum ſpirituali, neque poteſt vendi, neque emi ſine vitio Simoniæ cap. cum ſæculum. cap. ex literis, de iurepatronatus,cum ibi adnot. & tradit latè S. Thomas vbi ſuprà: ergo neque penſio poterit emi,vel redimi: tum quia eadem ratione,qua poſſet redimi, poſſet quoque emi: ratio enim,quarè dicit Caietanus, poſſe redimi,eſt,quia eſt res merè temporalis; quæ ità concludit potentiam emendi, ac redimendi.*

39 Quarè *Nauarrus*,reprobata aliorū penſionis definitione, quam paulo poſt afferemus,eam ſic deſcribit: Eſt ius ſpirituale,aut illi annexum, non antecedenter, vt iuſpatronatus, ſed dependenter,aut conſequenter inſtar beneficij.Ex qua colligit primò, quod ad eum planè modum, quo beneficiū non eſt fructus,qui ex eo percipiūtur, ſed ius eoſdem percipiendi; ità penſio non eſt certa portio fructuum mēſæ,vel beneficij;ſed ius illam percipiendi. Ità etiam poſt eum deſcripſit *Sà loco cit. n 2. Tolet. lib. 5. inſtruct. Sacer. cap. 82. n. 1. Valen. loco cit. verſ. probatur autem minor, Leſſ. lib. 2. de iuſt. cap. 34. dub. 37.*

40 In cuius quidem rei confirmationē illud afferri poſſet,meo iudicio,non ineptè,quod ſcilicet penſio ab omnibus ſimilis cenſetur vſuifructui, vt infrà dicetur:vſusfructus vero, qui formalis nuncupari ſolet,in iure cōſiſtere, monuit Papinianus relatus in *l. Mauius §. fundo ff. de legat. 2.* idem oſtenditur ex *l. 1. ff. de vſufruct. & inſtit. eod. tit. initio,* vbi ius eſſe definitur.

Col-

41 Colligit secundo *Nauarrus*, quod sicuti beneficium ius est spirituale, vel spirituali annexum, non antecedenter, sed consequenter, vt declarat *S. Thom. loco citato*; ità pensio est ius spirituali annexum, ac per consequens inuendibile: licet de reliquo minimè neget *Nauarrus*, gratis posse remitti, eo modo, quo calix totus consecratus donari quidem potest, non item vendi ex iuribus ab eodem allatis: idemque tradit in *Manuali cap. 23. num. 108.*

42 Et iterum *cons. 54. eodē tit. de prab. n. 3.* sic loquitur: *Etiamsi Card. in Clement. 1. de suppl. neglig. Prælat. dixisset ante Caiet. quod pensio est ius merè tēporale, quod post eos Gigas, & aliquot alij dixerunt parum cautè; tamen falsū est; quod nos aliàs probauimus in sacro Pœnitentiariæ prætorio, mostrādo, quod est ius spirituali annexum, vt est etiam beneficium, quippe quod suapte natura requirit clericatum:* (imò post constit. *Sixti V.* pensionarius in habitu, & tōsura procedere debet, vt notat post alios *Garcia part. 1. cap. 5. num. 11. & seqq.*) *imo de stylo Curiæ requirit, quod sit legitimus, & per const. fel. record. Pij V. obligat ad horas saltem Beatæ Mariæ: & ità non potest emi, nec redimi iuspatronatus cap. de iure cap. speculum per locum à speciali, de iurepatr. vndè meritò stylus curiæ habet, vt remitti quidem possit gratis pensio, nō autem constitui, nec redimi, vel transferri precio, nisi Papę auctoritate.*

43 Esse autem quid spirituale, vel certè illi annexū pensionē, multò magis, quam iuspatronatus, dixerat quoque in *cons. 46. loc. cit.* Idemque affirmat *Sà verb. pensio n. 2.* vbi allegat eumdē *Nauarr locis citatis, Maior. in 4. dist. 25. q. 5. Sot. lib. 9. de iust. & iur. qu. 7. art. 2. iterum Nauarrum in manuali cap. 23. n. 111.* vbi idē inculcat: quod etiam censet *Flam. Paris. de confid. benef. q. 42. n. 24.* citatque eumdem *Nauarr. d. cons. 52. de præb.* cuius definitionē pensionis, paulo ante à nobis allatam probat, improbatque contrariā. Quamuis, vt verum fatear, horum aliqui contraria vtantur doctrina pro aliarum quæstionū resolutione: quod quì fieri possit, nescio. *Farinac. decis. 63. nu. 8.* refert, sacræ Romanæ Rotæ Auditoribus quoddam displicuisse fundamentum in ea caussa deductum ex *Gigan. q. 99.* asserente, pensionem neque rem esse spiritualem, neque illi annexam: *quia*, inquit Farin. *pensio nō est merè temporalis, sed spiritualitati annexa, vt ostendit Prob. ad gl. Gram. de collat. §. item quod vniuersitas vers. beneficiorū n. 4. Rebuff. de pacif. possess. n. 114.* fortè melius *n. 134.* vbi ex hoc censet, pensionem vendi nequaquam posse, aut pro alia re temporali remitti. Atque hæc quidem omnia, aliaque similia, latiùs explicantur à *Garcia de benef. part. 1. cap. 5. n. 7. & plurib. seqq. vbi refert Rotæ Romanæ decisiones.*

44 Certè iura, quibus Doctores, asserentes pensionem esse rem prorsus tēporalem, innituntur, vt animaduertere licet apud eumdem *Rebuff. loc. cit. n. 132.* sūt *c. 1. & 2. de trāsact.* quę tamen minimè id probare videntur: vtrobique enim solum statuitur, simoniam esse, pensionem alicui solà partium pactione, vel transactione constitui, vt ille ius præsentandi, vel spiritualem subiectionem remittat. Ex quo continuò haud rectè concluditur, pensionem rem esse omnino profanam: quamuis enim simonia, iure diuino prohibita, necessariò requirat venditionem, seu commutationē rerum spiritualium cuiuscumque generis pro re prorsus profana, ac temporali, vt fert crebrior Doctorum sententia; ac proindè si eiusmodi esset hęc, de qua loquimur, simonia, rectè arguerent laudati Doctores; nihilominus eam solum esse humani iuris (quam quidem dari aptè probat *Less. de iust. & iure cap. 35. dub. 4.* ex communi Theologorum, iurisque Pontificij interpretum sententia contrà Durandū, ac paucos recentiores, qui hunc sequun-

quuntur) manifestum videtur: quandoquidem nemo negabit, id iure fieri Pontificis indulgentia, seu dispensatione.

45 Atqui hæc iuris humani simonia necessariò nequaquam exigit, vt alterutrum extremorum res sit omnino temporalis, ac profana: quin imo sæpè euenit, vt vtrumque sit spirituale quidpiam, aut certè illi annexum; vt cernere licet in beneficiorum permutatione, absque superioris auctoritate præstita, renunciatione reciproca, simonia confidentiæ, ac similibus, de quibus *Less. modo allegatus*; ac præcipuè de beneficiorum permutatione *Vrban. 3. in cap. quæsitum, de rer. permutatione*, ità loquitur: *Generaliter teneas, quòd commutationes præbendarũ de iure fieri non possunt, præsertim pactione præmissa, quæ circa spiritualia, vel spiritualibus annexa labem semper continent Simoniæ*. Ex quibus profectò verbis, sicuti nemo rectè inferret, alteram præbendarum quid esse merè profanum, ac omnino temporale; ità id neque aptè concluditur in casu, de quo loquimur. His adde *Nauarrum in relectione cap. si quando, de rescrip. excep. 4. versus fin. & in Enchir. cap. 23. n. 100* vbi affirmat, absque rei temporalis traditione posse simoniã etiã realem interuenire.

46 Neque rectè concluditur, pensionem quid esse merè profanum, ex ipsius finitione tradita post alios *à Gigã. q. 1.* quia scilicet ea est certa portio fructuum ex aliqua mensa, vel benefcio ad tempus separata: hæc enim ratio appositè diluitur ab eodem *Nauarr. in cons. 52. tit. n. 6. de præb.* vbi satis ostendit, eam definitionem minimè probandam: quia non conuertitur cum suo definito, vt debet conuerti *l. 1. ff. de dolo, & contum. notatque Bart. recep. in l. 1. ff. de testam.* certumque est apud omnes Theologos, & Philosophos: conuenit enim, vt ait *Nauarrus*, multis, quibus non competit definitum: quia conuenit omnibus stipendijs, quæ constituuntur ex mensa Ecclesiæ, vel de fructibus beneficiorũ ad tempus, quibuscumque, etiam laicis, cuiuscumque sexus, qualitatis, artis, & officij fuerint, ob benemerita, vel ob aliquod officium in Ecclesiæ obsequium exercendum; quale habent aliquod medici, chirugici, sacristæ, campanarij, latomi, & fœminæ curantes infirmos in hospitalibus beneficijs annexis, & cantores, Bedelli, atque alij similes, quibus non conuenit definitum, scilicet pensio Ecclesiastica beneficialis. Addit deindè *Nauarrus*, alias quoque rationes, pensionisque definitionẽ paulo ante à nobis allatam. Illud vltimo loco monendum est, hodiè non posse amplius dubitari, quin pensio ecclesiastica, prout est in vsu, res sit omnino spiritualis, vt passim *Rota Romana* docet: cuius decisiones, ac alios penè innumeros Doctores, idem sentientes, retulit *Garcia d. p. 1. cap. 5. n. 8. & plurib. seqq. & vide Suarez d. tom. 1. de relig. lib. 4. cap. 26. à n. 8.*

§. VII.

In quibus Pensio, ac Beneficium conueniant: & vlteriùs confirmatur *Barbatiæ* opinio, volentis pensionem esse beneficium.

SVMMAE.

47 *Vlterius probatur malè asseri particulas, seu alia, positas in* cap. ad Audientiam cit. *repetere dissimilitudinem.*

Beneficium simplex plurimum differt à curato.

48 *Pensio, ac beneficium, in quibus conueniant: & quæ ad beneficium ecclesiasticum dignoscendum requirantur: hoc non confertur, nisi à Prælato Ecclesiastico: & Prælatus non potest sibi illud retinere: & nonnisi clerico de eo prouideri potest: & debet habere quid spiritualitatis datur; propter*

ter officium: ac esse debet perpetuum quantum ad eum, cui confertur: ac demum de eo prouideri debet purè, & absque pactione.

49 *Hæc omnia pensioni quoque conueniũt; eam solus Pontifex constituit: & secundum aliquos, Episcopi.*

50 *Collator non potest sibi pensionem reseruare.*

51 *Pẽsio nequit pretio cõstitui, aut redimi.*

52 *Pensio multa habet communia cum beneficio.*

Pensionarius, quod sibi superest, debet in pauperes expendere.

53 *Pensio ob hæresis crimen amittitur: & ob matrimonium contractum, etsi aliàs nullum: nisi laicali titulo fuerit collata.*

54 *Pensio amittitur religionis ingressu, secuta professione: item promotione.*

55 *Tapiæ doctrina de illegitimo expenditur.*

56 *Pensionis mentio facienda in beneficij impetratione: & duæ non possunt sub eodem tecto detineri, de eaque soluitur decima Papalis: & caritatiuum subsidium.*

57 *Sententia Barbatiæ in quo fundetur.*

58 *Beneficium est quidam vsusfructus, seu vsus.*

59 *Partes habent homogeneas, tum vsus, tum vsusfructus: & hic solum diuiduus est; reliquæ seruitutes indiuiduæ.*

60 *Pensio est ius percipiendi fructus; non autem portio fructuum.*

47 SEd quamuis hùcusque explicata, atque alia inter pensionem, ac beneficium intercederent discrimina; non tamen ideo videtur, rectè statim argui, particulas *seu, alia,* positas in *cap. ad audientiam 2. de rescript.* à *Barb. cit. n. 17. suprà* ad suam opinionem comprobandam perpensas, reperere dissimilitudinem, seu diuersitatem: nam primo simplex beneficium ab eo, cui imminet animarum cura, ac præsertim ab Episcopatu, plurimum differre, satis constat ex multis, quæ ab hoc exiguntur, illi minimè necessaria: & nihilominus, si eæ dictiones hæc inter collocarentur, nemo profectò iure negaret, eas fore similitudinis repetitiuas.

48 Deindè, licet pensio, ac beneficiũ discrepent in quibusdam; in pluribus tamen omnino conueniunt: etenim, vt omnes prorsus tradunt Doctores, ac præcipuè ipsemet *Gigas q. 86. nu. 7. & q. 99. n. 24.* sequuti *Abbatem in cit. cons. 57. part. 2.* ad Ecclesiasticum beneficium dignoscendum, sex fermè requiruntur: primum quidem, quia nonnisi ab ecclesiastico Prælato communi iure conferri potest; licet quandoque ad laicum spectet præsentatio, vt in *cap. 3. de iurepatronatus, Innoc. in cap. quod sicut, de elect.* Secundum est, vt Prælatus, qui debet conferre, illud sibi retinere non possit, vt in *cap. fin. de instit. & not. in cap. relatum, de præben.* Tertium est, quod de eo, nonnisi clerico prouideri potest, vt in *cap. cum adeo, de rescrip. cap. ex literis de transact. cap. 2. de instit.* Quartũ est, quod habeat aliquid spiritualitatis annexũ, vel cui annectatur: vndè propter diuinum officium datur ecclesiasticum beneficium, vt in *cap fin. de rescrip. lib. 6. cap si quis Sacerdotum, distinct. 81.* Quintum est, quod perpetuum sit, quantum ad eum, cui confertur: quod est proprium ecclesiasticorum beneficiorum, *cap. Sanctorum dist. 70. cap. penul. de cler. ægrot. & not. in cap. si gratiosè, de rescrip. lib. 6.* Sextum deniq; atque vltimum est, quod de eo prouideri debet purè, & sine pacto, & conditione, & non pro alio commodo tẽporali; aliter committeretur simonia, *c. quam pio 1. q. 2. cap. fin. de pactis cap. consulere, atque alijs, de simonia.*

49 Quæ quidem omnia pensionibus, ac beneficijs communia esse constat: quod enim attinet ad primum, illud quidem in omnium prorsus sententia pensionibus potiori iure competit, quam beneficijs: nã potestas eas cõstituendi apud solum Romanum Pontifi-

tificem residet, vt probabilior opinio docet, ac diximus *suprà nu. 33. & seqq.* notatque *Lotterius de re benef. lib. 1. q. 35. num.* 18. beneficia vero inferiores quoque Prælati passim conferunt. Saltem omnes conueniunt, solum Pontificem, ac Episcopos, iusta tamen caussa concurrente, eas constituere, vt tradunt *Gig. quæstione 6. Less. lib. 2. cit. cap. 35. dub. 38. à nu. 204. Rebuff. de pacif. possess. à n. 102. Nauarr. d. cons. 52. de præb. n. 2.* atque alij passim: de qua re vide *Lotter. loc. cit.* beneficia vero etiã alij inferiores conferunt.

50 Secundum quoque pensionibus conuenire probat *Rebuff. loc. cit. num. 117.* neque enim potest collator sibi pensionem reseruare. De tertio, quarto, quinto *suprà à n. 21. vsque ad* 47. dictum est satis. Addo tamen quod spectat ad quintum, *Abbatem* expressim docere, beneficium perpetuum esse quantum ad eum, cui confertur (id ex industria reticuit fortè *Gigas*, quòd eius doctrinæ aduersabatur) id est, vt ipse interpretor, ad vitam beneficiarij, vt ex iuribus ab ipso adductis apertè constat: quod maximè pẽsionibus conuenit, quæ ad obtinentis vitam perdurat, vt *suprà n. 26.* etiam dictum est.

51 Sextum denique pensionibus quoque competere multi probant, & cõstat ex ijs, quæ *suprà à nu. 37.* ex *Nauarro*, atq; alijs retulimus. Vltrà quod *Azpilcueta in enchir. cap. 23. num. 111.* ait, pensionem solitam constitui super Ecclesiastico beneficio, pecunia redimi, aut constitui nequaquam posse: idque alibi se neruosè ostendisse: eãque affirmat spiritualibus annexam, atque in eius emptione, venditioneque simoniam committi: idemque repetit in *cons. 52. de simonia n. 1. lib. 5.* quod etiam, etsi dubius, dixit *Lessius lib. 2. citato cap. 35. dub. 4. n. 26.*

52 Sed præter hæc, pensio, ac beneficium plura alia communia habent: primùm enim obstringitur pensionarius, quicquid ex fructibus superest, vltrà decenti eius statui necessarios, in pauperes, aliaue pietatis opera expendere, vt ait *Nauarr. Miscell. 45. de orat. nu. 6.* & rectè *tract. de redit. ecclesiast. q. 1. monito 32. n. 2.* validis id rationibus ostendit, vt apud eumdem animaduertere licet. Et in *comment. de spolijs cler. super cap. non liceat Papæ 12. q. 2. §. 8. n.* 8. ex Pij V. constitutione, ibidem ab eo allata, notat textũ clarè probantem, beneficia, & pensiones in materia spoliorum, ac per consequens oneris reditus distribuendi, æquiparari: quod idem post eum dixit *Sà verb. Pensio in fin.* & plures alij *apud Garc. d. p. 1. cap. 5. nu. 161.* quicquid alij dicant apud eumdem *num.* 160.

53 Deindè ob hæresis crimen pensio amittitur, vt probat *Gigas q. 94. nu. 7. Farin. decis. 123. n. 11.* Item matrimonio contracto, etiam aliàs nullo secũdum quosdam, vt ait *Sà* n. 4. vbi allegatur *Nauarr. de orat. & hor. can. cap. 21. n. 23 fortè 53. & de red. eccles. loco cit.* idem tradunt alij plures apud *Garciam p. 1. cap. 5. n. 106. & seqq.* ac prẹsertim *Gigas q. 54 Couarr. in epito. lib. 4. decretal. 2. p. c. 6. §. 3. n. 6.* vbi in fine ità affirmat, esse Romanæ Curię stylũ, citatque *Io. Bapt. de S. Seuer. de pensiõ. q. 90.* qua de re latè *Sanchez de matr. lib. 7. disp. 44.* modo ea collata non sit laico laicali titulo: tunc enim ex Pontificis dispensatione obtinuit, retinetque: vt eueniet quoque, si eodẽ titulo ex Papæ indulgentia beneficium possideret.

54 Quarè non videtur ad rem conferre id, quod affert *Tapia*, quod scilicet, si pensionarius fiat miles, vel vxorem ducat, pensio non vacat; seu, meliùs loquendo, non extinguitur; nam vel loquitur de pensionibus laicali titulo obtentis; eoque casu ex Pontificis venia non perduntur: sicuti neque beneficia eodem nomine, seu titulo, obtẽta vacarent: quod si clericali titulo, & vxorem ducat, iam dictum est extingui: si miles fiat, probabile quidẽ est,

non tamen certum, non extingui: eodemque pacto beneficium tunc nequaquam amitti, tuentur quidam, vt apud *Gigan.q.55.n.2.* animaduertere licet. Item amittitur pensio religionis ingressu, sequuta professione: *Gigas q.57. Rebuff. de pacif. possess. nu. 137. verb. vltima conclusio*, alijq; eodemque pacto promotione eā extingui, tradit post alios *Anast. Germon. Tract. de Indult. § si vero illa num. 39.* de quo vide *Garc. d.p.1.cap.5. à num. 105.*

55 Iam vero pensio absque Apostolica dispensatione irregulari, vel illegitimo non confertur, vt *supra nu. 38.* dictum est. Atque hic animaduertendum est, *Tapiam* minus rectè hoc afferre tamquam aliquod discrimen inter beneficium, ac pensionem, cum ex ipsiusmet quoque expressis verbis apertè liqueat, illud esse vtrisque commune: ipse enim tacitæ occurrens obiectioni, quia scilicet pensio ex beneficio procedit, ait id nihil referre; *Nā*, inquit, *cum beneficium illegitimus consequi absque dispensatione non possit; pensionem tamen obtinere potest, si clericus fuerit primæ tonsuræ, & super illegitimitate dispensatum.* Equidem non video quodnam sit hoc discrimen, cū idem prorsus de vtroque affirmetur, vt ex terminis ipsis manifestum est: nisi fortè aliud intellexerit vir non minus ætate, quam doctrina perspicuus: certè ipsa verba nihil aliud præseferunt. *Vide infrà num. 70.*

56 Pensionis quoque in beneficij impetratione mentionem fieri debere, censet *Barb. relatus à Gigan.q.28.n.3. per text. in d. cap. ad audientiam de rescrip. Menoch. lib. 2. de arb. Iud. cent. 3. casu 201. num. 51.* & innumeros citat *Gonzal. in reg. 8. Cancell. glos. 5. §. 5. nu. 17. & Garcia part. 1. cap. 5. num. 81. & Rebuff. nu. 115. loc. cit. de pacif. poss.* monet, quòd hodie, cum quælibet pensio succedat loco beneficij, quia datur in perpetuum, ideſt ad vitam recipiētis, ideo impetrans debet de ea facere mentionem, *Gloss. in reg. 61. in fin. in reg. cancell.* de quo tamē vidēdi plures apud *Garciam d. part. 1. cap. 5. à n. 75.* Duas quoq; pensiones nequaquam posse sub eodē tecto obtineri, probat idem *Rebuff. in praxi benef. in rub. de dispens. ratione ætatis § etiamsi sunt sub eodem tecto:* licet contrà cēseat *Gigas q. 32.* Denique de pensione soluitur decima Papalis: post alios *Gigas qu. 59.* caritatiuum subsidium: *idem q. 28.* Atque alia huiusmodi communia cū pensionibus, tū beneficijs passim apud Doctores præcipuè de pensionibus agentes animaduertere licebit, quæ breuitatis gratia omittenda censuimus: plura refert *Garcia de benef. p. 1. cap. 5.*

57 Atque horum omnium ratione nō ineptè potuit *Barbatia sup. nu. 17. cit.* asserere, voculas, *seu*, & *alia*, sæpius repetitas in *cit. cap. ad audientiam de rescrip.* omnino similia complecti; proindeque potiùs ex *eodem cap.* pensionem esse beneficium, quam contrarium inferri. Id quod præter rationes ab eo allatas, videtur vlteriùs posse alia non incongrua probari.

58 Nam beneficium formaliter, ac veluti in recto, vt Philosophi loquūtur, est quidam vsusfructus, seu mauis vsus: est enim ius rebus Ecclesiæ vtēdi, fruendi, salua rerum substantia, vt *instit. tit. de vsufructu.* atque ideo à Doctoribus beneficiarius vsufructuario, vel vsuario comparatur, qua de re vide *Petr. Greg. Tholos. instit. rei benef. cap. 9. n. 6.* qui vsuario comparandum defendit: *Flaminius vero Parisius de resig. benef. lib. 3 q. 15. n. 2.* vsufructuario: quod etiam censet post *Imolam Gigas q. 49. n. 1*, idque clarum esse, ait *num. 7.*

59 At vero certum est, vsum, seu vsufructum partes habere homogeneas, seu, quod idem est, eiusdem rationis; ita vt earū quælibet vsus, seu vsusfructus sit partialis: quamuis de cætero verum sit, solum vsūfructum esse diuiduum, reliquas seruitutes, ac proinde

fındè vsū, indiuiduas *l. vsusfructus* 2. *ff. de vsufructu,l.* 1. *§. si vsusfruct° ff. ad leg. Falcid. l. pro parte ff. de seruit. l. vsus pars ff. de vsu, & habit.* Eodem igitur modo quælibet beneficij pars, ideoq; pensio, quæ ipsius est pars, vt infrà ostendetur, eiusdem prorsus rationis esse debet.

60 Quæ quidem ratio vlteriùs confirmatur, quià pensio, vt *suprà num.* 39. dictum est, nequaquam est fructuum portio, sed ius eam percipiendi; atque ideo formaliter est partialis rerum ecclesiasticarum vsusfructus, ipsique de beneficij definitione nihil videtur deesse, nisi quod non sit totale, seu vniuersum ius fructus percipiendi· quod proculdubio non est satis ad eam excludendam à beneficij ratione: quandoquidem ipsummet beneficium, quo tempore pensionibus grauatur, nequaquam est ius omnium prorsus fructuum percipiendorum, vt ex se manifestum est.

§. VIII.

Confirmationes rationis propositæ §. 2. discutiuntur: & Auctoris monitum de expositis hùcusque.

SVMMAE.

61 *Ætera Tapiæ rationes diluuntur.*
62 *Inhabilitatus ad beneficia quomodo talis sit respectu pensionum.*
63 *Beneficium simplex non requirit hodie residentiam.*
64 *Pensio an titulum tribuat.*
65 *Beneficium essentialiter respicit titulum officij spiritualis.*
66 *Papa habet in beneficijs plenariam potestatem.*
Hodie titulus beneficialis idem est, ac beneficium.
67 *Quæ à Tapia afferuntur conueniunt pensionibus laicali titulo collatis.*
68 *Conclusio non debet esse certior, quam præmissa: & vitium est intellectus contrarium exequi.*
69 *Communior opinio docet, pensionem propriè non esse beneficium.*
70 *An illegitimus, iam per dispensationem clericus, possit absque alia dispensatione pensionem habere, vtraque opinio probabilis.*
71 *Idem dicendum de irregulari: pro quo adest declaratio Cardinalium.*

61 IAm vero, quod attinet ad ea, quę à *Tapia* afferuntur, veluti confirmationes quędam suæ præcipuę rationis, aio eorum aliqua soluta fuisse in tota hac prima dilutione *à §. 3. vsque ad hunc* 8. explicata: cætera nũc diluemus.

62 Et illud quidem, quod ex *Nauarro in cons. vnico de rescrip.* desumpsit, puta ad beneficia inhabilitatum, talem minimè esse respectu pensionum; ex ipsomet *Nauarro* apertè constat procedere in pęnalibus constitutionibus, in quibus ratione odij stricta interpretatio fieri debet. Deficit quoque hæc propositio in illegitimo, irregulari, atque alijs, vt *suprà nu.* 38. expositũ fuit. Certè ipsemet *Nauarr. cons.* 11. *n.* 2. *de temp. ordin.* quẽ citat, & sequitur *Garcia p.* 1. *cap.* 5. *nu.* 121. ait: incapacem beneficij, esse etiam pensionis incapacem secundum stylum, qui seruandus est, *cap. quam graui, de crim. falsi.* sequitur *Zerola in praxi Episcop. p.* 1. *verb. irregularitas §.* 8. *& verb. pensio §.* 6. *Sanchez de matr. lib.* 7. *disp.* 44. *n.* 9. *& lib.* 2. *Sum. cap.* 28. *num.* 36. *alijque apud Garc.*

63 Neque illud vrget, à pensione residentiæ onus non imponi: quandoquidem beneficia quoque simplicia ad id hodiè non obstringunt, vt patet ex totius orbis consuetudine: pro quo videndus est *Mandos. in reg.* 1. *cancell. q.* 14. *n.* 8. *Flam. Paris. de resig. benef. lib.* 1. *q.* 10. *à nu.* 66. alijque apud eosdẽ; & apud *Garc. de benef. p.* 3. *cap.* 2. *à n.* 3. *vsque ad* 9. vbi refert *Rota Romana* decisiones.

64 Demum, quod attinet ad titulum, quem

quem pensionem non tribuere contrà nos *Tapia* asseuerat,quosdam sequutus; aio illud quoq; suas pati difficultates:nam,si nomine tituli ipse intelligat ius ipsum fructus percipiendi; id non rectè pensioni denegatur: siquidem,vt sæpè hùcusque diximus, pensio ius est fructus,seu eorum partem percipiendi. Si vero tituli appellatione rectiùs sentiat ipsum spirituale officium, ob quod beneficiū tribui omnes affirmamus ex *cap. fin. de rescrip.* alijsque;dici quoque poterit, pensionem quidem suapte natura illum tribuere: ex accidenti verò euenire, seu contrà eius naturam, vt constituta nō tribuat.

65 Atque id quidem hunc in modum probatur, atque explicatur. Pensio,vt dictum est sæpè, formaliter consistit in iure fructuum partem percipiendi: quod quidem partiale ius proculdubio pars est illius,in quo ipsum beneficium in recto, ac formaliter cōsistit: hoc autem totum ius,quantumcumq; est,essentialiter respicit titulum officij spiritualis,seu,vt loquitur *Valen. 2.2. disp.6.q.16.punt.2. vers. & eam ipse propterea*, est formaliter loquendo quædā relatio, quæ in ipso titulo spiritualis officij fundatur,ità vt, ab hoc abstrahendo, eiusmodi ius perfectè concipi non possit: vndè quælibet huius iuris pars de eiusmodi essētia participat;ità vt sua natura spiritualem titulum, tāquam essentiale cōnotatū, respiciat.

66 Quo igitur tempore hæc pars à toto separatur, non amittit hunc respectum sibi prorsus essentialem, ac veluti in actu primo, seu in habitu conueniētem, sed solum quasi in actu secundo suspenditur;& quidem ex accidenti, & contrà ipsius naturam, atq; exigentiam. Ad eum planè modum, quo idem euenit in beneficio, cum Pontificis dispensatione laico confertur:illud enim nequaquam amittit titulum,aut beneficij appellatione non includitur; sed solum eo casu veluti suspenditur quoad actum secundum respectus ille essentialis, quem ad spirituale officium habet,ob quod conferendum est; quod à summo Pontifice fieri iure posse nemo dubitat; habet enim ipse in beneficijs plenariam, atq; omnimodam potestatem, *cap. 2. initio, de præben. in 6. Clement. 1. in fin. vt lite pendente, cum concord.* passimque Doctores animaduertunt. De titulo beneficiali rectè, vt solet, *Lotter. de re benef. lib. 1. q. 2.* vbi *nu. 44.* titulū sumit pro loco, cui adiectum est munus à clerico persoluendum:beneficium vero ait esse retributionem illius muneris: & *num. 47.* admonet, hodie pro eodem sumi titulum beneficialem, ac beneficium: quomodocumque vero accipiatur, semper tradita doctrina locum habet.

67 Denique ea prorsus omnia, quæ à *Tapia* adducuntur, locum sibi vendicant in ijs solum pensionibus,quæ laicali titulo conferuntur; non vero quæ clericali, vt ex se satis constat: at vero in casu nostro omnes, quæ Siculis beneficijs imponuntur, vel impositæ hùcusque fuere, clericali nomine sūt collatæ, vt innumeris propemodum exemplis comprobari posset.

68 Illud vltimo loco monuerim, multa,quæ in hac prima responsione *à S. 3. vsque ad 9.* exposita sunt, à nobis nequaquam omnino probari, vt probabilia tamen adduci,ad ostendēdam propositionem illam,seu antecedens contrà nos assumptum, in quo asserebatur,pensionem non esse beneficium, non omnino certum censeri debere; imo potius satis dubium, ità vt malè ex eo ità dubio,certum omnino Siculis detrimentum, ac præiudicium inferatur. Non enim certior debet esse conclusio, quam præmissæ. Vndè ex Aristotele Philosophi omnes edocent,vitium esse speculatiui intellectus, si quispiam in rebus naturalibus magis alicui conclusioni, quam præmissis,ex quibus ea infertur,assentiatur:eodemque modo aiunt, vitium

esse

esse intellectus practici, si quispiam in rebus, quę ad mores spectant, certiùs cuipiam conclusioni assentiatur, quam præmissis, ex quibus elicitur. Quare in casu, de quo agimus, non rectè videtur *D. Tapia* ratiocinati; nam malum, quod ipse Siculis infert, non est incertum, & dubium; sed certum, & determinatum; caussa vero inferêdi est omnino dubia, & incerta, vt ex dictis apertissimè constat.

69 Dixi plura hùcusque tradita à nobis non omnino probari; sed vt probabilia solum afferri; neque enim ignoramus, communiorem esse Doctorum sententiam, quæ docet, pensionem strictè, ac propriè, non esse beneficium ecclesiasticum, vt omnes fatentur in *cit. cap. quamuis 2. de præb. in 6. & in cap. ad audientiam 2. de restrip.* ac latè tradunt penè innumeri cum Theologis, tum Iurisconsulti, quos citat, ac sequitur *Garcia de benef. part. 1. cap. 5. n. 3. Gonzalez in reg. 8. cancell. glos. 5. §. 5. nu. 2. Barbos. de potest. Episcopi alleg. 57. num. 150. & de Appellatiua verb. vtriusque iuris signif. appell. 32. nu. 2. Ricci. in decis. Cur. Archiep. Neapol. decis. 186. n. 15. & 285. n. 11. part. 4.* qui etiam *Rotæ Romanæ* decisiones recensent: quorum tamen sententiam ex hùcusque traditis dubiã saltem reddidimus. In quibus vero pensio cum beneficio communicet, in quibus vero non communicet, vide *Garciam p. 1. cit. cap. 5. & Ricc. d. decis. 285. n. 11. aliosque citatos.*

70 Neque iterum ignoramus, ex prædicta doctrina plura à Doctoribus inferri, quæ supra ipsi euertere conati sumus: de quibus latè *Garcia loco cit.* atque alij etiam laudati: quorum aliqua nos etiam vera existimamus; aut saltem admodum probabilia: ac præsertim posse illegitimum sine dispensatione obtinere pēsionem; si clericus tamen reperiatur: ità vt dispensatio quidem necessaria sit, vt clericus fiat; non tamen, vt deindè pensionem obtineat: vt certè requiritur secunda dispensatio ad beneficium obtinẽdũ: quod fortè dicere voluit *D. Tapia citatus num. 55.* Ità edocuere *Rota*, pluresque alij apud *Garciam num. 155. & seqq & Ricc. decis. 186. cit. n. 11. & 12.* licet à *Garcia* contraria opinio defendatur, qui alios idem sentientes sequitur *num. 119. & seqq.*

71 Idem cēseo de irregulari: quamuis enim plures sint, qui censent, eum esse pensionis incapacem, quos retulit *Garcia part. 1. cap. 5. nu. 135.* tamen alij plures contrarium sentiunt apud eumdem *num. 136. & seqq.* præsertim ob declarationem Sacræ Congregationis Cardinalium, quam refert idem *Garcia*: apud quem alia huiusmodi animaduertere licet, quæ omnino sũt dubia: quamobrem ex hisce dubijs præmissis, certum penitus Siculis detrimẽtum non benè inferri rectè præmonuimus.

§. IX.

Fundamentum sententiæ negantis, pensiones Alternatiua comprehendi, secundò euertitur, eò quòd pensio larga beneficij appellatione comprehẽditur.

SVMMAE.

72 *Pensio largè est beneficium.*
73 *Pensio, sicuti beneficium, religionis ingressu vacat, secuta professione: & n 74.*
74 *Reijcitur Barbosa.*
75 *Probatur, pensionem largè esse beneficium & n. seqq.*
76 *Litera beneficiales ambitiosę & restringenda.*

72 Assumptum igitur illud, seu antecedens *in fine §. 2.* positũ, quo negatur, pensionem esse beneficium, omnino distinguendũ est, ità vt gratis detur esse verum, si stri-

strictim loquamur; contrà vero negetur: si largè id accipiatur. Itaque aio, latè sumpto beneficij vocabulo, pensionem quoque concludi; quod rectè monuit *Gigas q. 28. n. 1. ex Abbatis doctrina in cap. ad audientiam, secundo, de rescrip. n. 2.*, vbi; *dicerem*, inquit Panormitanus, *ponendo veritatem, quod annua pensio est beneficium, sumendo beneficium latè.*

73 Atque huic quidē doctrinæ nixus, rectè arguit idem *Gigas q. 57. num. 6.* concluditque, pensionem extingui, si pēsionarius Religionem ingrediatur, quia beneficia Religionem ingressi, sequuta professione, vacant, conferriq; possunt, *cap. beneficium de Reg. Iur. in 6. verbum autem beneficium*, inquit Gigas *positum in illo textu, intelligitur largè de quocunque beneficio, vt ibi dicunt Io. And. Dom. Fran. initio: constat autem*, subdit idem Gigas, *quod lata sumpto vocabulo, beneficij appellatione venit etiam pēsio.* Et extingui quidem pensionem professione expressa, vel tacita, docent plures apud *Garc. n. 114. & dixi n. 54.*

74 Quod etiam videtur sensisse *Petrus Greg. Tholos. instit. rei benef. cap. 11. n. 5. Lotter. de re benef. lib. 1. q. 35. initio* vbi docet, pēsionem sub lata quidem beneficij nuncupatione comprehēdi, sed ità proxima strictæ, vt in pluribus communicet: *Rota Rom. apud Garciam p. 1. cap. 5. n. 52.* ait, pēsionem propriè non esse beneficium: ex quo sequitur, impropriè, & largè beneficium dici. Vnde audiendus non est *Barbosa de appell. vtriusque iuris signif. Appell. 32. n. 2.* qui ait, pensionem nec lata beneficij appellatione contineri; id enim minimè docent Auctores ab eo inibi laudati: nam solum aiunt, beneficij nuncupatione pensionem non comprehendi, addētes propriè, vel strictè; vel nihil aliud explicantes.

75 Mihi satis id probatur: tum quia pensio ius est fructus percipiendi ex bonis ecclesiasticis, vt sæpè dictum est suprà: in qua quidem ratione veluti generica eam cum beneficio conuenire satis constat ex vtriusque definitione; solumque differentiationibus eiusmodi genus contrahentibus, si modo differre censendum est: quare largè pēsio beneficium dici optimè potest.

76 Tum quia in *cap. quāuis 1. de preb. in 6.* contrà nos in hac ratione allato, ità loquitur Bonif. 8. *Quamuis plenissima sit aliàs in beneficijs interpretatio facienda; literæ tamen super obtinendis beneficijs impetratæ, debēt, cum sint ambitiosæ, restringi: & ideo, si alicui vsque ad certam summam prouideri mandamus, ei non in pensione, sed in beneficijs ecclesiasticis tātum volumus prouideri.* Excluditur ergo pēsio in hisce literis, quia ibi stricta interpretatio fieri debet: si igitur plenissima fieret; vtique includeretur: non alia quidem ratione, nisi quia largè beneficij appellatione etiam pensio comprehenditur. Id quod satis innuitur huius capituli initio, vt illud perpendenti manifestum erit. Cum ergo certum sit, pensionē, si largè loquamur, beneficij appellatione comprehendi; apertè quoque sequi videtur, eam Alternatiua concludi, si in ea ampla interpretatio fiat: quam fieri debere ex ijs, quæ sequuntur, satis ostendetur.

§. X.

Ostenditur primò Alternatiuam esse largè interpretandam ex verbis vniuersalibus in ea positis; ac proindè includere pensiones.

SVMMAE.

77 *Alternatiua largè est interpretanda.*
Verbum, omne, *includit vniuersa, neque est restringendum.*

78 *Verbum*, quodcumque onus, *includit omne onus.*

79 *Feudum transit ad extraneos heredes, quādo conceditur pro heredibus quibuscumque.*

80 He-

80 *Hæredis nomine comprehenditur legatarius, si quicunque hæres dicatur.*
81 *Pensio includitur cum dicitur* quodcumque beneficium.
82 *Dispensatus super beneficio, intelligitur super simplici dispensatus: excipitur, cum dicitur ad quæcumq; beneficia.*
83 *Gigantis doctrina nobis fauet.*

77 Etenim verba illa, *omnium*, & *quorumcumque beneficiorum*, in Alternatiuę constitutione posita, vt suprà retulimus, includunt etiam ea, quę impropriè sunt, tolluntque restrictiuam interpretationem, necnon comprehendunt ea, quæ aliàs non comprehenderentur, vt post *Decium conf.* 599. *n.* 2. *&* 3. *Alex. cōs.* 118. *n.* 5. *lib.* 5. *Ruin conf.* 18 *num.* 19. *lib.* 2. affirmat *Rota diuers. decis.* 971. *nu.* 10. *tom.* 1. *Mandos. in reg.* 17. *cancell. q.* 8. *n.* 2 Et innumeros citat *Barbos. de dictiōn. vsufreq. dict.* 241. *n.* 3. vbi, quod dictio *omnis* complectitur, quæ aliàs non includerentur ex vocabuli proprietate: item quòd etiam casus dissimiles comprehendit. Idem tradunt etiam innumeri de dictione *Quicumque* apud eumdem *Barbos. dict.* 317. ac præsertim *num.* 6. vbi, quòd ad improprios casus trahitur; comprehenditque quæ talia sunt impropriè, & abusiuè: ac præsertim in materia fauorabili, vt nostram esse *seq.* §. ostendemus.

78 Quamuis ergo daretur omnino, pēsionem in Alternatiua nequaquam includendam, si Rex eamdem beneficiorum solum concessisset; tamen, cum is addiderit particulas ampliatiuas, vt vocant, *omnium, & quorumcumque*, in ea quoque pensiones complecti censendum est, vt rectè in simili casu arguit *Ruinus in conf.* 18. *cit.* vbi asserit, verbum, *quodcumque onus*, comprehēdere quoque illud, quod aliàs non veniret oneris simplicis appellatione, per *not. in l. Ballista ff. de Trebell. Bart. in l. cum scimus C. de agricolis, & cons. lib.* 11.

79 Item ex *Bald. in cap. Imperialem, in prin. de prohi. feud. alien. per Fed. & in l.* 1 *ff. de rer. diuis. in* 34. *q.* vbi vult, vt feudum, quod sui natura non transit ad extraneos heredes, ad hos pertineat, quando facta est concessio pro hæredibus quibuscunque: quem sequitur *Alex. in l. Gallus* §. *etiam si parente ff. de lib. & posth. in l. si patroni ff. ad Trebell.* atque alibi sæpè, *Decius conf.* 78. *n.* 6. vbi alios allegat; estque communis Doctorum opinio, de qua vide plures, quos retulit *Barbosa de clausf. vsufr. clausf.* 113. *n.* 2. tūc enim ijs verbis omnino vniuersalibus feudi natura alteratur, vt *Decius* ostendit: idemq; tradit in *cap. in præsentia, de probation. nu.* 48. de quo tamen nos alibi fusiùs agemus.

80 Et *idem Dec. conf.* 599. *num.* 2. affirmat, hæredis appellatione legatariū quoque concludi, quando additur vniuersalis vox, *quicunque*: est enim, inquit, legatarius quodammodo hæres, *l. in tempus, in fin. ff. de vsucap.* De quibus quidem omnibus vide *Mandos. in reg.* 33. *q.* 6. *n* 2. ijsque addi possunt ea, quæ huius consilij initio retulimus.

81 Sed ad casum nostrum propiùs accedit id, quod docet *Felin. in cap. postulasti col.* 10. *verb. quarta declaratio, de rescrip.* allegās *Gloss. in clem.* 2. *verb. quodcumque de vita, & honest. cler.* puta pensionem, ac præstimonium includi, cum dicitur, *quodcumque beneficium*: idemque censet *Caccialup. de pension. q. vlt.*

82 Confert id, quod tradit ipse *Felin. in cit. cap. postulasti coll.* 11. *verb. similiter dicit Anania*, vbi refert hunc in *cap.* 2. *col.* 3. *de cler. pugnan. in duell. post Abbatem* ibi asserentem, quod dispensatus super beneficio, intelligitur super simplici dispensatus: fallit hoc, inquit Felinus, quando dispensatio diceret ad quæcumque beneficia: aliosque citat, vt refert *Gigas q.* 19. *num.* 1. Idem habet *Felin. in c. de quarta n.* 16. *vers. sicut pensiones, & præstimonia, de*

præscrip. eum sequuntur *Rebuff. de pacif.possess.n.* 114. vbi ait, id plenè declarare *Paul.de Roma.in tract. de pension.q.7.vers.redeundo*, *Mandosius in Reg.33.cit.q.6.n.2.* & *Sacræ Romanæ Rotæ Auditores* ità cēsuisse, refert *Farin.decis.123.n.11.*

83 Et ipsemet *Gigas eadem q.* 28. quæ à *Tapia* contrà nos producitur, vbi probat, beneficij appellatione nequaquam pensionem comprehendi; *a nu.* 11. *vsque ad.* 16. expressim vult, hanc suam conclusionem locum non obtinere, quando dicitur, *quodcumque beneficium*: tunc enim probat, pensiones includi: quamuis *num.* 16. afferat, id non procedere in casu *cap. quamuis* 1. *de præb.* vbi specialis mentio de pensione est facienda, vt ibi statuitur expressè: quarè nō veniet sub quicumq; quantumuis prægnanti expressione, *cap.cū in illis, initio, de præb. in* 6. alijsque allatis ab eodem *Gigan.loco cit.* & *q.19.n.5.*

S. XI.

Ostenditur secundò Alternatiuam esse largè interpretādam, vti cōformē iuri cōmuni, qua parte solos Siculos ad Sicula beneficia admittit: ac proinde includere pensiones.

SVMMAE.

84 *Lternatiua maximè conformis est iuri communi.*
Prouinciales maximè ad sua Prouinciæ beneficia vocandi.

85 *Electio de Ecclesiæ gremio alij præualet, quamuis à minori parte fiat.*

86 *Cum minus interdicitur, etiam maius prohibetur.*

87 *Exterorum institutio honestati aduersatur.*
Fructus Siculorū beneficiorum, ex quibus componantur.

88 *Spes remunerationis diminuēda nō est.*

89 *Patriæ plurimum debetur.*

90 *Qualibet regio peculiaribus moribus instruitur.*
Honestum, ac fructuosum esset, vnumquemque in sua patria beneficiari.

91 *Ciues à iure Cæsareo exteris præferuntur.*
Atheniensium lex in magistratibus capiendis: item Syracusanorum.
Ciuibus publica eleemosina distribuēda.

92 *Exterorum institutio à SS. Patrum institutionibus est aliena.*

93 *Beneficij impetratio est subreptitia, nisi patria exprimatur.*
In Pastorum electione ouium consensus requiritur.

94 *Abbas ex Ecclesiæ vacantis gremio est eligendus: & Papa ex Colleg.Card.*

95 *Summi Pontifices etiam antiquitùs præceperunt, vt in Ecclesijs Siciliæ nonnisi Siculi præficerentur.*

96 *Ciues nobis sunt potiores, quā peregrini.*

97 *Exteri pluribus in Regnis à beneficiorū consecutione excluduntur.*
Præsertim in Castella Regnis.
In Con.Trid.consultatum fuit, vt beneficia omnia patrimonialia efficerentur.

98 *Pragmatica de hac ipsa re ann.* 1626. *Matriti promulgata.*

99 *Regula, quod quis intelligat idioma, diuini iuris est.*

84 Probatur iterum in Alternatiua largam debere fieri interpretationem, qua parte admittit solum naturales ad beneficia Regni Siciliæ; quia hac parte maximè cōformis communi iuri, & æquitati censenda est: id quod quidem hic ostendere oportet, vt simul tertia *Tapiæ* ratio, quam *n.*12, proponit, diluatur. Probatur igitur apertè, ni fallor, ex *cap. nec emeritis dist.* 61. vbi Cęlestinus Papa sic loquitur: *Nec emeritis in suis Ecclesijs Clerici peregrini, & qui ante ignorati sunt, ad exclusionem eorum, qui benè de suorum ciuium merentur testimonio, præponantur.* Et in seq. cap. *Tunc autem,* inquit, *alter de alterius eligatur* Eccle-

Ecclesia, si de ciuitatis ipsius clero, cui est Episcopus ordinandus, nullus dignus, quod euenire non credimus, poterit reperiri: primum enim illi reprobandi sunt, vt aliqui de alienis Ecclesijs meritò præferantur: habeat vnusquisque fructum suæ militiæ in Ecclesia, in qua suam per omnia officia transegit ætatem: in aliena stipendia minimè alter obrepat, nec alij debitam alter sibi vendicare audeat mercedem: sit facultas Clericis renitendi, si se viderint prægrauari; & quos sibi ingeri ex transuerso agnouerint, non timeant refutare, &c. quod quidem caput, etsi de Episcopis expressim loquatur; eius tamen ratio alijs quoque beneficijs est communis, vt optimè animaduertit *Abb. in cap. ad decorem n. 4. de instit. Mandos. in reg. 16. q. 41. n. 9. Rota Rõ. in vna Calag. apud Garciam p. 7. de benef. cap. 9. num. 5. in fine:* vbi, quòd, attenta iuris communis dispositione, naturalibus potiùs, quam extraneis debent beneficia conferri. Eamdemque textus rationem quoad pẽsiones quoque vim obtinere nemo non intelliget.

85 Honorius 3. in *cap. fin. de cler. pereg.* Episcopo Regin. rescribens: *Te nobis*, inquit, *proponente dicimus, quòd quidã Prælati Ecclesiarũ tuæ iurisdictionis in Ecclesijs sibi commissis, sine conscientia tua, clericos de alienis Episcopatibus instituere non verentur. Attendentes igitur id eis nulla ratione licere, cum sit honestati contrarium, & à Sãctorum Patrum institutionibus alienum; inquisitioni tuæ taliter respondemus, quod tibi liceat, eos exinde remouere; nisi aliquos ex dispensatione in eisdem ecclesijs duxeris dimittendos.* vbi *Gloss. fin.* notat arg. quod nullus potest eligi de aliena diœcesi; sed tantum debet postulari; & solum per dispensationẽ de alijs Episcopatibus clerici instituuntur: hincq; ait, sumi validum argumentum pro eorum opinione, qui sentiunt, semper electionem de Ecclesiæ gremio alij de alia factæ præualere, etiamsi à minori parte fiat: de quo latè eadem *Gloss. in cap. cum inter canonicos, de electione.* Quin ipsimet Romani Imperatores Arcadius, atque Honorius *in l. in Ecclesijs, C. de Episc. & cler.* sanciuère, vt ad ecclesias ij promouerentur, qui de eadem ciuitate, vel oppido, cuius est Ecclesia, extiterint.

86 Quibus sanè iuribus liquet manifestè, nõ esse ad vnius diœcesis beneficia, alterius clericos promouendos, seu instituendos: ac proindè multo minus alterius Regni: id enim maius est: atqui, cum minus interdicitur, etiã maius prohibitum censetur, iuribus allatis à *Gloss. in cap. ex parte 3. de decim. verb. conceditur, & in cap. per venerabilem verb. in minori, qui filij sint legi. & in cap. cui licet, de reg. iur. in 6.* Idque in re nostra manifestissimũ est: qui enim alterius est Regni, alterius quoque prouinciæ, nedum diœcesis existit.

87 Exterorum institutionem honestati contrariam, atque à Sanctorum Patrum institutionibus alienam, rectè censuit Honorius. Equidem honestati maximè aduersari puto, vt etiam videtur existimasse Cœlestinus suprà laudatus, quempiam alterius militiæ, ac laboris fructum, alienaque stipendia, seu mercedem sibi vendicare: quod vtiq; eueniret, si extero, exclusis Siculis, illius Regni beneficijs prouideretur: cum præsertim inibi ecclesiastici reditus ex decimis, primitijs, oblationibus, pijs legatis, atque ex fructibus agrorum, expensis, sudore, ac labore eorumdem Siculorum collectis, componantur. ex quo quidem capite communiter Doctores tradũt, Prouinciales in beneficiorum prouinciæ prouisione ius prælationis obtinere. Id quod etiam perpendit *Rebuff. in praxi benefic. titul. de rescrip. mixtis n. 8. fol. 286. & in tract. de pacif. possessorib. n. 217. Salced. pract. crim. Canon. cap. 54. Gul. Bened. in cap. Raynutius verb. & vxorem n. 485. de testam.*

88 Quin immo iniustum, nedum inhonestum id esse, ex ipsiusmet Cœlestini

verbis colligi videtur:is etenim stipendium asserit,ac mercedem,quod quisque in sua præficiatur Ecclesia:quare videtur id ex iustitia deberi.Nec item honestum est, vt Clericorum, Siculis Ecclesijs inseruientium,ex hoc capite diminuatur spes,quam eorum quisq; obsequio patat sibi *l.nec ei §.præterea ff de adop.*

89 Item ratione constat naturali, plurimũ nos patriæ debere, vt rectè probat *Mandos.in reg.16 cancell q.41.nu.2.& tract. de Ingratitudine cap. 27.* cur ergo non item ipsa nobis faueat, nosque foueat, atque alat? certè ea ingratitudinis esset arguenda, si id minimè præstaret; qua de re idem *Mandosius latè.*

90 Insuper certum est, quamlibet regionem suis peculiaribus instrui moribus,atque imbui,vt ex *l.cum de lanionis §.asinam molendinariam ff. de fũd. instruc.* colligit,alijsque probat *Mandos.q.41.cit.à nu. 5.* quibus imbutos, atque informatos eiusdem regionis incolas supponere iure possumus, ac debemus,*arg.cap.quosdam,& sequent. de præsump.* proindèque aptiùs hos, quam exteros illius ecclesijs inseruituros,eidemque fore conformiores: quod maximè perspiciendum esse,cõstat ex *cap.quoniam in plerisque,de offic. iudicis ordinarij* vbi: *districtè præcipimus,*inquit Innoc.3. *vt Põtifices huiusmodi ciuitatum prouideant viros idoneos,qui secũdum diuersitatem rituum, & linguarum, diuina illis officia celebrent*. & paulo post: *Pontifex loci Catholicum præsulem nationibus illis conformem constituat.*Et *S.Th.2.2. q.63. art.2.ad 4.Ille*, inquit, *qui de gremio ecclesiæ assumitur,vt in pluribus consueuit esse vtilior, quantum ad bonum cõmune,quia magis diligit ecclesiam, in qua nutritus est: & propter hoc etiam mandatur Deut.17.non poteris alterius gentis hominem facere Regem, qui non sit frater tuus.*Vndè rectè *Abb. in cap. ad decorem,de instit.in fine*, ait, valdè honestum,ac fructuosum esse, vt quisque in patria sua beneficietur, sicque alter alterius beneficia, ac stipendia non occuparet.*Panormitanum* sequũtur *Azeuedo l.14.n.7.& 8.tit.3.lib. 1. recop.Cened.pract.quæst.18.n. 7.Mãd. loco cit.& in reg 19.q.15.nu.20. Sylua de benef part.2.q.23.n.34.*alijque plures apud *Garc.p.7.cap.9.nu.6 & seqq.* & originariũ in suæ patriæ beneficijs exteris præferendum, affirmat post alios *Paris.consf.38.n.13.& 14.tom.4.* & innumeros idem sentientes retulit *Garc.d.cap.9.n. 5.* Licet moneant omnes,collationem in exterum factam, prætermisso originario,validam fore. Si ædificiorum quoque rationes, auctore *Vitruuio* apud *Madosium*,ad nationum,gentiumque proprietates aptè debent distribui; quantò magis id in beneficijs,eorumque distributione perpendendum erit?

91 Ius etiam Cæsareum ciues,Incolasque exteris præferre in omnibus animaduertitur: ità in *l.diui ff. de tut.dãd. ab ijs*,eos exteris præfert in tutela: & *l.fin.C.de offic.præt.*solum ciues Vrbis Prætores eligi præcipitur: & *Theod. Rex apud Cassiod. var. lib. 3.epist.6.* ita loquitur: *Sed multò nobis probatur acceptius,quoties dignitatibus reddidimus,qui de ipsa curiæ claritate nascuntur.* Quod adeo obseruandum existimarunt Athenienses, vt ad Magistratus capiendos veros tantum ciues, nõ solum in ea ciuitate conceptos, natosque; sed vtroque etiam parẽte Atheniense proficiscentes,admittendos esse statuerint, vt auctor est *Plutar. in Pericle,atq; Hærod.rer.iud.lib. 10. tit. 11.de incol.& municip.*Syracusij quoque,sublata post Gelonis, & Hieronis Regnum Thrasibuli dominatione, de communi reip, statuq; populati multa consultantes,inter cætera decreuere,magistratus omnes priscis ciuibus distribuere,& familijs vetustis:nam nouos homines,alienigenas,qui à Gelone supra decem millia fuerant adscripti ciuitati,indignum ducebant ad munera publica, honoresque ciuiles ad-

admitti, vti refert *Diodorus Siculus lib. 11. longe post medium*. Publicas quoq; eleemosinas ciuibus tantum distribui debere, probat *Bart. ex l. secunda C. de ann. ciuil. lib.* 11. aliaque huiusce modi pluribus in locis habentur, quæ refert *Mandos. q.* 41. cit. vbi rectè hanc exagitat quæstionem; concluditque id, quod nos intendimus: Idemque tradit in *Reg. 19. q. 51. n. 20. & Petr. Gregor. Tholos. instit. rei benef. cap. 27. nu. 17. late Salced. pract. crim. can. cap. 45. alijsque.*

92 Iam vero exterorum quoque institutionem rectè Honorius suprà laudatus à Sanctorum Patrum institutionibus alienam autumat. id comprobat *Gloss. verb. institutionibus, ex distinct. 71 & 25. & l. in ecclesijs, C. de Episc. Sic de aliena ecclesia*, inquit, *non est assumendus Prælatus, dum reperitur idoneus in eadem, 61. dist. nullus.* Idemque confirmari vlteriùs potest ex *cap. bona secundo §. intelleximus, de postul. Prælat.* vbi: *Quia*, inquit Innoc. 3. *non plenam de personis illius Regni notitiā habebamus, ideoque non poteramus, salua conscientia, eidem ecclesiæ in alia persona, quæ de Regno Vngariæ originem duceret, congruè prouidere, nec vellemus ei præficere alienum, &c.* & ex *cap. quoniam in plerisque cit. de offic. Iud. ordin.* ibi *Catholicum præsulem nationibus illius conformem. ex cap. ne pro defectu, de electione*, vbi: *non differat*, inquit idē Innoc. 3. *viduatam Ecclesiā de persona idonea ipsius quidem Ecclesiæ, vel alterius, si digna non reperiatur in illa, canonicè ordinare*. Addi potest *Gul. Bened. in d. cap. Raynutius § & vxorem à n. 482. Rebuf. loco cit. & in Reg. quod quis intelligat idioma:* præcipuè *Azeuēd. & Mandos. locis paulo ante allegatis Anna alleg. 57.*

93 Hinc *Abb. in cap. si proponente post gloss. fin. nu. 3 de rescrip.* quem allegat sectaturq; *Decius cons. 541.* alibique, vt refert *Mādos. n. 5. Rebuff. in reg. cit. initio, & in trac. de pacif. possess. n. 217. Mierez de Maiorat. 1. part. q. 51. num.* 20. atque alij, affirmat, subreptitiam reddi beneficij impetrationem, nisi patria exprimatur: quia, inquit, si expressisset suam nationem, Papa non concessisset sibi gratiam in partibus alienis; aut saltem non ità de facili. Nō nè ouium consensus ex Sanctorum Patrum decretis in pastorum electione, vel postulatione requiritur, vt in *d. cap. bonæ §. intelleximus*, alijsque similibus? atqui eæ oriundum potius, quam extraneum eligerent.

94 His omnibus adde *cap. Abbate 2 & cap. quam sit 18. q. 2.* vbi præscriptum est, vt Abbas ex Ecclesiæ vacātis gremio clericis, vel monachis, & minimè extraneus eligatur. Item *cap. in Nomine Domini dist 23.* quo præcipitur, vt Summus Pontifex de ipsius Ecclesiæ gremio præficiatur, seu, vt interpretatur *Pet. Greg. Tholos. de elect. cap. 12. n.* 8. de Collegio Cardinalium. Eodemque pacto in *cap. obitū, distinc. 61.* Greg. Papa Barbaro Episcopo mādat, vt nullum in Panormitanæ Ecclesiæ Episcopum de altera ecclesia eligi permittat. Et in *cap. catinensis, eadem dist.* Pelagius Pontifex Eucarpo Messanensi Episcopo iubet, vt ad Catinēsem Ecclesiam pergat, & hominem de eiusdem clero, qui nec vxorem habeat, nec filios eligi compellat. Idem innititur in *cap. de Syracusanæ, dist. 28.* ibi *& nullus est alius in eadem repertus Ecclesia, præter eum*: scilicet qui filios, atque vxorem habebat: qui nihilominus fuit illius Ecclesiæ Episcopus ordinandus.

95 Vbi obiter animaduerto, frequentiùs summos Antistites id obseruādū præcepisse in Siciliæ Episcoporum electione: an fortè quia etiam tunc temporis, quo illius Regni beneficia nullius erant iurispatronatus, Siculi præter commune, peculiare quoque ius obtinebant, vt ad eas Ecclesias eorumdem clerici eligerētur? Præterea in *c. Metropolitano, dist. 63.* statuitur, vt, ex præsbiteris eiusdem vacantis Ecclesiæ Episcopus ordinetur, & in *cap.*

cap. sacrorum dist. 64. sancitur, vt Episcopus secundum statuta canonum de propria diœcesi eligatur. Et in vniuersum *Lambert. de iurepatr.* 24. *art.* 7 *q.* 1. *part.* 2. *lib.* quem citat, ac sequitur *Mandos. loc. cit. q.* 43. *n.* 3. postquam plenè disputauit, an non existens de ciuitate, vel diœcesi, præsentari possit; ante *n.* 19. concludit, vt, inibi repertis idoneis, hi præsententur, atque instituantur.

96 Hûc spectant ea, quæ tradit *Luc. de pen. in l. quisquis. C. de omni agr. desert. lib.* 11. vbi ait, attendendum esse donec ex antiquis bonus habeatur, ex nouis non assumatur: maior enim, inquit, noui bonitas antiquis præiudiciũ afferre non debet. Vulgare est illud *Ciceronis*: potiores nobis sunt ciues, quam peregrini. rectè quoque *Innoc. in cap. diuersitatem, ante finem, de concess. preben.* ait, maximè iustum, æquumque esse, vt Episcopus clericis in propria patria prouideat.

97 Hinc rectè pluribus in Regnis statutum est, vt exteri ab illorum beneficijs excludãtur: ac præcipuè in regnis Castellæ plures leges reperiuntur, quibus id sancitum reperies, vt in *l.* 14. *tit.* 8. *lib.* 1. *recop.* in quam vide *Azeuedum*; atque in alijs, quas refert *Otalor. de nobilit. par.* 2. *cap.* 5. *num.* 11. quod nulla, inquit, ratione fit, nisi nè naturalibus fiat præiudicium, quibus ad sui substẽtationẽ officia, ac beneficia sunt reseruata: & *Couar. pract. quæst. cap* 35. *n.* 5. ità loquitur: *Ius hoc, quod obtinet Castella, nè dẽtur Ecclesiastica beneficia exteris, non tantum à concessione Romanorum Pontificum, præscr.ptione, & vsu immemoriali, vt constat l.* 18. *& sequẽti lib.* 1. *ordin. tit.* 3. *hodie l.* 14. *tit.* 3. *lib.* 1. *recop. multisq; alijs pragmaticis à Carolo V. editis; sed à maxima, & euidenti regiminis spiritualis, & ecclesiastici vtilitate promanat: ita quidem vt ex contrario vsu, & praxi plures contingant Ecclesiarum ministerio calamitates: quarum, si certam habuerit summus Christi Vicarius cognitionem, dubio procul præ illius supreme dignitatis integritate, iustitia, & diuini cultus zelo, tantis totque malis medelam adhibebit:* & multa iura, pluresque Doctores allegat: *Ex quibus,* inquit, *poterit lector multa longiùs deducere ad iustificationem, & defensionem huius iuris, ac priuilegij, quo aduersus exteros in ecclesiasticis beneficijs passim vtimur. Vndè sanctissimum esset, & Reipublicæ consultissimum, quod Ecclesiæ Pontifex, aut œcumenica Synodus sanciret, vt omnia cuiuscumque diœcesis beneficia, saltem curam animarum habentia, patrimonialia efficerentur, atq; non reciperentur, nisi ciues, vel oriundi: quod in Cõcilio Tridentino, summo omnium patrum consensu, consultatum fuisse, testis est Sotus lib.* 3. *de iust. q.* 6. *art.* 2. Idem quoque *Didaco* laudato, asserit *Flam. Paris. de resign. benef. lib.* 12. *q.* 3. *n.* 13. vbi etiam allegat *Sarnẽ. de idiom. qu.* 1. *Syluam de benef. p.* 2. *qu. vlt. & p.* 3. *q.* 26.

98 Atque in vltima pragmatica anno 1626. hac de re edita pro Regnis Castellæ, ità loquitur Rex Catholicus Philippus IV. *Por la experiençia se hà tocado, y visto el daño, que se sigue à los naturales de los dichos Reynos, de que los extrangeros gozan las rentas Ecclesiasticas, de beneficios, prebendas, ò pensiones, defraudando de aqueste emolumento, y reparo delas necesidades communes, y particulares à sus naturales, siendo, como es, en contrauencion de las leyes, y dela vtilidad publica.*

99 His quoque diuinus textus suffragatur: *Non poteris,* inquit Deus Moysi Deut. 17. *alterius gentis hominem Regem facere, qui non sit frater tuus.* & cap. 18. *Prophetam de gente tua, & fratribus tuis, sicut me suscitabit tibi Dominus Deus tuus.* & infrà: *Prophetã suscitabo eis de medio fratrum suorum similem sui.* Vnde *Rebuffus* regulam, quod quis intelligat idioma, diuini iuris esse affirmat: & pęnæ dedit ipsemet Deus exterorum prælationem Ierem. 5. *Ecce ego,* inquit, *adducam super vos gentem*

gentem de longinquo domus Israel; gentem, cuius ignorabis linguam, nec intelliges, quid loquatur. & Deut. 28. habetur: *Adducet Dominus super te gentē de longinquo, cuius linguam intelligere non possis.* Rem hisce verbis concludit Rebuffus: *Denique exteri exhauriunt Regnum pecunijs, quas ex eo extrahūt: Regnicolis scandalum oritur, cum ignotus filiorum bona deuorat, filijq; Regni foras eijciuntur, & extranei panem eorum deglutiunt, qui nonnisi lac, & lanam quærunt, & non commodum subditorum.* vide quoque *Salon. in 2. 2. S. Th. q. 63. art. 2. controuers. 3. concl. 1. tit. sitnè optimum, quod præcipitur, &c.* vbi id ipsum, quod probauimus, ostēdit.

§. XII.

Expenduntur iura quibus ostendi videtur, illicitum esse statutum excludens exteros à beneficijs consequendis.

SVMMAE.

100 *Tertium Tapiæ argumentum diluitur.*
101 *Abbatis doctrina nobis suffragatur.*
102 Cap. ad decorem, de institut. *explicatur.*
103 Cap. nos qui, & cap. non loca, dist. 40. *exponuntur.*
104 *Ad ius commune reducendum, quod ab eo discrepat, etiam extendendo in correctorijs.*

100 Neque dicas cum *Tapia d. decis. 15 n. 13.* quod tertium eius argumentum est, non esse prohibitum exteris, secundum iuris communis dispositionem, beneficia obtinere in Regno, in quo ipsi nati non sunt *ex Abb. in cap. ad decorē, in fin. de instit.* vbi Innoc. 3. præcepit, vt in Ecclesia Constantinopolitana admittantur Clerici, vndecumque originem duxerint. & Greg. Papa in *cap. nos qui, dist. 40.* ita loquitur: *Nos, qui præsumus, non ex locorum, vel generis dignitate, sed morum nobilitate innotescere debemus.* & in cap. seq. *Nō loca, vel ordines Creatori nostro nos proximos faciunt; sed nos, aut merita bona ei coniungunt, aut mala disiungunt.*

101 Ne, inquam, id dicas: nam, quod attinet ad *Abbatem in cap. ad decorem, cit.* potius is nobis fauet, quam aduersetur: ità enim in fine loquitur: *In glossa, ibi, locus non obstat, nota: benè glossa, quod extraneus licitè potest institui in beneficio, dummodo aliàs cōstet de sua idoneitate: credo tamen, vbi inde geniti essent idonei, quod nō debent postponi propter extraneos: pro quo videtur tex. not. in cap. nullus inuitis 61. dist. & quamquam loquatur in Episcopis, ratio tamen textus est communis ad alia beneficia; & esset valdè honestum, & fructuosum, vt quisque in patria sua beneficiaretur, vt sic vnus non occuparet beneficia, vel stipendia alterius; nec daretur materia depauperandi beneficia; & inducuntur faciliùs ad residentiam tales indigenæ, quam extranei.* Ex quibus apertè constat, Abbatem censere, non esse extraneos instituendos, nisi in originariorum defectum: id quod nos etiam asserimus: neque enim defendimus, in nullo prorsus casu secundum iuris dispositionem esse exteros assumendos: hoc enim tueri ridiculū palam est; sed solum dicimus, id regulariter verum omnino esse, & tantum locum non obtinere, cum oriundorū nullus dignus (quod tamen euenire non credit Cęlestinus *suprà n. 84.* laudatus) reperiri poterit, vt apertè colligitur ex *cit. cap. nullus inuitis, & cap. cum inter canonicos*, ibi, ad aliam Ecclesiam, *de electione.*

102 Deindè, quod spectat ad *cap. ad decorem cit.* quod videtur præ ceteris vrgere: illud quidem nihil omnino probat, quod traditæ doctrinæ aduersetur; solum enim statuit, cū in ecclesijs extraneos institui oportet, nō debere

solum

solum certæ originis clericos assumi, sed vndecumque sint, dũmodo idonei reperiantur: vt illud in epitome redigunt omnes Doctores: ac præcipuè ipsemet *Abbas n.1*. Quarè loquitur Pontifex, supposita necessitate exteros instituendi: quod nobis non aduersatur. Id autem ibi sancitur, quia cum Constantinopolitana Ecclesia tunc denuo esset ad fidem conuersa; clerici ibidem geniti non reperiebantur, sed extraneos assumere omninò oportebat, vt animaduertit *Abb. nu. 3. & Io. Andr.* innuitque gloss. ibi: *omnes erant extranei*. Reprehenditur ergo ibi Patriarcha Constãtinopolitanus, quia, in originariorum defectum, solum beneficia Venetis, & non alijs conferebat: prout ibi declarat *gloss. ver. vndecumque, Abbas, & Mandos. in reg. 16. q. 41. n. 9. & q. 15. num. 20.*

103 Quod denique attinet ad *cap. nos qui, & cap. non loca*, atque alia eiuscemodi, aio ex illis nihil expresse colligi contrà traditam doctrinam: sed tãtum argumentum desumi, prout deducit *gloss. cit. verb. vndecumque*: quod quidem argumentum præualere nequaquam debet expressę doctrinę per summos ecclesiæ Antistites in suprà allatis capp. traditæ. Deindè addo, quod quamuis expressè contrarium in ijs statueretur; nihil tamen nobis obstaret; nam ex sententia *Gloss. in cit. cap. nos qui, & cap. non loca*, quam sequitur *Mandos. loc. cit.* supplenda est in eiusmodi iuribus dictio, *tantum*, ità vt sensus sit, vt non tantum origo, sed etiam merita, & virtutes spectentur: non enim solum originarij, licet indigni sunt instituendi: id quod nos libenter concedimus. Atque in hunc etiam modum explicandi erunt nonnulli doctores, ac præsertim *Rota Romana in recentior. tom. 3. decis. 290. n. 2. & tom. 1. decis. 65. nu. 7. & Rota Diuers. tom. 4. decis. 24 nu. 2.* & videnda quoque explicatio *Gonzal. glos. 9. §. 1. n. 37. & seqq.* vbi monet, non esse inconueniẽs, idem statutum esse vno respectu fauorabile, & alio odiosum.

104 Satis igitur constat, vt eò, vndè sumus digressi, reuertamur, Alternatiuã iuri communi maximè esse conformẽ, proindeque in ea latam, quæ pensiones scilicet includat, fieri debere interpretationem: eamque in hisce casibus amplectendam, probat *Menoch. lib. 1. de arb. Iud. q. 7. nu. 19. ex l. si stipulatus, ff. de vsur. atque alijs: & lib. 2. cent. 2. casu 199. n. 9. & casu 200. nu. 4. Rota diuers. decis. 432. num. 4. vol. 1. alijque*. Et quidem *Gloss. in cap. cum dilectus §. cæterum verb. iuri communi de consuet.* ait, quod quando aliquid à communi iure cernitur discrepare, ad illud reduci debet: & ob id etiam in correctorijs licitam esse extensionem, quando per eam ad ius commune redimus, probat *Couar. lib. 3. variar. resol. cap. 6. n. 4. ex glos. in cap. statutum de præb. in 6. verb. numerandum, Ant. & Abb. in cap. olim tibi, de verb. signif. Flam. Paris. lib. 11. de resign. benef. qu. 11. nu. 26.* cum præsertim huiusmodi extensio fauorabilis censeri debeat, de quo tamen *infrà num. 109.*

§. XIII.

Ostenditur tertiò, Alternatiuam esse largè interpretandam, vti priuilegium, ac beneficium Principis remuneratorium, & fauorabile: alijsque medijs.

SVMMAE.

105 *Alternatiua largè interpretãda: & in ipsius Regni beneficium.*

106. *Principis beneficia sunt amplianda.*

Gratia quomodo depicta.

107 *Capitula Regni in ipsius fauorem interpretanda.*

Verba ambigua contrà proferentem interpretanda.

108 *Pensio in fauorabilibus beneficij nomine concluditur.*

Alter-

109 *Alternatiua est fauorabilis.*
Fauorabilis est dispositio, qua ad cõmune ius reditur.
110 *Interpretatio, quæ sapit æquitatem, est amplectenda: item benignior.*
111 *Item verisimilior: & ea, quæ vtrique parti consulit.*
112 *Princeps quidpiam concedens, in dubio omnia iura cõcedit, quæ ad illud pertinent.*
Verba generalia generaliter intelligẽda.
113 *Exclusio aliquorum, aliorũ est inclusio.*
114 *Interpretatio ità facienda est, nè actus sit elusorius.*
115 *Pensionis impositio est odiosa, iurique communi aduersatur.*
Beneficia sunt stipendia ministrorum: diuidi non possunt.
116 *In dubijs ea præualet interpretatio, quæ minus iuri communi derogat.*

105 Tertiò probatur, Alternatiuã esse largè interpretandam, quia est priuilegium Principis remuneratorium, atque ex caussa onerosa concessum, vt *cons.* 1. latè probatum est; ac proindè ampliari debet, ac largissimè interpretari: & quidem in ipsius Regni beneficium, ac fauorẽ, cui collatũ fuit: vt in simili casu ostẽdit post alios *Paris. cons.* 8. *nu.* 2. & 3. *vol.* 1. qua quidem larga interpretatione neque iuri communi, neque priuilegio derogatur, quod maximè fieri debet *cap. cum dilectus* §. *cæterum, de consuetud. ibique gloss. ver. iuri cõmuni.*

106 Idemque dicendum erit, si consideretur Alternatiua, vti Principis est beneficiũ, ac fauor: erit enim latissimè interpretanda, *cap. odia, de reg. iur. lib.* 6. *cap. olim, cap. Abbate de verb. sign. l.* 3. *ff. de constitutionibus principum.* eoq; magis, quòd est remuneratoria, vt voluit *Gul. Cu.* quem sequitur *Alex. in l.* 4. *ff. quod quisque iuris, Decius in cap. fin. num.* 2. *de constit.* atque alibi, quos refert, sectaturque *Tiraq. in l. si vnquã C. de reuocan. donat. verb. donatione nu.* 74. qui ex Seruio inde Gratias ità depictas autumat, vt vna auersa, duæ nos respicerent, quò doceamur, profectam à nobis duplicem reuerti debere: idest remunerationem largiore, cumulatioreque mẽsura esse rependendam: id quod rectè monuit *Hesiodus*: eadem, inquit, mensura, & meliùs, si possis: vndè nos agros fertiles imitari debere, docuit *Cic.* 1. *off.* qui multò plus afferunt, quam acceperunt.

107 Cum præsertim Regni capitula in ipsius fauorem, atque vtilitatem interpretanda, apertè statuatur in *cap.* 434. 482. *Regis Alphonsi, & in cap.* 86. *Regis Ioannis*; atque alibi. Præterquãquod regulam esse autumat *Alex. cõs.* 11. *n.* 17. *lib.* 2. *ex l. veteribus, ff. de pactis, alijsque*, verba ambigua contrà proferẽtem interpretari debere: arqui hæc larga interpretatio solum esset (vt reuera nõ est) contrà concedentẽ: id quod etiam notat *Abb. in cap. quia circa de priuileg. nu.* 3. 4. 5. vbi allegat quoque *cap. cum dilectus, de consuetu. Host. Abb. Antiq. & Io. And.* idemque probat, alijs quoque citatis, *Paris. cõs.* 9. *n.* 12. *vol.* 1. *Rota diuers. decis.* 55. *nu.* 8. & *decis.* 270. *n.* 9. *vol.* 2. *Mandos. in reg.* 32. *Cancell q.* 23. *num.* 5. si modò quod subditis prodest cõtra Principẽ censendum sit, qui suum proprium, subiectorum commodum existimare debet, suæque priuatæ rei, quod omnibus prodest, præferre, *l. vnica* §. *fin. C. de cad. toll.*

108 Insuper rectè fieri hanc amplam interpretationem, satis confirmari potest ex ijs, quæ habet ipsemet *Gigas q.* 28. *sæpè citata*, qui à *Tapia* contrà nos producitur, quippequi affirmauit, beneficij appellatione pensiones nequaquam concludi: is enim *n.* 18. eiusdem quæstionis hanc suam propositionem restringit, vt in re, seu materia fauorabili minimè procedat: tunc enim, inquit, beneficij appellatione veniret pensio, quia latè sumendo, pensio est beneficium; citatque *Io. Crot. de Monteferrato in rub. de rescrip. in principio*: quibus adiungit *Mandos. in reg.* 16. *q.* 38. *n.* 3. *Abbatem in cap. ad audiẽtiam*,

2.de rescriptis in 1.not. vers. dicerē tamen,cuius doctrinam suprà retulimus *n.72.* & *Felin. in c.de quarta, de pscrip. à n.16. vers.& si aliqua dispositio*. Quin imo,inquit idem Gigas, tali casu posset lato sumpto vocabulo , pensio dici beneficium ecclesiasticum,non tamen spirituale:quod ipse elicit ex mente, verbisque *Abb. in cit.cap.ad audientiā*, aitque ad idem conferre *cap. odia cit.* Item *ead.q.28.n.19.*vult, pensionem beneficij appellatione concludi,si eadem ratio in vtrisque perspiciatur: perspici vero in re nostra, dicemus *infrà num.153.*

109 Neque quispiam iure negare poterit, hanc Alternatiuæ dispositionem fauorabilem omnino esse: quandoquidem ex recepta ab omnibus conclusione ad discernendum odiosanè sit dispositio aliqua, an fauorabilis; principalis dispositionis intētio, odiumnè fuerit, an fauor,inspicienda est, vt ex *l.qui exceptionem,ibique Bart. & Castr.ff.de cond.indeb* atque alijs probat *Anast.Germon.de Indul Card.§.si vero illa n.41.* vbi *num.43.* etiam ostēdit,totam dispositionem fauorabilem dici,quamuis in ea odiū,& fauor concurrat.In nostro autem casu,quis profectò neget,fauore Siculorum Alternatiuam à Catholico Rege concessā, vt ijs scilicet saltem quoad petitionis partem morem gereret,ijsque tribueret maiorem seruiendi occasionem, inuigilandique studijs literarum, vt ex priuil. gij verbis relatis *conf. 1.n.2.* satis liquet? Hūc adde fauorabilem dici dispositionem, qua ad commune ius redimus,vt post multos alios ostēdit *Mandos.in reg.4.q.7.nu. 8. & reg. 11.q.10.n.2. & Paris. de resig. benef. lib.11.q.11.n.70.* qualis procul dubio hæc,de qua loquimur,censeri debet.

110 Atque his omnibus addi potest, eā omnino amplectendam esse interpretationem, quæ æquitatem sapit, vt probat *Menoch.q.7.cit.n.18.ex l.in his ff.de cond.& demost.atque alijs, & casu 199.cit.n.4.* nemo autem dubitare iure potest, quam defendimus interpretationem, æquissimam censendam esse,vt poteq; quæ Siculis, quibus suorum beneficiorum medietas fuit ablata, aliam medietatem saltem integram relinquit, nè afflictis afflictio augeatur *cap.ex parte,de clericis ægrot. ibique gloss.verb.afflictio. cum concord.* Quam ob causam etiam benignior censeri debet, proindèq; recipienda, vt ex *l.Titius,ff.de cond.& demost. & l.vltima C.qui bon.ced.poss.* atque alijs probat *Menoch.q.7.cit.nu 21. & casu 199.n.6.*

111 Verosimilior quoque videtur hæc ampla interpretatio,quam contraria: etenim probabile non est,Regem Catholicum Siculis voluisse, & beneficiorum medietatem auferre, & alterius medietatis pensiones sibi reseruare: nimis enim eorum animos irritasset, quod minimè faciendum statuitur in *cap. ex tua, de filijs presbyt.* pertinet enim,inquit *Gail.obser.56.nu. 9.lib.2.* ad officium boni Principis curare, nè proximi dilectionem offendat,aut iustitiam violet,neuè tēpestatis potius, quam potestatis plenitudine vtatur. Amplectendam autem verosimiliorē interpretationem, ostendit quoque *Menoch casu 199.cit.n.3.& num. 10.* vbi *num.13.14.15.16.ex l. adoptiuus §.1.ff.de ritu nupt. l. 3 ff. de arb.* alijsque:eam quoque esse probādam, quæ vtrique parti consulitur, alteraque damnum minimè patitur,neque decipitur:id quod hanc, quā defendimus interpretationem, præstare,neminē, rem attentè perpendentem, effugiet.

112 Neque illud hoc loco prætereundū est,Principem quidpiam concedentē, in dubio omnia prorsus iura,sibi competentia intelligi concessisse. Ita post *Bald.in cap. 1.in princ.col.1.in tit. de capit.qui cur.vendid.in vsibus feud & Bart.in l.de pupillo §.qui nunciat, ff. de oper.nou. nunc.*tradidit *Paris.cons.8.n. 6.& cons.9.n.13.vol.1.* Quibus equidem adderem *l.quidam consulebant in fine ff.de re iud.*vbi cui Princeps magistratum

stratum dedit, omnia etiam gerere decreuit: ex qua, alijsque rectè cōclusit *Faber in l. Neratius ff. de reg. iur.* Principem id totum concedere, quod potest, quod eò magis, vt in suo casu *consf.8.n.7.* arguit *Parif.* procedit in nostro, cum Alternatiuæ verba generalia sint, proindèque generaliter quoque intelligenda, atque interpretāda, vt initio huius cons. 3. explicuimus.

113 Cum præsertim, vt item argumentatur *Parif. cit. cons.8. nu. 8. 9.* in dicto *cap.34.* quod initium dedisse Alternatiuæ cons. 1. probauimus, Regno petenti suorum priuilegiorum obseruationem, quibus in solos Siculos illius beneficia conferebantur, Rex respondeerit, se illorum medietatem illi concedere, aliam sibi reseruare: hac ergo solum reseruata, cætera concessisse censendus est, *l. nam quod liquida §. fin. ff. de penu legat. l. in his ff. de leg.* alijsq; probat *Parif.* certum quoque est in iure, aliquorum exclusionem, cæterorum esse inclusionem *l. cum prætor, in princ. ff. de Iudicijs, cap. nonnè, de præsump. Parif. loco allegato*, quę quidē ratio inferiùs magis explicatur, ac roboratur.

114 Illud quoque hìc addendum censeo, putà interpretationem ità esse faciendam, nè actus, vel dispositio sit elusoria, vt ex *l. si quando in princ. ff. de leg.1.* atque alijs probat *Menoch. casu 199. loco cit. n.19.* nisi vero Alternatiua ità amplè interpretaretur, proculdubio eius dispositio esse posset elusoria: quandoquidem beneficiorum ferè omnes fructus exteris, pensionibus impositis, applicari posset, paucis solum Siculis relictis: quod re ipsa euenisse meminimus in Abbatia, quæ vulgò *del Parco*, nūcupatur, super qua proprietario solum octingenti aurei sunt relicti, ac pensio Cardinali Burghesio viginti ferè millium aureorum constituta: vbi Alternatiuam solum verbo tenus fuisse obseruatam, nemo non intelligit. Hinc certè semper parata fuisset via, quandocunque libuisset, Alternatiuam eludēdi: quod fieri minimè debet, vt ostendit *Tiraq. in l. si vnquam, verb susceperit liberos nu.3. ex l. nec ei §.1. ff. de condit. & demost.*

115 Denique neque illud hìc omittendum, pensionis impositionem odiosā omnino esse, iurique aduersantem: diminuuntur enim beneficia, cum pensione grauantur: quod veteri, nouoq; iure vetitum est, *tot. tit. vt benef. sine dimin. confer. cap. maioribus, cap. vacante, cap cum causam, de præben. cap. si quis præbendas, in fin. 1. q.3. Concil. Lateran.3. sub Leone 10 sessione 9. in Bulla reformationis Curiæ post medium*; atque alibi tradunt omnes prorsus Doctores, quorum plures allegant *Rota diuers. decis. 454. num. 1. vol. 1. Anast. Germ. in tractatu cit. de Indult. §. si vero illa n.40. alijque*: pensionibus namque reale onus, seruitusque inducitur in beneficijs, quæ stipendia sunt pro ministrorum labore: *Numer. 18. Filijs Leui*, inquit Deus, *dedi omnes decimas pro ministerio, quod seruiunt mihi in Tabernaculo fœderis*. & infra: *Quia pretium est pro ministerio, quo seruitis in Tabernaculo testimonij*. *In eadem*, inquit discipulis Christus Dominus Luc.10. *domo manente edentes, & bibentes, quæ apud illos sunt: dignus est enim operarius mercede sua*. ideq; passim in sacris literis animaduertere licebit, præcipuè apud *Sanctum Paulū 1. ad Corinthios 9.* atque alibi: & in *Conc. Triden.* præcipuè *cap. 3. sess. 21. de reform.* Inde à Sacris Canonibus beneficiorum reditus ob spiritualia, eaque tractantes, instituti censentur, vt probatur à *Flam. Parif. de cōfiden. benef. q. 24. n.1. ex cap. 2. & 3. cum ibi not. de præben. Rebuff. in praxi benef. tit. de reseru. gen.* alijque apud eumdem *Parisium*. Ex quibus quoque iuris regulis ipse *Parisius* concludit, beneficia diuidi non posse.

116 Iam vero quoties in dubijs versamur, eam probare debemus interpretationem, qua minus iuri communi

derogatur, vt post alios plures affirmat *Rota diuers. decis. 376. n. 2. vol. 1. Petr. Paul. Paris. cons. 33. nu. 54. vol. 3. Flam. Paris. de resig. benef. lib. 11. q. 11. nu. 4.* minus autē derogari ab hac ampla interpretatione patet, quia posito, quòd imponendæ sint pensiones, asserimus eas esse Siculis concedendas; satis vero suprà probauimus, Siciliæ beneficia eisdem Siculis secundum iuris dispositionem deberi, cui procul dubio derogaretur, pensionibus in exterorum commodum imponendis.

§. XIV.

An quandoque fuerit à Regibus declaratum, pensiones Alternatiua non comprehendi.

S V M M AE.

117 *Tapiæ responsio reijcitur.*
118 *Falsum est a Regibus esse declaratum, pensiones alternatiua minimè concludi.*
119 *Etiam Princeps suum beneficium debet latissimè interpretari.*
120 *Exemplum Constantini hac de re.*
121 *Princeps nequit declarare prædecessoris voluntatem: declaratio enim cohæret personæ.*
122 *Signatura prædecessoris à successore non corrigitur.*
Plurium non est vna voluntas.
Ea, quæ sunt animi, in successorem non transferuntur.
Eius est interpretari, cuius est condere.
123 *Successor potest declarare ex verisimilibus coniecturis.*
Non potest, si verborũ naturã offendat.
Merum factum, vt est declaratio, non transit ad successorem.
124 *Pensiones ex proprietate verborum an includantur.*
125 *Obiectio ex* cap. 187. Caroli quinti.
126 *Prima huius obiectionis dilutio*; & d. c. explicatur.
127 *Secunda, vbi quod posteriora capitula prioribus non præiudicant.*
Princeps præsumitur circumuentus, si id reuocat, quod obseruare tenetur.
128 *Quando declaratio, quando vero noua dispositio præsumatur.*
129 *Quid sit reseruare.*
Interpretatio tunc obtinet locum, quãdo digna dubitatio occurrit.
130 *Arbitrium boni viri iudicium importat.*
Voluntas ad absolutam, non regulatam rationem refertur.
131 *Principis intentio iuribus conformis cēseri debet.*
132 *Alternatiua vim obtinet contractus, proindeque non pro libito interpretanda.*
Partis citatio quandò in declaratione requiratur.
133 *Principis, qui donauit, confessioni standum non est, cum ea donatario præiudicat.*
134 *Principi non licet modum, aut conditionem apponere donationi puræ iam factæ.*
In dubio iudicandum pro priuilegij subsistentia.

117 SEd his omnibus *Tapia nu. 12. in fine*, respondet, verum quidem esse, beneficia Principis latè esse interpretanda; id tamen locum non obtinere, cũ constat de expressa ipsius Principis concedentis voluntate: de ea vero constare in præsenti casu, probat, quia, cum Siciliæ Regnum à Catholico Rege Philippo Secundo efflagitasset, vt eadem frueretur Alternatiua, non solum in casu vacationis per exterorum obitum; sed etiam eorumdem translatione, renunciatione, permutatione; vtque pensiones, qua uice in Siculum est beneficium conferendum, Siculis quoque concederentur; Rex in *cap. 13.* respódit in hæc verba: *cum casus renunciationis, & permutationis, imponendæque pẽsionis euenerit, Regia Catholica Maiestas facilè meminerit eorum, quæ per ipsum Regnum postulantur, prout eius fidelitati intelligit deberi.* Per quod, inquit *Tapia*, clarè habetur suę Maiestatis expressa volũtas, & obscuritas gratiæ, si qua aderat: ad

ad ipsum enim spectat declarare, quæ ab infso obscurè sunt concessa, *l. fin. C. de legib.* & illa reseruatio, quam rex fecit, est quædam modificatio præcedétis dispositionis, *Gloss. in l. itē Labeo §. sed si purè ff. fam. ercisc. & in l. si debitor §. 1. ff. quibus mod. pign. vel hypoth. sol.* & declarat, quod comprehendatur in illa prima dispositione, vt post *Aret. & alios tradit Beccius cons. 34. nu. 15.* Et sic, concludit *Tapia*, stante declaratione prædicta per suam Maiestatē, non videtur dubitandum: & per prædicta datur responsio contrarijs: quia beneficiū Principis est latè interpretandum, dummodo non constet de expressa voluntate concedentis. Tota igitur vis huius Tapiæ rationis, seu mauis responsionis in eo videtur sita, quod scilicet Rex Philippus II. expressè declarauerit, pensiones in Alternatiua nequaquam includi.

118 Sed hoc apertè falsum videtur: neque enim prudens æquè, ac pius Rex in allata responsione id determinauit; licet de cætero neque statuerit contrarium, putà pensiones in eadem includi; (quamuis ita censuerit eruditissimus Abbas *D. D. Roccbus Pirrus in Notitijs Sicil. Eccles. tit. de electione sub n. 14.*) sed solā responsione quadam veluti æquiuoca, negotium reliquit suspensum, maturiorique consilio terminandum: quippe qui non satis docebatur de Siculorum iure in beneficiorum præsentatione ijsdem competente. Quod optimè intelligens Philippus III. eius filius, ac successor, supremo Italiæ Consilio, prout *Tapia* refert, onus iniunxit, vt ei referret, an secundum iustitiam posset sua Maiestas Episcopatus, Abbatias, aliauè beneficia pensionibus grauare in exterorum commodum, qua vice ea sunt Siculis conferenda. Quod si id pater expressè declarauit, potuitque declarare; quo pacto filium iterum de eodē dubitare contingit? Certè neque ipsemet Philippus III. quæ sua erat pietas, ac iustitia, voluit id apertè statuere, aut declarare: quin, rationibus pro vtraque parte eidem expositis, se rationem Regni desideriorum suo tempore habiturum rescripsit, vt refert *Tapia in fine citatæ decisionis*. Quibus profectò verbis vterque Rex potius Siculis fauet, quam aduersetur.

119 Quod si, vt *Tapiæ* placet, potest successor beneficium à prædecessore concessum declarare, atq; etiam modificare; cur nō id præstitit Philippus III. sed potius rem iustitiæ regulis iussit examinādam? Intellexit sanè pius, ac iustus Rex, se id absque læsione iuris Siculorū nequaquam potuisse, vt infra etiam ostendetur; ideoque iustitiæ se vltrò subiecit; noluitque ea, quæ salubriter pro Siculorū vtilitate sunt introducta, duriore interpretatione contrà ipsorum commodum producere: id quod monuit Modestinus relatus in *l. nulla iuris ratio ff. de leg.* Et quamuis Principis æstimationem velit esse Celsus in *l. Neratius ff. de reg. iur.* quem modum beneficij sui esse lubeat; quatenus tamen ius, legesq; id sinunt, addit & rectè *Faber in eadē lege*; ità quidem, vt etiam ipse debeat suum priuilegium, seu potius beneficium, quod scilicet à diuina eius indulgētia proficiscitur, vt *Faber* exponit, quam plenissimè interpretari, secundum id, quod iura, legesque statuunt, præsertim *l. beneficiū, ff. de constit. aliaque*: quibus ipsi suum Principatū submittere placuit, *l. digna vox C. de leg.*

120 Id quod optimè præstitit Constantinus Imperator, ad Aemilium rationalem rei priuatæ scribens, prout refertur in *l. 2. C. de bon. vacant. lib. 10.* vbi: *si quando*, inquit, *adnotationes nostra* (puta priuilegia, vt gloss. interpretatur) *contineant possessionem, siue domū, quam donauerimus, integro statu donatam; hoc verbo ea vis continebitur, quam ante scribebamus, cum adiacentibus, & mancipijs, & pecoribus, & fructibus, & omni iure suo, vt ea, quæ ad instructum possessionis, vel domus* per-

pertinet, tradenda sint. Quibus verbis, inquit *Faber* sæpè laudatus, beneficiũ suum interpretatur, modumque eius æstimat, & quidem quam pleniſſimè potuit, ſecundum id, quod epiſtola Iaboleni, putà in dicta *l. beneficium*, relata, continetur: quo minus mirum eſt, quod à Iuriſconſulto itidem Paulo *in l. Princeps, ff. de verb. & rer. ſignif.* definitur, Principem bona concedendo, videri etiam obligationes concedere.

121 Adhæc. In caſibus quoq; in quibus Principis declaratione nulla cõtract⁹ onerosi ſubſtantia mutatur, licita nequaquam eſt eiuſmodi declaratio ſucceſſori in Principatu in præiudicium alterius contrahentis: quia atteſtari minimè poteſt de prædeceſſoris animo, ac voluntate: declaratio namque cohæret perſonæ ſecũdum *Gloſſ. communiter receptam in l. idem Pomponius* §. *fin. verb. apparet, ff. de reiuendicat. & in l. inter ſtipulantem* §. 1. *verb. actori, ff. de verb. oblig. teſte Mierez de maiorat. 1. p. q. 44. n. 91.* vbi plurimos recẽſet, probatque id ipſum, quod aſſerimus. Declarare vero, ac interpretari perſonæ cohærere, quodque alius à diſponẽte id præſtare nequeat, voluit expreſsè *Mandoſ. tract. de inhibit. qu. 125. n. 8.* vbi allegat *Bart. in l. edita, col. 4. verſ. quandoque volo C. de edendo; Bald. in l. vlt. in vlt. not. C. de leg. Iaſ. in d. l. inter ſtipulantem* § *ſi Stichum, col. 4. verſ. Gloſſ. in ver. actori, Dec. in cap. cum veniſſent num. 4. de Iud.* alios vide apud *Mierez n. 93.*

122 Hinc benè *Rebuff in concord. in forma mandati Apoſtolici 2. col. verb. nec obeſt declaratio Summi Pontificis fol. 701. & in praxi benef. in 3. p. ſignat. verb. cum derogatione ſtatutorum nu. 15. 16. fol. 90. & 91.* ait, quòd ſignatura prædeceſſoris non mutatur, nec corrigitur à ſucceſſore: nec poteſt, inquit, ſucceſſor etiam declarare, non dicam mutare voluntatem prædeceſſoris, allegatque iura modo relata: quia, ait, plurium nõ eſt vna voluntas *l. qui poterat, ff. ad Trebell. cap. quia, de conceſſ. præben. & in repet. l. quod iuſſit, in 2. not. nu. 164. fol. 95. de re iud.* vbi ait, iudicis ſucceſſorem voluntatem prædeceſſoris minimè declarare, citatque *Bald. Ang. Innoc. Bar. alioſque*: quia ea, quæ ſunt animi, non transferuntur in ſucceſſorem ex *cit. l. idem Pomponius*: licet prædeceſſor videatur vnus magiſtratus cum ſucceſſore *l. proponebatur, ff. de Iud. Bal. in l. edita ver. decimo oppono de mutatione, in repetitione Paduana, C. de eden.* eius enim eſt interpretari, cuius eſt condere; *Barba. in add. ad Panor. in cap cum veniſſent, col. 1. de iud. per tex. in l. ità fidei, ff. de iure fiſci, Bal. conſ. 27. vol. 2.*

123 Sed id limitat *Rebuff. n. 165.* quando ſucceſſor vellet declarare ex veriſimilibus coniecturis: nam ei permittitur, *arg. l. ſi ſeruus plurium* § *fin. de leg. 1.* aliaque iura, ac Doctores adducit. Et *n. 166.* ait, admittendam declarationem ſucceſſoris, ſi veriſimilis ſit, & congrua verbo declarato; ſecus ſi verborum naturam offenderet: textus, inquit, melior iuris in *l. item veniunt* §. *aptanda, ff. de petitione hæred. Bald. Ruyn. Deci. Aret. Alex. Soc. Feli. aliiſque.* Quæ proculdubio præſtanda, atque ſeruanda fuiſſent à Regibus in caſu, de quo diſputamus. Atque ea vniuerſalis doctrina vlteriùs comprobatur, quia declarandi facultas eſt merum factum, quod ad ſucceſſorem non trãſit: de quo vide *Mierez num. 105. & Molin. de primogen. lib. 4. cap. 5. nu. 38.*

124 Addo, quod attinet ad rem, quam tractamus, eodem prorſus modo Philippum II. petitioni Siculorum reſcripſiſſe quoad penſionis impoſitionem, quo reſpondit quoad permutationis, vel renunciationis euẽtum: & nihilominus iam eſt declaratum, atque etiã exequutioni mandatum, vt Alternatiua locum quoque in eiuſmodi caſibus obtineat: de quo latè infrà *à nu. 184.* Dici quoque poterit, nos propriè nequaquam aſſerere penſiones in Alternatiua ex larga includi interpretatione; ſed ex verborum proprietate; ex illis

illis nimirum voculis, *omnium, quorũcumque*, illudque ex abundanti à nobis afferri: quæ quidẽ omnia ex modo dicendis vlteriùs firmabuntur.

125 Obijcies quia in *cap.*187. *Caroli V.* refertur, Regnum ab Imperatore petiisse, vt in eodem corpore seruaretur Alternatiua, ac beneficia absque pensionis impositione Siculis oriundis, non vero exteris concederentur: cui quidem Regni petitioni ità respondit Cæsarea Maiestas: *Placet Regiæ Maiestati, & iubet capitula Regni, iam antea circa contenta in præsenti capitulo concessa, obseruari: prætereaque declarare, & concedere, vt præfata Alternatiua intelligatur in eodem corpore, iuxta Regni supplicationem: excepto tamen Archiepiscopatu Montis Regalis, & facultate imponendi suo arbitrio pensiones, tam in hac, quam in alijs vacantibus Ecclesijs, dignitatibus, & beneficijs, sibi reseruata.* Quibus profectò verbis apertè ab Imperatore vidẽtur extrahi pẽsiones ab Alternatiua, ità vt possint etiam in exterorum commodum imponi.

126 Sed neque hoc videtur quidquam obstare: etenim ibi Regnum absolutè postulabat, pensiones nullo prorsus modo, neque in eorumdem Siculorũ vtilitatem constitui, vt beneficia sine diminutione conferrentur, vt apertè liquet ex ipso capituli contextu, præsertim ibi: *liberamente, & senza impositione di pensione alcuna*: quarè cum Carolus sibi imponendarum pensionum facultatẽ reseruauit, nequaquã id, vt in exterorum quoque commodum fieri posset, intelligendus est præstitisse; sed absolutè noluit se subijcere restrictioni, quam Regnum, iuris innixum decretis, obseruari efflagitabat. certè expressim nihil omnino decernit, quod faueat aduersarijs; ità vt malè prorsus hi certum Regno detrimentũ ex incerto prorsus decreto velint inferri, vti in re simili *suprà n.*68. ratiocinati sumus.

127 Deinde, quamuis gratis omnino daretur id, quod in obiectione contrà traditam doctrinam affertur; sanè cẽsendum est, vt suprà quoque diximus de Montis Regalis Archiepiscopatu, id Cæsaream Maiestatem præstitisse, non satis doctam de Siculorum iure, quod iisdem competit ex priuilegio remuneratorio, atque ex caussa onerosa concesso, eaque de causa irreuocabile illud ostendimus *conf.*1. Quare ei subsequentibus dispositionibus derogari neutiquam potest: cum præsertim eam vim habeant priora Regni Capitula, vt ipsis posteriora, contrarium determinantia, nullum prorsus præiudicium afferre queãt, vt ipsemet *Carolus V.* statuit *in cap.*3. *&* 52. eiusque filius *Philippus II. in cap.* 31. sed ea semper sunt in viridi obseruantia, quamuis contrà ea millies fuerit iudicatum, vt nec actu contrario illis derogatum intelligatur, vt ijdem *Carolus, ac Philippus ijsdẽ cit. capp.* sanciuere, vt suprà quoque sæpè retulimus, infraque dicetur. Adde Principem, qui id reuocat, quod obseruare tenetur, fingi, ac supponi circumuentum, adeo vt contrarium probari non possit, quasi sit iuris præsumptio, ac de iure, quæ in contrarium probationẽ non admittit, vt rectè dicit *Bald. conf.* 279. *lib* 3. vt eum refert, ac sequitur *Decius conf.* 588. Multa hùc ex ijs, quæ *conf.* 1. explicuimus, trãsferri possunt.

128 Neque existimandum est hìc fieri propriè ab Imperatore declarationẽ, seu interpretationem præcedentis dispositionis: ea enim secundum iuris communis regulas suprà explicatas, Regnique capitula fieri deberet, ac proindè in ipsiusmet Regni fauorem, atque vtilitatem. Quod vlteriùs probatur, quia in allato Imperatoris decreto is verbo, *declaramus*, similiuè minimè vtitur, sicuti illud vsurpauit in ea decreti parte, qua Alternatiuã in eodem corpore intelligendam exposuit: id autem fuisset omnino necessarium ad interpretationem, seu declarationem præcedentis dispositionis

onis inducendam, vt colligitur ex *gloss. in Clement. vnica, de off. Vicar. & in Clement. item vnica, de rerum permut. vtrobique verb. volumus*, *Paris. cons.* 141. *n.* 36. *vol.* 4.

129 Cum præsertim Imperator vsus sit verbo reseruandi, quod idem significat, quod retro seruo, seu in futurum seruo, vt aptè exponit *Mandos. in Poem. Regular. Cancell. q.* 5. *nu.* 2. probatque satis ex *Plinio*, *ac Cicerone*: arqui cōtrà declaratoriæ dispositionis naturam est, quod ad futura trahatur, vt ostendit idem *Paris. cons.* 141. *cit. n.* 37. *ex Auth. de fil. ant. dota. instr. nat. circa principium, l. vnum ex familia. §. si de falcidia, ff. de leg.* 2. Addo eodem prorsus modo Imperatorem loqui de Montis Regalis Archiepiscopatu, atq; de pensionibus: nemo autem dicet, cum declarare hunc Archiepiscopatū Alternatiua nequaquam cōcludi; sed potius nūc denuò extrahi affirmabit. Fit igitur potiùs noua dispositio, qua ab Alternatiua pensiones extrahūtur, ac reseruantur: quod tamen non iure fieri, patet ex ijs, quæ *eod. cons.* 1. satis explicata sunt: ac præcipuè, quia minuit beneficium antea concessum, contra §. *illud quoque in Authen. quæ constitutio, de dignit.* ac dicetur infrà *n.* 138. Neq; hic necessaria videbatur vlla declaratio, cum ferè certum sit pensiones, de quibus loquimur, Siculis deberi, vt ex dictis hùcusque, atque deinceps afferendis constare potest. Atqui tunc locus est interpretationi, cum aliqua digna occurrit dubitatio, vt ostendit post alios plures *Alex. cons.* 216. *in fine lib.* 2. *Deci. in cap. cum venissent num.* 4. *de Iud. Mierez de Maiorat. p.* 1. *q.* 44. *à num.* 70. *Menoch. cons.* 331. *n.* 100. *lib.* 4. *alijque apud ipsos.*

130 Demum his omnibus illud quoq; annectere quispiam posset, fortassis non ineptè, putà pensionum impositionem fieri debere iuxtà iuris regulas, atque æquitatem, colligi non solum, quia successor prædecessoris animum declarare nequit ex voluntate, sed ex verisimilitudine, vt censuit *Bart. in l. inter stipulantem §.* 1. *nu.* 12. *ff. de verb. oblig.* quem refert, sequiturque *Mierez loco cit. num.* 84. verum quoque ex ipsiusmet Caroli verbis, quæ suprà recitauimus: ait enim Imperator, *suo arbitrio*, earumdem imponendarum facultatem sibi reseruare: arbitrium vero boni viri iudicium importare, probat *Rebuff. in concord. Rub. de collat. §.* 1. *vers. ad arbitrium capituli fol. mihi* 611. *ex Panor. in cap.* 1. *col.* 4. *de sequest. poss. & fruct. l. as. in l. si sic, ff. de leg.* 1. aliosque complures allegat *Menoch. de Arbitr. Iud. lib.* 1. *q.* 8. *à nu.* 29. Nequaquā dixit, *sua voluntate*, optimus Imperator, satis sciens hanc ad absolutam, non vero regulatam rationem referri, vt idem *Rebuffus* ostendit ex *Bald. in l. voluntatis, col.* 1. *in fine C. de fideicom. & in l. si cum ea, ff. de dotis promiss. Panor. in cap.* 1. *not.* 3. *de ijs, quæ fiunt à maior. parte capit. Bartol. plenè in extrauag. ad reprimendum verb. videtur quomodo, atque alijs.* Consulto igitur eam apposuit vocem, quò nimirum indicaret, se Siculorum precibus indulgere, dum se supponit æquitati, ac rationi, secundum quas asserit, se pensiones beneficijs impositurum.

131 Quarè hoc Imperatoris decreto Regni capitulis nequaquam videtur derogatum: si enim earum impositio iuxtà iuris, ac rationis regulas fiat, proculdubio in Siculorum commodū erunt imponendæ, vt ex dictis, dicēdisque manifestum erit. Certè quamuis eam vocem Imperator non apposuisset; eius tamen mens, atque intētio legibus, naturalique rationi conformis censeri debet, vt censuère *Deci. cons.* 64. *n.* 7. *Paris. cons.* 11. *num.* 127. *vol.* 1. *Mandos. in reg.* 11. *q.* 4. *nu.* 4. *& in regula* 12. *q.* 6. *n.* 14. alijque secuti *Bald. in cap.* 1. *col.* 2. *Apud quem, vel quos controu. inuestit. term. deb. & in l. ex facto ff. de vulg. & pupill. in cap. licet, de off. ordin.* ac proinde cū dixit,

se

se suo arbitrio pensiones impositurũ, id secundum æquitatem, rationemq; naturalem præstiturum, intellexisse existimandum erit.

123 Cum præsertim Alternatiuæ concessio vim obtineat contractus, vt *cõs.* 1. satis ostendimus: atque ideo eius interpretatio nequaquam pro libito, at secundum iuris regulas, superiùs explicatas, erit facienda; nè scilicet inde sequatur aliqualis reuocatio omnino prohibita, vt *suprà eod. cons.* 1. etiam probatum est: non enim admittendam esse declarationem, vbi diminueretur gratiæ effectus in casu, in quo reuocari non potest, tradidit post alios *Mierez de maiorat. p.* 1. *q.* 44. *nu.* 63. qui *n.* 67. *post Bart. in l.* 2. *C. de tempor. appell.* affirmat, partis citationem requiri, quando Princeps priuilegiũ interpretatur, atque ex eiusmodi interpretatione eadem pars lędi potest: qua de re videndus *Alex. cons.* 11. *lib.* 7. Lęsio autem Siculorum ex ea Caroli interpretatione, seu declaratione cuilibet innotescit.

133 Item sunt, qui censent, standum non esse Principis confessioni, asserentis, se donasse, vel concessisse quidquã cum aliquo grauamine, post factam donationem: quia donatario præiudicium inferre non potest: ità voluit *Ruyn. in cons.* 32. *num.* 20. *lib.* 1. *post Io. And. in tit. de testamentis* §. *nunc tractemus in ordin. Magn. Bart. in l. repetita, ff. de fide istr.* quos recenset, ac sequitur *Mierez part.* 1. *q.* 26. *nu.* 40. & *q.* 24. *n.* 123. & *iterum q.* 44. *num.* 61. Quarè licet vterque Rex expresse declarasset, pensiones Alternatiua nequaquam concludi; id tamen Siculis non obesset.

134 Quibus adde, quod aliquibus placuit, Principi minimè licitum esse conditionem, modumuè apponere donationi, postquam eam semel puram fecerit: id quod post complures alios censuit *Mierez q.* 26. *nu.* 42. 44. Præterquamquod in dubio semper iudicandum est pro priuilegij substantia, ità vt tunc nullo modo eius reuocatio argui possit, vt ex *cap. Galliarum, alijsque* 25. *q.* 2. probant *Mandos. in Reg.* 13. *q.* 8. *n.* 11. *Paris. cõs.* 141. *n.* 12. *vol.* 4. *secuti Fide. de sen. cõs.* 233. *ante finem, Deci. cons.* 167. *vers.* & *ex his conclusio*, aliosque, quos allegat, sequiturque *Mierez loco cit. num.* 70.

§. XV.

Euertitur tertiò fundamentum sententiæ negantis, pensiones Alternatiua comprehendi: easque ostẽditur includi, primò vti beneficij partem.

SVMMAE.

135 *Pensio saltem indirectè includitur in Alternatiua.*

136 *Quod sub expresso continetur, vt expressum dicitur contineri.*

Quod ex coniecturis colligitur, expressum censeri debet.

137 *Pensio pars est beneficij.*

Pensionis definitio ex Duareno.

Beneficij definitio ex communi.

138 *Idem iudicium de parte, ac de toto ferẽdum est.*

Eadem substantia non debet diuerso iure censeri.

Qui auferre non potest, is minuere, aut reformare nequit.

Argumentum de toto ad partem fortissimum est.

139 *Princeps beneficium à se concessum augere potius, quam minuere debet.*

140 *Deus ipse sua beneficia auget.*

Ptholomęus Beneficus vocatus.

Titi beneficentia eximia.

141 *Dictio exclusiua id non excludit, quod spectat ad termini intellectum.*

142 *Pensionem Doctores ijsdem regulis metiuntur, quibus vsumfructum.*

Cum res aliqua donatur, eius quoque vsusfructus donatur.

143 *Fundi nomine, tũ proprietas, tum vsusfructus concluditur.*

M 144 *Ple-*

144 *Plena proprietas vsumfructũ includit.*
145 *Fundo vni legato, alteri vsufructu; is inter vtrumque legatariũ diuidi debet.*
146 *Vsusfructus appellatione totus omnino concluditur: diuiduus est.*
Rei appellatione etiam pars continetur.

135 Damus igitur *Tapiæ* assumptũ illud, seu enthymematis antecedens *in fine* §.2. positũ, idest pensionem neque strictè, neque largè loquendo, esse beneficium; sed addimus malè inde inferri, eam Alternatiua minimè comprehendi: etenim, quamuis pensio directo modo ac veluti in recto, vt Philosophi loquũtur, seu quod idem est, vt beneficium Alternatiua non includeretur; indirectè tamen, ac veluti in obliquo, tamquam beneficij partem, alijsque rationibus explicãdis §§. *seqq.* contineri, mihi certum est: satis enim vulgata est ea iuris regula, partem in toto contineri *cap. in toto, de Reg. Iuris in 6. l. in toto ff. eodem tit. cum concord.* eamque pluribus exemplis illustrat *Faber*.

136 Quin dicere quispiam non ineptè posset, pensionem, vt quid expressum Alternatiua concludi; quandoquidẽ ea sub ibi expresso beneficio, veluti pars in toto, comprehẽditur: ac proinde nihil prorsus referre censendum est, quòd eadem in indiuiduo, vt aiũt, non fuerit expressa, vt in simili casu probat *Paris.* 8. *nu.* 16. *&* 17. *lib.* 1. *ex not. in l. certum ff. si cert. petat. l. si nominatim, ff. de cond. & demost. Bart. in l.* 1. *in* 2. *q. prin. ff. de vulg. & pupill.* quẽ omnes sequuntur, atque ex alijs apud ipsum *Paris. loco cit. & cons. seq nu.* 23. Quodque ex coniecturis colligitur, nequaquam omissum, sed omnino expressum censendum est, vt ostendit idem *Paris. cons* 5. *n.* 45. *vol.* 3. *ex l. licet Imperator, ff. de leg. not. in l. tale pactum ff. de pactis, alijsque.*

137 Neque dubium esse debet, quin pensio pars sit beneficij: id enim tradunt omnes ferè Doctores, præcipuè *Gigas q.* 18. *in fine*, quem citat, ac sequitur *Flaminius Parisius lib.* 3. *de re. sig. benef. q.* 6. *n.* 68. *& Franciscus Duarenus*, quem allegat, sectaturq; *Quintanaduenas lib.* 1. *Eccles. cap.* 8. *num.* 4. legati exemplo in *l. legatũ, ff. de legat.* 1. pensionem definit, esse quamdam beneficij delibationem, qua ex eo, quòd vniuersum beneficiarij foret, pars quædam alicui defertur. Id quod etiam patet euidenter: etenim beneficium communi omnium sententia, ius est percipiendi fructus ex bonis ecclesiasticis: quidquid ergo huius iuris est pars, beneficij quoque pars erit; vt rem perpendenti manifestum fiet: pensionem vero ius esse eorumdem fructuum portionem percipiendi, satis *suprà n* 39. expositum fuit.

138 Cum ergo Siculis totum, putà beneficium, fructus integros comprehendens, debeatur; partem quoque, nempè pensionem ijs deberi censendum est, cum præsertim idem prorsus iudicium de toto, ac de parte ferendũ sit: *§. nihil autem, instit. de fidecom. hæred. l. quę de tota ff. de rei. vendic. l. si seruus eius ff. de adquirenda hæred l. an pars ff. pro derelicto, atque alijs*: neque debet vna, eademque substantia diuerso iure censeri *cap. quia circa de priuilegijs, cap. quia cognouimus* 12. *q.* 12. *cap. in nona* 16. *q.* 7. *cap. ecclesijs, de consecr. dist.* 1. non debet igitur excludi pẽsio à beneficiorum Alternatiua: tum ob hanc rationem; tum etiam ob aliam, nè scilicet beneficia diminuta conferantur: quidquid enim tolli nõ potest, id minui, derogari, ac mutari nequit: quique rem auferre prohibetur, eidem nec licet reformare, aut minuere, vt ostendit *Mierez de maiorat.* 1. *part. q.* 26. *n.* 22. 23. 24. 26. *&* 36. *ex l. iuris gentium §. adeo ff. de pactis, l. videamus §. an igitur ff. de in lit. iuran.* alijsque apud eumdem; qui *cit. n* 26. argumentum de toto ad partem fortissimum appellat, probatque ex *l. hæredes mei §. cum ità ff. ad Trebell. ibique Doctores*; & *nu.* 35. ex *Bello*

cons.

*cons.29.n.*1.ait, Principem, ficuti nō poteſt à ſe factam donationem reuocare; ità eam minuere minimè poſſe: neque enim prima forma in cōtractibus vnius contrahentium voluntate deſtrui poteſt, vt idem affirmat *n.36.*

139 Rectè Iuſtinianus Imperator *in authen.cōſtitutio quæ de dign.§. illud quoque, in fine* ad rem ità loquitur: *omne bonū, ſiue à Deo adquiritur hominibus, ſiue ab imperio ſequente Deum, decet eſſe manſurum, & omnis malitiæ, & diminutionis extraneum*. Et Anaſtaſius Imperator Celeri officiorum magiſtro ſcribens, vt refertur in *l. hac ſaluberrima C. de præpoſ. agen. in reb. lib. 12.* iubet, vt Agentibus in rebus impertita beneficia intàcta, inuiolataque cuſtodiantur: *cum perabſurdum,* inquit, *perque temerarium ſit, hanc noſtræ liberalitatem pietatis quemquam aſtuta interpretatione, non ad augmentum anteriorum priuilegiorum; ſed diminutionem conuertere.* Quod equidem puto illum exequi, qui Alternatiuam penſiones non includere interpretatur, eam non ad augmentum, ſed diminutionem conuertens. videri poſſunt Doctores, quos ad hanc rem citat *Mierez de Maiorat.p.1.q.26.nu.52.* Item Theod. Rex apud *Caſſiod. var. lib.1.epiſt.26.* ad rem etiam ità loquitur: *Nefas eſt apud eos fidem beneficij prioris imminui, quibus alia conuenit à noſtra ſæpius largitate præſtari*: & lib. 2.epiſt.2. *Amamus,* inquit, *noſtra beneficia geminare, nec ſemel præſtat largitas collata faſtidium, magiſque nos prouocant ad frequens præmium, qui initia noſtra gratia ſuſcipere meruerūt.*

140 Imo potius optimus Princeps beneficia à ſe collata augere, quam minuere debet, ipſummet Deum, Regū Regem, & Dominantium Dominum, imitans, qui, vt inquit *S. Ambroſius* relatus in *cap. quantuslibet diſt.1.de pœnit.* non reuocat beneficia; imo cumulo ſuæ liberalitatis amplificat. Principis ſanè præcipua laus, ac virtus eſt, ſubditos nouis ſemper beneficijs afficere, nedum ijs conceſſa non reuocare, nec minuere. Optime idem *Theod. lib.4. var. epiſt. 26.* Maſſilienſib. ſcribens: *Libenti animo,* inquit, *antiqua circa vos beneficia cuſtodimus, cum noua vtilitatibus veſtris præſtare cupiamus: ſeruare quippe terminos ignorat humanitas, & nouellis decet blādiri beneficijs poſt longa tempora reſtitutis.* Idem lib.3.epiſt.11. *Optamus,* ait *cunctum diem plenum beneficijs noſtris excurrere optamus vbique præſtita noſtra radiare: quia in æuum viuit, quod munificentia principalis indulſerit: quid enim tam egregium, quam feciſſe felices & eò vſque præſtare, quò ſe erectus ſtupeat attigiſſe? beneficia ſiquidem ſunt, quæ Regna ſublimant; & libertatis Dominus iugiter poteſt creſcere, ſi ſibi ſubiectos ſtudeat ampliare.* Gaudebat is ſanè *lib.5 var. epiſt.40,* vltra ſupplicum deſideria frequenter præſtitiſſe beneficia: quin, quod difficillimum eſt, humanæ ambitionis interdum vota ſuperabat. Indè Ptolomeus Aegypti Rex, *Euergetes*, hoc eſt beneficus nuncupatus. Alijs quoque Regibus id cognominis tribui Chriſtus Dominus innuiſſe videtur *Luc. 22.* his verbis: *Reges gentium dominantur eorum, & qui poteſtatem habent ſuper eos, benefici vocātur.* Suetonius de Tito loquēs *cap.8. Recordatus,* inquir, *quondam ſuper cænam, quod nihil cuiquam toto die præſtitiſſet, memorabilem illam, meritoque laudatam vocem edidit: Amici, diem perdidi.* Ad quod reſpexiſſe cenſuit *Faber in l. Neratius, ff. de reg. Iur.* Theodoſium, ac Valentinianum in *nouell. de Patrimonial. Rei Domin.* ex ijs, quæ à Pithæo luci ſunt donatę, dū; *Prope eſt,* inquiunt, *vt beneficium accepiſſe credamus, quoties offertur nobis cauſa præſtandi: & diem periiſſe procul dubio ſuſpicemur, quem noſtri numinis beneficentia non illuſtrat.*

141 Diminutio igitur priuilegiorum Principis munificētiæ penitus aduerſatur. Atque hæc ipſa ratio, ſeu mauis reſponſio, hoc §. explicata, locum etiā

obtineret, etiamsi in Alternatiuę cō cessione Rex particulam aliquam poneret exclusiuam, puta si assereret, se beneficiorum *tantum* relinquere Alternatiuam. Id quod satis efficaciter ostenditur ex quadam Philosophis, ac etiam Theologis communi doctrina, quam habet *S. Thomas 1. par. qu. 31. art. 4. in 3. argum.* docent namque, dictionem exclusiuam nequaquam id excludere, quod ad intellectum spectat termini, cui adiungitur: vndè inferunt, non excludere partem, neque vniuersale: non enim rectè sequitur: solus Sortes est albus: ergo eius manus non est alba: vel, ergo homo non est albus. id quod S. Doctor restringit, nisi ea supposito, vt pater, & filius, distinguantur: quod locum non habet in re, de qua agimus: pertinent enim maximè ad perfectum beneficij intellectum fructus omnes, neque supposito hæc distinguntur, vt patet: quare non rectè inferretur: solum beneficiū conceditur: ergo fructus, eorūuè pars non indulgetur: quemadmodum neque rectè quis argueret: solus fundus donatur: ergo reditus, ex eodem prouenientes, eorumuè portio, minimè conceduntur.

142 Vlterius hùcusque explicata ratio roboratur, probaturque pensionem in Alternatiua comprehendi; ea nimirum ratione, quod eam Doctores passim metiuntur, definiuntque iisdem prorsus regulis, quibus vsumfructum, vt tradidit *Rota diuers. decis. 401. num. 4. vol. 1.* & vbique ij exequuntur, qui de ea latè agunt, præcipuè *Gigas q. 1. q. 52. & 57.* atque alibi sæpè: sed prætertim *q. 49.* certum autem est, cum quispiam alteri dat, legat, vel aliter concedit rem aliquam, veluti fundū, domum, aut quid eiusmodi, intelligi eam datam, legatam, vel concessā etiam quoad integrum vsumfructum, nisi is totus, eiusuè pars expressim retineatur à donante, vel alteri concedatur, vt probat *Berth. in repert. verb. legatum fundi n. 5.* quod etiam manifestum videtur: neque enim, exempli gratia, fundus dari intelligitur, si detrahitur vsusfructus, inquit Iulianus relatus in *l. qui vsumfructū ff. de verb. oblig.* quo etiam loci iurisconsultus vsumfructum, saltem formalē, vt placuit *Glossæ in l. & per iusiurandū, verb. partes non sunt ff. de acceptilat.* fundi partem vocat; ità vt, qui fundi vsumfructum stipulatur, deindè fundum, illi similem censeat, qui partem fundi stipulatur, deindè totum: & è cōtrario. vndè fundi nomine tum proprietatem, tum vsumfructum quis donare videtur; idque siue dixerit totum fūdum, aut fundum simpliciter, vt rectè animaduertit *Rebuff. in l. locus est ff. de verb. sig. vers. ex qua licebit:* quia, inquit, pars in toto est *l. si quis cum totū ff. de excep. rei iud.*

143 Adderem quoque id, quod eidem Iuliano placuit, referturque in *l. eum qui ità §. si à te, ff. de verb. oblig.* vbi: *si à te*, inquit, *stipulatus fuero fundum Sempronianum deindè eumdem fundum, detracto vsufructu, ab alio stipuler: prior stipulatio non nouabitur, quia nec soluendo fundum, detracto vsufructu liberaberis: sed adhùc à te rectè fundi vsumfructum petam.* Nimirum fundi appellatione simpliciter prolata, vsusfructus quoque concluditur. Fundum item vendere prohibemur absque vsufructu; nisi hunc detrahi exprimatur, *l. 1. in fin. ff. de action. empti.*

144 Sed neque illud omitterem hoc loco, quod edocuit Papinianus relatus in *l. Mæuius §. fundo ff. de leg. 2.* vbi: *fūdo*, ait, *legato, si vsusfructus alienus sit, nihilominus petendus ab hærede.* (putà vt tribuat æstimationem) scilicet vsufructus ità fundum comitatur, vt, hoc legato, ille quoque relictus censeatur, ità vt, si cui fundus, & eiusdem fūdi vsusfructus fuerit legatus, si is fundum elegerit, necessariò plenam proprietatem debebit; (putà ipsum quoque vsumfructum, vt ex *l. 2. ff. quibus modis vsusf. amit.* apertè constat,) quamuis vsumfructum ipsum à se repule-

pulerit: quod Iulianus edocuit, refertur que in *l. si Titio ff. de vsu, & vsuf. leg.* Atque hac de re tota omnino legendus *Rebuff. in l. rectè dicimus* §. 1. *ff. de verb. signif.* vide quoque *Arium Pinel. ad leg. 1. C. de bonis mater. p. 5. à n. 1. & Io. Garsi. tract. de expẽs. & melior. cap. 10. à n. 1.* qui quomodo vsusfructus pars sit fundi, dominijuè, vel non sit, exponunt accuratè.

145 Ex quibus illud apertè infertur, nimirũ Siculis, quibus absolutè, ac simpliciter relictum est, vt beneficia, de quibus loquimur, alternatim conferantur, eadem cum integris fructibus deberi; neque iure in aliorum commodum indè extrahi pensionem, quã vsufructus regulis metiri debemus: qui ità rem ipsam comitatur, vt, si cuipiam fundus, atque alteri eiusdem vsusfructus sit legatus, eo casu inter vtrumque legatarium diuidendum vsumfructum, censuerit Modestinus, vt refertur in *l. si alij ff. de vsu, & vsufruct. legatis*: alijsq; iuribus cõprobat ibidem *Glossa* 2. idemque omnes affirmãt. In casu vero, de quo disputamus, accidit quandoque, vt vigesima fructuum pars Siculis relinquatur, cæteris exterorum commodo, pensione imposita, collatis; ità vt verbo solum, non verò re Alternatiua obseruetur. cuius quidem rei similem casum legimus in *cap. extirpandę, de praben.* vbi Innocent. 3. in hæc perpetrantes acriter inuehitur: videri potest *Abbas in cap. conquerente n. 5. de cler. non resid.*

146 Quod si lubeat vsuifructui pensionem comparari, qui a pars est vsusfructus vniuersi, qui est ipsum beneficiũ, vt suprà nos quoque adnotauimus hoc *eod. consi. n. 58. & seqq.* Aio id ipsũ maximè nobis fauere; quandoquidẽ, vt rectè animaduertit *Rebuff. in cit. l. locus est vers. idem dicemus ex Zasio in l. si quis cum totum ff. de excep. rei iud.* vsusfructus appellatione totus omnino, ac integer continetur. Quod satis probatur ex multis iuribus *lib. 7. Digestorũ* contentis, ac etiam *tit. de vsu, & vsufr. leg.* quod idem in alijs omnibus seruitutibus euenire ijdem censuère. Illud quoque videtur adnotasse *Glossa in eadem l. si quis cum totũ, verb. in iure*, vbi eius rei exemplum affert in vsufructu, ob id quod diuiduus est *l. 5. ff. de vsufr. l. 1. §. si vsusfructus ff. ad leg. Falcid.* rei etenim appellatione, & partem contineri placuit Paulo, vt refertur in *l. appellatione rei ff. de verb. signif.* ibique satis aptè comprobat *Rebuffus*. Idem ergo censendum de beneficio, vt nimirum eius appellatione in Alternatiua integri fructus, proindeque pensiones concludantur.

§. XVI.

Ostenditur secundò pensiones Alternatiua comprehendi, eò quòd vi illius beneficia conferenda sũt Siculis libera; ac proinde absq; onere pẽsionis in commodum exterorum.

SVMMAE.

147 *Pensio est onus reale, & seruitus beneficiorum.*

Qualibet res libera censetur, nisi seruitus in ea probetur.

Res omnis allodialis præsumitur, nisi feudalis probetur: feudum enim est quædam seruitus.

148 *Beneficia omnia libera præsumi, nisi cõtrarium ostendatur.*

Seruitutis impositio est detrimentum manifestũ: & est species alienationis.

149 *Imperator, vti non potest feudum reuocare, ità neque grauare.*

Libertas omnib⁹ rebus fauorabilior est.

150 *Beneficia Siciliæ non possunt perpetuis pensionibus grauari.*

Vsusfructus, in emphiteusi, ac feudo constitutus, tandiù durat, quandiu & illa perseuerant.

151 *Pensio super beneficio, ad quod quis habet regressum, non est perpetua.*

Iam

147 IAm vero negari iterum potest cõsequentia enthymematis positi *in fine* §.2.quia,licet pensio, neque strictè,neque largè beneficium esset;tamen onus est reale, seruitusq; beneficiorum, vt omnes penitus tradunt:ius enim,quod alioquin competeret,diminuit: qua de re diximus quoque *suprà n.* 115.At vero beneficia, vi Alternatiuæ Siculis relicta,libera deberi,patet, quia in eiusdem Alternatiuæ constitutione nulla prorsus fit mentio seruitutis, seu, quod idem est in præsenti casu,pensionis: quamlibet vero rem liberam censeri, nisi seruitus in ea expressim probetur cõstituta,aiũt omnes prorsus Doctores, idque ostendunt ex *l.altius, vbi Gloss. verb.prohibetur,& l.si in ædibus, ibiq; Bart.atque alij omnes C.de seruit.Alex. conf.* 129.*n.*1.*lib.*1. quem citat, ac sequitur *Deci.consf.*468.*nu.*6.7. & vterq; alibi sępè: qui post alios plures ex hoc satis firmo fundamento probant, rem liberam præsumi, atque allodialem, nisi expresse feudalem esse ostendatur,vt etiam alibi innumeri fatentur, quos laudat *Ant.Gabr.lib.3.comm.cõclus.tit.de feudis concl. 3.nu.* 1. quia nimirum feudum quædam seruitus est,vt omnes affirmant, quorum plures citat *Mantica lib. 9. de coniectur. tit.6.n.7.*

148 Et, quod propiùs ad rem nostram accedit,*Mandos.in reg.*19. *Cancell. q.* 15.*n.* 13. rectè ostendit, omnia prorsus beneficia libera præsumi, nisi contrarium probetur,*arg. l si prius §.sed loco sacro ff.de aqua plu.arc.l.seruitutes prædiorum.§ fin.ff.de seruit.* alijsque iuribus, ac Doctoribus apud eumdẽ, idem docuit *Rota apud Caualer. decis.* 126.*n.*11,*& tom.*5.*diuers.decis.*126. *n.*16.*& decis.*197.*n.*68.*& in Recent. decis.*333.*nu.*2. *tom.*1.*Menoch lib.*3. *præsumpt.*90.*n.*1.Constat igitur satis, beneficia Siculis libera deberi ex ipsa Alternatiuæ constitutione:quare non poterit nunc denuo illis seruitus,puta pensio,imponi exterorum emolumẽto,ad *tex.in l.si is,cui,§.fin.ff.quemadmodum seruitut. amittit.l. Iulianus ff. de fundo dotali*, atque alijs similibus: est enim seruitutis impositio detrimẽtum manifestum,vt ait *Rota diuers. p.* 1.*decis.*717.*n.*15. *ex l. stipulatio ista habere.§.si quis fortè ibi minuitur ff. de verb. oblig.* est quoque quædam alienationis species *l.fin.C.de reb.alien.nõ alien.* pensionisque constitutionem quamdam esse rei immobilis pura iuris fructus percipiendi alienationem, ait *Lessius de iust.lib.*2.*c.* 34.*dub.*38. *n.*206.

149 Quemadmodum ergo Regni Siciliæ beneficia alienari minimè possũt, seu,quod idem censeri debet in re nostra,in exteros semper, ac in totum conferri iuxtà superiùs exposita de Alternatiuæ firmitate *cons.* 1. ità neq; seruitutes, seu pensiones in Siculorũ præiudicium imponi;vt in re simili arguit *Rota d decis.*717.*num.*13. *&* 14. *vol.*1. Ad eum planè modum, quo cẽsent non pauci Imperatorem,sicuti nõ potest feudum reuocare, ita neque grauare,onusque imponere posse, vt post *Bald.in cons.*327.*lib.*1. *Natam in cons.*308.*n.*9.*lib.*2.censuit *Mierez de maiorat.*1.*part.q.*26. *num.* 28. *&* 48. Adde quòd, quoties dubia interpretatio libertatis est, secundum libertatem respondendum esse, monuit Põponius in *l.quoties dubia ff. de reg. iur.* libertatem quoque omnibus rebus fauorabiliorẽ voluit Caius in *l. libertas omnibus,ff. eodem tit.* & vtrobique rectè more suo *Faber*. atqui in ambiguis pro eo,quod est fauorabilius, respondere consueuimus.

150 His adderem,Siciliæ beneficia neque qua vice in exteros conferri possunt, exterorum commodo pensionibus posse grauari,perpetuò duraturis; sed eas tantum perseuerare debere vsque ad exteri beneficiarij obitum, seu,quod idem est, quousque eadem beneficia Siculis liberè sunt conferenda.Idque probare non ineptè possem ijsdem omnino rationibus, quibus

Do-

Doctores ostendunt, seruitutem in bonis emphyteoticis, ac feudalibus constitutam ab emphyteuta,& feudatario,tandiù durare,quamdiù emphyteusis ipsa, ac feudum perseuerat; resoluique quo tempore ad directum dominum ea reuertuntur, vt ostendit *Rota decis.* 117.*cit.n.8.p.1.cit.ex Bart. in l. 1. §. fin.ff. de superf. Guli. de Cun. Baldo,Sal.Castro in l.3.C. de seruit.* atque alijs multis.

151 Quod vlteriùs confirmatur ex eo, quod tradunt communiter Doctores præcipuè *Cassad.decis.1.de pēsion.* quē cum alijs citat, sequiturque *Mandos. tract. de signat gratiæ tit. de pension. vers. pensio si imponatur sine consensu:* puta pensionis reseruationem super beneficij fructibus, ad quod aliquis habet regressum,seu accessum,in eius præiudicium non valere, vt ibidem probat,aitque fuisse in *Rota* conclusū *Cassadorus*,qui ex *l. si ex duobus §. sed & Marcellus ff. de in diem addict.* infert,eam neque a principio,neque ex post facto nullam esse;sed tunc demū, quando accessui locus existat: & ità quando habenti regressum, vel accessum præiudicium afferretur.idemque affirmat *Paris.lib.6.de resig.benef.q.2.n.88.* vbi aliquas *Putei* decisiones, atque alios Doctores allegat. Sed hoc durius videri posset in re nostra: quāuis ratione,atque æquitate nequaquā destituatur.

§. XVII.

Ostenditur tertiò pensiones Alternatiua comprehendi, ex mente Regis Catholici, illam instituentis.

SVMMAE.

152 *Intertio ex fine colligitur, & caussa, quæ mouet legislatorem.*
153 *Dictio, vt, caussam finalē denotat.*
Pensio beneficij appellatione cōcluditur, quando est eadem ratio in vtrisque.
154 *Cur nobiles Siculi olim clerici nō fiebāt.*
155 *Translatio de vna ad aliam ecclesiam in Episcopis damnatur: atque ideo ad solum Romanum Pontificem spectat.*
156 *Inter Episcopum,& Ecclesiam est spirituale coniugium: vnde rectè Ecclesiæ Episcopis carentes, viduæ dicuntur.*
Quibus casib⁹ hæ mutationes licitæ sint.
157 *Abbates exempti non possunt de vna ad aliam ecclesiam transire absque Papæ licentia, eiusuè de latere legati: alij vero inferiores clerici non nisi de Episcoporum licentia.*
158 *Parrochialis Ecclesia dicitur Parochi vxor.*
159 *Responsio indeterminata intelligēda est iuxta interrogationem,seu petitionē.*
160 *Reseruatio vnius est alterius non reseruati concessio.*
Priuilegio reuocato quoad vnam partē, quoad alias integrum manet.
161 *Exclusio aliquorum, cæterorum est inclusio.*
162 *Expressum frequentiæ caussa non restringit: & iura ijs aptātur,quæ frequentiùs eueniunt.*

152 Tertiò negari potest consequētia enthymematis positi *in fine* §.2.quia, licet pensio neque strictè, neque largè beneficium esset; Alternatiua tamen includitur ex mente Catholici Regis, qui illam instituit. Hanc vero mentem colligimus ex fine,ob quem motus est ipse ad Alternatiuæ constitutionem: etenim intelligentia dictorum ex caussis est assumenda dicendi, inquit *S. Hilarius lib.4.de Trinit.circa medium,& lib.12.* quem laudat *S.Thomas 1.2.q.96.art.6.in arg sed contrà*, referturq; in *cap. intelligentia,de verb. signif.* ex quo infert *S. Thomas* magis ad caussam, quæ mouit legislatorem, quam ad ipsa legis verba esse attendendum. *Abbas* quoque *in cap.secundò requiris, n.2.de appellat.* ait, quòd verba cuiuscumque dispositionis sunt ampliāda, vel restringenda secundum mentem dispo-

disponentis; quę quidem colligitur ex ratione expressa in dispositione: *ad hoc*, inquit, *quod not. in Reg. fin. de reg. iur. lib. 6. idem si non sit expressa, dummodo possit rationabiliter cõiecturari, & indubitanter, quæ potuit mouere disponentem, vt hic in fine, & facit, quod not. Cynus in l. non dubium C. de leg. & Bald. in l. maximum vitium C. de lib. præter.* Idemque docet in *cap. proposuit n. 4. eodem tit.* & statuitur in *l. cum pater §. dulcissimus, ibique Bart. atque alij, ff. de legatis 2. & l. pater §. fundum ff. de leg. 3.* alibique passim.

153 Finis autem, ob quem motus fuit Catholicus Rex ad huius Alternatiuę cõstitutionem, facilè colligitur ex ipsius verbis prorsus apertis: ait enim, vt huius consilij initio retulimus; *Placet Regiæ Maiestati, vt det maiorem occasionem Siculis seruiendi, & vacandi studijs literarum, omnium beneficiorum, &c.* Particulam, *vt*, causam finalem denotare, probat *Rebuff. in l. in lege censoria §. omnes ff. de verb. sig. ex l. si creditor ff. de distr. pign. l. emptori ff. de euict. Barb. dict. 439.* Quæ quidem ratio, seu finalis caussa, à Rege exposita, eodem prorsus modo militat in pensionibus, atque in beneficijs, vt rem perpendenti patebit: vbi autem vna, eademque ratio perspicitur in vtrisq; proculdubio & idem ius in vtrisque seruari debet. Præterquamquod tũc beneficij appellatione pensiones includi, probat *Gigas q. 28. n. 19.* quæ est limitatio conclusionis ibi ab eo positæ, atque hìc contrà nos à *Tapia* productæ: vt diximus *suprà num. 108.*

154 Certè quis non intelligat, exclusis ab Alternatiua pensionibus, nullam daturum Regem Catholicum Siculis seruiendi occasionem, neque vacandi studio literarum? quo enim modo ad id eos excitasset, si illi intellexissent, sibi solos beneficiorum titulos, paucosque eorumdem fructus reseruari, cæteris exterorum commodo, atque vtilitati conuertendis? Cum præsertim idem Rex illis eorumdem beneficiorum medietatem abstulerit, vt *cõs. 1.* expositum fuit. Immo Imperatoris Caroli V. tempore re ipsa euenit, vt nobilium nemo ecclesiasticum assumeret statum, visa beneficiorum consequendorum difficultate, vt ipsimet Cęsareæ Maiestati Comes Mõtisleonis Regni nomine exposuit in *cap. 12.* vt *suprà eodem cons. 1. n. 3.* dictum est. Quod si nobilibus ipsis difficilis erat beneficiorum consequutio, eisq; proindè seruiendi, studendique occasio subtrahebatur, nonnè id ipsum potiori iure in inferioris notæ hominibus accidisse censendum erit, quibus nulla penè, vt ex hoc ipso supponere possumus, consequendorum præmiorum spes relinquebatur, cum animaduerterent, ea exteris libenter conferri, Siculis etiam Dynastis cum difficultate?

155 Fortassis, vt hoc obiter dicam, tunc quoque temporis inde sequebatur hæc rara Siculorum prouisio: quia nimirum (id quod ægrè semper tulère Siculi) si quando vacare contingebat Episcopatus aliquis, Abbatia, vel aliud quodcumque beneficium, Siculis secundum Alternatiuam debitum; illud Siculo quidem, sed iam prouiso conferebatur, atque ità, quod is obtinebat, inde vacans extero concedebatur: quæ quidem translatio in Episcopis apertè canonibus damnatur: *Non liceat*, inquit Concilium Sardicẽse relatum in cap. 1. de cler. non resident. *Episcopo de ciuitate sua transire ad aliam: manifesta est enim caussa*, (scilicet ambitio maioris dignitatis addit Glossa) *pro qua facere hoc attentat: cum nullus sit inuentus Episcopus, qui ad minorem de maiori ciuitate trãsiret.* idemq; statuitur *toto tit. de transl. Episcop. ac multis capp. 7. q. 1.* Atq; ideo hæc prohibita canonibus translario ad solum Romanum Pontificem spectat *cap. 2. atque alijs, de translat. Episc. quod enim Deus coniunxit, homo non separet. Matth. 19.*

156 Est namq; inter Episcopum, & Ec-

cle-

clesiam spirituale cōiugij fœdus, quod in electione initiatum, ratum in confirmatione, & in consecratione intelligitur consummatū, ac proindè absq; sedis Apostolicę Principis, qui successor est Petri, Christique Vicarius, auctoritate nequit dissolui *cap. vlt. eodē tit.* Quamobrem Ecclesiæ carētes Episcopis, Viduæ, seu viduatæ passim in iure Pontificio prædicantur. Hasce Episcoporum mutationes non nisi cōmuni vtilitate, atque necessitate fieri licere, docet Anterius Papa in quadā Epistola, quæ refertur in *cap. mutationes 7. q. 1.* id comprobans Petri exemplo, de Antiochia Romam; Eusebij de parua quadam ciuitate Alexandriam; Felicis de ciuitate, in qua prius fuerat constitutus, Ephesum, vtilitatis causa translati: sed tunc nō homo, sed Deus separat, quos Romanus Pontifex, qui non puri hominis, sed veri Dei vicem gerit in terris, Ecclesiarum necessitate, vel vtilitate pensata, non humana, sed diuina potius auctoritate dissoluit, vt inquit *Innoc. 3. in cap. quanto, de transl. Episc.*

157 Abbates quoque exempti, quales fanè sūt omnes Siciliæ, licet eligi possint, nec debeant postulari; (quamuis hoc asserere videatur *Cōpost.*) transire tamen absque Pontificis, eiusuè de latere legati licentia, ad aliam Ecclesiam prohibentur, *cap. si Abbatem, de electione in 6.* notatque *Panor. in dicto cap. quanto n. 5.* Hinc fortè Ecclesiam Abbate carentem viduatam dixit *Anast. Germ. lib. 2. Animaduers. c. 19. Panor. & Io. Andr.* sequutus: etsi id propriè de regulari Ecclesia prædicari existimem, innixus verbis Innocentij in *cap. nè pro defectu, de electione*. Sed inferioris etiam gradus Sacerdotes, vel alij Clerici, concessione tantū suorum Episcoporum possunt ad alias Ecclesias trāsmigrare, vt ex *Conc. Cartagin. 4. statuitur in cap. Episcopus, in fine 7. q. 1.* Certè inter Ecclesiam quācūque, ac suum beneficiatum, quodpiam coniugij fœdus intercedere, non videtur negandum; quod quidem dissoluere absque necessitatis, ac vtilitatis caussa, dedecens, ac illicitum, ipsa ratione dictante, intelligitur: ac præcipuè Parochialis Ecclesia Parochi vxor apertè nuncupatur in *cap. sicut alterius, caussa, & q. modo citatis.* prohibitum etiam, nè qui habet beneficiū ad aliud absque dispensatione eligatur, probat rectè *Petr. Greg. Tholos. in tit. de elect. cap. 9. n. 3. ex cap. dudum 2. de elect. cap. execrabilis §. qui vero, de præb. in extrauag. Ioa. 22. l. monasteria C. de Episc.*

158 Quod si fortè locum habere non poterat hæc prædicta mutatio, (vt ad institutum sermonē reuertamur) vacans beneficium, vel exteris omnino conferebatur, præstita quandoque Siculis aliquali compensatione; vel Siculo quidem collatum, fructibus (pensionibus impositis) exterorum commodo quoad maiorem portionem extractis. Hæc omnia tunc temporis suspicor accidisse, quia, si alioqui saltem Alternatiua integrè fuisset obseruata; cur nobiles Siculi clericalem statum non assumerent, cum etiam nunc, eadem animaduertentes, quandoque nihilominus clerici fiant? sed hac de re satis.

159 Secundò ex mente Catholici Regis pensiones in Alternatiua comprehendi, probatur, quia, etsi ipse eas expressè Siculis minimè concesserit; nihilominus certum videtur, eas intelligi debere tacitè donatas: etenim indeterminata, seu dubia responsio intelligenda omnino est iuxtà interrogationem, seu petitionem, eiusque qualitates, ac circumstantias, vt rectè post alios probat *Mandos. in reg. 33. Cancell. q. 11. nu. 10.* vt dixi *suprà cons. 2. num. 7.*

160 Minimè vero dubium esse debet, Regnum tunc ab eo efflagitasse, vt integrè Siculis omnia prorsus beneficia conferrentur: neque enim eousque pensionibus eadem grauare solitum erat: quandoquidem nullibi Regnum

de eo conqueſtum fuit, ſicuti poſtea
multoties præſtitit, vt ex ipſius capi-
tulis liquidò conſtat, Solum tunc tẽ-
poris cęptum fuit, contrà primęua
Regni priuilegia, exteris beneficia cõ-
cedi: quamobrem ipſum petijt, vt ea
ſeruarentur, prout ęquum, iuſtumque
erat: cui quidem petitioni Rex ſe vnã
electionem quorumcumque benefi-
ciorum in alicuius Siculi perſonam fa-
cturum reſpondit: quod proculdubio
intelligendum eſt cum ea integritate,
cum qua antea omnia prorſus confe-
rebantur, & vt Regnum ipſum poſtu-
labat: neque enim aliud expreſſit, vt
exprimere debuerat, ſi id voluiſſet *l. ſi
ſtipulatus fuerim, & l. cum ſtipulamur,
ff. de verb. oblig.* vt in ſimili caſu argu-
mentatur *Rota diuerſ. decis. 70. nu. 6.
vol. 1. & decis. 161. n. 13 vol. 2.* atque
alij plures. Cumque ſolum benefici-
orum medietatem ſibi reſeruauerit,
aliam proculdubio integram reliquiſ-
ſe cenſendus erit *l. nam quod liquidæ
§. fin. ff. de pen. leg. l. in his ff. de legibus*
alijſque probat *Pariſ. conſ. 8. n. 8. & 9.
lib. 1.* reuocato namque priuilegio
quoad vnam partem, in cęteris firmũ
perſeuerat, vt probat *Mierez de Ma-
iorat. p. 1. q. 10. n. 119. ex cap. ſi eo tem-
pore, de reſcrip. in 6. Abbat. & Doctor.
in cap. ſuper literis, de reſcript.*

161 Aliquorum item excluſionem cæ-
terorum eſſe incluſionem ſtatuitur in
*l. cum prætor, in prin. ff. de iud. cap. non-
nè. de præſump. Pariſ. loco cit.* vetum
enim eſt eum, qui nõ excepit, conceſ-
ſiſſe non exceptum, *cap. quia circa, ibi-
que Doctores, de priuilegijs, cap. ex lite-
ris, de iurepatr. alijſque allatis à Gloſſ.
ibidem verb. non excepto, & in cap. 2.
verb. non inuenitur, de translat. Episc.*
cur ergo nos penſiones excipiamus,
cum Rex ipſe minimè exceperit? *cap.
ſi euangelica, diſt. 55. ibique Gloſſ. verb.
excepiſſe*, quæ allegat *cap. conſuluiſti
2. q. 5.* idemque pluribus iuribus con-
firmat *verb. ſuperſtitioſa*. Aut cur nos
diſtinguamus, cum ipſe nequaquam
diſtinxerit? *vulg. leg. de pretio, ff. de pu-
blici.* alijſque oſtendit *Mandoſ. in reg.
1. Cãcell. q. 8. n. 7. & reg. 16. q. 35. n. 2.*

162 Atque vltrà ſuperiùs expoſita non
incõgrua poteſt ratio proferri, cur ſci-
licet Ferdinãdus Rex minimè expreſ-
ſerit, ſe omnino velle Alternatiua pẽ-
ſiones quoque concludi; ſed ſolum de
beneficijs expreſſam fecerit mentio-
nem; & nihilominus eæ comprehen-
dantur: eam autem eſſe puto, quia in
beneficijs tantum, aut ſaltem frequẽ-
tiùs, quod ad rem noſtram ſatis eſſet
priſca Siciliæ priuilegia lædeban-
tur, ac de hoc ſolo, quippe etiam pen-
ſiones includebat, & nunquam de pẽ-
ſionibus expreſſim Regnum cum ſuis
Regibus expoſtulabat: at vero certum
exiſtimo expreſſum frequentiæ cauſſa
nullo pacto reſtringere, *l. 1. iũcta Gloſſ.
1. C. de his, qui ad Eccleſiam confugiũt.*
quam quidem *Gloſſam* amplectitur
*Abb. in cap. inter alia, nu. 6. de immun.
eccl. l. 1. iuncta item Gloſſ. verb. Illirica-
nas C. quib. muner. vel præſtat. nem. lic.
ſe excuſ. lib. 10. Gloſſ. in l. 2. §. 1. veb. filio
pręced. ff. de vulg. & pupill. & in l. in fa-
cto. verbo quaſi ff de condit. & demoſt.*
alijſque oſtendit *Mandoſ. in regu. 33.
q. 6. n. 4. & 5.* vbi id in re quoque ſtri-
cti iuris, & exorbitanti, vt aiunt, diſpo-
ſitione locum demoſtrat obtinere.
Atque ità quoque ijs ius aptari,
quæ frequentiùs, non quæ per-
raro eueniunt, placuit Pom-
ponio, Celſo, Pauloque,
adhibita etiam Theo-
phraſti auctoritate,
vt refertur in *l. 3.
& tribus ſequẽ-
tibus ff. de le-
gibus.*

§. XVIII.

§. XVIII.

Ostenditur quartò, pensiones Alternatiua comprehendi, eò quòd Sicula beneficia, quæ vice in solos Siculos cōferri debēt, sunt Patrimonialia: alijsque medijs.

SVMMAE.

163 *Quæ sint beneficia patrimonialia.*
Ab ethymologia rectè arguitur.
164 *Vbi eadem est ratio, idem est ius: & quanta vis sit in identitate rationis.*
Alienare qui prohibetur, idem consentire non permittitur.
165 *Beneficium Curatum non venit appellatione beneficij in materia stricta, nisi eadem ratio subsit.*
166 *De similibus est idem iudicium.*
167 *Beneficijs patrimonialibus pensio imponi non potest.*
Idem iuris est in Prabendis Doctoribus attributis.
168 *Beneficia iurispatronatus absque patroni consensu pēsionibus grauari possūt.*
Pensiones ob fraudem impositæ illicitæ sunt.
169 *Fraus quomodo in legem committatur.*
Fraudibus obuiandum.
Quod directè prohibetur, non debet indirectè concedi.
170 *In Regnis Castellæ beneficia pensionibus in exterorum commodum non grauantur.*
171 *Siculi maxima semper obsequia Regibus præstitisse apertè probatur.*
172 *Carolus V. quid de ijs asserat.*
Siculos cæteris omnibus anteponit.
173 *Quid Philippus Secundus de eorumdem Siculorum meritis asseueret.*
174 *Alia apprimè congruēs ratio ad id, quod principaliter intendimus, probandū.*
175 *Clericis literis præditis, & pauperibus prouidendum.*
Pauperi clerico beneficium conferri, potius est iustitia, quam gratia.
Sacerdotes patres, & magistri sunt omnium fidelium, etiam Regum.
Filij patres alere debent; & contrà.
Magistri patres censentur.
Bonus Princeps Sacerdotes tueri debet.
Sacerdotes Dij, & Angeli vocantur.
176 *Præmiorum exempla virtutes enutriūt.*
Iustis laboribus compensatio tribuenda.

163 Quartò, & vltimò negari poterit consequentia enthymematis positi *in fine* §. 2. quia licet pensio neque strictè, neque largè beneficium esset; tamen alijs medijs satis ostenditur Alternatiua concludi. Ac primùm quidem, quia Siciliæ beneficia, quæ vice in solos Siculos debent conferri, *Patrimonialia* seu, vt alij dixere, *Gentilicia*, aut certè quasi patrimonialia censeri debent: quandoquidem ea tunc neutiquam exteris possunt concedi: quod proprium est Patrimonialium beneficiorum, vt ex eorumdem definitione satis cōstat: de quibus rectè *Mandos. in reg. 19. q. 15. & Cassad. decis. 18. de prab. & latè Gonzal. in reg. 8. cancell. gloss. 9. §. 1.* cum præsertim ijs horum ethymologia maximè conueniat, vt ex ijs patet, quæ leguntur apud eumdem *Mandos. n. 17. & Gonz. nu. 3.* ab ethymologia vero rectè argui docuit *Arist. 2. Top. loc. 19.* & infertur ex *l. 2. §. appellata ff. si certum petatur, l. tugurium, ff. de verb. signif. cap. cleros dist. 21. Mandos. Gonzal. alijque.*

164 Certè Siciliæ beneficia ante huiusce Alternatiuæ constitutionem Patrimonialia omnino censenda erant: ea namque absolutè soli Siculi oriundi capere poterant: nunc vero, qua parte solis Siculis debētur, talia quoque existimari debent: ac proindè eodem prorsus iure, quo patrimonialia, debent censeri, ob easdem sanè rationes, quæ in vtrisque perspiciuntur, *l. si postulauerit §. ratio ff. de adult. l. illud ff. ad leg. Aquil. l. 1. §. hoc interdictum ff. de fonte*, alijsque, quæ afferuntur à

Mandos.in reg.16.q.38.n.4. tantique est facienda, vt ait idem *Mandos. in reg.33.q.6.* in iurium interpretatione rationis identitas, vt, hac concurrête, diuersa pro iisdem accipiamus. Aliud est vendere, alienare, côtrahere; aliud vendenti, alienanti, contrahenti consentire. *l. aliud est. ff. de reg. iur. Gloss. & Bart. in l. cum pater §. libertis ff. de leg. 2. Bald. in rub. C. de pact.* quod si vna, eademque ratio in his perspiciatur, qui vendere, aliasuè alienare, idê consentire prohibetur, *Bald. ac Salic. in l.2.C. si aduer. donat. Dec. in l. aliud est cit. n.3.*

165 *Cynus* quoque in *l.1. in 4. opp. C. qua sit longa consuet. Gloss. in clemêt. 1. ver. gregibus, de decim. & in cap. quia periculosum verb. Episcopo, de sêten. excôm. in 6. & in cap. 1. de elect. eodem lib.6. Bald. in l. si nôdum C. de furt.* vt refert, ac sequitur *Gigas de pens. q.28. nu.19.* aiunt, ex rationis identitate fieri extensionem ad casum, qui sub lata vocabuli significatione comprehendi potest; idque in materia quoq; exorbitanti: vnde licet beneficij appellatione, inquit idem *Gigas*, in materia stricta non veniat curatum; tamen, vbi eadem est ratio, secus est, allegatque *Domi. in cap. si gratiosè col. pen. de preb. in 6.* quin vbi vna, eademque perspicitur ratio, dispositio nequaquam dicitur extêdi, sed enucleari, vt post alios plures ait *Menoch. lib. 2. de arb. Iud. cent. 1 casu 84 nu. 9. & Molin. de primog. lib.1. cap.5. n.11. & 12.* vbi etiam ait, expressum dici illud, quod sub ratione comprehenditur, quamuis verbis omissum sit, vt ibi probat ex *l. scio quæsitum, ff de test.* aliisque iuribus, ac Doctoribus.

166 Certè nemo negabit esse maximè similia patrimonialibus Siciliæ beneficia, qua vice Siculis debentur: & côstat ex iis, quæ latè tradunt *Mandosius, & Gonzalez locis citatis.* de similibus vero idem iudicium esse habêdû, voluit *Innoc.3. in cap. 2. de trâsl. Episc. ibique Gloss. verb. idem iuris, & vers. similitudinem*: quod etiam placuit Iuliano, Vlpianoque, vt refertur in *l. non possunt, & seq ff. de leg.*

167 At vero in dubium minimè verti debet, patrimonialibus beneficijs pêsionis onus in exterorum commodû imponi neutiquam posse, vt post *Panor. Felin. Io. And.* tradidit *Lambert. lib.2. de Iurepatr. p.1. q.6. art.6. & lib. 3. q.5. art.5. Roch. de curt. de Iurepatr. ver. honorificum q. 3.* vt eos refert, sequiturque *Quintanaduegnas. Eccle. cap.4. n.18.* idemque censuit *Couarr. pract. quæst. cap.36. n.10. vers. quinto illud*, vbi non admitti ait eiusmodi pensionis constitutionem, quia in maximum tendit grauamen Patrimonialium clericorum, quibus ea beneficia secundum doctrinam, morumque dignitatem sunt liberè absque vllo onere conferenda, & post alios *Gonzalez d. gloss.9. §.1. n.29.* Eodemque iure cêsentur Præbendæ Theologiæ, Iurisuè Pôtificij, Doctoribus attributæ, vt post eumdem *Couarr.* sentit *Quint. nu.19. Gonzal. d. glos.9. §. 2. nu. 25.* Cur ergo Siculis beneficijs pensionis onus exterorum commodo imponatur, quo têpore Regni oriundis sunt conferenda, cum id in maximum eorumdê detrimentum, ac grauamen têdere nullus ignoret?

168 Et confirmatur, quia iurispatronatus beneficia absque patroni consensu possunt pensionibus grauari, vt ait *Rebuff. in prax. benef. in 3. p. sign num.28. 48. Quintanad. lib.3. Eccle. ad côc. Chalced. 4. n.24. Gigas q.23. Less. de iust. & iur. lib.2. cap.34. dub.38. num.207* qui post plures alios rationem reddit, puta quia pensionis impositione nullum patrono grauamen, aut præiudicium infertur: patroni enim, inquit, non est percipere aliquos fructus, nisi in necessitate, quando ab Ecclesia ali deberet: à contrario igitur sensu in casu, de quo nobis est sermo, cum Siculorum sit fructus percipere beneficiorum, de quibus loquimur, rectè argui videtur, ijs pensiones in eorumdem Siculorum detti-

detrimentum imponi minimè posse, eæque proculdubio in Alternatiuæ præiudicium, iuriumque Siculorum impositæ censeri deberent, *arg. cap. extirpandæ, in fine, ibique Abb. de præb.* cũ enim exteri eo casu incapaces sint eiusmodi beneficiorum; illis pẽsiones illicitè deputãtur, vt affirmat, probatque post alios plures *Rebuff. de pacif. possess. n.* 113. *& Gigas q.* 5. *Tholos. inst. rei benef. cap.* 29. *n.* 3.

169 Etenim in fraudem legis facit, qui saluis verbis legis, eius sententiam circumuenit: eidemque fit fraus, vbi id fit, quòd fieri noluit, fieri autem non vetuit, vt nos edocuère Paulus, ac Vlpianus in *l. contrà, & seq. ff. de leg.* fraudibus autem ità obuiandum censent iura, vt etiam in re omnino odiosa latã velint fieri interpretationem, vt didicimus ex *Dec. cons.* 195. *n.* 2. quem refert, sequiturque *Mandos. in reg.* 19. *q.* 13. *n.* 11. *reg.* 27. *q.* 11. *à n.* 2. *reg.* 34. *q* 85. *nu.* 1. *vers. quartò cauendum est*: qui iura, Doctoresque alios allegat: ac præcipuè principum beneficijs nullã inferendam fraudem, monuit *Theod. apud Cassiod. var. lib.* 1. *epist.* 16. In fraudes, quę contrà leges committuntur, rectè inuehitur *Scipio Amirat. lib.* 15. *dissert. polit. in Cornel. Tacit. discur.* 2. Item *Mandos. in reg.* 19. *cit. q.* 17. *n.* 13. aptè ostendit, non debere indirectè concedi, quòd directè prohibitum est, ex *l. Athletas, § sed & qui ff. de his, qui notat. infamia, alijsque.* indirectè saltem hisce pensionum impositionibus lædi Alternatiuam, nemo ambiget, si hùcusque à nobis exposita perpendet: id quòd non rectè fieri satis probatur ex *cap. quãto, de priuileg. ibiq; gloss. verb. sola verba, & finalis, Abb. n.* 1. *&* 2.

170 Quæ quidem omnia satis efficaciter confirmantur, quia in Castellę Regnis, quorum beneficia omnia Patrimonialia sunt, vel illis simillima, & in eorumdem Regnorum viros conferri debent, nequaquam illa pensionibus exterorum commodo grauari queunt: quamuis enim *Henrici* 2. *&* 3. *Ioa.* 1. Regum, atque aliæ leges solũ beneficia reseruauerint; beneficiorũ tamen appellatione pensiones quoq; concludi, declaratũ fuit anno 1523. in Generali Colloquio Vallisoleti habito, atque in alio, anno 1537. celebrato; apertèque infertur ex pragmatica superiùs à nobis relata *num.* 98. nec non in *l.* 18 *tit.* 3. *lib.* 1. *recop.* sancitur. Cur ergo non idem interpretemur in negotio Siculorum?

171 Quod si dicas id à Regibus hisce Regnis concessum potiùs denuo, quã expositum, seu declaratum illis legibus comprehendi: nimirum illorum meritis, obsequijsque, eisdem Regibus exhibitis, debebatur. Aio id omnino falsum, vt quisquis solerter ea legens, quæ modo adduximus, facilè deprehendet. Deinde Siculum Regnũ nulli prorsus alij secundum meritis, obsequijsque, suis Regibus præstitis, censeri debet. Audi quæso Carolum Imperatorem, Regemque, vt de priscis interim taceamus, de Siculis loquentem, vt in eiusdem Regni capitulis colloquij generalis, anno 1520. celebrati, refertur. *Si nos*, inquit, *his ducti considerationibus Regiam munificentiam in Regna nostra ostendere velimus, illorumque incolis communiter benefacere; quibus præsertim debemus, quam nostro fidelissimo Siciliæ vlterioris Regno, ac in eo degẽtibus? quippe qui, præter summam, inuiolatamque eorum fidelitatem, ac deuotionem serenissimis semper Aragonum, & Trinacriæ Regibus, prædecessoribus nostris celebris memoriæ, ingentia, insignaque seruitia omni opportuno tempore præstitère*: & infrà: *Quorum nempe fidem, largitatẽ, & feruentissimum amorem tantum de nobis benemereri fatemur, vt nedum petitiones eorum, pro communi beneficio Regni nobis oblatas, hilari fronte, lætoq; animo amplecti; verum eosdem gratijs singularibus, dignisque fauoribus prosequi debeamus.*

172 Alibi sæpè eadem ferè repetit Impera-

pera-

perator, vt præcipuè refertur in capitulis colloquij Generalis anno 1523. & alterius 1526. habiti, vbi: *Dirigentes, inquit, mentis nostræ aciem ad maximam, integram, sinceramque fidelitatem, & deuotionẽ nostri fidelissimi vlterioris Siciliæ Regni, suorumque Regnicolarum, & naturalium notabilia, præclaraque seruitia, & obsequia, quæ iugiter, multisq; modis Regibus domus Aragoniæ, & Trinacriæ, prædecessoribus nostris felicis recordij, in quacumque tempestate, & fortuna præstiterunt*. & infra: *Ità nos ipsis, & Regnicolis obnoxios reperimus, vt quidquid iunctim pro vniuersali, & communi reip. beneficio supplicarit, liberaliter concedere; & singulis quibusque fauere; & benefacere meritò, & iure debeamus*. Quin quandoque idem Imperator cæteris omnibus Siculos meritis videtur anteferre: id quod præstitit, cum capitula colloquij, anno 1540. celebrati, concessit, ait enim: *Etsi in omnes subditos, & vassallos nostros Regiam largitatẽ, & munificentiam de more nostro exercere consueuimus; quantò magis erga Siculos eadem libẽtiùs vti debemus; quippe qui, præter innatam, sincerãque eorum fidẽ, & deuotionem, tot, & tãta Regiæ Curiæ nostræ Aragonum, nobisque incessanter seruitia præstitère, vt nedum gratijs, & fauoribus honestis, verum etiam Regijs muneribus, & beneficijs singularibus dignissimi censeantur.*

173 Patrem imitatus Philippus II. filius, cum capitula colloquij, anno 1563. habiti, indulsit: *Nos vero*, ait, *animo recolentes constantissimam Regni Siciliæ fidem, animumque paratum ad nobis seruiendum in quacumque temporis occasione, prout re ipsa in tanta temporũ calamitate testati sunt, non solum nobis assueta seruitia præstando, sed etiam vltrà vires præstantiora, & grauiora perferendo: &c.* Pauca hæc obiter referre duximus necessarium; vt indè constaret, Siculis, quod cęteris ob merita cõceditur, minimè denegandum.

174 Alias hoc loco apprimè rei nostræ congruentes rationes adduci possent; sed nè vltrà, quam par sit hæc ratiocinatio protrahatur, vnicam tantum subnectere decreuimus. Præcluditur profectò aditus pauperibus clericis, literisque præditis Siculis, spesque prorsus adimitur bona ecclesiastica obtinendi, quibus vitam decenter degant, statuique congruentem; si pensiones exterorum commodo imponantur: satis enim experimento compertum est, Episcopatus, Abbatias, aliaque maiora, vel pinguiora beneficia in eosdem (an rectè, hic non quærimus) nunquam conferri: viris quippe primarijs, ac dynastis passim conceduntur: exigua vero, vel illis minimè sufficiunt ad cõgruæ vitę statum sustinendum; vel certè pauca sunt, ità vt ijs omnibus prouideri præ eorum multitudine nequaquam possit: quare pensionum obtinendarum spe sublata, eorum quoque prouisio ferme desperanda est.

175 At id rationi absonum esse, satis cõstat ex diuino, naturali, pontificio, ciuilique iure. Et quod attinet ad literis præditos, rectè id ostendit *Rebuff. in præfat. ad Rub. de collat. vers. vltimò præmittendum est, in concord.* Quod vero spectat ad pauperes, (quorum in Sicilia numerus propemodum est infinitus, omnino tamen necessarius, ob animarum multitudinem, quæ ibi hodie milionẽ excedit, quarum saluti clerici laborant) id benè probat *Gonzal. in reg. 8. cancell. Gloss.* 2. vbi *n.* 7. beneficium pauperi clerico conferri, potius iustitiam, quam gratiam ostendit. Ea nobis satis sit vtrisque communis ratio, quia scilicet quis dubitet Sacerdotes Christi Regum, & Principum, omniumque fidelium Patres, & Magistros censeri? inquit *Greg.* 7. relatus in *cap. quis dubitet, dist. 96.* iure autem naturali cauetur, vt filij patres alant, sicuti hi liberos *l. si quis à liberis ff. de lib. agnoscen. l. 1. §. fin. & l. 2. ff. de iustitia, & iure, alijsque*. Magistros quoque parentes cen-

censeri, probat *Rebuff. loco paulo ante cit. ex l. 1. C. de excus. artif. lib. 10.* atq; alijs. *Boni Principis, ac religiosi est*, inquit Marcellus Papa in cap. fin. eadem dist. 96. *Dei Sacerdotes honorare, atque tueri, qui in diuinis eloquijs aliquando Dij, aliquando Angeli vocātur*, vt ostēdit *Greg. relatus in cap. Sacerdotibus 11. q. 1.*

176 Aptè, vt solet, *Theod. apud Cassiod. variar. lib. 2. epist. 16.* ità loquitur ad rem nostram: *Studij Principalis est, remunerationem rectè conferre proposito, & bonæ indolis viros ad instituta meliora fructu impensæ benignitatis accēdere: nutriunt enim præmiorum exēpla virtutes, nec quisquam est, qui non ad morum summa nitatur ascendere, quando irremuneratum nō relinquitur, quod conscientia teste laudatur.* Qui sanè velit suam Rex pius munificentiam exteris proficuam, Siculis extare dānosam; quodque alteri tribuitur, alterius dispendijs applicari? contrà id quod placuit eidem *Theod. epist. 17. eod. lib.* qui *epist. 21. & 28.* iterum ità loquitur: *graue nimis est, vt fructu laboris sui fraudetur industrius, & cui debet pro sedulitate conferri præmium, dispendium patiatur iniustum: tribuenda est iustis laboribus compensatio præmiorum: quia exprobrata militia creditur, quæ irremunerata trāsitur.* Siculi quidem clerici nequaquam suæ militiæ fructum haberent in Ecclesijs, in quibus suam transegerunt ætatem; atque in eorum stipēdia exteri obreperent, sibique mercedem, illis debitam, vendicarent: (qua de re satis *suprà à n. 84.*) neque sanè bonæ indolis viri ad instituta meliora accenderentur, vt ex se manifestum est.

(: § :)

§. XIX.

Obiectio, ex contrario vsu desumpta, diluitur.

SVMMAE.

177 *Obiectio contra hùcusque exposita ex cōtrario vsu desūpta.*
178 *Consuetudo contra Regni capitula est inualida.*
Decretum irritans etiam immemorabilem remouet consuetudinem.
179 *Priuilegium ob merita concessum cōtrario vsu non amittitur.*
Capitula Regni semper sunt in viridi obseruantia.
Consuetudo contra statutum, habens derogatoriam, non valet.
Neque ea, quæ expresssim à lege reprobatur.
180 *Consuetudo specialibus personis præiudicans, vt valida sit, requirit illorum consensum.*
181 *Scientia in ijs est necessaria, quæ animi destinatione perfici debent.*
Errans non consentit.
182 *Consuetudo erronea non valet.*
183 *Consuetudinem ratio, & veritas semper excludit.*
Consuetudo irrationabilis non valet, & quæ ea sit.
Quod ratione caret, extirpandum est.
Responsio Regis.

177 Sed contrà hanc, quam hùcusque probauimus assertionem, obijcitur contrarius vsus: iam enim in more positum est, pensiones exteris conferri, qua vice beneficia Siculis oriundis debentur secundum Alternatiuam: cui proinde videtur contraria consuetudine derogatum: quam allegat *Tapia n. 12.*

178 Aio tamen id nihil obesse: etenim consuetudo contrà Regni capitula nihil prorsus roboris obtinet, aut valoris: siquidem ea semper sunt in viridi obseruantia, etiamsi millies, aut pluries aduersus ea fuerit iudicatum, vt 81

nec

nec actu contrario illis derogatum intelligatur, vt statuitur in pluribus regni capitulis, quæ *suprà conf.* 1 *.nu.* 12. *& conf.* 2 *.à n.* 50. retulimus: ac præcipuè Alphonsus Rex in *cap.* 435. in vniuersum sanciuit, prouisiones, côtrà Regni capitula emanatas, ipso iure irritas esse: quod sanè capitulum omnes post Alphonsum subsequentes Reges confirmarunt: decretum autê irritans introductã remouet côsuetudinem, etiam immemorabilem, secûdum aliquos: de cuius quidem decreti vi plura refert *Barbos. de clausul. vsufr. claus.* 40.

179 Carolus item Impetator in *cap.* 3. *&* 52. eiusque filius Philippus in *cap.* 31. statuère, vt nullo pacto posteriora prioribus capitulis, si fortè quidpiã contrà hæc constituerent, derogarêt, quò minus in viridi obseruantia semper existant: quæ quidem verba, in omnibus recensitis capitulis posita, ad futuram contrariam consuetudinê videntur referri, ità vt huiusce ea sint clausula, vt dicitur, derogatoria. Quin idem Alphonsus *in cap.* 482. disertis verbis decernit, Regni capitula ob nô vsum, aut ob contrariam consuetudinem nullatenus abrogari, aut eis aliquo modo derogari. atqui côsuetudo contrà statuta, seu constitutiones habentes derogatoriam clausulam ad futurum contrarium vsum, nullius prorsus est roboris, ac mómêti, vt aptè post alios ostendit *Ruin. consil.* 41 *.nu.* 2 *.lib.* 1 *.ex Gloss. atque alijs omnibus in l. de quibus, ff. de legibus*, cæterisque iuribus ab eodem adductis. Consuetudinem quoque, quæ expressim à lege statutoue reprobatur, nulla est, ac prorsus inanis, vt probatur à pluribus apud *Bertach. in repert. verb. côsuetudo num.* 47.

180 Item vt hæc, de qua loquimur, consuetudo valida esset, necessarius omnino foret côsensus expressus, vel certè tacitus ipsorum Siculorum oriundorum, quorum iuri derogabatur, vt probat *Bert. n.* 29 *.ex Innoc. in Rub. de côsuet.* quem refert, ac sequitur *Angel. in conf.* 271 *.Felin. in cap. cũ omnes* 1 1 *. col. verb. decimo fallit, de const. & Her. Bouer. in fig. verb. & statutum n.* 8. ità loquitur: *Si specialibus*, inquit, *personis præiudicet consuetudo, illorum consensum interuenire oportet, nec interuenire præsumitur, nisi manifesto iudicio comprobetur, vt not. extra de côsuetud. super rub. per Innocen.* At vero côpertũ satis est, Siculos nullo vnquam tempore in id consensisse: imo expressè constat ex petitionibus eorumdem, apertè dissensisse, quo tempore id cœpit introduci: quod fortè accidit Caroli V. aut, quod probabilius puto, Philippi II. tempore, à quo id enixè efflagitarunt, vt refertur in *cap.* 31. suprà allegato: idemque à Philippo III. atque in colloquio, anno 1625. habito, id iteratò, & plurièsin subsequentibus colloquijs à Potentissimo Philippo IV. nunc feliciter regnante, postularunt.

181 Et quãuis à nobis daretur, Siculos parum accuratè, prouidèque in id consensisse; nihilominus aio, id quoque nihil obesse: putãdum enim esset id ex errore, atque ignorantia eorũdem Siculorum euenisse; quis etenim censeat eos, si sciuissent pensiones in casu, de quo loquimur, sibi iure deberi, hac con obstante scientia, nihilominus consensisse, vt eæ exteris côferrentur? Atqui in totum omnia, quæ animi destinatione agenda sunt, nonnisi vera, & certa scientia perfici possunt, inquit Papinianus in *l. in totum ff. de reg. iur.* vbi optimè *Faber*. Quiq; errat, minimè consentire censendus est: quid enim tam contrarium consensui, quam error, qui impetitiam detegit? inquit Vlpianus in *l. si per errorem ff. de iurisdic. omnium Iud.* satisque certum est, errantis nullum prorsus esse consensum, seu voluntatem, *l. cum testamentum, l. non idcirco, ibique gloss. fin. C. de iur. & fac. ignor. not atque Paris. consil.* 12 *.n.* 79 *.& seq. lib.* 2.

182 Item quod non ratione introductũ est,

est, sed errore primùm, deinde consuetudine obrentum, in alijs similibus non obtinet *l. quod non ratione, ff de leg.* atque animaduertit *Gloss. in cap. fin. verb legitimè sit præscripta, de consuetud. & in cap. frustra dist.* 8. Erroneam quoque consuetudinem effectū non obtinere, non extendi, neq; trahi in consequentiam, firmat *Bertach. verb. consuetudinis effectus nu.* 60. post plures alios ibi allegatos. Quare consuetudo, per errorem inducta potius vetustas erroris erit nuncupanda, vt ait *Cyprian. in cap. consuetudo, dist.* 8. Si ergo, vt *S. Gregorij* verbis vtar, relati in *cap. si consuetudinem, ead. dist.* in hoc casu consuetudinem opponas, aduertendum est, quod Dominus dicit *Ego sum veritas, & vita*; non dixit, Ego sum consuetudo, sed veritas: & certè, vt Beati Cypriani vtamur sententia, quælibet consuetudo quantūuis vetustá, quantumuis vulgata, veritati omnino est postponēda: & vsus, qui veritati est contrarius, abolendus.

183 Itaque, vt concludit *S. August. lib. 3. de Bap. contra Donatist. cap.* 6. vt refertur in *cap. veritate, & cap. qui contenta, eadem dist.* 8. veritate manifestata, cedat consuetudo veritati: quia consuetudinem ratio, & veritas semper excludit. Ex quibus, atque alijs huiusmodi, rectè colligunt Doctores omnes, consuetudinem irrationabilē nequaquam valere, atque esse extirpandam: irrationabilem autem aiunt eam esse, quæ naturali æquitati aduersatur, vt probat *Bertach. verb. consuetudo quando nu.* 64. quam vero sit rationi consonum, naturalique æquitati consentaneum, vt hæ pensiones Siculis conferantur, facile ex his, quæ hùcusque explicuimus, quisque deprehendet: ac præcipuè ex eo, quod beneficiorum reditus ex decimis, primitijs, oblationibus, pijs legatis, atq; ex fructibus agrorum, expensis, sudore, ac labore eorumdem Siculorum collectis, componuntur. Quamuis igitur consuetudinis, vsusque longęui non vilis sit authoritas; verum non vsque adeo sui valitura momento, vt aut rationem vincat, aut legem, *cap. consuetudinis, dist.* 11. *cap. fin. de consuetud.* quod enim ratione caret extirpari necesse est *cap. corepiscopi dist.* 68. Quibus sanè omnibus satis ostenditur hanc, quam *Tapia* obijcit consuetudinem, nihil prorsus firmitatis habere, sed omnino esse abolendam: id quod præstiturum Catholicum Regem speramus, quæ sua est æquitas, ac iustitia, quo tempore de Siculorum iure docebitur.

His omnibus, quę hùcusque disseruimus, Regi nostro Catholico Philippo IV. Regni nomine expositis; eius petitioni in fine §. 1. positæ ità respondit Rex: *Que se obserue al Reyno la Alternatiua en las cosas ecclesiasticas, conforme à los capitulos del Reyno: y que su Magestad nò proueerà las Prelaçias, Abadias, y de mas beneficios con reseruaçion de fructos, si nò tan solamente con la pēsion ordinaria, que suele ser hasta la quarta parte, conforme à lo que resoluio el Rey nuestro Señor, que està en el cielo, ordenando, que semejantes pensiones sean en cantidad, y en ninguna manera por reserua de fructos, ni de parte dellos. Y que en tanda de naturales se tēdrà particular cuydado de dar al Reyno la mas satisfaçion, que se pudiere, en materia de pensiones.*

Iam vero, eo firmiter constituto, quod hùcusque probauimus copiosè, Alternatiua scilicet omnia prorsus beneficia, pensionesque concludi; resoluta remanet prima dubitatio §. 1. *num.* 7. proposita. Sed resoluenda superest secunda, inibi etiam proposita, videlicet, num Alternatiua ità beneficia omnia contineat, vt non modo quę naturali, sed etiam quę ciuili obitu vacant, complectatur. Sit igitur.

O §. XX.

§. XX.

Ostenditur primò ratione Alternatiuã comprehendere beneficia, non solum quæ naturali, sed etiam quæ ciuili obitu vacant.

SVMMAE.

184 *Beneficia, que naturali obitu vacant, certum est alternatiua concludi.*

185 *Modi vacationis per ciuilem obitum innumeri.*

186 *Alternatiua omnia prorsus beneficia, etiã quæ ciuili obitu vacant, includit.*
Vacationis nullo expresso modo, omnes includuntur.

187 *Vacatio est genus quoddam, omnes vacandi species complectens.*
Vacatio essẽtialiter est carẽtia Prælati.

188 *Ecclesia vacans dicitur vidua.*
Vidua mulier dicitur vacans: & habẽs virum inutilem, gaudet priuilegijs viduarum.

189 *Vacationis genus videtur vniuocum.*

190 *In alternatiua nullus vacandi modus exprimitur.*
Idem operatur subintellectum, quod expressũ. Neapolitana Alternatiua instar Siculæ concessa.

191 *Legata quibus debeantur, petita contrà tabulas bonorum possessione.*

192 *Doctrinæ traditæ ampliatio.*
Obitus appellatione etiam ciuilis includitur.
Dispositio in morte naturali, in ciuili quoque locum habet.
Mortis caussa donatio etiam ciuili obitu confirmatur.
Societas ciuili etiam obitu dissoluitur.
Pactum lucrandæ dotis in casum mortis collatum ciuili morte purificatur.

193 *Cedẽs beneficio, quoad illud vti mortuus habetur.*

194 *Alternatiua seruanda est cum debita æquitate, ità vt beneficia æqualiter inter Siculos, atq; exteros diuidãtur.*
Dictio, Prout, *in priuilegijs ponitur causatiuè, seu demonstratiuè, non conditionaliter.*

195 *Refellitur duplex explicatio* cap. 105. Caroli V.

196 *Explicatur* cap. 187. *eiusdem Imperatoris.*

184 ET fanè de ijs, quæ prioris sunt modi, neminem hùcusque ambigere vidi; ea enim Alternatiua concludi, omnes affirmant. Solum igitur hoc loci quærimus, an ea quoque, quæ per ciuilem obitum vacant, includantur.

185 Sed, vt res enodatiùs pateflat, exponendum omnino visum fuit, quid demum vacationis per ciuilem obitũ appellatione intelligamus. Diuersi vero sunt, ac propemodum infiniti modi vacandorum ciuili obitu beneficiorum, vt inquit *Mandos. in reg. 30. Cancell. q. 7. n. 2.* putà resignatione, promotione ad Ecclesiam Cathedralem, secundi beneficij incompatibilis adeptione, non promotione ad sacros ordines infrà annum, matrimonij cõtractu, Religionis ingressu, priuatione, depositione, innumerisque alijs, quos aptè prosequitur, atque ex iure canonico elicit *Rebuff. in praxi benef. tit. requisita ad collationem bonam à n. 48.* atque alibi: sed latiùs in *Tract. de reg. ad Prælat. nominat. §. Monasterijs. verb. vacantibus, in concord. Boer. decis. 2. nu. 1. & 2.* alijque, quos recenset *Nicol. Garc. de benef. q. 11. cap. 1.*

186 Vt igitur hæc enodetur difficultas, dicendum omnino est, Alternatiuam omnia prorsus beneficia concludere, quæ, quocumque ex expositis modo, ciuili obitu vacare contingit. Atque hæc sanè propositio ostenditur satis, ni fallor, ex illa communi iurisprudẽtibus doctrina, quam post alios plures affert sæpè *Mandos. in reg. Cancell. præsertim in reg. 16. q. 3. n. 2. & in reg. 19. q. 17. n. 2. in reg. 30. q. 7. n. 21. reg. 33. q. 7. n. 4. Flam. Paris. de resig. benef. lib. 12. q. 14. n. 24. Menoch. de arbitr. iud. lib. 2. casu 201. n. 100. Rebuff. in repet. cap.*

cap. nulla, paulo post initium vers. sextò præmittatis, de concess. preben. alijsque, quos recenset Garc. d. p. 11. cap. 1. à nu. 3. & Barbos. de appellat. verb. vtriusq; iuris signif. appell. 266. puta, nullo vacandi modo in dispositione quapiam expresso, omnem prorsus includi, siue is naturali, siue ciuili obitu accidat; siue in re fauorabili, siue in pœnali, odiosa, ac restringenda, versemur, siue de vacantibus, siue de vacaturis beneficijs fuerit sermo. Id quod ab omnibus probatur ex cap. ex parte 1. de offic. deleg. gloss. in cap. cupientes, ver. vacantibus, de elect. lib. 6. eadem in cap. si propter, verb. vacabūt, de rescrip. eod. lib. alijsque pluribus, quos licebit animaduertere apud Doct. cit. qui ex hoc principio varias cōclusiones eliciunt, quas accuratè recolligit Barbosa. vide infra num. 228.

187 Sed ratio, ac fundamentum traditę doctrinæ mihi esse videtur, quia vacatio genus quoddam est, omnes vacandi species sub se complectēs, quarum quælibet proprijssimè vacatio censeri, appellarique debet: siquidem quocumque tandem modo Ecclesiam Prælato carere contingat, vacare optimo iure prædicatur, vt ex ijs, quæ à Doctoribus traduntur in rub. & tot. tit. Ne sede vacante, animaduertit rectè Rebuff. in rep. cap. nulla, paulo post initium ver. quinto præmittas, de cōcess. preb. quare conceptus ipse formalis genericus, vt Philosophi loquuntur, atque essentialis ratio vacationis beneficiorum, est carentia, vt ità dicam, Prælati, seu beneficiarij, quæ ad eumdem planè modum euenit eiusdem Prælati obitu, quo renunciatione, priuatione, alijsque superiùs expositis rationibus contingit.

188 Hinc non minus rectè vacantem Ecclesiam, viduam, seu viduatam nūcupamus Episcopi, Abbatisuè interitu, quam eorumdem renunciatione, translatione, cęterisuè modis, sponso carentem; vel si inutilem habeat, cap. 2. §. sed neque illud, de translat. Episcop. viduæ mulieris exemplo, quam Martianus iurisconsultus vacantem nuncupauit, vt refertur in l. qui cœtu §. qui vacantem mulierem, id est viduam, subdit Glossa ff. ad leg. Iul. de vi publ. quæ quidē si virum inutilem habeat, habet quoque priuilegia viduarum, vt voluit Bald. in l. fin. C. de plagiarijs. Cotta in memorab. verb. vidua. Couarr. pract. qq. q. 7. vers. est & in hoc. & alij. Quo etiam exemplo Episcopus Episcopatum non habens, dicitur vacans in cap. si quis Episcopus, dist. 92. ibique monet Gloss. verb. Episcopus vacans. Et illud idem matrimonij carnalis exemplum nobis vlterius fauet, quòd generalis stipulatio, ad omnem prorsus casum soluti matrimonij refertur, l. si quis sic stipulatur, ff. solut. matrim. Hinc ille, quem conceptum vacationis genericum vocauimus, formalemque, seu essentialē rationem, Philosophos imitati, æquè prorsus ab omnibus expositis speciebus participatur: neque vna ab alia in ea significanda ratione vllo pacto dependet.

189 Vndè malè quispiā hùc inueheret rationem quampiam, quam dialectici Analogam vocant attributionis, proportionisuè, vt indè concluderet, vacationis appellatione quid principalius, quid vero minus principalius significari; indeque, eo absolutè prolato nomine, vnum tantum vacandi modū principalius significatū includi: malè, inquam, id quispiā assereret: vti enim modo diximus, Prælati carentia, quæ vacationis definitio constitui non incongruè posset, æquè omnino de omnibus eiusdem vacationis speciebus prædicatur: ità vt non ineptè quis vacationis genus vniuocum asseueret, proindeque omnes prorsus species eo nomine propriè, primò, ac principaliter concludi, ac significari.

190 Atqui, vt ad institutum sermonem reuertamur, in Alternatiuæ dispositione nullus omnino vacationis modus exprimitur: absolutè enim, siue indefinitè datur, vt quorumcumque bene-

ficiorum (uacantium scilicet, alioquin eorum electio, seu prouisio fieri minimè posset, vt in re simili non absimili modo argumentatur *Mandos. in d. reg. 33. q. 7. n. 4.* idemque operatur subintellectum tacitumuè, quod expressum ad *l. cum quid, ff. si certum petatur, cum concord.* quin addendum est *quomodocumque vacantium*: ità enim eam fuisse concessam, testatur Carolus V. Imperator in capitulo Neapolitanæ Alternatiuæ, quæ ad instar Siculæ concessa fuit: vnde vtrique quæ tradimus, communia sunt; de qua tamen *infrà §. vlt.*) vna electio fieri debeat in alicuius Siculi idoneam personam, vt ex ipso *cap. 34. sepè cit. Regis Ferdinandi*, apertè cōstat. Quin ea dispositio videtur prorsus vniuersalis, vt ex ijs, quæ huius *cons.* 3. initio exposuimus, satis liquet: ex quo quidem loco multa in hunc erunt transferenda, puta indefinitam quoque propositionem, nedum vniuersalem, & verbum simpliciter positum generaliter exponi: cōcedi omnia, cum nihil excipitur, aliaq; huiuscemodi, vt rem perpendens facilè deprehendet.

191 Sed ijs præsertim addo optimum, ni fallor, argumentum desumptum ex *l. 1. ff. de leg. præstand.* vbi statuitur, vt, etiam petita contrà tabulas bonorum possessione, quibusdam personis legata præstari debere: *hoc est*, inquit textus, *liberis, & parētibus, vxori, nuruique dotis nomine legatum. Generaliter autem*, exponit Vlpianus, *parentes, & liberos prætor excepit, nec gradus liberorum parentumue enumerauit: in infinitum igitur eis præstabitur*. Cuius sanè uis illationis in eo videtur sita, quòd prætor parentibus liberisque, horum nulla prēstita exceptione, illud indulsit: quarè omnibus prorsus præstabitur: parentum enim, liberorumque appellatione omnes prorsus ęquè omnino principaliter concluduntur. In hunc eumdem igitur modum nobis in re nostra licebit argumentari. Rex Ferdinandus in sæpè *cit. cap. 34.* quorumcumque vacantium beneficiorum concessit Alternatiuam; nec vllos vacādi modos enumerauit: in omnibus ergo ea locum obtinebit. Cui quidem doctrinæ alias congruentes affert *Gloss. ibid. verb in infinitum*: legique poterit *Mandos. d. Reg. 33. q. 7. in fin. n. 3. & 4.* Nescio an eæ voculæ, *omnium quorumcumque*, à nobis huiusce *cons. 3.* initio, ad aliud perpensæ institutum, huic quoque conferant quoquomodo: certè *Mandos. loco proximè citato*, ab eiuscemodi dictionibus doctrinam nostræ non absimilem innuit adiuuari, ibi: *Tanto magis propter illud verbum quocumque additum termino beneficio, &c.*

192 Adderet his omnibus quispiam, fortassis non ineptè, ità censeri debere veram traditam hùcusque doctrinam, vt, quamuis in Alternatiuæ concessione dictio, *obitus*, apponeretur, ità vt eā Rex beneficiorum per obitum vacantium indulgeret; nihilominus putandum esse, obitus appellatione ciuilem quoque concludi. Id is ostenderet primùm ex *l. Gallus §. & quid si tantum ff. de lib. & posth.* vbi Scæuola statuit apertè, ex sententia legis Velleiæ, dispositio ē em in naturali morte, in ciuili quoq; putà deportatione, & emancipatione, locum obtinere. Præterea mortis causa donatio, vt naturali, ità ciuili obitu confirmatur, *l. res vxoris, C. de donat. int. vir. & vxor. Gloss. in c. si Episcopus, ver. sed capitulum vers. & sic no. de supp. neglig. prælat. in 6.* alia, quæ est finalis *in cap. placuit 2. 16. q. 1.* Item Societas ità ciuili, putà bonorū publicatione, sicuti naturali morte dissoluitur *l. actione §. morte vnius, & §. publicatione, ff. pro socio §. soluitur adhuc, & §. publicatione instit. eod. tit. Gloss. fin. in cap. in apibus §. ecce in quibus 7. q. 1.* rursus lucrādæ dotis pactū, in casum mortis collatum, morte ciuili, putà religionis ingressu, sicuti naturali, purificatur, *l. Deo nobis §. 1. in fine, C. de Episcop. & Cler.*

193 Et, quod ad rem nostram propiùs acce-

accedit, cedens beneficio, quoad illud iam cessum, mortuus habetur *cap. in apibus* § *ecce in quibus* 7. *q.* 1. *Clem.* 1. *& Gloss. verb. mori, vt lite pendente, alia in d. cap. si Episcopus, verb. mortem de suppl. neglig. Prælat. lib.* 6. docentque alij plures apud *Mandos. in reg.* 30. *cancell. q* 7. *n.* 11. *& reg.* 42. *q.* 5. *nu.* 2. Cum præsertim in re omnino fauorabili, & amplianda nos versemur, & in casu, in quo vtraque mors eosdem prorsus operaretur effectus; eademq; ratio in vtroque casu perspicitur, de quo vide *Garciam d. p.* 11. *cap.* 1. *à nu.* 83. qui plures alios allegat: & Abbas *in cap. cum sis, de conuers. coniug.* vbi fusè inquirit, quibusnam casibus mortis, obitusuè appellatione, ciuilis, nedum naturalis concludatur: longum enim esset id hoc loci inuestigare, & vti monui, minimè necessarium: siquidem in Alternatiua neutiquam dictio *obitus*, similisuè reperitur; sed absolutè quorumcumque vacantium beneficiorum ea indulgetur, vt sæpè hucusquè exposuimus: etsi post hæc scripta videtim *decis.* 325. *part.* 3. *Veralli*, referentis ità *Rotam Romanam* censuisse; & Sacrum *Cõsilium Neapolitanum*, teste *Ioan. Vincẽt. de Anna allegat.* 92. *lib.* 2. vide *Gratian. discept. forens. cap.* 27. *nu.* 40. *& seqq. lib.* 1.

194 Quorum quidem opinio in re nostra locum certissimè obtinere oporteret, Alternatiua enim Siculis, *cum debita æquitate*, seruari debet, ità vt dignitates omnes, omniaque beneficia *æqualiter* inter Siculos, atque exteros diuidantur, vti iisdẽ fermè verbis decreuit, ac declarauit Imperator *Carolus V, in cap.* 105. Atqui quo sanè modo istæc æqualitas seruaretur, si solum beneficiorum per naturalem obitum, non item alijs penè innumeris modis vacantium, Siculi participes efficerentur? Certè ipsamet debita æquitas hanc omnimodam æqualitatem exposceret, quando cætera deessent; vti enim monuit post alios *Menoch. cons.* 102. *nu.* 8. *lib.* 3. idem fermè est dicere æquitatem, atque æqualitatem: indeque eiuscemodi virtutem æquitatis nomen nactam docet *n.* 11. *post Aelium*, quod omnia ad æqualitatem, & parilitatem reuocet: idq; apertè laudatus Imperator agnouit, cum illud ipsum explicans, quod dixerat, *cum debita æquitate*; id ait esse, vt beneficia omnia *æqualiter* inter Siculos, atque exteros diuidantur. Quæ sanè ratio plurimi facienda est: tum quia nostræ sententiæ plurimum fauet: tũ maximè quia ità fuisse Alternatiuam initio concessam Carolus attestatur, vt scilicet cum debita æquitate seruaretur, ibi: *Quod seruetur Alternatiua, prout fuit concessa, cum debita æquitate*: dictio enim, *prout*, in priuilegijs, non conditionaliter, sed causatiuè, seu demonstratiuè ponitur, *vt post Gloss. fin. in cap. quoniam Abbas de off. deleg.* omnes prorsus animaduertunt: estque *express. tex. in cap. Abbate* § *cõtra quod fuit, de verb. sign.* Quam ob rem idem fuit dicere, *Prout cõcessa fuit*, ac, *Quia concessa fuit*, vt cum debita æquitate seruaretur. quin & in dubio demonstratiuè sumi debere, *post Bart. Rip. Dec. aliosque edocuit Rota diuers. p.* 2. *decis.* 27. *n.* 7.

195 Quocirca prauam nimis olim putauimus cuiuspiam eorum verborum interpretationem, volentis, Imperatorem ijs nihil prorsus aliud significasse, quam vt Alternatiua in casu dumtaxat naturalis obitus seruaretur, prout concessa fuerat. quo quid quæso ineptius excogitari potest? Infert sanè hęc expositio vim verbis, vti ex prædictis constat, ac falsissimo nititur fundamẽto, cum satis antea probatũ sit, Alternatiuam in casu quoque ciuilis obitus fuisse concessam; neque ylli prorsus alij, vel infirmissimæ rationi hæc futilis interpretatio innití potest: vti neq; alia huic simillima, quæ vult, æquitatẽ illam in eius capituli duntaxat casu, non in alijs fore seruandã: (ità abhorret æquitatem huiusce expositionis auctor, vt minimũ, quoad fieri potest, velit

velit obtinere locum) cum tamen Imperatoris enunciatum generale sit; ex eoque Carolus particularem illius capituli casum inferat, decernatque, ijs videlicet verbis, quę, quoniam rei nostræ plurimum conducunt hoc loci referre decreuimus: *Seruetur*, inquit, *Alternatiua, prout fuit concessa, cum debita æquitate, taliter quòd, si alienigenæ sit ante concessa Archiepiscopalis, vel Episcopalis dignitas, prima similis vacans concedatur Siculo: si Abbatia sit concessa alienigenæ, altera Abbatia primò vacatura detur Regnicolæ: si prioratus; canonicatus, vel simplex beneficium sit datum extero; alter, seu alterum primò vacans concedatur Siculo. Ità quod prædictæ dignitates, & beneficia sint tripartita: seu ad dictos tres ordines reducta, vt æqualiter diuidantur inter Siculos, & exteros*. Quo autem modo hæc æqualitas seruari, ac primò vacãs dignitas, aliudue beneficium Siculo concedi potest, nisi quocumque modo vacauerint, concedantur? plura enim sunt, quæ ciuili obitu vacant, quæ certè, si excipiantur, non primò vacatura beneficia concedi deberent: & quænam esset ista æqualitas, si decē sæpè exteris, vnum aut alterum Siculis conferretur?

196 Hoc idem apertissimè agnouit idē met Imperator in *c*. 187. postea enim quam declararat, atque etiam denuò concesserat, Alternatiuam in eodem corpore penitus obseruari, vti *suprà cons*. 1. *n*. 4. explicuimus; statim excipit Montis Regalis Archiepiscopatum, *vt quotiens*, ait capitulum, *& quomodocumque vacabit, arbitrio Suæ Maiestatis conferatur*. Cur enim addidit, *quomodocumque vacabit*; nisi quia planè cognouit, Alternatiuam quemcūque prorsus vacationis modum coercere? alioquin satis omnino fuisset ab Alternatiua huiusce modi Archiepiscopatum extrahere, ac maioris explicationis ergo, nō ea verba annectere; (quæ omnino superflua fuissent, si solius per naturalem obitum vacationis modum Alternatiua concluderet) sed hæc, similiaue, *vt quamuis naturali morte vacauerit, &c*. Præterquāquod eadem verba, *quomodocumque vacabit*, ad antecedentia referri aptissimè queunt; ità vt sensus sit, declarare, & concedere Cæsaream Maiestatem, vt Alternatiua, in eodem corpore intelligatur, quoties, & quomodocumque beneficium vacabit, excepto Montis Regalis Archiepiscopatu: ità enim eadem prorsus, cōnexaq; oratio, eiusque contextus exigere videtur. Cum præsertim exceptio cum iisdem prorsus qualitatibus regulam firmet in ijs, quę non excipiuntur: si ergo solus Montis Regalis Archiepiscopatus excipitur, quocumque modo vacauerit; cæter a profectò beneficia, quocumque modo vacauerint alternatim conferentur pro cuius quidem rei confirmatione, vide quę antea *n*. 160. tradidim⁹. Atque hæ nostræ, aliæque similes capitulorum interpretationes proculdubio plurimi faciendæ sunt, quippe quę Regno fauēt, non aduersantur: ità vero ea in dubio exponi debere, eadem capitula decernunt, vti postmodum admonemus.

§. XXI.

Ostenditur secundò, Alternatiuam comprehendere etiam beneficia, quæ ciuili obitu vacāt, ex vsu illius constitutionē subsequuto, qui, quāuis fuisset cōtrarius, nihil obfuisset.

S V M M Æ.

197 *Exempla hac de re referuntur*.
198 *Recentiora recensentur*.
199 *Item magis recentia, & vltima*.
200 *In rerum incorporalium quasi possessione quis constituitur per vnicum actum, ibique exempla, præsertim cum longum tempus est elapsum, & causa vtentis est vniuersalis*.

Lon-

201 *Longa consuetudo inducitur per duos actus, & decennij lapsum.*
202 *Regni capitula neque contraria consuetudine, neque non vsu abrogantur.*
203 *Regni priuilegijs neque expresse, neque tacitè Siculi renunciare queunt.*
204 *Siculorum consensus, & scientia hac in re non præsumitur.*
Priuilegium reiterationem recipiens, habensque effectum successiuum, nonnisi spatio triginta, vel quadraginta annorum amittitur.
205 *Non sibi præiudicat in alijs actibus, qui in vno aliquo sibi præiudicauit, quoad hæc priuilegia.*
206 *Priuilegium, quod in faciendo consistit, spatio decem annorum quomodo non vtendo perdatur.*
207 *Priuilegij spontanea renunciatio non est præsumenda, vbi aliud præsumi potest.*
Lites execrari laudabile est.
208 *Priuilegium non tollit coacta præstatio, & quando hæc præsumatur.*
209 *Nonnulla, quæ præsumuntur metu facta, referuntur.*

197 HAnc sanè rem vsus ipse, ac mos Alternatiuæ constitutionem subsecutus confirmauit: etsi enim verissimum sit, Regni priuilegijs contrariam consuetudinē nihil penitus derogare, vt *supra à nu.* 178. probauimus; quamobrem, neq; hæc, de qua loquimur, si foret contraria, quicquam nobis obesset; nihilominus certissimum quoque censeri debet, fauentem eiusdem Regni priuilegijs plurimum prodesse. Hæc vero ostenditur exemplis, quæ subsequuntur, deprompris ex Regia Secretaria Regni Siciliæ; (quoties de ea mentionem facio, de ea intelligo, quæ vna est ex tribus supremi Italiæ Senatus.) in qua, quoniam scripturæ antiquiores non asseruantur, vetustiora prodere minimè queo. Anno igitur salutis 1570. Iacobo Lomellino extero ab Ecclesia Mazzariensi ad Panormitanam promoto, successit Cardinalis Rebiba Siculus. Anno 1571. Ioanni Beltran de Gueuara extero, ab eadem Mazzariensi ad Vicensem (de Vich) in Hispania translato, Antonius Lōbardus Siculus successit. Anno 1574. Doctori Orosco extero, ab Ecclesia Syracusana ad Catanensem promoto, successit Gilibertus Isfar Siculus: qui idem anno 1575. successit Antonio Marino de Pazos extero, ab ecclesia Pactensi ad Abulensem in Hispania translato. Anno 1583. Didaco de Ayedo extero, ab Agrigentina ad Panormitanam promoto, successit Franciscus del Pozo Siculus. Anno 1593. Fratri Francisco Gonzaga extero, ab Ecclesia Cephaludensi ad Papiensem promoto, successit Nicolaus Stizzia Siculus: & post annum 1600. vsque ad præsentem 1640. hæc accidère. Doctori Valdiuiesso extero, à Messanensi ad Auriensem (de Orenze) in Hispania translato, successit Andreas Mastrillus Siculus. Ioanni Osorio extero, à Syracusana ad Catanensem promoto, successit Paulus Faraonius Siculus. Iterum eidem Ioanni Osorio à Catanensi ad Ouetensem (de Ouiedo) in Hispania promoto, quamuis successerit Innocentius Maximus Romanus; Siculis tamen compensatio in Messanensi Archiepiscopatu facta est, qui collatus fuit Illustrissimo D.D. Blasio Proto Siculo, viro vtriusque iuris peritissimo.

198 Atque hoc quidem vltimum accidit anno 1623. præcedente supremi Italiæ Senatus consultatione, qua D. Regi exposuit, Siculis Alternatiuam deberi etiam, cum beneficia ciuili obitu vacant: proindèque eis posse, eo casu, debereque fieri compensationem: atque ità Rex optimus præcepit: & gratum, acceptumque sibi fuisse compēsationis remedium à Consilio propositum, respondit, quo iuri Siculorum nullatenus derogaretur. Idemque in Abbatijs, alijsque beneficijs obseruatum est: cuius quidem rei exempla proferre magis fasti-

stidiosum, quam necessarium esset. Recentiora referam. Anno 1633. ob promotionem, seu translationem Eminentissimi D. Cardinalis Spinolæ ad Ecclesiam Compostellanam, vacauit Abbatia, quæ Nouælucis nuncupatur, ad quam Regi nostro lib. it Eminentissimum D. Cardinalem Ludouisium primò, deinde ob eius obitum, ante adeptam possessionem, ad eamdem Eminentissimum D. Cardinalem Albornosium, vtrumque exterum, præsentare: nè Siculorum tamen ius omninò læderetur; expressè præcepit, ijs in prima Abbatia eiusdē penitus valoris, quæ in posterum vacauerit, compensationem fieri, præhabita, vt audiui, eiusdem Supremi Senatus consultatione. Quod sanè regium mandatum in Secretaria prædicta Regni Siciliæ asseruatur.

199 Iterum anno 1634. D. Francisco Sancio Hispano, de Mazariensi ad Canariensem Ecclesiam translato, quamuis Eminentissimus D. Cardinalis, Sanctæ Cæciliæ nuncupatus, antea in ea ecclesia fuerit præsentatus: quia tamen Regni nomine cum pijssimo, iustissimoque Rege de hoc expostulatum est; quippequod plurimùm Alternatiuę priuilegio derogabat: habita quoque Sacri Consilij consultatione, Catholica Maiestas, quæ sua est æquitas, ac religio, præfatum D. D. Blasium Proto, Archiepiscopum Messanensem præsentauit: qui cum à prima sponsa discedere noluisset; iterum anno 1636. D. Cardinalis Sāctæ Cęciliæ Episcopus Mazariensis à Rege nominatus est: qui hodie summa integritate, ac pastorali vigilantia, illi Ecclesiæ præest. Cuius quidem casus occasione: atque etiam Abbatiæ, quam vocant *del Parco*, ad quam filius Archiducis Austriaci præsentatus fuit, quo sane tempore Siculus præsentandus erat; iterum hac de re controuersia orta est: in qua quidem nonnulli contra Regni iura suam sententiam firmauerunt. Nihilominus Rex noster Philippus Quartus decreuit generatim, atque vniuersè, Siculis, etiam in casu ciuilis obitus competere Alternatiuam; atque ità præcepit, vt in ijs casibus seruaretur, præstitis Regno præfatori Episcopatus, & Abbatię compensationibus in duobus Episcopatibus primò vacaturis. Atque ità anno 1638. cum vacasset Ecclesia Cephaludensis ob trāslationē Illustriss. D. D. Octauij Brāciforti, nobilissimi Siculi ad Catanēsē, Siculo collata est, puta Illustrissimo D. Regenti D. Petro Corsetto (viro non minus integritate, ac animi pietate, quam literis perillustri) ob recompensationem Ecclesię Mazariensis.

200 Atque his sanè actibus, præsertim postremo loco recensitis (qui veluti in contradictorio iudicio habiti cēseri debent) hac in re ius Siculis acquisitum est, vt eis Alternatiua etiam in casibus ciuilis obitus obseruetur: tametsi aliundè illud non obtinerent; vti certè obtinere probatum est satis: etenim non solum duobus, tribusuè actibus, sed vnico dumtaxat, quis in rerum incorporalium quasi possessione constituitur, vt post *Bart. Abb. Rip. Ruyn. Crauet. Roland.* aliosque edocuit *Menoch. cons.* 126. *nu.* 6 *lib.* 2. *& cons.* 725. *n.* 10. 11. 12. *lib.* 8. vbi post *Abb. & Rip.* ait, vnicum collationis actum constituere in quasi possessione conferendi; & post eumdem *Rip. Deci. Couarr.* vnicum præsentationis actum in iurispatronatus quasi possessione: (de quo tamen alibi) & post *Barbat.* aliosque, vnicum electionis actum in quasi possessione eligendi: aliaque addit huiuscemodi apud ipsum consulenda, cū locis modo laudatis, tum *lib.* 2. *de arb. iud. cent.* 2. *casu* 160. præsertim cum in re nostra longum tempus elapsum sit: *cap. cum Ecclesia Sutrina, ibique gloss. verb. breuitatem tēporis, de causs. poss. & propr.* & causa vtentis est vniuersalis: quo sanè euentu per vnicum actū particularem, vniuersalis possessio acquiritur, vt ait *Rota decis.* 139. *n.* 12.

part.

part.2. diuers.& ratio est,inquit,quia magis attenditur caussa actus,quam ipsius actus exercitium: laudatque *Bald.Felin.*aliosque,ac refert itá aliàs fuisse decisum.

201 Quid quæso in re nostra dicendum erit: vbi tot actus tot annis expliciti habentur, cum ad inducendam longam consuetudinem duo solum, & decennium satis sint, *vt not.præsertim per Azon.in rubr.quæ sit longa consuetudo,in Codice, Gloss.in l.diuturna ff.de legib.* cum præsertim in re versemur omnino fauorabili, conformique non modo communi iuri, vt sæpè annotatum est; sed etiam municipali Siculo, quod ipsos Siculos alternatim ad beneficia admittit, quocumque prorsus modo ea va are contigerit; & quod etiam statuit, Regni capitula esse in eiusdem commodum, & fauorem interpretanda, vti sæpè monitum est.

202 Neque vero quicquam huic rei obesset, quòd reperiri possent aliqui actus ei aduersantes. De his enim mihi non constat: &, si qui forent, Regno nihil penitus nocerent: tum quia, vt sæpè diximus, contrarijs actibus eius priuilegijs nihil prorsus derogatur: quin ea neque contraria consuetudine, aut non vsu vllatenus abrogantur,siuè aliquo modo derogatur, vt expressè sãciuit *Alphonsus in c.482.*

203 Tum quia, q hi actus Regno officere possent, id sanè eueniret, quia ex ijs tacita priuilegiorum renunciatio argueretur: atqui nequeunt Siculi Regni priuilegijs expresse renunciare, *arg.l.præses.C.de Transac l.contra §.fin.ff.de pactis, Inn.in cap.accedentibus vers.imo plus de Priuileg. Abb. in cap.cum accessissent n.8.ibique com. de constit. Pute.decis.252.nu.4.lib.3.* ergò multò minus tacitè eis renunciare queunt, vt ijdem Doctores ratiocinantur, præsertim *post Innoc. Abbas* noster: qui ideo tempus præscriptionis legitimum, puta triginta,vel quadraginta annorum requirunt: id quod tamen in nostro negotio non reperitur: & quamuis adesset, Regno nihil penitus officeret, cum neque mille actibus, neque contraria consuetudine, proindeq; multo minus præscriptione,eius priuilegijs derogari queat.

204 Tum quia vna, aut altera præsentatio, quæ etiam Siculis volentibus contrà Alternatiuam fieret (quorum tamen consensus probandus esset, cũ præsumi nullatenus possit: ad eumdẽ planè modum, quo neque hac in re scientia præsumitur, sed probari debet *l.verius ff de probat. Magon. decis. Lucens.49.n.11.post alios latè doctissimus Giurba cons.59.n.44*) non in omnibus, sed in his solum præsentationibus sibi preiudicarent, vt pluribus probat *Alex.cons 33.nu.2.lib 5.* atque itá determinare ait antiquum Doctorem *Andr de Barulo in l.2.C.de his,qui spon.mun publ.sub.lib.10.*aientem,priuilegium reiterationem recipiẽs, nõnisi spacio 30.vel 40. annorum amitti; licèt contrà illud factum sit; per id, quod habetur *in d. cap. accedentibus, & cap si de terra,de priuileg.*

205 Tum quia priuilegium, de quo loquimur, generale est: atqui, si quispiam habet generale priuilegium, inquit *Abb n 8.cit.*nè subeat aliqua munera publica, vel honores, & spontè acceptauit vnum, non præiudicat sibi in alijs; etiam in illo, si denuò eligatur ad illud, *vt in l.voluntaria C. de excus tut.*nisi acceptauerit Decurionatum, &c. *Panormitanum* laudat, sequiturque *Alex.loc.cit.n.4.* qui etiã subdit, quòd priu legium continens momentaneum effectum, & non reiterabilem, vnico actu contrario tollitur: secùs si habeat effectum successiuum, laudatque plura iura, Doctoresque. Atque hanc fermè doctrinam ante *Abb. & Alex. tradidit Inn. in d. cap. accedentibus in fine, & videndi Guid.Pap.q.387.alijque apud Osach. decis.91 n.21.22.Surd.cons.262.à nu.78.Gozad cons.23.Valẽzuela cons.79. num.134.Fontan.de pact.nupt.claus.4. glos.10.n.132.pluresq; alij apud Giurb.*

conf.79.n.2.Menoch.de præsump.lib.6. præ.41.n 6.Barbos.de potest.Episc.p.2. alleg.26.à nu.16.Suarez de legib.lib.8. cap.35.n.17.

206 Tum quia, etsi priuilegium, quod in faciendo consistit, spatio decem annorum non vtendo perdatur *l.1.ff. de nundin. ibique omn. Abb in d.cap.cũ accessissent n.6.Alex.n.5.loc.cit aliýque passim*, id tamen locum non obtinet in re nostra, cum ob ea, quæ prædiximus; tum etiam, quod nostrũ priuilegium, nõ solum toti Regno, quod Ecclesiæ æquiparatur, concessum est; in ecclesia vero ea doctrina non procedit, vt monet *ibid. Abb. & vid. Gizarel.decis.73.* verum etiam in actione quapiam à Siculis exercenda nullo modo consistit; sed potius in ea, quã in præsentãdis Siculis Rex noster eligere debet, vt quisque facilè intelligere potest. Præterquamquòd, secũdum aliquos, ea doctrina locum non habet in priuilegijs habẽtibus tractũ, vt aiunt, successiuum: in quibus spacium quadraginta annorum requirũt: id quod in casu nostro non accidit, vt consideranti ea, quæ prædiximus, manifestum erit, omitto hic priuilegiarium totum Regnum esse, non priuaram personam, ac priuilegium onerosum esse, atque intuitu obsequiorũ præstitorum concessum: quo casu neque ea doctrina obtinet locũ *ad trad. per Mastril.decis.97.in fin.vol.1.Frãc. Anton Costa conf.2.n. 77. Aldoui. conf. 20.n 155.Gabriel.conf.151 n.11.vol. 2.Beret.conf.13 n.10 Rimin.Sen.conf. 385.n 9.vol.2.Giurb supra n.85.alleg. aliosque.*

207 Tum quia, quamuis ijs actibus, si qui adessent, Siculi consensissent; non tamen indè sibi vllum prorsus detrimentum intulisse censendum erit: siquidem, vt ait *Alex.loc.cit n.10 & 11. post Host Ioan. And. & Butr. in d. cap. accedentibus*, vbi potest cadere alia præsumptio, quam renunciationis priuilegij, non debet capi præsumptio renunciationis, *cap.super hoc, de renunt.sequitur Dec.in l.cuius per errorem n.3.ff.de reg.iur. Natt.in add. ad Alex.n.3.* & in dubio, præsumptio est pro non renocatione priuilegij, vt pluribus probat *Rota decis.139.nu. 5. part.2.diuers.& viden. Aldoui.cõs.20. Mastril.decis 96.n.5.latè Giurba cons. 59.num. 44.* Vnde secundum eos, ait *Alex.* si ex mandato superioris fecisset aliquis actum directè contrarium priuilegio, ei non videretur renunciasse, quia coactè quodammodo facere dicitur, allegans *not. in cap. cum M.de constit.* Plus voluit *no. Inn. in d. cap.accedentibus*, per illum textum secundum vnum intellectum, quòd quando solutæ sunt decimæ, quas soluens non tenebatur ex priuilegio soluere, præsumetur in dubio non voluntariè soluere, nec renunciare priuilegio; sed lites execrari: quod, cum sit laudabile, ei non imputatur *l. item si res §.1.de alien.iud.mutãd caus. fact.*

208 Neque in re nostra putãdum esset, Siculos suo priuilegio amplissimo, honorifico, & vtilissimo voluisse spontè renunciare, vt in re sua arguit *Alex. n.11.ex l.cum de indebito, in princ. ff. de prob.l.si cum aurum ff. de solut.* quibus equidem addidi *rim cap.super hoc cit.de renunt.præsertim ibi: quod nulla ratio hoc verisimile reddit, &c.* Coacta autem præstatio priuilegium non tollit, vt ex *l.cura, init. vers.nec si per vim, ff.de muner. & honor. probat Roman. conf.252.n.5.* quem citat, ac sequitur *Hipp.l.de Marsil conf.99.n.2. Osacb. d.decis.91 n 19.* vbi laudat quoque *Ruin.conf.111.num.20.& seqq.vol.5.* qui citat *Bald. in tit. de pace Constan. verb.pactiones*, aientem, indebita obsequia, seu, vt ipse loquitur, seruitia, metu extorta præsumi, *ex Ioan. And. in cap.1.de rescrip.in 6.*

209 Confert quod notat *Bald.in cap.1. qual.vass.iur.deb.* vbi dicit, iuramentum, contrà antiquam consuetudinẽ præstitum, præsumi metu extortum, ibique laudat *Innocentij* doctrinam nuper-

nuperrimè relatam: quam etiam amplectitur *Decius in d.l.cuius per errorē. num. 2. ff. de reg.iur.vt notat Natt.in Add.ad d.conf.33. Alex. n.* 4. etsi verè *Decius Innocentium* non laudet. Sed legēdus idem *Natt.num.3.* vbi refert. *Bald.in l.eam quam,col.9.C. de fideicō. & Socin.conf.147.col.fin.lib.1.* aiētes, natum ex Tyranno, vxorem habente, accusabili complexu, matri succedere; quia hæc vim passa præsumitur. Idemque ad ancillam *Socinus* protrahit, quę se domino immiscuit: aliaq; addit *Natta* apud illum consulenda: vti quoque legi ea debent, quæ ipsi *conf.1.n.41.& suprà hoc eod.conf.3.n.181.* tradidimus. Hic vero animaduertendum est, si quando Prælatis Siculis, à primis ecclesijs ad alias translatis, Siculi quoque succesère, id Regno nihil penitus hac in re refragari: neque enim id Alternatiuæ priuilegio prohibetur, & ipsimet Regno plurimum fauet: in manu namque Domino Regi est, vacante sede Siculi obitu naturali, ciuiliuè, ad eam exterum, vel, si mauult, Siculum præsentare: id quod nemo penitus diffitetur.

§. XXII.

Obiectio, ex *cap. 3. & 13. Regis Philippi II.* deprompta dissoluitur.

SVMMAE.

210 *Confessio in parte falsa, in totū talis præsumitur.*

211 *In arduis explicandis in vniuersitate omnes expressè, & non tacitè consentire debent.*

212 *Confessio voluntaria procuratoris, curatoris, tutoris, administratoris domino non nocet.*

213 *Cur confessio parlamentariorum Regno non obsit.*

214 *Requiritur speciale mandatum ad hanc confessionem voluntariam.*

215 *Procuratoris confessio domino nō nocet, quomodo intelligendum.*

216 *Mandatum cum libera, æquiualet speciali; sed non in ijs, quæ graue damnum domino inferunt: & ea clausula ex stylo apponitur.*

217 *Testis sine iuramento non probat: neq; si per scripturam deponeret: in vno falsus, in omnibus falsus.*

Duplex specialitas circa idem concurrere nequit.

218 *Interpretatio nulla est, quando à statuto probibetur.*

219 *Idem est dicere* ad vnguem, *ac* præcisè *&* ad literam, *&* non aliter.

Statuta, quæ præcisè seruari debent, interpretari non possunt.

220 *Vbi verba sunt clara, superflua est interpretatio.*

221 *Regu decretationes non officiunt Regno. Consuetudo priuatæ personæ acquiri non potest.*

Vnum, & idem præscriptio esse potest respectu aliquorum, consuetudo respectu aliorum.

222 *Obseruantia subsequens antecedentem voluntatem interpretatur.*

223 *Quod falsis relationibus nititur, nullius debet esse momenti.*

Actus præsumitur factus in antecedētis obligationis adimplementum.

Obligatio ex vsu decenni probatur.

Distrahens rem legatam, voluntatem antecedentem mutasse præsumitur.

210 Neque iterum huic rei obstare censendum est, quod Generale Regni Parlamentum à Philippo Rege, huius nominis II. Regni nomine petijt in *cap.3.& 13.* eiusdem Regis ann. 1559. & 1563. vt Alternatiua tam in casu mortis, quam in alio quocumque intelligeretur: quod certè haud obscurè supponit, id iuris Regnum minimè obtinuisse: cum præsertim in oblatis precibus *d cap.3.* vernacula lingua Parlamentum fateatur: *Che l'Alternatiua concessa per l'Imperatore è stata intesa cossi delli Regnicoli, come dell'exteri in caso di morte solamente.* & in *d.cap.13.* eamdem Al-

ternatiuam in casu mortis fuisse impertitam. Non, inquam, id officit: nã si reuera Siculis id iuris competebat; nihil prorsus obfuit Parlamentariorũ assertio, siue mauis confessio: qui, vti apertè in errorem prolapsi sunt, cum Alternatiuam à Carolo Imperatore constitutam affirmarunt, quando eã à Catholico Rege introductam *cons. 1. §. 1.* probauimus; ità & hac in re eosdẽ in errorem quoque incidisse putandũ est: falsus enim in vno, in alijs etiam præsumitur: & confessio in parte falsa, talis in totũ præsumitur, vt post plures probat *Mascard. de probat. lib. 1. concl. 384. n. 2. Menoch. cons. 634. n. 6. lib. 7.* vbi citat *Deci. Soc. Sen. & Relãd. cons. 94. n. 28. lib. 1.* Et non solum hinc Parlamentarios errasse, nullamque Alternatiuę notitiam habuisse dignoscitur; verum et am, quia & ob mortem dũtaxat eam concessam asseuerarunt, cum tamen mortis nè minima quidem in illius constitutione mentio fiat. Parum igitur accurata eorum petitio iuri Siculorum obesse non potest.

211 Neque dicas Parlamentarios totũ Regnum representare; proindeque illorum confessio ei obesse potest. Nã illud quidem assumptum verum fortassis est in ijs, quæ Regno prosunt; non item, quæ eidem aduersantur: in his enim, si ardua sint, omnium prorsus Siculorum cõsensum requiri, probari posset ex regula, quam posuit noster *Ant. Corset sing. compromissum, lit. C.* vbi: *ex quo,* inquit, *sume regulam, quòd in arduis explicandis in vniuersitate, debent omnes consentire expressè; nec sufficit, quod actus explicetur per aliquos nomine aliorum, licet illi taceant, & non contradicant, quia in re onerosa, & graui debet interuenire consensus expressus, per id, quod voluit Inn in cap. in Genesi. de elect. gloss. in reg. is, qui tacet, de reg. iur. lib. 6. & in cap. sicut. de elect. in 6. & quodleg. & not. in l. qui patitur ff. mandati.* laudat *Corsetum,* sequiturque *Menoch. cons. 426. nu. 4. lib. 5.* qui alia, ad hanc rem spectantia, tradit. Cum præsertim id, de quo agimus, contra Regni priuilegia tendat, *ad trad. per Ias. in l. Iuris gentium §. hodie autem n. 8. vers. vndecimo limita ff. de pactis.* quibus certè Siculi nec expressè, quanto minus tacitè, renũciare queunt, vti antea monuimus *ex l. Præses C. de transf. alijsque.*

212 His adde, quòd Parlamentum cẽsetur veluti Procurator Regni, curator, tutor, seu administrator, vt Siculæ Reipublicæ benè consulat. Atqui assertio, seu confessio Procuratoris presertim ex voluntate, non vero necessitate, facta, vti in re nostra euenit, cõtrà dominum nihil penitus probat, *vt ex l. non solum ff. de Procur. Purp. alijsque probat Mascard. concl. 369. n. 15.* Eodemque pacto curatoris, tutoris, aut administratoris confessio nihil prorsus minori, pupillo, alijsque nocet, vt post innumeros ait idem *Mascardus concl. 370.*

213 Sed, si rectè, ac verè loqui velimus, dicendum erit, Parlamentarios nihil esse aliud, quam Procuratores Ciuitatum, Terrarum, atque Oppidorum Siciliæ, vnumque corpus constituere, quod nullam prorsus aliam obtinet potestatem, nisi quæ ipsis à ciuitatibus, terris, oppidisque tribuitur, virtute mãdatorum, quæ dãt eisdem. Quam ob rem, si illos singillatim perpendamus, erunt sanè procuratores Ciuitatum, Terrarum, & Oppidorum: si vero totum corpus attendatur; illud quidem totius Regni procurator censeri debet, & hoc dumtaxat nomine totum Regnum representare putandum est. At vero hi procuratores non potuerunt sua confessione, (si modo confessionis nomen meretur nuda istæc enunciatio) inquit *Menoch. con. 260. nu. 7. lib 3.* de re nostræ non absimili loquens, præiudicium Regno afferre, à quo non habuerunt hac de confessione facienda sufficiens mandatum. Ità egregiè respõdit *Aret. cons. 13. col. vlt. vers. circa sextum.*

tum.confessionem factam à procuratore in supplicatione à se porrecta, principali nocere non potuisse. Idemque docuit *Socin.Sen.cons.* 122. *nu.* 7. *vers.sed tamen lib.* 4.

214 Rationem reddit *Menochius* apprimè congruentem: *erat enim*, inquit, *necesse, quod ij procuratores habuissent speciale mandatum ad voluntariè confitendum, vt tradunt Bart.in l.certum, § sed an ipsos n.* 2. *ff. de confess. omnes in cap.* 1. *vt lite non contest.* Paris.in cōs. 115.*n.*18.*&* 29.*lib.* 1. quodque procuratoris spontanea cōfessio sine speciali mandato, domino nihil penitus noceat, edocuerat idem *Menoch. cōs.* 2.*n.*368.*lib.* 1. *vbi præter Bart. & Paris laudat Alex.cons.*122.*nu.* 16.*lib.*2. *cons* 66 *n.*22.*lib.*6.*Neuiz cons.*17. *nu.* 29.*idem Menoch cons.*30.*nu.* 4. *lib.* 1. *Ricc.collect.*176.*part.*1 *per d. §.sed an ipsos, vbi citat Carroc.decis.*20. *& viden.idem Ricc.collect.* 2543. *vbi refert Bart in l fraudator ff. de his, quæ in fraud.cred* aientem, procuratoris confessionem domino non nocere: extenditque, vt nequeat procurator deteriorem facere Domini conditionem, *l. ignorantis. ff. de procur.* citatque *Cacher.& Afflict.addo Gloss. in cap.* 1. *vt lite non contest.verb.procuratoris*.

215 Et generatim procuratoris confessionem domino non nocere docuit *Bald.in cap.suborta in* 1.*not. de re iud. & in l.*1.*n* 68.*& seq.C.de confess.* cuius sanè doctrinam, seu lecturam, iniuria vocat defectiuam *Osach. decis.* 38. *nu.* 34. etenim *Baldus* apertè docet, procuratoris confessionem domino non obesse, si modo fiat ex voluntate, non autem ex necessitate, vt plures loquūtur: siue, vt alij aiunt, per modum voluntariæ, non vero contentiosæ iurisdictionis: sicque nec *cap.suborta*, nec eius *Glossa prima Baldo* aduersatur, vt non benè *Cacheranus* arbitratur: quādoquidem *Baldus* de voluntaria, *cap. suborta*, eiusq; *Glossa* de necessaria cōfessione loquuntur. Et hanc quidem distinctionem passim laudati Doctores profitentur. quibus addendi *Aufrer. in Addit. ad decis.* 392. *Cappell. Tholos. aliique ab eo relati, Felin. Abb. ceterique in d cap,*1. *vt lit. non contest. Flor in l proinde §.* 1. *ad l. Aquil.& ipsemet Osach.d.decis.*38.*nu* 37.*Menoch. cons.*479.*n.*2.*post alios, quos citat, lib.* 5. *Ricc. collect.* 2460. *per d. glos.* 1. *& Rot.in antiq.decis.*374. vbi tamen *Riccius vers.secundo limita*, etiam in confessione per modum contētiosæ iurisdictionis facta, de qua sola ibi agit, speciale mandatum requirit, *ex decis.* 694.*Bellamera*: qui tamen loqui videtur, cum procurator, quamuis in iudicio, non coactus, sed sua sponte confitetur. Eamdemque distinctionē in tutoribus, Prælatisque Ecclesiarū, Syndicis, atque ceteris huiuscemodi alienarum rerum administratoribus, omnes fermè amplectuntur, vt vidēre licet apud *Menoch d.cons.*479. qui de omnibus singillatim loquitur, *Rotam diuers.decis.*792.*n.* 6. *part.* 1. quæ generatim, *Riccium collect.*3132.*part.*7. qui de Prælato, *Osach.aliosque apud ipsum d.decis.*38.*nu.* 36. qui de Syndico vniuersitatis.

216 Sed illud quoque hic adnotādum est, eam Parlamentariorum confessionem neque vllam facere præsumptionem in Regni detrimētum, vt ijs aptissimè ostenditur, quæ litè tradidit *Menoch.d.cons* 260. *à n.* 11. *vsque ad* 22. Denique illud etiam hoc loci animaduertere oportet, quod quamuis Parlamentarij mandatum haberent cum libera rerum administratione, proindeq; ea omnia expedire possēt, quæ speciale mandatum requirunt, *cap. qui ad agendum, de procur. in* 6. *l. Transactionis C.de trans. aliisque apud Couarr.lib.*1.*variar cap.*6.*nu.* 3. *vers. quinto. Paz in pract. tom.* 1. *in Annot.* 4.*de procur.fol.*11.*n.*17. non tamen ideo ij Regno hac sua confessione obesse potuerunt: ea siquidem doctrina in ijs locum nón habet, quæ domino graue damnum afferre solent (vti in re nostra euenisset) propter abusū,

inquit

inquit Paz, notariorum, qui potius ex eorum stylo, quam ex mandato, & voluntate domini prædictam clausulam cum libera apponere solent, *secundum Ang. Bald. Panorm. aliosque ab illo recensitos, & Couarr. in rub. de testam. 2. p. n. 14 & d. cap. 6. n. 3. vers. quinto.*

217 Sed dices, hanc Parlamentariorũ assertionem, etsi Regno non obsit, vti confessio à Procuratore facta; officere tamen vti testium assertionem, aientium ità Alternatiuam eò vsque fuisse ab omnibus intellectam. Occurrendũ tamen est, neque id Regno vllatenus refragari: etenim certi iuris est, testes absque iuramento, cuiuscumque tãdem sint auctoritatis, nihil penitus probare, vti latè post innumeros ostẽdit *Farin. tract. de test. lib. q. 74. per tot.* In re vero nostra hisce testibus iusiurãdum deest. Item hi testes per scripturam deponerent, proindeque nihil penitus probarent, *cap. testes, ibique omn. 3 q. 9.* plures, quos laudat, sectaturque *Farin. loc. cit. q. 80. à n. 27.* Præterquamquod duplex hæc specialitas circa idem reperiretur, contra *l. 1. ibique scrib. C. de inoff. dot. l. is qui pro emptore ff. de vsucap cũ concord.* Omitto testem in parte falsum, in totum reputari falsum, vti post complures edocuit *Farin. loc. cit. q. 57. §. 4. à num. 111.* Monuimus vero Parlamentarios istos in duplicem errorem prolapsos, quòd scilicet Alternatiuam à Carolo V. constitutam censuerint; & quod in ea vox, *Mortis*, reperiatur.

218 His omnibus addiderim, quod is Alternatiuæ intellectus, seu interpretatio, de qua Parlamentarij testantur, improbata omnino erat per eiusdem Regni capitula, statuentia, omnem prorsus capitulorum interpretationẽ in eiusdem Regni fauorem, & *non aliter* fieri debere, vti antea sæpè monuimus. Hæc vero interpretatio plurimum officit Alternatiuæ priuilegio, totique Regno, nedum non suffragatur: quandoquidem, vti probauimus, Alternatiuæ capitulum omnem prorsus vacationis modum, cum per naturalem, tum per ciuilem obitum cõtingentem iure comprehendit: atqui interpretatio, qua de loquimur, eum, qui ciuili obitu accidit, penitus excludit. Improbata igitur, ac prohibita ijsdem Regni capitulis ea censeri debet. At vero, cum statutum quodpiã interpretationem vetat, vel hanc determinatam dumtaxat præcipit adhiberi; tunc quæ adhibetur, inualida est, nisi fiat, vt præceptum est: *latè Iason. conf. 50. lib. 1.* id quod verum est saltem de hominis interpretatione, si non etiã legis, vti post *Bald. Ias. Barb. Zuchard. Roland. tract. de lucro dotis q. 35. tradit Menoch. conf. 5. nu. 27. lib. 1. qui n. 28. & 29.* post alios plures edocet, id etiam intelligi de friuola, leuique interpretatione, quæque statuto constitutionique extrinseca sit: quæ quidem fuit doctrina *Bart. in reg. l. omnes populi ff. de iust. & iure per l. 1. in fin. & l. 2. §. hoc autem C. de vet. iur. enucl. Rebuff. in tract. comp. alien. rer. Eccles. n. 49.*

219 Hæc autem, de qua loquimur, interpretatio hominis est, vt patet: friuola, atque extrinseca, quippequæ absque vllo prorsus fundamento, & contrà verborum naturam, ex Alternatiua extrahit modum vacandi per ciuilem obitum in maximum totius Regni detrimentum. Quin *Bald. in l. precibus num. 15. C. de Impub. & alijs subst.* quem citat, sequiturque *Menoch. conf. 225. n 17. lib. 3.* docet, quod vbi testamenti verba *ad literam* intelligi debent, tunc quælibet interpretatio, etiam legalis, reijcitur. Et quãuis Regni Capitula non ità expressè prohiberẽt omnem prorsus interpretationem, quæ in illius fauorem non fieret, vti iam dictum est; sunt tamen alia capitula, quæ omnino præcipiũt, vt ea *ad vnguem* obseruẽtur, *iuxtà eorum seriem, continentiam, & tenorem*, vt sancitum reperitur ab Imperatore, in *cap. 249.* alibique. Atqui idem est dicere *ad vnguem* (præsertim additis

fe-

sequentibus verbis, iuxtà eorum seriem, &c.) ac dicere *Præcisè*, vt monuit *Rebuff. in l. sylua* §. *glans, vers. & quando scribitur, de verb. signif. vbi citat Barb. cons. 39. col. 3. vol. 2. innuitque Iason in l. omnes populi in 2. lect. nu. 52. de iust. & iure*. Statuta vero, quæ præcisè seruari debent, glossari, aut interpretari non possunt, *vt post Bald. ibid. col. 17.* ait *Iason. n. 53. qui num. 55. post eumdem Baldum* docet, quòd verba statuti præcisè intelliguntur; idest, inquit, ad literam, prout iacent. *Et Crauet. cons. 21. n. 43 & 44. quem citat Add. ad Iason. ibid. lit. B.* ait, voculam, *præcisè* idem significare, quod *Non aliter*: (& hæc quidem verba in præfatis capitulis; omnem interpretationē prohibentibus Regno non fauentem, reperiuntur) & quòd non admittit aliquam modificationem extra literas; nec interpretationem à verbis separatam.

220 Quomodo igitur admittere possumus prædictam interpretationē omnino prohibitam, Regno, verbisque Alternatiuæ, ad vnguem, præcisè, & ad literam seruandæ, penitus aduersantem? Cum præsertim ità clarum sit huiuscemodi vacationis modum Alternatiua cōcludi, vt nulla prorsus interpretatio necessaria sit. Hisce vero casibus interpretationi standum non esse, post alios diximus *cons. 2 n. 52.* quibus *addo Camill. Medices cons. 157.* qui citat *Host. in cap. cū dilectus, verb interpretes. de consuet. ibiq; Butr. & Abb. vterque n. 17. Zabarel. nu. 33. Bald. in proœmio decretal. n. 52. & in l. vlt. C. de legib.* vbi, quòd interpretatio est ambigui sermonis, & ascondìtæ voluntatis declaratio: *& Castr. in l. hæredis palam* §. *1. nu. 4 ff. de testam.* vbi, quòd nec Principis declaratio valet in tertij præiudicium, quando verba sunt clara. Videndi, quos citauimus *suprà n. 129. in fine*. Quibus sanè casibus hi Doctores nè consuetudini quidem interpretatiuæ quicquam tribuunt roboris, ac momenti.

Præterquamquod in re nostra actus, Alternatiuæ aduersantes, si qui forent, consuetudinem constituere nequirent; cum particulari personæ, puta Regi, vti Patrono, ius tribuerent, *vt benè docuit post Ioan. Andr. declaratque Abbas in cap. fin. nu. 20. de consuet.* quem laudat, sequiturque *Rota apud Pute. decis. 387. n. 4. lib. 2. & 252. n. 1. lib. 3.* Atque ideo virtute horum actuum, quamuis veri essent, nonnisi præscriptio D. Regi enasci posset: quæ tamen legitimum tempus, & continuationem, bonam fidem, & titulum requireret, (quæ tamen huic desunt) & vt per Regni Capitula non improbaretur, vti certè fit; cum ea statuant, neque mille actibus contrarijs Regni priuilegijs quidquam derogari. Quin hæc eadem præscriptio, & si constans fuisset, proculdubio reuocata censeretur per aliam subsequentem, fauore Regni tot actibus inductam: quæ sanè optimo iure consuetudo nuncupari debet, cum toti Regno lex sit communis, eique, non priuatæ personæ ius per illam acquiratur, *ad trad. per Abb. loc. cit.* vbi benè monuit vnum, & idē esse posse præscriptionem respectu aliquorum, & consuetudinem respectu aliorum. Sed reuera hìc neque de præscriptione, neque de consuetudine fauore Regis inducta tractamus, cum neutra hic ostendi queat; sed de sola Parlamentariorum assertione, seu confessione; num scilicet ea vti confessio Regno obesse queat: an saltem vti assertio ei nocere possit: & neutro prorsus modo illi detrimento esse probamus: addimusque interpretationem illam, quamuis constaret, nullius esse ponderis, & momenti.

221 Neque vero uis vlla constituenda est in Regis responsionibus, nihil planè certi hac de re decernentibus, quæ his Parlamentarijs *in d. cap. 3. & 13.* redditæ sunt. Quādoquidem ipsemet Philippus Rex Secundus *in cap. 31.* statuit, vt huiusmodi respōsiones, seu, vt aiunt, decretationes non ad Regni

votum

votum datæ, ipsiusmet Regni iuri, ac præcedentibus capitulis nihil penitus derogent: sed priora capitula ità firma maneant, ac si posteriora nullo vnquam tempore edita fuissent. Id quod & Carolus Imperator antea decreuerat, putà in *cap.* 3. 52. 146. 206. 216.

222 Sed quicquid tandem sit de illa inconsulta Parlamentariorum assertione, seu confessione, ac etiam de Alternatiuæ intellectu, de quo ipsi testatur; illud certo certius esse debet, horum omnium nullam penitus hodie rationem habendam esse; sicuti neque cõsultationum quorumdam regiorum ministrorum, quas hac de re, Regno refragantes, ann. 1574. & 1576. fecisse audiui. His enim omnibus nihil penitus obstantibus, ex eo ipso tempore, vsque ad præsens, Alternatiua in casu ciuilis obitus Siculis seruata est, etiam compensationibus interpositis, vti antea admonuimus. Quæ sanè obseruantia, vt aiunt, vsusque subsecutus Regno illud iuris tribuisset omnino, si fortè aliquid antea deperdidisset: quod tamen non accidit, vt dictum est: præterquamquòd & præcedentem D. Regis voluntatem etiam interpretatus esset, *ad trad. per plures apud Ioseph. Ludou. concl.* 38. quem citat, sequiturque *Menoch. consi.* 1047. *n.* 21. *lib.* 11.

223 Tum, quia eo ipso tempore, quo eæ consultationes factæ sunt, Alternatiuam nihilominus in casu ciuilis obitus obseruauit, ac si illæ nihil ponderis haberent, fortè, vel quia, vt accidere solet, falsis relationibus nitebantur, *l. cum falsa l. si post diuisionem ff. de iur. & facti ignor. l. edicto in fin. ff. de iure fisci, Camill. Medic. consi* 51. *n.* 68. *arg. l.* 3. *§. pen. ibique DD. ff. de iure iur. & canon. in cap. fin. de frig. & malef. & ca. proposuisti, de probat.* vel quia rationes nihil roboris obtinebãt, vti certè nullum habere; quæ hac in re proferri possunt, ex prædictis constare potest. Tum etiam quia id planè cõtigit post eas porrectas Parlamentariorum preces, ac per eumdem Regem executioni mandatum, qui nihil certi ea in re *in d. cap.* 3. *&* 13. decreuerat, non benè doctus de Siculorum iure: quod postea tamen agnoscens, ei noluit vllatenus derogare, sed illud ad vnguẽ, præcisè, & ad literã custodire voluit, quæ sua erat æquitas, & iustitia, planè sentiens, se omnino ad id obstrictũ Alternatiuæ priuilegio, quod modũ vacandi per ciuilem obitum comprehendere cognouit: & in huiusce obligationis adimplementum subsequẽtes fecisse præsentationes, censendũ est *cap. ad decorem in fin. de instit. post alios Mascard. concl.* 1244. *à n.* 1. *lib.* 2. Cuius quidem obligationis probatio, quando cętera deessent, ex decennij vsu satis firma foret *l. cum de in rẽ verso, ibique Gloss. ff. de vsuris, alijque* Quin etsi Rex in dictis capitulis petita omnino denegasset, neque Siculi aliundè illud iuris haberent; planè illud obtinuissent eo ipso, quod Rex id ipsũm, quod negarat, postmodum exequitur: prima enim voluntas mutata præsumeretur: sicuti contrà, qui rem legatam distrahit, antecedentem voluntatem mutasse præsumitur, *l. rem legatam ff. de adim. leg. Bart. Soc. Alc. alijsq; apud Mascard. concl.* 1423. *n.* 24.

224 Illud denique hìc admonuerim, quod ex dictis planè colligitur, quòd scilicet, quamuis gratis omnino daremus, ab anno 1503. quo Alternatiua constituta est, vt *consi.* 1. *§.* 1. diximus, vsque ad præfatum 1559. vel 1563. quo Parlamentarij eas preces porrexère, ità seruatum fuisse, atque ità intellectam Alternatiuam, vt modum vacandi per ciuilem obitum minimè concluderet: Id tamen nihil penitus nobis obesset, cum ob ea, quæ prædiximus; tum etiam, quia ille vsus antecedens esset, ac breuior, quam subsequens, quem ipsi proferimus; neque dubium est à subsequente, præcipuè 30. aut 40. annorum, antecedentem penitus abrogari: cum præsertim eo iure ità Siculi vsi sint, vt quo tempore

lædi

lędi illud videbatur, statim pijssimi, iustissimique Reges compensationem eis præstiterint: qui sanè actus, veluti in contradictorio iudicio obtenti censentur; cum læsi iuris refectio, Siculis instantibus, adhibita sit.

225 Atque hæc sanè omnia ad vberiorem cautelam dicta sint: Regni enim capitula neque mille contrarijs actibus abrogantur, eisuè derogatur, vt sæpè inculcatum est: proindequè neque fauente vsu indigent, neque aduersante læduntur. Et si quando interpretatio adhiberi oportet; ea in illius commodum, & fauorem adhibēda erit; alioquin ijsdem Regni capitulis penitus damnatur, ac prohibetur. Vnde & illud quoque hoc loco monere minimè prætermiserim, quorumdā ministrorum regiorum iudicia, quæ fortassis quandoque hac de re contrà Siculos interposuerunt, iuri ipsorummet Siculorum nihil penitus obsuisse, ob hasce, quas exposuimus, rationes. Certè, si horum iudiciorum habenda ratio foret, profectò Siculi inauditi, atque indefensi cōdemnarentur: quis namque tunc temporis tuebatur Regni iura, cum ea iudicia interponebātur? & quo tandem modo hæc iusta esse possent, non auditis Siculorum rationibus, quibus ipsi ius suum aptissimè defendunt? audiendi igitur Siculi erūt, & postea iudicium interponendum: alioquin, cuiuscumque tandem illud sit, nihili faciendum erit. Cum præsertim in re nostra Supremum Italiæ Consilium sæpissimè hoc Regni ius, vti firmissimum, Regi nostro proposuerit, præcipuè in ijs præsentationibus, quas *num.* 197. recensuimus: quis enim censeat, eas liberaliter, non exigente iustitia, peractas, cum in casu naturalis obitus exterorum, nūquam, aut certè rarissimè hāc liberalitatem exercitā animaduertamus?

§. XXIII.
Digressiuncula de Alternatiua Neapolitana.

SVMMAE.

226 *Origo huius Alternatiuæ ann. 1550.*

227 *Pensiones nonnisi Neapolitanis concedi debent, quæ vice in eos solos beneficia conferenda sunt.*

228 *Hæc Alternatiua includit vacationem per ciuilem obitum.*

Clausula, quomodolibet, *seu* quomodocumque, *seu* quouis modo vacātia, *includūt omnem prorsus vacādi modum.*

229 *Exempla contrà hanc Alternatiuam referuntur, & explicantur.*

230 *Alia, quæ magis vrgent, etiam explicātur.*

226 Non abs re visum est, nonnulla hoc loco de Alternatiua Neapolitanis cōpetente leuiter attingere, cum vtrique Regno eodem prorsus modo concessa fuerit; ità vt quæ hactenus latè explicuimus de Sicula, etiā Neapolitanæ cōmunia censeri debeant.

Sed, quod attinet ad Neapolitanā annotandum erit, quòd anno 1507. Rex idem Catholicus Regno Neapolis concessit, vt omnia tum officia, tum beneficia solis naturalibus concederentur. Sed cum anno 1550. Regnum à Carolo V. eius priuilegij confirmationem peteret: Cæsarea Maiestas id noluit indulgere: sed officiorum quidem duas partes ex tribus, beneficiorum autem medietatem concessit hisce verbis: *Quo verò ad beneficia ecclesiastica, videlicet Archiepiscopatus, Episcopatus, Abbatias, &c spectātia ad nominationem, præsentationem, & collationem Cæsareæ Maiestatis, conferantur pro medietate Regnicolis, & pro alia medietate ad beneplacitum, &, cum vacauerint, alternatim prouideantur;*

Q prout

prout seruatur in Regno Siciliæ; videlicet hoc modo, & forma; quoad beneficia, per exteros quomodolibet vacantia, Regnicolis conferantur; cum vero per Regnicolas vacare contigerit, prouideantur ad Cæsareæ, & Catholicæ Maiestatis arbitrium. Quam quidem idem Carolus, alijque subsequentes Reges sæpiùs confirmarunt, atque *inuiolabiliter* obseruari præceperũt, vt ex eiusdem Regni priuilegijs liquidò cõstat.

227 Quod igitur spectat ad pensionum impositionem, existimo vtramq; Alternatiuam eodem iure censeri: vt scilicet, quemadmodum in Sicula Siculis, ità in Neapolitana Neapolitanis imponi debeant, qua vice ijsdem beneficia conferenda sunt; ob easdem videlicet, quæ in vtrisque rationes perspiciuntur, vt ex dictis toto hoc *cons.* 3. facillimè colligi potest.

228 Quod vero spectat ad vacationem per ciuilem obitum, an scilicet hæc Alternatiua beneficia, irà vacãtia, comprehendat, sicuti de Sicula hactenus ostẽdimus; aientem sententiam verissimã puto, ob easdem etiam rationes, quæ militant in vtraque, vt ex dictis quoque apertissimè colligitur. Addendum tamen hìc, in Alternatiua Neapolitana exprefsè addi clausulam illã, *quomodolibet vacantia*, quæ æquiualet, seu veriùs est eadem, ac illa, *quomodocumque vacantia*, vt post alios notat *Barbos. dict.* 330. *nu.* 1. ac vtraq; æquipollet clausulæ, apponi solitæ in literis prouisionum, idest, *siue alio quouis modo, &c.* vt post *Bertazz. clauf.* 21. *gloss.* 16 *n.* 1. *in fine*, notat *Barbosa dict.* 329. *n.* 8. quæ quidem clausula, *siue alio quouis modo*, comprehendit omnẽ prorsus vacandi modum, siue directũ, siue indirectum, apud sedẽ, in Curia, per priuationem, resignationem, trãslationem, &c. vt explicant *Rota*, & Doctores passim, quorum aliquos retulit *Barbosa clauf.* 172. & *d. dict.* 329. & 330.

229 Neque hìc obijcias cõtrarium vsũ: tum quia euertitur ex ijs, quæ suprà sæpè præmonuimus, ac præsertim §. 19. maximè cum huiusce priuilegij verba clarissima sint: tum etiam quia verè hic contrarius vsus minimè probatur. Etenim qui Neapolitanis cõtradicunt, nonnulla proferunt exempla, quæ ab anno 1560. hùc vsque accidère, quæ sanè videntur Neapolitanis plurimum officere: qui tamen illa ità explicant, vt potius ipsis suffragentur. Ac primum quidem est, quia ob dimissionem, seu renunciationem Cardinalis Columnæ, Archiepiscopi Salernitani exteri, ea Ecclesia collata est Marco Antonio Marsilio, etiam extero. Sed verè, inquiunt Neapolitani, quamuis Cardinalis esset origine Romanus; erat tamen Neapolitanus eques; & Marcius Columna dux Zagarolæ, qui erat consanguineus Cardinalis, gaudebat, sicut hodie eius posteri fruuntur priuilegijs Sedilis Capuani; ipse vero fuit Syndicus eiusdem Regni. Eodemque modo respondendum erit ad secundum exemplum, cum ob renunciationem eiusdem Cardinalis Colũnæ Archiepiscopi Tarentini, ea Ecclesia Cardinali de Corregio extero collata fuit.

Tertium exemplum est, quia, cum vacasset Episcopatus Aquilanus ob translationem Don Consalui de Rueda Hispani ad Ecclesiam Gallipotanam, Aquilana collata fuit fratri Aluaro de Mendoza etiam Hispano. Sed reuera hic Frater Aluarus, etsi ex Hispania duceret originem, Neapoli tamen ortus fuerat, & ità vti Neapolitanus fuerat a Prorege nominatus. & à D. Rege præsentatus. Vnde hoc exemplum Neapolitanis fauet, non aduersatur. Eodemque modo respõdendum erit ad quartum exemplum, cum ob trãslationem eiusdem fratris Aluari, eadem Ecclesia Aquilana D. Gaspari Gayoto Hispano collata fuit.

Quintum exemplum est, quia ob renunciationem Hieronymi Rustici exteri, Episcopi Tropiensis, ea eccle-

sia

sia collata fuit Thomæ Caluo Siculo, ac proinde etiam extero. At Hieronymus Rustici erat Aquilanus, proindeque non exterus, vt constat ex descriptione familiarum Regni Neapolis.

Sextum exemplum est, quia ob promotionem D. Luciani Russo Siculi, Episcopi Iuuenacensis, ea Ecclesia collata fuit Antonio Viperano, etiam Siculo. Sed Lucianus Russo, non Siculus, sed Neapolitanus erat, vt cóstat ex officio Cappellani Maioris eiusdem Regni.

Septimum est, quia ob renunciationẽ Philippi Cordi Hispani, Archiepiscopi Lancianensis, ea Ecclesia collata fuit Fratri Laurentio Galatino, Græco Albanensi. Sed hic oriundus erat oppidi Sancti Petri Galatini, ac proinde naturalis Regni Neapolis, atque ità postmodum cum vacasset Episcopatus Puteolanus ob mortem naturalem Bernardi de Quirós Hispani, eidem Fratri Laurentio collatus fuit. Et hoc etiam exemplum confirmat Alternatiuam quoad ciuilem vacationem.

Octauum est, quia ob traslationem ad Cotronensem Ecclesiam Doctoris Rueda Hispani, Aquilana Carolo Catalano collata fuit. At iste Carolus Neapolitanus erat, filius Antonij Catalani Regij Consiliarij: vnde hoc exemplum confirmat Alternatiuam.

230 Et quamuis in Archiepiscopatu Salernitano, & Episcopatu Vgentino duodecim ab hinc annis, plùs, minùs, verè Alternatiua quoadhoc, de quo agimus, læsa fuerit: nihil tamen iuris inde amisère Neapolitani; etenim statim D. Regi in Generalibus Comitijs preces porrexère, atque institère, vt sibi Alternatiua in casu etiam ciuilis obitus seruaretur; atque ità nulla prorsus eorum tolerantia allegari potest.

Illud vltimo loco hìc prætereundũ non est, Cardinalem de Altemps Ecclesias in Regno Neapolis obtinuisse vti priuilegio Neapolitanum: fuit enim adscriptus Sedili Portænouæ Neapolis, vt apparet *in libro Descriptionis Neapolis fol. 90.* quamobrẽ hoc exemplum, si fortè proferretur, ad rẽ non erit.

Atque hæc breuiter, atque obiter satis sit attigisse de Alternatiua Neapolitana. Cæterum non deerunt Doctissimi Neapolitani, qui sua iura acerrimè defendant, sicuti nos pro viribus nostra in hoc negotio his primis tribus consilijs tuiti sumus. Speramus autem alios nobis doctiores Siculos idem diligentiùs ac multò meliùs præstituros. nobis satis sit huic tractationi initium tribuisse; cui iam imponimus finem.

CONSILIVM IV.

An quandoque deceat Principem Supremum absoluere delinquentes: item & multam relaxare ob delicta decretam.

Ad

Cap. 365. 408. 451. 489. Regis Alphonsi: cap. 68. Ioannis: cap. 132. Ferdinandi: cap. 23. 192. Caroli V. cap. 7. Philippi II.

IN Comitijs generalibus prædicti anni 1624. ab eodem Catholico Rege nostro Philippo IV. Siculi petière delictorum omnium indulgentiam, quam vulgò, *Indultum Generale*, nuncupamus; præhabita tamen offensorum pace, quam remissionem Siculi appellant; Hispani *Apartamiento*. item & multæ ob delicta debitæ relaxationem efflagitarũt. Vtrũque iuri, ac rationi consentaneum equidem tunc temporis ostendi, vt ex ijs, quæ sequuntur, constare potest.

§. I.

Princeps Supremus Indultum Generale iusta causa concedere potest.

SVMMAE.

1 *PRinceps Supremus indulta generalia concedere potest.*

2 *Nonnisi iusta caussa ea concedere debet: alioquin peccat.*

Sancti Thomæ doctrina hac de re.

Facilitas veniæ incentiuum tribuit delinquendi.

3 *Mali a malo prohibendi, & ad bonum cogendi.*

Regum officium est facere iustitiam.

Improbos punire, non est sanguinis effusio, sed legis ministerium.

Crimina persequenda sunt.

Iustitiæ administri omnino necessarij.

4 *Intercedentis pro delinquente religio nõ est contemnenda.*

1 CErtissimũ censeri debet, Principem supremum, seu, quod idem est, qui superiorẽ neminem agnoscit, posse Indultum Generale concedere delictorum. Id sanè colligitur ex *l. rescripta C. de precib. Impera. offer. l. 1. & 2. C. de sentẽt. pass. & restit. l. Relegati. in fine. l. moris. S. sed enim ff. de Pœnis*, alijsque iuribus, quæ referunt *Farinac. lib. 1. pract. & Theo. crim. tit. 1. q. 6. de Inquisitione n. 2. Mastrill. lib. 3. de Magistr cap. 7. nu. 1. & in comment. ad Indultum Generale Philippi III. cap. 2. nu. 1. & cap. 17. Peregri. de priuil. Fisci lib. 5. tit. 2. num. 1. & seq. Iul. Clar. lib. 5. §. fin. pract. crim. q. 59. nu. 1. & 2. Greg. Magalot. in tract. de saluo conducto §. præterea Papa*, innumerique alij, quos laudati recensent, qui sanè omnes rationem reddunt, quia, inquiunt, quorum maiestas immediatè offensa est, immediatè quoque iniuriam, & offensam remittere possunt: aliasque subdunt, apud eosdem consulendas; quas hic transcribere superuacaneum est.

2 Verum quidem est, supremũ Principem hasce gratias nonnisi iusta aliqua caussa concedere debere, vt ex Martiani doctrina in *l. relegati cit.* satis infertur, ibi: *nemo potest commeatum remeatumue exuli dare, nisi Imperator ex aliqua caussa*: quod si absque caussa indulgeret, eum peccare, docent plures Theologi, quos allegat *Mastrill. cap. 7. cit. n. 6.* quod præsensit *S. Thomas 2. 2. q. 67. art. 4. ad tertium*, vbi: *si iudex*, inquit, *inordinatè pœnam remitteret, nocumentum inferret communitati, cui expedit, vt maleficia puniantur, ad hoc quod peccata vitentur. vnde Deuter. 13. post pœnam seductoris subditur: vt omnis Israel audiens timeat, & nequaquam vltrà faciat quidpiã huius rei simile, &c.* facilitas enim veniæ incentiuum tribuit delinquendi, vt monet *S. Ambrosius* relatus *in cap. est iniusta 28. q. 4.* quod integrum legendum erit.

3 Item malos à malo prohibendos, &

&ad bonum cogendos voluit *S. Augustinus*, prout refertur *in cap. fin. ijsd. cauſ. & q. & in cap. vnum qu. 5. eiuſd. cauſ. Regum enim officium eſt proprium facere iudicium, & iuſtitiam*, inquit *S. Hieronymus* relatus *in cap. regum q. 5. cit. & liberare de manu calumniatorũ vi oppreſſos*; & quæ ſequuntur: vbi neque per conniuentiam, proindèque multò minus per indiſcretam indulgentiam crimina permitti voluit: *homicidas enim*, inquit, *& ſacrilegos, & venenarios punire, non eſt effuſio ſanguinis, ſed legum miniſterium*, vt etiam refertur in *cap. homicidas qu. 5. cit.* & iterum *S. Auguſtinus* relatus in *cap. nõ eſt ead. q. non eſt*, inquit, *iniquitatis, ſed potius humanitatis ſocietate deuinctus, qui propterea eſt criminis perſecutor, vt ſit hominis liberator: perſequenda igitur ſunt crimina, vt delinquentes emendentur, ac liberentur*. & in cap. ſeq. *non fruſtra*, inquit, *ſunt inſtituta poteſtas Regis, & cognitoris ius, vngulæ carnificis, arma militis, diſciplina dominantis, ſeueritas etiam boni patris: habent omnia iſta modos ſuos, cauſſas, vtilitates: hæc, cum timentur, & mali coercentur, & quietiùs inter malos viuunt boni*. Aliaque huiuſcemodi *ead. q. & cauſſa* reperire licet. plura quoque cumulat *Maſtrillus loc. cit.* quibus apertè oſtẽditur, non eſſe ita paſſim, & abſque cauſſa legum tranſgreſſoribus indulgendum; nè indè iuſtitię, ac legum cõtemptus oriatur; innocentes tradãtur exitio, dum multorum exitia cogitãs liberatur; dumque aliquibus indulgetur indignis, plurimos ad prolapſionis contagium prouocentur, vt *S. Ambroſius in cap. eſt iniuſta cit.* optimè ratiocinatur.

4 2. Quoniam vero ità formidanda eſt vltio cognitoris, vt nec interceſſoris religio contemnatur; quia & plectendo, & ignoſcendo hoc ſolum benè agitur, vt vita hominum corrigatur; prodeſtque imperantis ſeueritas, cuius miniſterio quies adiuuatur; prodeſt quoque bonorum interceſſio, cuius miniſterio regnantis ſeueritas temperatur: nec Principi diſplicere debet, quod rogetur à bonis; cum nec bonis diſpliceat, quod timeatur à malis, vt ait *S. Aug.* relatus in *cap. prodeſt 23. q. 5.* videndum nunc erit, quibus tandem caſibus rogatus à bonis Princeps eorumdem votis hac in re annuere licitè queat; & num, Siculis id enixè poſtulantibus, Regem noſtrũ morem gerere deceat.

§. II.

Cauſſæ nonnullæ, quæ Principem mouere debẽt ad indultum generale concedendum.

SVMMAE.

5 *An Principis voluntas ſatis ſit ad hoc indultum concedendum.*
Conditiones ad id requiſitæ.
6 *Eximia hac in re S. Thomæ doctrina.*
Quilibet Iudex ius ſuum vnicuique reddere tenetur.
7 *Diſcrimen hac in re inter Iudicem inferiorem, ac Principem ſupremum.*
Princeps plenariam poteſtatem in Rep. habet.
Partis remiſſio in hoc negotio exigitur, & quòd cõdonatio delictorum publicæ non obſit vtilitati.
8 *Huius rei ratio ex S. Thoma elicitur.*
Princeps Reip. bonum curare debet.
9 *Hæc delictorum condonatio Reip. Siculæ proficua erat.*
10 *Exulum multitudo iuſta cauſſa eſt delicta condonandi.*
Quædam à Baiardo relata opinio diſplicet.
Plotus iure diuino requiri partis remiſſionem docet; qui tamen ſolum de homicidio voluntario loquitur.

5 ET ſanè nonnullæ ſunt cauſſæ, quę perpendi poſſunt, quibus motum Principem eas indulgentias concedere rationi conſentaneum eſt: eas inter collocandam cenſeo

ſeo eiuſdem Principis voluntatem; nō certè quod exiſtimem,eam ſatis eſſe, vt Princeps,quæcumque velit,efficiat iuſtè;cum id ſæpè improbauerimus, præſertim *conſ.1.num. 42. & ſeqq.* ſed quod hac in re, quibuſdam præhabitis conditionibus,in ſola Principis voluntate ſit poſitum velit,nolituè delicta condonare:conditiones vero ſunt; ſi lædenti læſus ignoſcat, atque hæc delicti, pęnęuè condonatio publicæ minimè obſit vtilitati: licet de cętero *Gloſſa fin. in l.relegati cit. ff. de Pœnis*, indiſcriminatim doceat,magnā,iuſtāque cauſſam eſſe Principis voluntatē: quod tamen Gloſſæ enunciatum poſt *Pinellum* aliter loco citato explicuimus,quam cęteri interpretentur.

6 Id tamen, quod modo aſſeruimus, apertè probatur eximia doctrina *S. Thomæ 2.2.q 67.art.4.* vbi quærit, an iudex licitè poſſit pęnam relaxare, atque in *corp. art.* ità ferè S Doctor ratiocinatur. Duo ſunt, quod attinet ad rem ſubiectam,quæ in iudice conſideranda ſunt; vnum quidem, quòd inter accuſatorem, ac reum iudicat; alterum vero, quòd non propria, ſed publica poteſtate ſententiam profert. Duplici ergo ratione iudex impeditur,nè reum à pęna abſoluere poſſit; primo quidem ex parte accuſatoris, ad cuius ſanè ius quādoque pertinet, vt reus puniatur, putà ob aliquam iniuriam in ipſum commiſſam, cuius relaxatio non eſt in arbitrio iudicis cuiuſpiam;quilibet enim iudex vnicuiq; ius ſuum reddere tenetur: alio autem modo iudex ex parte Reipublicæ impeditur,cuius poteſtate fungitur, ad cuius bonum pertinet, quod malefactores puniantur.

7 Deindè hac ipſa in re diſcrimen conſtituit inter inferiorem iudicem, ac ſupremum: *Sed*,inquit,*quantum ad hoc differt inter inferiores iudices,& ſupremum,puta Principem,cui eſt plenariè poteſtas publica cōmiſſa, iudex enim inferior non habet poteſtatem abſoluendi reum à pęna contrà leges à ſuperiore ſibi impoſitas:vnde ſuper illud Ioannis 19. non haberes aduerſum me poteſtatē vllam, dicit Auguſtinus: talem Deus dederat Pilato poteſtatem, vt eſſet ſub Cæſaris poteſtate, nè ei omnino liberum eſſet abſoluere accuſatum. Sed Princeps, qui habet plenariam poteſtatem in Republica,ſi ille,qui paſſus eſt iniuriam, velit eam remittere,poterit reum licitè abſoluere,ſi hoc publicæ vtilitati viderit non eſſe nocium*. Ecce tibi, vt poteſt Princeps pęnam delictis decretam condonare,ſi lęſus indulgeat,idque reipublicæ non officiat.

8 Cuius quidem rei ratio ex ipſiuſmet *Sancti Thomæ* doctrina non obſcurè colligi poteſt: ſi enim duplici, modo expoſita,ratione iudex impeditur;quo minus reo pęnam omnino relaxet;in caſu autē, de quo loquimur, adſit iniuriæ relaxatio ab offenſo pręſtita, & Princeps plenariam obtineat in republica poteſtatem,cuius bono, quod & ipſe Princeps curare debet, rei abſolutio,vti ponimus,nihil obeſt; poterit ſanè is licitè abſoluere delinquentem.Quarè hiſce duabus conditionibus hac in re concurrentibus, in ſola Principis voluntate poſitum eſt, delictorum, pęnarumque concedere indulgentiam, neq; alia ſubſit cauſſa neceſſe eſt,vt etiam pluribus oſtendit *Magalot.loc. cit. S. ſecundo ampliatur*: ſufficitque, vt videat id reipublicæ non eſſe nociuum; neque eſſe proficuum animaduertat,oportet. Quamobrem ſola Regis voluntas,meritaque eximia Siculorum, id efflagitantium, ſatis eſſe videbantur, vt ipſemet Rex indulgentiam illam concederet; etſi de cetero nedum Siculæ reipublicæ minimè nociuam, verū maximè proficuam eam fore, aliiſque rationibus concedendam, tunc temporis probauerimus.

9 Sanè proficuam oſtendi:quia ea delictorum,ac pęnarum abolitione, ſeu indulgētia,quampluribus Siculæ Reipublicæ malis occurrebatur. Etenim hac ratione eorumdem delictorum, ac

ac criminum capita, seu origines præcidebantur: inde enim ea, vt plurimũ, enascuntur, quod exiorres, exulesq; quos *Banditi* vernacula lingua nuncupamus, desperãtes sese res suas cõposituros, propter paupertatẽ, aliãuè caussam, omnia malorum genera perpetrant, leges contemnunt, neque quidpiam, etsi iniquissimum, omittendum putant, quò patriam quibusuis tandem, licet maximè illicitis vijs, diuexare queant. Hinc passim rapinæ, latrocinia, homicidia, stupra, aliaque eiusce modi nefandissima scelera oriuntur: quæ proprijs cernentes oculis Siciliæ primates, Generale illud indultum expoſcebant.

10 Cum præsertim tunc temporis plurimi exules inibi reperirentur, quo sanè euentu eiusce modi gratias indulgere, Principem decet, vt monet *Baiard. in Add. ad Clar. q. 59. nu. 98.* qui *nu. 52.* plures non infimi nominis Doctores refert, qui censent, Principem, etiamsi offensus minimè iniuriam remittat, posse nihilominus quoad publicum interesse, pœnamque corporalem, reum absoluere: quod tamen mihi omnino displicet; nisi alia subsit caussa, vt *Baiardus* quoque ibidem animaduertit: nocetet enim hæc indulgentia personæ, cui est illata iniuria, vt ait *Sanctus Thomas loco cit. ad tertium*, quæ compensationem accipit per quamdam restitutionem honoris in pœna iniuriantis: quin *Plotus conf. 73. n. 52. & seq. tom. 2. cons. crim. diuers.* vt refert idemmet *Baiardus num. 43.* iure diuino requiri offensi remissionem asseuerat. Sed *Plotus* nonnisi de homicidio deliberatè commisso videtur loqui, vt *Farinacius loco citato n. 15.* docet, vbi latè hanc exagitat quæstionem: ipsum consule, si oporteat: neque enim id inquirimus hoc loci: quo etiam casu id Princeps tutè queat, vide quoque *Valen. in 2. 2. D. Thom. disp. 5. qu. 11. punct. 4. vers. Quaret autem.*

§. III.
Clementia quam propria sit Principis Supremi.

SVMMAE.

11 *Haec condonatio est actus clementiæ, quæ Principis propria est.*
Quæ sit clementia: ea reddit hominem Deo, & hominibus acceptum.
Charitas est maxima virtutum.
Clementia thronus regius roboratur: & amorem subiectorum conciliat.
12 *Misericordia, ac bonitatis laudes.*
Clementia nos Deo similes facit.
13 *Dei propriũ est misereri, ac parcere; atque ità suam omnipotentiam manifestat.*
Humanitas imperialis Maiestatis propria est.
14 *Moyses vir mitissimus à Deo Princeps sui populi constituitur.*
Reges Israel omnes clementes.
Clementia præparat vitam æternam.
15 *Clementiæ Principalis exempla.*
Iulij Cæsaris clementia.
16 *Item Octauij lenitas.*
Vespasiani.
Titi eximia clementia, & exemplum insigne.
17 *Eximium lenitatis exemplum in ipsos quoque Imperatorem lacessentes.*
Rex, & Tyrannus clementia discriminantur.
Misericordiam esse virtutẽ contrà Stoicos S. Aug. *probat.*
18 *Clementia Principibus innata dicitur.*
Leges ad clementiam aperta esse debent.
Et humaniorem sequi sententiam.

11 Alijs quoque nominibus decere Principem eas delictorũ, ac pœnarum indulgẽtias cõcedere, ostenditur, quia ita Princeps præcipuæ virtutis actum elicit, purà *Clementiæ*, quæ adeo superioris propria censetur, vt ipsiusmet Clementiæ definitione ipse superior cõcludatur:

est

est enim ea in pœnis constituendis lenitas superioris aduersus inferiorem, vt post *Senecam 2. de Clementia*, docet *S. Thom. 2. 2. q. 157. art. 1.* Quemadmodum ergo inter superiores primũ obtinet locum Princeps; ità & ipsum in primis Clementia decet; quæ reddit hominẽ Deo, & hominibus acceptum, vt ait idem *Sanctus Doctor qu. cit. art. 4. ad 2.* secundùm quod concurrit in eumdem effectum cum caritate, quæ est maxima virtutũ, scilicet in subtrahendo mala proximorum. Vnde *Eccles. 3.* dicitur: *Fili in mansuetudine perfice opera tua, & super hominum gloriam diligeris.* & *Prouerb. 20.* dicitur, quòd Clementia thronus Regius roboratur: ea enim amorem sibi subiectorum Princeps conciliat: Hinc *Seneca Tragicus in Thebaide sce. vlt. in fine*, ait.

Qui vult amari languida regnet manu.

12 Quid tam porro regium, vt ait *Cicero 1. de orat post initium*, tam liberale, tam munificum, quam opem ferre supplicibus, excitare afflictos, dare salutem, liberare periculis? & *in fine orationis pro Q. Ligario*, Cęsarẽ alloquẽs; *Nihil est*, inquit *tam populare, quam bonitas: nulla de virtutibus tuis plurimis nec gratior, nec admirabilior misericordia est: homines enim ad Deos nulla re propiùs accedunt, quam salutem hominibus dando: nihil habet & fortuna tua maius, quam vt possis; nec natura tua meliùs, quam vt velis conseruare quamplurimos.* Et Seneca idem *Tragicus in Medea act. 2. sce 2.* ad rem ita.

Hoc reges habent
Magnificum, & ingens, nulla quod rapiat dies;
Prodesse miseris, supplices fido lare
Protegere.

Rectè *Claudianus* de clementia Principis ità loquitur.

Sit piger ad pęnas Princeps; ad præmia velox;
Et doleat quoties cogitur esse ferox.
Sit pius in primis: nam cum vincamur in omni
Munere, sola Deos æquat Clementia nobis.

13 Scitè Deum nobis æquare clementiam monet; quandoquidem ei proprium esse misereri semper, & parcere, ac omnipotentiam suam parcẽdo maximè, ac miserando manifestare, suæque pietatis abundantia, & merita supplicum excedere, & vota, nos Ecclesia Catholica docet. Aptè Iustinianus Imperator in *l. fin. in fin. C. de donation. inter vir. & vxor. Nihil*, inquit, *tam peculiare est Imperialis Maiestatis, quam Humanitas, per quam sola Dei seruatur imitatio*, & in l. Imperialis C. de nuptijs: *Imperialis*, ait, *beneuolentiæ proprium esse iudicantes, vt omni tempore subiectorum commoda tã inuestigare, quam eis mederi procuremus*, & infrà. *Nam ità credimus Dei beneuolentiam, & circa genus humanũ nimiam clementiam, quantum nostræ naturæ possibile est, imitari, qui quotidianis hominum peccatis semper ignoscere dignatur, & pœnitentiam suscipere nostram, & ad meliorem statũ deducere: quod si circa nostro subiectos imperio nos etiã facere differamus, nulla venia digni esse videbimur.* & in §. itaque Deo, Auth. vt Iudic. sine quoquo suffrag. *Vt non videamur*, inquit, *despicere homines oppressos, quod nobis tradidit Deus, vt eis per omnia parcamus, eius sequentes benignitatem.*

14 Hinc D. O. M. primum populi sui Principem constituit Moysem, virum mirissimũ super omnes homines, qui morabantur in terra *Numer. cap. 12.* quin & omnes Reges domus Israel clementes vbique gentium habebantur, vti serui Benadad Regis Siriæ testati sunt *3. Reg. 20.* Et quidẽ hac via in Cęlum tendere Principes, edixit *Salomon Prouerb. 21.* vbi *Clementia*, inquit, *præparat vitam*, puta ęternã, idemque postea plures alij monuère: id quod præ cęteris elegantiùs docuit *Seneca in Hercule furente act. 3. sce. 2.*

Quisquis est placide potens,
Dominusq; vitæ seruat innocuas man⁹,

Et

Et incruentum mitis imperium regit,
Animoque parcit, longa permensus diu
Felicis aeui spacia, vel cęlum petit,
Vel læta felix nemoris Elisij loca.

15 Cuius sanè clementiæ principalis habent Reges nostri eximia monumẽta nedum domestica Alphonsi, Ioannis, Ferdinandi, Caroli, Philippi, initio laudatorum, aliorumque, verum & externa quoque iisdem minimè desunt. *Cum plurimis gentibus imperarẽ,* inquit Artaxerxes Rex, Esther ca. 13. *& vniuersum orbem mea dictioni subiugassem, volui nequaquam abuti potentię magnitudine, sed clementia, & lenitate gubernare subiectos, vt absque vllo terrore vitam silentio transigentes, optata cunctis mortalibus pace fruerentur.* Simultates cõtrà nullos tam graues excepit vnquam Iulius Cæsar, vt non, occasione oblata, libens deponeret, vt C. Memmij, C. Calui, & Valerij Catulli exemplis *Suetonius cap.* 73. demonstrat: qui eum, etiam in vlciscendo, natura lenissimum, ac moderationem, & clementiam tum in administratione, tum in victoria belli ciuilis admirabilem exhibuisse, exemplis etiam *seqq. cap.* ostendit.

16 Ac de Octauio *cap.* 51. loquens: Clementiæ, inquit, ciuilitatisque eius multa, & magna documenta sunt, nec enumerem quot, & quos diuersarum partium venia, & incolumitate donatos, principem etiam in Ciuitate locũ tenere passus sit: id quod Iunij Nouati, Cassij Patauini, aliorumque exemplis confirmat. Vespasiani quoque erga criminantes patientiam, offensarum item, & inimicitiarum obliuionẽ *cap.* 13. & 14. prædicat: & *cap.* 15. eiusdem in reos clementiam laudat, aitq; illum neque cæde cuiusquam vnquã lætatum: quin iustis quoque supplicijs illacrymasse etiam, atq; ingemuisse. De Tito verò loquens *cap.* 9. pontificatum, inquit, maximum ideo se professus, accipere, vt puras seruaret manus, fidẽ præstitit: nec auctor posthàc cuiusquam necis, nec conscius, quamuis interdum vlciscendi caussa non deesset; sed periturum se potiùs, quam perditurum adiurans: duos proinde patricij generis conuictos in affectatione Imperij, nihil ampliùs, quam vt desisterent, monuit, dicens Principatum fato dari: si quid prætereà desiderarent, promittens se tributurum: aliaque non vulgaria in eosdẽ amoris signa præbuit, quæ Idem *Suetonius* recenset: qui & Domitiani clementiam apprimè *cap.* 9. commendat; etsi ipsum *cap.* 10. & 11. in sæuitiam indè desciuisse commemoret.

17 Legẽda est integra Theod. Arcad. & Honorij Imperatorum constitutio, quæ habetur *C. si quis Imperatori maledixerit*, vbi eximium clementiæ exemplum, in ipsos quoque Imperatoriam Maiestatem lacessentes, animaduertere licet. Plura alia clementiæ principalis documẽta apud scriptores passim reperies, quæ breuitati studentes omittimus recensere. consulenda sunt, quæ hac de re vberrimè tradidit *Seneca in lib. de clementia ad Neronem*, vbi præcipuè clementiam ait efficere, vt inter Regem, & Tyrannum discrimen reperiatur: *Io. Faber. in Breuiario C. in l. 1. verb. Clementia nostra C. de Sum. Trinit. & fid. Cath. Iust. Lipsius Polit. lib. 2. cap. 12. & 13.* vide quoque *l. 2. tit. 10. part. 2. ibique Greg. Lopez & l. respiciendum ff. de pœnis, & S. Aug. 9. de ciuit. Dei cap.* 5. vbi eadem penè *Ciceronis* verba in *oratione pro Q. Ligario*, superiùs à nobis laudata, refert, & contrà Stoicos Misericordiam virtutem esse defendit, quam eos inter vitia numerare nõ pudebat: quod idem ostendit eius commentator *Leonardus Coquæus*: & optimè *S. Tho. 2. 2. q. 30. art. 3.*

18 Consulendus quoq; *Valerius Maximus lib. 5. cap. 1. de humanitate*, vbi plura mansuetudinis, & Clementiæ summorum Principum exempla, omnino legenda, commemorat: quæ sanè tantò digniora sunt imitatione, quan-

iò excellentiora pietate, vt rectè monuit *S. Aug. lib. 1. de ciuit. Dei cap. 23.* & refertur in *cap. fin. dist. 9.* vbi *Gloss. verb. pietate,* notat arg. pro misericordia à Iudice impetranda. quamobrem scitè Iustinianus Imperator innatam sibi clementiam dixit in *l. ijs quidem S. monete, C. qui militare poss. lib. 12.* Et *Fidericus in lib. de pace constantiæ,* viscera sibi innatæ pietatis aperuit, vt inferiùs referemus. Hinc & leges, præcipuos Principum fetus, ad clementiã apertas voluit idem Imperator Iustinianus in *Auth. de exhib. reis S quoniã vero:* & humaniorem sequi sententiã in *l. fin. in fine C. de com. ser. manum, & in l. inter veteres in fine C. de fideicommiss.* ac semper legibus quidpiam clemens desiderari, ac definiri, in *S. consideremus Auth. de Triente, & semisse.* Vnde & Salomon *prouerb. vltimo: lex,* inquit, *clementiæ in lingua eius.*

S. IV.

Clementia in Iustitiæ administratione suum locum obtinere debet.

SVMMAE.

19 *IN administranda iustitia clementia quoque est amplectenda.*
Lenitas cum seueritate miscenda.
Melius est ob misericordiam rationem reddere, quam ob crudelitatem.
Et melius est de misericordia, quam de seueritate reprehendi.
Misericordia melior est omnibus sacrificijs.
20 *Subditi non seueritate, sed charitate corripiendi.*
21 *Supremi Principes Dei exemplum sequi debent.*
Deus benignus, misericors, &c. in sacris literis prædicatur.
Dei misericordia etiam in supplicijs apparet
22 *Cur S. Petrum Deus peccare permiserit.*
23 *Iudicis nomen iustitiæ dicatum est.*
Ex virtute pietatis suauissimi fructus colliguntur.
Peccare omnibus commune est.
Pietati, & clementiæ omnes virtutes cedunt.
Pietas cœlos regit.
24 *Quibus casibus delicta omnino punieñda.*
Rigor quando misericordiæ præferẽdus.
Exemplum condonati criminis lesæ maiestatis.
25 *Qui nil impunitum relinquit, delinquit.*
26 *Princeps est publicus parens.*
Cur delinquentes puniendi.
Impunitatis genus est iam non habere pœnæ locum.
Mores ciuitatis magis corrigit parcitas animaduersionum.
Multitudo peccantium peccandi consuetudinem facit.
Verecundiam peccandi facit clementia regentis.
27 *Ciuitas crudelibus pœnis vastatur potius, quam corrigatur.*
Nimia asperitas nec correctionem recipit, nec salutem.

19 PLurimę etiam in iure Pontificio Sanctorum patrum sententiæ reperiuntur, quæ in iustitia administranda clementiam quoque amplectendam monent. *Disciplina,* inquit S. Greg. relatus in cap. disciplina. dist. 45. *vel misericordia multum destituitur, si vna sine altera teneatur: sed circà subditos suos inesse rectoribus debet, & iustè consolans misericordia, & piè sæuiens disciplina.* & infrà. *Miscenda est ergo lenitas cum seueritate, faciendumque quoddam ex vtraq; temperamentum, vt neque multa asperitate exulcerentur subditi, neque nimia benignitate soluãtur:* & cætera, quæ sequũtur omnino legenda. *Et, si in eiusmodi erramus præcepto, modicam pœnitentiã imponentes,* inquit S. Chrisostomus, seu Auctor operis imperfecti, relatus in cap. Alligant. 26. q. 7. *nonnè melius est propter misericordiam rationem reddere, quam crudelitatem? vbi enim paterfamilias largus est, dispensator non debet esse tenax: si Deus benignus est,*

vt

vt quid Sacerdos eius austerus? vis apparere Sanctus? circa vitam tuam esto austerus, circa alienam benignus. cuius sanè textus auctoritate dixit *Abb. in cap.2.n.3.de reg.Iur.* melius esse de misericordia, quam de seueritate reprehendi. Et Calixtus Papa 1 *sententiam, fratres,* inquit ad Episcopos Galliarum scribens, epist. 2. *quæ misericordiam vetat, non solum tenere, sed & audire refugite, quia potior est misericordia omnibus holocaustomatibus, & sacrificijs,* vt refertur in *cap.ponderet, in fine, dist.* 50.

20 Certè passim iura canonum præcipiunt, vt non seueritate, sed beneuolentia, & caritate subditi corripiantur, *vt cap.licet plerumque. & cap.licet nonnunquam, cap.sunt namque, & seq. dist. 45. cap.exigunt 1.q.7. cap.ferpens 23. de Pœnit. dist. 1.* vbi etiam, & illud Salomonis, *Noli esse nimium iustus,* recitatur, *cap.veniam 35.q.9.* & sexcenta alia, quorum aliqua *Glossa in citatis capitibus recenset.* Sed præsertim consulenda sunt, quæ habet *Isid. lib. 3. sentent.de summo bono. cap.* 45. quorũ aliqua referuntur in *c.omnis qui, dist.* 45.

21 Sed licet hæc omnia, quæ hùcusq; exposuimus, omnino deessent, pro omnibus Dei optimi maximi exemplũ esse deberet, quem Summi Principes sequi obstringuntur, *Auth. vt omnes obediant Iudic.Prouinc.§.arripiat,* ibi: *solummodo Deo, & Imperatore sequente Deum coll.*5. & sacra eloquia passim eum benignum, misericordem, patiẽtem, dissimulantem hominum peccata propter pœnitentiam, prædicant, vt *Ioel.2.Sap.11.* alibique: quin & iratum misericordiæ recordari testatur *Habacuc in suo cantico cap.*3. quod etiã dixerat Sara, filia Raguelis, vt refertur *Tob.*3. Hinc putauerim in generali diluuio columbam ex Arca egressam, oliuæ ramum adinuenisse, quam misericordiæ diuinæ symbolum Sacrarum literarum interpretes esse volunt; quò scilicet ostenderetur, cæteris penitus mersis, oliuã dũtaxat minimè mergi: quia Dei misericordia etiã in supplicijs apparet. *Vide benignum Dominũ,* ait S.Hieron. relatus in cap. vide 33.q. 3. dist. 1. de pœnit. *Misericordiam cum seueritate miscentem, & ipsius pœnæ modum iusta, & clementi liberatione pensantem: & sicuti conseruat misericordiam in iustitia, ità & iustitiam in misericordia,* inquit *Augustinus lib. de vera, & falsa pœnit. cap.* 10. ac refertur in *cap.quē pænitet, dist. 1. cit. & in lib. de continentia cap. 6.* relatus in *cap. nullus debitæ, ead. dist.* 1. Ità, ait, impertitur à Deo largitas misericordiæ, vt non relinquatur etiam iustitia disciplinæ.

22 Eleganter sanè, ac scitè, vt assolet, *Seneca loco cit. de clem. ad Neron.* ita eloquitur: *Si Deus placabilis est, & delicta potentum non statim vulneribus persequitur; quãtò æquiùs est hominem, homini præpositum, miti animo imperium exercere?* Atque hinc voluit ipsemet Deus, vt Reges Israel clementes forent, vt suprà innui: & considerandum nobis reliquit, cur eum, quem cunctæ Ecclesiæ præferre disposuerat, ancillæ vocem pertimescere, & se ipsũ negare permiserit; quo scilicet intelligeremus, id magnæ actum esse pietatis dispensatione: vt inquit *S.Greg. hõ. 21.in euang.* referturque in *cap. considerandum, dist.* 50. vt is, qui futurus erat pastor Ecclesiæ, in sua culpa disceret, qualiter alijs misereri debuisset: priùs itàque eum ostendit sibi, & tunc præposuit cęteris, vt ex sua infirmitate cognosceret, quam misericorditer aliena infirma toleraret. Hinc quoque ipsemet dominus Zacchar.7. *Iudicium,* inquit, *verum iudicate:* quod sanè explicans: *& misericordiam,* statim subdit, *& miserationes facitè vnusquisque cum fratre suo.*

23 Hoc sanè Dei exemplum imitatus Rex ille apud *Cassiodorum variar. lib. 11. cap.* 40. *Quamuis,* inquit, *nomẽ ipsum iudicis dicatum videatur esse iustitiæ, & totius anni orbitam æquitatis*

iubeamur ambulare vestigijs; his tamẽ diebus in domicilium pietatis iure deflectimus, vt ad redemptorem omnium remissionis itinere peruenire possimus: ex hac enim virtute suauissimos fructus legimus, & remittẽdo alijs, nobis parcimus: nam qui periculosè iusti sumus, sub securitate semper ignoscimus. Quapropter pęnas abdicamus, (aliàs abijcimus) *tormenta damnamus, & tunc verè iudices sumus. Macte indulgẽtia, quæ soluis, & pręsul es: tu patrona humani generis, tu afflictis rebus medicina* (aliter medica) *singularis: quis tuo non egeat munere, cum sit peccare commune? ab vniuersis necessariò peteris, quando sub te spes vitæ sumitur, quæ sub iustitia non habetur: nam cum tribus alijs sororibus cęlesti gratia perfruaris, & tam habili amplexatione nectamini; omnes tibi, quamuis & ipsæ virtutes sint, honorabiliter cedunt, quando te humano generi salutiferam esse cognoscunt. Sed quid tãtum de terrena conuersatione dicamus?* Pietas *est, quæ regit & cęlos. O si tecum liceret longis temporibus habitare, totus excluderetur reatus & parcendo fieret, vt parcè tolleretur:* (meliùs fortassis, vt Parcæ tollerentur) & cætera, quæ sequuntur, omnino consulenda, cum propiùs ad rem, qua de agimus, accedant: vti & ea, quæ modo subijciam ex Friderico Imperatore, quæ habẽtur *lib. de pace constantiæ, initio*, vbi.

24 *Imperialis*, inquit, *clementiæ immẽsa serenitas mansueta eam semper in subditis suis dispensationem fauoris, & gratiæ habere consueuit, vt quamuis districta seueritate excessuum delicta debeat* (puta, vt ego interpretor, vel si nulla datur correctionis spes, quò sane euentu rigorem misericordiæ præferendum docuit *Glossa in cap. alligant verb. melius est 26. q. 7. ex cap. est iniusta 23. q. 4.* vel si offensus iniuriam nullo modo remittere velit: vel deniq; si indulgentia publico bono obsit, vt suprà ex S. Thoma tradidimus) *& possit corrigere; magis tamen studeat propitia tranquillitate pacis, & pijs affectibus misericordiæ Romanum imperium regere, & rebellium insolentiam ad debitam fidem, & debitæ deuotionis obsequium reuocare. Ea propter cognoscat vniuersitas fidelium imperij, tam præsentis ætatis, quam successiua posteritatis, quod nos solita benignitatis nostræ gratia ad fidem & deuotionem Lombardorum, qui aliquandò nos, & imperium nostrum offenderant, viscera nobis innatæ pietatis aperientes, eos, & Societatem, ac fautores eorum in plenitudinem gratiæ nostræ recipimus, offensas omnes, & culpas, quibus nos ad indignationem prouocauerant, clementer eis remittentes, &c.*

25 Illud ipsum diuinum exemplum sępè alij Principes se imitari professi sũt, vt supra monuimus: addique potest *l. fin.* ibi: *ideoque ad Dei humanitatem respicientes C. de testamentis*: & quidem *Glossa in § utaque Dea verb. benignitatẽm, Auth. vt Iud. sine quoquo suffrag.* asserere ausa est, in sola clemẽtia posse nos Deo pares esse, puta quãtum humanæ naturæ possibile est. Quibus addo eximiã *Ildeberti* sententiam *epist. 25.* vbi: *Clemẽtiæ est*, inquit, *aliquid vltrici sententiæ detrahere: nã quisquis nihil reatus impunitum relinquit, delinquit: culpa est totam persequi culpã; & gloriosa virtus extra punire, quam liceat.*

26 Iam verò cõsiderare quoque oportet Principem, se publicum esse parentem, vt se professus est Theodoricus Rex apud *Cassiod. variar. lib. 4 ca. 24.* proindeq; paterno affectu regere debere subiectos, eosq; qui deliquerunt, puniendos esse, non quia deliquerunt; *nisi instar bestiæ citrà rationẽ pœnam exigat*, ait *Plato in Protagora*: neque enim quod factum est, infectũ reddi potest; sed futuri gratia, nè denuo delinquant, vel ipsi, vel alij, qui ipsos viderint castigari, vt optimè Plato monet, quod & eleganter docuit *Seneca* loco suprà laudato *de Clem.* vbi ideo Principes ait iniurias vindicare, vt scilicet vel eum, quem punit, emẽdet,

det, vel vt pęna eius ceteros meliores reddat, vel vt, sublatis malis, securiores ceteri viuant. Tum addit, quod nobis maximè fauet: *Ipsos*, inquit, *faciliùs emendabit minori pœna: diligentiùs enim viuit, cui aliquid integri superest; nemo dignitati perditæ parcit: impunitatis genus est iam non habere pęnæ locum: ciuitatis autem mores magis corrigit parcitas animaduersionum: facit enim consuetudinem peccādi, multitudo peccātium; & minus grauis nota est, quam turba damnatorum leuat; & seueritas, quod maximum remedium habet, assiduitate amittit auctoritatē. Cōstituit bonos mores ciuitatis Princeps, & vitia eius compescit, si patiens eorum est, non tamquam probet, sed tamquam inuitus cum magno tormento ad castigandum veniat: verecundiam peccandi facit ipsa clementia regentis: grauior multò pęna videtur, quæ à miti viro constituitur.*

27 Et quisquis ille est, qui ad Cęsarem de ordinan la republica apud Salustiū orationem habuit: *Neque quisquam*, *te*, inquit, *ad crudeles pœnas, aut acerba iudicia inuocat, quibus ciuitas vastatur magis, quam corrigitur: & qui benignitate, & clementia imperium temperauère, his læta, & candida omnia visa, etiam hostes æquiores, quam alij ciues. Et leuiter castigatus reuerentiam exhibet castiganti: asperitatis autem nimię increpatio, nec correctionem recipit, nec salutem cap. cū beatus dist.* 45. Quibus sanè constat, correctionis finem à clementia, atque à benignitate aptiùs, ac perfectiùs attingi, quam à seueritate. *Hinc clementia magis*, inquit Nazian. in orat. ad ciues Athen. *quam cunctis rebus alijs in vnum collectis Deus delectatur, omnium munerum loco conferenda est: donum proprium*; (idest quod propriè doni nomen promeretur) *donum labe omni vacuum; donum Dei liberalitatem, & munificētiā inuitās.*

§. V.

Principem supremum mulctā, ob delicta debitam, remittere, quandoque decet: & Siculorū votis, delictorum, ac mulctarum indulgentiam exposcentium annuendū.

SVMMAE.

28 *Ob paupertatē mulcta remittenda est, aut certè minuēda.*
Quādo pęna in aliā transmutari potest.
Princeps quod omnibus prodest proprio commodo præferre debet.
Fisci bonum est subditos habere locupletes.

29 *Qui multum emungit elicit sanguinem.*
Mulcta fisco debita, faciliùs remittitur, quam quæ parti lęsæ debetur.

30 *Siculorum votis hac in re à Regibus annuendum.*
Ob intercessoris religionem sępè cum delinquentibus mitiùs agitur.

31 *Accusatores non facile audiendi.* Cap. miror 17 q. 4. *exponitur.*

32 *Ptolomęus Rex quosdam, ad supplicium damnatos alterius rogatu seruauit.*

33 *Responsio Regis.*

28 Qvod vero attinet ad pęnæ, ob delicta debitæ, præsertim pecuniariæ, remissionē, quam tunc quoque Siculi efflagitabant, præter ea, quæ hùcusque retulimus, addidi, id esse Siculis concedendum ob paupertatem, qua vt plurimum premuntur: ob quam, sanè, & ipsos inferiores iudices, atque ordinarios mulctam remittere, aut minuere debere, docent plures post *Glossam in l. & in multis C. de appellation.* quæ id probat apertè ex *l. illicitas §. fin. ff. de offic. Præsidis, & l. eos §. fin. C. de modo mult. vide Tiraq. de Pœnis causa* 32. *& Mastril. ad indult. cit. cap.* 18.

18. *præcipuè nu.* 3. Ac præsertim, quia eo euentu impossibilis sit rei solutio: & tunc iudicibus quoque inferioribus licet etiam post sententiam vnam pœnam in aliam trāsmutare, vt in *l. quicūque C. de seru. fugit.* alijsque ostendit *Ioannes Redin. de Maiestat. Princip. verb. & per legitimos tramites nu.* 76. posseque id ipsum Principē supremū tutè præstare, nulla est difficultas: atq; ità omnes prorsus arbitrantur, vt testantur *Peregrin. de iure fisci lib.* 4. *tit.* 8. *n.* 15. alijque plures apud *Mastrill. loco cit. cap.* 19. *num.* 2. estque maximè conueniens: quod enim communiter omnibus prodest, hoc rei priuatæ nostræ vtilitati præferendum esse censemus; nostrum esse proprium subiectorum commodum imperialiter existimātes, inquit Iustinianus in *l. vnica* §. *fin. C. de Caducis Tollendis*: cuius sanè circa leges studium, & alia omnia, ideo quotidie ab ipso cum labore agebantur, vt vtilitatem subiectis inueniret, vt ipsemet profitetur in *Auth. de Ecclesiast. rer. immob. aliē.* §. 1. *initio*, atque ità imperium, & fiscus abundabit, vtens subiectis locupletibus, vt in *Auth. vt Iudices sine quoquo suffrag.* §. 1. *circa med.*

29 Neque satis tutum consilium censendum est, in eiuscemodi pœnis exigendis rigidum esse: qui enim multū emungit, vt inquit *Salomon. Prouerb.* 30. elicit sāguinem: id quod recitatur in *cap. fin. dist.* 4. Atq; hinc est faciliùs pecuniariam pœnam, seu mulctā, fisco applicandam, remitti, quam ea, quæ parti læsæ debetur, vt probat *Glossa in l. quicumque verb. vel viginti solidis C. de seru. fugitiu.* vbi rationem reddit: *quia*, inquit, *mitius cum lege, idest cum fisco, vt Sal. ait, quam cum eius ministro agitur, vt l. Celsus ff. de arb. & in auth. de ind.* §. *oportet coll.* 6.

30 Denique, vt tandem huic ratiocinationi finē imponamus, decere Principem in re, de qua agimus, eam delictorum, ac pœnarum indulgentiam, Siculis efflagitantibus impertiri, ostendi ex hoc ipso, quod Siculi efflagitabant: puta viri de Catholicis Regibus optimè meriti, quorum obsequia, omni tempore illis exhibita, vix animo concipi, nedum oratione recenseri non possunt, vt ipsorum Regum testimonio *cons.* 3. *à nu.* 171. obiter animaduerti. Atqui intercessoris religio minimè cōtemnenda est, vt *suprà n.* 4. ex S. Augustino monuimus: & sæpè cum delinquentibus clementiùs, ac mitiùs agitur amore eius, qui pro ijs intercedit. Sanè *Vrbanus Papa II.* amore Guernerij, Narbonensis Episcopi, intercedentis pro clerico, qui iaciens lapidē, puerum interemit, in suo ordine eum permanere permisit, vt refertur in *cap. clerico dist.* 50.

31 *Innocentius Papa epist.* 22. *ad Episcopos Macedoniæ*, refertur q; in *c. veniam* 35. *q.* 9. ijs postulantibus, Photinum Episcopum, antea depositū, restituit. *Quia tātis vestris assertionibus*, inquit, *vobisque tam bonis, tam caris, non dare consensum, omnibus rebus duris durius arbitramur*. Quoniam vero petebant ijdem, & Eustachium diaconum idem Pontifex deponeret: *nolite expectare*, respondit, *vt diaconi gradu expolietur: sollicitos enim vos pro salute libenter audio; contrà caput, etiamsi faciendum sit, non libenter admitto: cum manum porrigitis, vobiscum porrigo; cui porrigo, mecum porrigite. Et S. Augustinus epist.* 187. *ad Bonifacium*, vt refertur *in cap. miror* 17. *q.* 4. probans, iniuria eumdē Bonifacium de Ecclesia seruum fugitiuum extraxisse: *Tuus*, inquit, *si de tuo amico fortè præsumerit fugitiuus*: (purà, vt ipse interpretor, si tuus seruus fugitiuus se tutum apud tuū amicum permanere confideret, atque ad eum hac caussa diuerteret) *posses proculdubio intercessoris* (nimirum amici) *caussà veniam promereri: ergo si amicus intenditur*, (idest exauditur, vt glossa interpretatur) *cur Deus offenditur*?

32 Addo, quod refert *Aelianus lib.* 1. *var. histor. cap.* 30. puta Ptolomæum Regem à Galete, non ob formam magis,

gis, quam prudentiam ab eodem adamato, rogatum, quosdam, ad supplicium dãnatos, seruasse: quin & amoris vim, quo eum deperibat, ob hanc ipsam Clementiam confirmauit, & auxit. Et quotidiè experimur Summos Principes, amicorum votis annuentes, pęnas legum transgressoribus cõdonare: cur igitur id nõ exequatur, si illud subditi, qui de illis benè merẽtur, exposcãt? Hæc habui, quæ hac de re digna visa sunt, vt in medium proferrentur: cetera, quæ afferri possent, vel non sunt tãti momenti, vel apud alios facilè reperire licet. consule *Farinac. to. 1. pract. & Theor. crim. de delict. & pæn. lib. 5. tit. 3. q. 171. n. 3.*

33 His vero omnibus D. Regi expositis prædicto anno 1624. petitioni Siculorum ipse respondit in hæc verba. *Harè mercèd al Reyno en algunos casos particulares, y nò generalmente, quando Dios fuere seruido de darnos vn Principe.* Atque ità ann. 1628. executioni mandatum, cum natus est Serenissimus Dominus, ac Princeps noster D. Balthasar, quem diu sospitet Deus Christianæ reip. bono.

CONSILIVM V.

Siculus Prorex nonnisi in atrocioribus criminibus, alijsque casibus à iure permissis, ex abrupto procedere debet.

Ad

Cap. 175. 197. 284. Caroli V.

§. I.

Hic modus procedendi regulariter damnatur.

S V M M AE.

1 *HIc procedendi modus contra nobiles, honestasque personas olim locum non obtinebat.*
Siculorum querela circa hunc modum procedendi.
Quid hac in re Imperator Carolus V. statuerit.
2 *Aliud eiusdem Cæsaris statutum.*
3 *Item aliud refertur.*
4 *Aliud Regis mandatum hac ipsa in re.*
5 *Hic procedendi modus Proregibus Siciliæ speciali iure competit.*
6 *Defensionis facultas cuique naturali iure competit: eaque nemini est auferenda.*
Non potest Imperator ea tollere, quæ sũt iuris naturalis.
Princeps quantumuis certus de crimine, reum tamen nonnisi auditum condẽnare potest: neque defensiones ei auferre etiam de plenitudine potestatis.
7 *Brutis quoque vim vi propulsare competit.*
Defensio cuique diuino iure conuenit.
8 *Eximium Dei exemplum in re, qua de agimus: quod quidem Principibus proponendum est.*
Lege Euangelica defensio permittitur.
9 *Quodnam sit ius diuinum naturale absolutum; & quodnam ex suppositione obliget.*
Quando ius diuinum à Principe relaxari potest.
10 *Siciliæ Prorex, alijque Principes, etsi supremi, eo procedendi modo regulariter vti non possunt.*
Quid sit procedere ex abrupto.
Neque in caussis summarijs defensio tolli potest.
11 *Nemo quæstionibus subijciendus, nisi sibi defensione permissa.*
Appellatio cur ei concedatur, qui quæstioni subijciendus est.
Plerique in tormentis deficiunt.
Appellatio est quædam defensio.
12 *Reo in tormentis confesso subuenitur à Principe, etiam post sententiam.*
Quocumque tempore ante sententiam reo petenti defensio danda est.
13 *Quomodo ea verè concedatur.*
Ea neque statuto, alioue modo tolli potest.
Cõfessio tormentis absque defensione extorta inualida est.

Id

1 ID quoque anno 1624. Siculi à Rege postularunt. Et sanè hic procedendi modus, quem ex abrupto, & dispensatiuo modo, nuncupamus, in criminalibus caussis contrà personas nobiles, pacificas, atque honestas, iuris ordine minimè seruato, nunquam obtinuit locum in Siciliæ Regno ante Caroli V. Imperatoris tempestatem: tunc etenim primùm ità procedi cæptum esse, ex eo colligi videtur, quòd tunc quoque primùm Siculi apud Regem de hoc ipso conquesti sunt, videlicet ann. 1535. vt cõstat ex *cap. 175. cit.* eiusdem Imperatoris: qui tunc quidem Siculorum petitioni in hæc verba respondit. *Porque en esto nò se puede dar ley cierta, Sù Magestad mãdarà à su Visorey, que en estos casos con aduertençia grande mire bien todas las calidades, que occorreràn para mejor poder determinar en lo, que se haurà de haçer: y mas desto mandarà haçer nueua pragmatica en castigo de los testigos, que deponeràn falsamente: y ordenerà alos Iueçes, que tẽgan las mismas aduertençias, por nò grauar los de lados, que procedan con toda rectitud.*

2 Quoniam vero, his minimè obstãtibus, Proreges Regni Capitula, legesque communes nequaquam, quoad hunc procedendi modum, custodiebant, ann 1540. Cæsari institit D. Ioannes Marullus, Augustæ Comes, Siculorum orator, vt hanc capitulorum, ac legum obseruantiam Viceregibus præciperet: qui sanè ità respondit in *cap. 193. cit. Placet Regiæ Maiestati capitula circa prædicta, dicto Regno concessa, obseruare, & iubet Proregi, vt ea obseruando in criminibus, in quibus ob grauitatem, & qualitatem eorum erit procedendum ad torturam, diligenter animaduertat, nè fiat absque iustissimis caussis, & considerationibus, vt iam statutum est.*

3 Sed neque hoc ipsum Viceregibus satis fuit, quo minus in omnibus ferè casibus absque vlla personarum exceptione ex abrupto procederent: quarè iterum ann. 1552. Siculorum nomine Ioannes à Vega Siciliæ Prorex, & orator apud eamdem Cæsareã Maiestatem institit, vt statueret, hũc procedendi modum, nonnisi in casibus à iure permissis locum obtinere: respondit vero Cæsar in *cap. 248. cit.* in hæc verba. *Licet Pragmatica Sanctio, in dicto capitulo contenta, sit dicti Regni status, & incolæ non ignorant, pro reipublicæ beneficio, proque eiusdem trãquillo statu, recta iustitiæ administratione, delictorumque coertione edita fuerit; nihilominus Sua Cæsarea, & Regia Maiestas Viceregi suo in dicto Regno mandabit, vt hæc in re cautè agat, omnemque diligentiam adhibeat, nè ad hoc remedium deueniatur, nisi in casibus, & vbi rei qualitas ità exigere videbitur.*

4 Aliud etiam huiusce modi Regium mãdatum refert *Mastrill. lib. 5. de magistrat. cap. 6. n. 86.* quòd ità se habet: *Cerca del proceder ex abrupto, y dispensatiuo modo, en las causas criminales, nò conuiene haçer nouedad, mas de encargaros, tengais mucho cuydado y què nò se dè lugar a esta manera de proceder, si nò en casos graues, y de mucha consideraçion.* Quibus sanè omnibus constat satis, hunc procedendi modum legibus hisce municipalibus ad iuris communis terminos, limitesque, fuisse reductum; proindeque eo nonnisi in casibus, ab eodẽ iure permissis, vti Proreges licitè posse; neque illius limites pertransire vllo modo queunt: idque ipsum est, quod Siculi iure optimo efflagitarunt. Vt autem hæc eadem res euidens fiat.

5 Præmittendum omnino est primũ, hunc procedendi modum, etsi supremi Principis proprium esse, censeant quidam apud *Mastrillum lib. 5. de magistr. cap. 6. à n. 78.* Siculo tamen Proregi speciali iure competere, docẽt plures, quos laudat, ac sequitur idem *Mastrill. loco cit. n. 78. & seq.* nihil de cætero statuentes, quibus tandem euentibus eo vti licitè queat.

6 Secundo præmittendum est, defensionis

ſionis facultatem cuique naturali iure competere; proindeque nemini à nemine, etſi Principe ſummo, abſque iniuria auferri poſſe. Id quod ab omnibus probatur ex *Clement. Paſtoralis de re iudicata* paulo ante finem, ibi: *De crimine graui delato facultas defenſionis, quæ à iure naturali prouenit, adimi non valet, cum illa tollere Imperatori non licuerit, quæ iuris naturalis exiſtunt.* Atque ideo communis eſt Doctorum ſententia, quam amplectitur *Leſſius lib. 2. de iuſt. & iure, cap. 29 dub. 11. n. 99.* quæ vult, Principem, quantumuis certum de crimine quopiam, nullo modo poſſe reum condẽnare, niſi citatum, & auditum: nè arma ei, quibus ſe iure defendere poſſet, auferantur. Quod adeo verum cenſẽt Doctores, vt velint, neque de plenitudine poteſtatis poſſe Principem ſummum in criminalibus reo defenſiones auferre, vt præ cæteris docet *Bald. in l. 3. §. ſi is pro quo, verſ. in ea gloſſ. ff. quod quiſque iuris*: eamdemque doctrinam omnes amplecti, ait *Socin.* quẽ refert, ac ſequitur *Iulius Clarus lib. 5. §. fin. pract. crim. q. 49. n. 14 & Baiard. ibid. Farin. lib. 1. prax & Theor. crimi. tit. 5. q. 39. nu. 18. & Hippol. de Marſil. ſing. defenſio non poteſt* 388. vbi ait, ſe latiſſimè hac de re dixiſſe in *l. vnius. §. cogniturum ff. de quæſt.* quã quidem poteſtate debere Principem rectè vti *ſupra ꝯſ.* 1. abundè probauimus. Addi poteſt cap. *ſi ibi: nec nos contra inauditam partem aliquid poſſumus definire, de cauſ. poſſeſſ. & propriet. ibique Abb. & cap. 1. 2. q. 1. & l. defenſionis facultas. C. de iure fiſci lib. 10. l. fin. in princ. iuncta Bald. expoſitione. C. de legib.* vbi etiam allegat Baldus *l. 3. §. ſi ad diem ff. de re milit. l. vt vim ff. de iuſt. & iure.* [illegible]

7 Imo vim vi propulſare brutis quoque iura permittunt, vt in *l. 1. §. cum arietes ff. ſi quadrup. pau. feciſſ. dicatur*, monetque *gloſſ. in d. l. vt vim.* Quin cenſent plures, & me iudice, non ineptè, defenſionem cuique diuino iure conuenire ex illo Geneſis 3. *Adam vbi es? & Luca 16. ibi: Redde rationem villicationis tuæ*, vt poſt *Petrum Bellugam in Speculo Principum rub.* 37. animaduertit *Redin. de Maieſtate Principis §. ſed etiam per legitimos tramites n.* 84. Quibus annectere eximium Euariſti Papæ placitum, quod refertur in *cap. pen. 2. q. 1.*

8 *Deus Omnipotens*, inquit, *vt nos à præcipitata ſententiæ prolatione compeſceret, cum omnia nuda, & aperta ſint oculis eius: mala tamen Sodomæ noluit audita iudicare, priuſquam manifeſtè agnoſceret, quæ dicebantur: vnde ipſe ait* (puta Geneſ. 18.) *deſcendam, & videbo vtrum clamorem, qui venit ad me, opere compleuerint; an non eſt ita, vt ſciam. Deus omnipotens, cui nihil eſt abſconditum, ſed omnia ei manifeſta ſunt, etiam antequam fiant, non ob aliud hæc, & alia multa, quæ hic, prolixitatem vitantes, non inſerimus, per ſe inquirere dignatus eſt, niſi vt nobis exemplum daret, nè præcipites in diſcutiendis, & iudicandis negotijs eſſemus, & nè mala quorumcumque priùs quiſquam præſumat credere, quam probatã. Cuius exẽplo monemur, nè ad proferendam ſentẽtiam vnquam præcipites ſimus, aut temerè, indiligenterque indiſcuſſa quæque quoquo modo iudicem*[9] & c. Iſtà: *Si enim*, ait, *dominus omniũ, Sodomorum mala, quorum clamor ad cœlum vſque peruenerat, omnia ſciens priùs nec credere, nec iudicare voluit, quam ipſe ea cum fidelibus teſtibus diligenter inueſtigans, quæ audierat, opere veraciter cognoſceret, multò magis nos, qui ſumus homines,*

11 *& peccatores, quibus incognita ſunt occulta iudicia Dei, & hæc præcauere, & nullum ante veram, iuſtamque probationem iudicare, aut damnare debemus;* & cætera, quæ ſequuntur. Hoc Dei optimi maximi exẽplum principibus proponendum eſt, vt illud imitentur, atque erubeſcant homunculi id audere, quod Rex Regum, ac Dominantiũ Dominus efficere noluit. Vide quoq; *cap. qualiter 2. de accuſation.* vbi duo

postrema sacra loca recitantur, putà *Luc.* 16. *& Genes.* 18. *& Marcus Mātua sing. in passione* 594. ex illo *Luc.* 22. *Qui habet sacculum, tollat similiter & peram; & qui non habet, vendat tunicam suam, & emat gladium*, elicit, euangelica quoque lege defensionem nobis esse permissam.

9 Tertio denique præmittendum est, hanc defensionis facultatem cuique competere eo diuino iure naturali, quod absolutum vocant omnes, & à diuino arbitrio deriuatum; non vero conuenire eo diuino iure naturali, quod ab humana volūtate, & arbitrio enatum, ex suppositione obligare non iniuria asseueramus: quo sanè modo obstringere volumus votum, ac iuramentum. Hinc autem fit, vt Princeps quilibet, etsi neminem Superiorem agnoscat, nonnisi vrgenti, grauique caussa reo defensiones auferre licitè queat: quicquid enim sit, an Pontifex Summus, summusuè Princeps verè, ac propriè in iure diuino naturali dispēsare possit, prout dispensatio est iuris relaxatio; an vero solū auctoritatiuè, vt aiunt, declarare possit, id ipsum ius in hoc, vel illo euentu, ob hasce, illasuè circumstantias non obligare, quam sanè rem accuratè, vt assolet, pertractat *Sanch. lib. 8. de matrim. disp. 6. à nu. 2. & deinceps*; quicquid, inquam, hac de re sit, quam indagare non est huius instituti; illud prorsus omnibus certissimū est, in vtroque iure, antea exposito, ac præsertim in secundo, supremo Principi à Deo minimè tributam facultatē dispensandi, seu aliter declarandi locum non obtinere, nisi fortè accidat casus, in quo recta ratio, rectumque populorum regimē exigat, vt eius iuris obligatio relaxetur, ob aliquas scilicet caussas, quæ subesse in quibusdā casibus queunt, vt aptè *Sancius* exponit. Atque ita in re, qua de agimus, maximè perpēdi debet, an aliquę subeant rationes, quæ suadeant, modū illum, quem procedendi ex abrupto nuncupatiuus, debere in his, vel illis casibus locum obtinere, vt mox ipsi præstabimus.

10 Hisce hūc in modum breuiter præmissis, aio primùm, vniuersè, ac generatim loquendo, Siculum Proregem, sicuti & Principes cęteros, licet supremos, eo procedendi modo licitè nequaquam vti posse, nisi aliud recta ratio suadeat. Id vero probatur, quia vt rectè monet *Afflictus decis.* 391. *nu.* 3. nemini prorsus criminoso, vt ipsiusmet *Afflicti* verbis vtar, debet tolli defensio, vt *cap. cum super, de except.* quia est de iure naturali, quæ per Principē tolli non potest, per *tex. in d. Clement. Pastoralis*: est enim tollere defēsionē, si ex indicijs habitis per processum informatiuum quis possit torqueri, (id quod procedere ex abrupto Siculi appellant) ex quo ante torturam non fuit auditus in iuribus suis, vt benè hoc firmat *Abb. in cap. dilecti filij, de except.* nam & in summarijs causis nō potest tolli defensio, vt *not. in Clemēt. sæpè, de verb. signif.* Et Cæsar *Vrsill. in annot. cit. decis. Afflicti nu.* 1. & quod, inquit, Princeps non valeat tollere defensiones, & per consequens ordinare aliquem subijci debere quęstionibus ex processu informatiuo, & sic ea, quæ sunt iuris naturalis, tollere, & cum hac decisione conuenit *Paris. in verb. tortura fol.* 108. *in suo tract. sindi*, & paulo post laudat *Grammat. vot.* 31. volentem, huiuscemodi superiorū mandatis, vt ipse loquitur, fulminatorijs non fore parendum per *tex. l. si vindicari C. de pœnis*; sed monet ipsū Principem consulendum.

11 Sanè neminem quæstionibus subijci debere, facultate se defendendi denegata, docuère plures, quos allegat, ac sequitur *Farinac. lib.* 1. *tit. praxis & theoricæ criminalis tit.* 5. *de indicijs, & tortura q.* 38. *nu.* 3. idemque latiùs comprobat ipse *Farin. loc. cit. q.* 39. *nu.* 1. quem etiam laudat *Franciscus Bernardinus in scholijs ad methodum processus informatiui Tranquilli Ambrosini Senegaliensis lib.* 3. *cap.* 1. *nu.* 10. *&* 11.

11. sed præsertim consulenda sunt ea, quæ accuratè perpendit *Gandinus de maleficijs tit. de quæstion. & torment. n.23.* vbi animaduertit, ideo appellationem concedi ei, quem quæstioni subijciẽdum iudex est interloquutus, putà *l. 2. ff. de appell. recipi. vel non*; quia scilicet, si post illatum tormentum defensio differretur, nunquam reus per appellationem deindè, membrorum detrimentum recuperare posset: eadẽque ratio locum vendicat in casu, de quo agimus: serò enim, inquit idem Gandinus, appellaretur, si primò torqueretur: plerique namque in tormẽtis deficere solent. Ex qua sane lege optimè colligitur, reo, antequam quæstioni subijciatur, defensionem concedi: est enim appellatio quædam defẽsio, vt *ex cap. suggestũ, de appell.* probat *Marcus de Mantua sing. 22. n. 6.*

12 Addit aliam rationem *Gandinus*, quam vrgentem, & viuam *Farinacius q. 39. cit. nu.* 1. appellat; quia scilicet, vt docuit Vlpianus in *l. 1. §. si quis vltro, ff. de quæstion.* Princeps subuenit reo, qui maleficium in tormentis, aliauè de caussa confessus est, atque ideo damnatus; cui etiam post sententiam suæ innocentiæ defensionem impertitur. Si igitur etiam huic Princeps succurrit; quantò magis, inquit auctor laudatus, ante sententiam hoc denegari non debet? cui enim, quod plus est, conceditur, non debet denegari quod minus est, *Reg. cui quod plus est, de Reg. iur.* Denique allegat *l. vnius §. cogniturum ff. de quæst.* vbi Paulus iurisconsultus monet, quocunque iudicij tempore reo petenti dandam esse defensionem, putà ante sententiam, vt glossa ibidem interpretatur. Atque hæc eadem ex *Gandino* repetit *Alex. cons. 65. lib. 1.* aliaque affert, omnino consulenda: etsi de cætero ibidem iudicem, qui reum quæstionibus subiecit, denegata se defendendi facultate, alijs rationibus tueri enitatur.

13 Legenda quoque sunt ea, quæ hac de re fusè traddidit *Farinacius qu. 39. cit.* vbi post alios plures ostendit, hanc sese defendendi facultatem tunc verè concedi, cum indiciorum quoque copia ex processu, contrà illum laborantium, indulgetur, competensq; terminus ad illa purgandum, ità vt non modo vna dilatio, verum tres quoque concedendæ sint, nisi aliud obstet, poniturque reus, vt vulgò dicitur, *ad largam*, putà in publicis carceribus, in quibus ad sui libitum patronos, amicosque alloqui, & consulere liberè queat. Eamdemque se defendendi facultatem neque statuto quopiam, neque consuetudine, neque ipsiusmet rei renunciatione tolli posse: eaque vera esse, etsi ex officio, & per inquisitionem procedatur: & confessionem vi tormentorum, denegatis defensionibus, extortam, nullius esse momenti: aliaque addit, quæ apud eumdem consulenda sunt. Vide etiam *Angelũ de Gambilionibus de Aretio cons. 72. nu. 11. & 12.* iuraq; ab eo allegata apud *Ziletum lib. 1. cons. criminal. & Corset. in sing. verb. defensio, Anton. Gomez tõ. 3. variar. cap. 13. n. 21. Afflict. & Vrsil. ll. cc.*

§. II.

Obiecta diluuntur: & explicatur, quibus casibus ille procedendi modus licitus sit.

SVMMÆ.

14 *IN dignitate illustri constitutus, in crimen vocatus, sedendi in iudicio facultatem habet.*

15 *Nobilitati aliquid indulgendum.*

16 *Actor non semper suam intentionem plenè probare debet, vt reus se opponere queat.*

17 *Ob criminum atrocitatem leges transgredi licet.*

Defunctus accusari non potest: quandoque tamen punitur.

18 *Ille modus procedendi in atrocioribus criminibus locum habet.*

Quæ sint vt plurimum hæc crimina.
Contra homines bonæ famæ non est ità procedendum.

19 *Nisi crimen sit notorium, quod examinatione non indiget.*

20 *Quibus casibus Princeps non citatum, neque auditum condemnare potest.*

21 *Iisdē casibus Prorex Siculus ex abrupto procedere potest.*

14 SEd obijcies iura, quæ sibi obijcit *Gandinus*, nec tamen expressim soluit, puta *l. 3. ante medium*, ibi, *eo qui in crimen vocatus, C. vbi Senat. vel Clariss.* quo quidem loco Zeno Imperator vult, in dignitate illustri constitutum, atque in crimen vocatū, sedendi in iudicio habere facultatem, nè quas, inquit, ante probationes iniurias patiatur: cum ergo id speciali priuilegio ijs tribuatur, vt scilicet ante probationem, vt ait *Gandinus*, non ponatur ad tormenta; in cæteris videtur contrarium obseruandum, arg. eorum iurium, quæ ipse refert, & *Alex. cons. 65. lib. 1.* Item actor priùs suam probat intentionē, indeque reus suas exceptiones *l. si quidem C. de except.* alijsque à *Gandino* relatis; ergo prius, inquit idem auctor, debet fundari intentio communis totaliter, tam per testes, quam per confessionem rei, antequam reus in sua defensione, vel exceptione audiatur.

15 Occurrendum est breuiter, primùm quidem minimè censeri speciali iure ijs personis proprium, vt scilicet ante probationes iniurias minimè patiantur: quin imo id omnibus conuenire, vt ex dictis facilè colligi potest: sed hoc iure, quòd cæteris est commune, voluit Imperator, vt eæ potiori ratione fruerentur. Id vero, quod illis speciali iure indulgetur, est, vt sedēdi habeāt facultatem: quod obtinere eas ob nobilitatem, monuit *Glossa in l. 3. cit. verb. sedendi.* Præterquamquod lex nè minimam quidem mentionem facit de tormentis ante defensiones inferendis, qua de re ipsi hùcusque locuti sumus.

16 Deinde aio, quod attinet ad aliud, quod obijcitur, minimè esse verum, semper actorem plenè debere suam intentionem probare, vt reus intercedere, seu, vt vulgò loquimur, se opponere queat: sufficit enim, vt semiplenè ostendatur, quò reus in suis exceptionibus audiatur: quod idem euenit in re, de qua disputamus; ponimus namque indicia præcedere, quæ saltem semiplenè probent communem intentionem, satisque sint, vt reus quæstionibus iure subijciatur, nisi ea in decreto à iudice termino purget: atque ità asserimus, reum audiēdum esse in suis defensionibus, quas proferre vult contrà illam, quam semiplenam vocamus probationem.

17 Quoniam vero ob criminum atrocitatem iura, legesq; transgredi licet, vt post *Innocent. in cap. 1. de constit.* *Bald.* pluribus in locis, cæterosque, docent *Afft. decis. 391. cit. in fine, Marcus Mantuā sing. 15. n. 1.* alijque; adeo vt, etsi vita functus, diuinoque relictus examini, humano iudicio accusari nō possit, vt ait *Concilium Toletanum* relatum *in cap. quorumdam dist. 23.* quia scilicet morte crimina extinguuntur, vt docet *gloss. in d. cap. quorumdam verb. non potest*, iuribus ab eadem relatis: quibus adde *l. 1. & 2. C. si reus, vel accus. mortuus fuerit*: nihilominus, ob criminum immanitatem, mortuos quoque puniendos, iura decernunt, vt de reo perduellionis animaduertere licet *in §. interdum instit. de hæred. quæ ab intest.* deferūtur, alijsque delictis, quæ refert *Glossa in cap. à nobis verb. mortuos, de sent. excommun. & in l. 1. cit. C. si reus, vel accus. verb. sit extinctum*: quibus adde *cap. si forte mulier, de pænit. dist. 1.* quin *Glossa in l. 2. ff. arborum furtim cæsarum*, latrones voluit furcis suspendi, indeque bestijs subijci ex *l. capitalium §. fin. ff. de pœnis*: & Valen. Theod. & Arcad. Augusti ijsdem patrocinium denegandum statuère in *l. per omnes C. de defens. ciuit.* quod tamen

men intelligēdum est, vt exponit post alios *Mantua sing.* 15. *cit.* vbi bruta quoque animalia ob criminis grauitatem puniri ostendit.

18 Quoniā, inquam in huiusmodi casibus leges, iuraque trāsgredi licet, ideò Doctores eum procedēdi modum, de quo hic loquimur, in atrocioribus criminibus locum obtinere concedunt. Atque ità *Afflictus decis.* 391. *sæpè citata n.* 10. ait, fuisse conclusum, tam per iudicem magnæ curiæ, quam per sacrum consilium, quòd contra latrones insignes, derrobatores, vt ipse loquitur, stratarum, incendiarios, violētos raptores, & committentes grauia crimina, contrà quos laborat infamia, procedi possit iuris ordine non seruato; & sic ex processu informatiuo ad torturam, & infra *Sed si*, inquit, *inquiritur contrà vassallum Regis bonæ famæ de aliquo delicto non notorio, tunc non est iustum, quod procedatur ad torturam ex processu informatiuo; quia est tollere defensionem, quod iura abhorrent, vt suprà, & ita postea vidi seruatum.*

19 Consultò addidit *Afflict. de delicto non notorio:* Etenim excessus notorius examinatione non indiget, vt inquit *Innoc.* 3. referturque in *cap. bona* 1. *de elect.* cui sanè sententiæ maximè congruit *Stephani Papæ V.* enunciatum, quod legendum est in *cap. de manifesta* 2. *q.* 1. & quod ait *Augustinus*, patrati scilicet sceleris euidētiam accusatoris clamore non indigere, vt refertur in *cap. euidentia, de accusation.* Adde *l. si vero, aliasque cit. ibidem à gloss. verb. euidentissimè ff. qui satisdare cogantur.* Legenda sunt, quæ hac de re scitè tradidit *Abb. in cap. bona cit. num.* 4. *de elect.*

20 Atque ità hac in re voluit *Less. lib.* 2. *de iust. cap.* 29 *dub.* 11. *num.* 100. *post Nauarr. cap.* 25. *Enchir. nu.* 10. qui rationes etiam reddunt, apud illos cōsulendas; adduntque alios quoque casus, in quibus Princeps non citatum, neque auditum cōdemnare licitè potest: putà primò, quando periculum subesset rebellionis, alteriusuè grauis turbationis, si iuridicè procederetur: vel secundò, cum quis reip. vel priuatis personis perniciem machinatur, quæ aliter nequit auerti: vel tertiò, si crimen soli Principi, tribusque aijs sit notum, ita vt iuridicè probari possit, & reus publicè absque graui incommodo puniri nequeat: poterit enim tunc occultè absque citatione, & probationibus occidi. hęc sanè omnia docet post plures alios *Lessius n.* 100. *cit.* & *num.* 101. de quibus vidè præcipuè *Nauarr. loc. cit* & *Decium in cap. ex parte* 2. *num.* 4. *de offic. delegat.* & *in cap. quæ in ecclesiarum à nu.* 13. *de constit.*

21 Atque iisdem sanè casibus putandum erit, posse Principem supremum, proindeque & Siculum Proregem ex abrupto procedere, reosque ex processu informatiuo, & dispēsatiuo modo quæstionibus subijcere: si enim ijs casibus licet etiam absque citatione, & probationibus reos condemnare, ac punire; multò magis eos torquere licebit. At in cęteris omnino seruādum erit id, quod iura omnia præcipiunt, vt scilicet nemo quæstionibus subijciatur, denegata ei sese defendēdi facultate. Id quod Siculi tunc temporis postularunt. Regis vero responsionem infra in fine *seq. cons.* referemus.

CON-

CONSILIVM VI.

Aduocatos, ac Procuratores fiscales interesse minimè debere, quo tempore caussæ à iudicibus deciduntur.

Ad

Cap.370.& 462.Regis Alphonsi.

SVMMAE.

1 *Sensus quæstionis.*
2 *Assertio iure municipali Siculo probatur.*
3 *Item iure Cæsareo.*
Iudex non debet habere consilium cum litis aduocatis,quia suspecti cēsentur.
4 *Iudex,absente fisci patrono,de caussa inter fiscum,& priuatum non cognoscit.*
Fiscus iure communi vtitur, nisi priuilegium obtineat.
5 *Iudices liberè, & absque metu iudicare debent.*
Fiscus loco partis habetur.
6 *Regis responsio.*

1 ID quoque,licet non ità vniuersè, ac generatim Siculi tunc temporis,idest anno 1624.postularunt: volebant enim, vt procuratores fiscales abessent, cum caussæ criminales à iudicibus decidebantur, seu, vt vulgò loquimur,cum votabantur, & vt in *conferenda*,vt vocant,minimè adessēt: nullam de cętero de ciuilibus caussis, neque de Aduocatis fiscalibus mentionem facientes: id quod aiebant aliàs à Regibus fuisse mandatum: nos vero hic assertionem ponimus vniuersaliorem,quascumque caussas, & aduocatos quoque fiscales concludentem.

2 Et quidem,quod attinet ad ius nostrum municipale Siculum, reperio *cap.370.Alphonsi Regis*,id apertè quoad omnes prorsus officiarios, ac præsertim quoad fisci aduocatum, ac thesaurarium statuentis, Prorege, Magistro Iustitiario, eiusque locum tenente dumtaxat exceptis. Et quoad eundem fisci aduocatum aliud eiusdem Regis capitulum reperies, quod est 462. vbi hæc habentur. *Placet regiæ Maiestati,quod aduocatus fisci non intersit,quando Iudices dant votum decisiuū in caussis fiscalibus*,& cętera, quę sequuntur.

3 Quod vero ad ius Cæsareum spectat,videtur id elici euidenter ex *l. 3. ante finem ff. de ijs, quæ in testamento delētur.* vbi Antoninus Cæsar, posteaquam Calphurnium Longinum, fisci aduocatum, & Cornelium Priscianū, alterius partis aduocatum, audiuisset, *remotis omnibus*, (legis sunt verba) *cum deliberasset, & admitti rursus eosdem iussisset, sententiam pronunciauit*, ex quibus sanè *Glossa verb. remotis, & post eam Bart. ibid. n. 2.* docuit, quòd iudex habere nequaquam debet consilium cum aduocatis litis. cuius rei rationem reddidit *Bald. in l. placet nu. 1. C. de sacrosanct. Eccl.* puta, *quia*, inquit, *aduocatus partis est suspectus, vt ff. de arbitr. l. non distinguemus §. quidā, & in l. proximè ff. de his, quæ in testam. delen.*

4 Sed hæc præter, ex iure Cæsareo validum elicitur argumentum, quod negatiuum nuncupamus, hunc fermè in modum: nullibi reperitur hoc fisci priuilegium, vt scilicet is præsens existat cum caussæ à iudicibus deciduntur, seu, vt vulgò loquimur, votantur: ergo tunc adesse non potest. Assumptum, seu antecedens huiusce enthymematis patet, quia nemo hùcusque illud priuilegiū in iure Cæsareo animaduerrit; vt certè eundem inuenimus priuilegio munitum, ne scilicet, eo absente, iudex de caussa inter ipsū, & priuatum cognoscat *l. fin. C. de aduocatis fisci, l. si fiscus ff. de iure fisci*. Illius vero enthymematis illatio quoq; paret, quia fiscus iure priuatorum, seu communi vtitur semper, nisi specialiter in casu quopiam priuilegio munitus reperiatur *l. quod placuit ff. de iure fisci, l. iustas C. eod. lib. 10. & post Lauden. in tract. de fisc in princ. q. 14. Peregri.*

gri de iur. fisc. lib. 4. tit. 1. n. 1. Menoch. consil. 42. nu. 9. lib. 3. affirmat *Farinac. cons. difficilis prima 183. n 3. lib. 2.* aliosque plures citat, sequiturque *Menchaca lib. 1. Cõtrou. Illust. cap. 87. num. 14.* sed præcipuè hoc eodem argumẽtandi modo, etiam quoad fiscum, vsus est *Couarr. lib. 1. variar. resol. cap. 16. num. 9.*

5 Eiusdem vero nostræ assertionis ratio efficax afferri potest, quia iudices liberè, & absque metu iudicare debẽt, vt omnes edocent, quos sequitur *Nicol. Boer. in tract. de auctorit. magn. cõs. n. 153.* quem citat, ac sectatur *Muta in pragm. tit. 2. de officio Iudicum Magnæ Regiæ Curiæ tom. 1. pragm. 8. num. 21.* alijque passim, quam ob rem litigatoribus prohibitum est adesse, cum iudices caussas decidunt, seu mauis votantnè scilicet metum ijsdẽ iudicibus incutiant: proindèque nec tunc fiscus eiusuè aduocati, ac procuratores adesse debent: hi enim loco partis, & accusatoris habentur, vt autumat *Clarus lib. 5. S. fin. pract. crim. q. 3 nu. 6.* alios secutus. quinijidem, cum perpetui sint officiales; potiori iure dicendi erunt iudicibus, quippe tẽporarijs, metum incutere, & pro libito caussas decidẽdi adimere libertatem: omniaque prorsus incommoda, quæ ex partium præsentia in re, qua de agimus, sequi Doctores edocent; ex aduocati, ac procuratoris fiscalis præsẽtia sequi quoque quisque deprehendet, qui eã accuratè considerabit: quę sanè hic ex alijs transcribere superuacaneum duxi: quãdoquidem apud illos facilè negotio consuli queunt. Atque ità breuissimè rem hanc expedire visum fuit.

6 Atque huic Regni petitioni, & alteri, superiori consilio expositæ, Rex respondit in hæc verba: *Quedo mirando lo que se podrà hazer sobre esto en su mayor beneficio, y bien publico del Reyno: y he pedido, que informe el Virrey, assi en esto, como en lo delos Procuradores fiscales.*

CONSILIVM VII.

Panormitanæ Ciuitatis officiales Visitatoribus Generalibus minimè subijciendos.

Ad

Cap. 229. Caroli V.

SVMMAE.

1 *Quilibet magistratus gesti à se muneris tenetur reddere rationem.*

Pactum est contra bonos mores, si iudex ità eligatur, vt syndicatui parere non debeat.

2 *Nostræ assertio quibus rationibus innitatur.*

3 *De eiusdem hominis adm. sso non est sæpius quærendum.*

Et idem delictum non est bis puniendũ.

Neque Deus bis iudicat in idipsum.

4 *Panormitana ciuitas hac de re priuilegiũ habet: quod à Rege Philippo III. confirmatum est.*

5 *A Fisco oppugnatur.*

Fisci rationes euertuntur.

6 *Quod fauore alicuius constituitur, aduersus eumdem interpretari non debet.*

7 *Priuilegia frustratoria esse non debent.*

Eorum verba cum effectu accipi debent.

Pro eorumdem subsistentia etiam in dubijs iudicandum.

8 *Benignior interpretatio eligenda.*

In obscuris, quod verisimilius est, inspiciendum.

9 *Interpretatio, quæ ad liberandum tendit, amplectenda.*

Beneficium latissimè interpretandum: & in gratiam illud recipientis, si verba dubia sint.

10 *Responsio Regis.*

ID denique Siculi eo temporè à Rege efflagitarunt.

1 Et quidem, etsi verissimum sit quemlibet prorsus magistratum gesti à se muneris teneri reddere rationem *l. 1.*

l. 1. *C. vt omn. iud. tam ciuil. quam criminal.* quod exemplo docuit Samuel vir Sanctissimus 1. *Reg.* 12. cum post depositum iudicis officium; quod postremus administrarat, populoque Israelis Saulem primum Regem constitutum: *conuersatus*, inquit, *coram vobis ab adolescentia mea vsque ad hanc diē, ecce praesto sum, loquimini de me coram Domino, & coram Christo eius, vtrum bouem cuiusque tulerim, aut asinum: si quempiam calumniatus sum: si oppressi aliquem: si de manu cuiusquam munus accepi, & contemnam illud hodie, & restituam vobis.* Id quod optimis rationibus, & auctoritatibus à Doctoribus fulcitur, quas apud eosdem consulere licet; praecipuè apud *Redin. de Maiest. Princip. verb. sed etiam per legitimos tramites, num.* 173. *Mastrill. lib. 6. de Magistr. cap.* 1. *Caualcan. de Brach. Reg. p.* 5. *à n.* 15. vbi *num.* 18. post alios docet, pactum esse contrà bonos mores, si Praetor, inquit, aut iudex eligeretur sub ea conditione, vt non possit, nec debeat stare, aut parere syndicatui.

2 Etsi, inquam, id verissimum sit; nihilominus indubitatum quoque censeri debet, omnem magistratum determinatum habere superiorem, cui gesti muneris rationem reddere tenetur: adeo vt, ea reddita, liber omninò maneat à reddenda alteri, cui ob hanc ipsam rationem, vel priuilegium aliquod, minimè subijciatur. Atque ità aio, Panormitanae Ciuitatis officiales Visitatoribus Generalibus, quos singulis viginti annis Rex noster destinare cōsueuit, vt monet *Mastrill. loc. cit. cap.* 2. *n.* 3. minimè subijciendos, tum ob id ipsum, quod modò innuimus, quia scilicet statim, deposito officio, quod fit singulis quibusque annis, gesti muneris rationem reddunt; tum maximè quia priuilegio muniti reperiuntur, quo ab eiusce modi Visitatorū iurisdictione eximuntur: quare, nè cōtrà ius, & iustitiam grauentur, illaesūque maneat id, quod Carolus Imperator in *cit. cap.* 229. promisit, putà se in Visitationibus generalibus neminē cōtrà ius, & iustitiam grauari permissurum; omnino dicēdum erit id, quod nos asseruimus.

3 Et sanè, quod attinet ad primum modò propositum caput, certum omnino est, non esse sępiùs quaerendum de eiusdem hominis admisso, *l. penult. §. fin. ibiq; Gloss. ff. nautae, caupones, stabularij*: & Paulus relatus in *l. Senatus ff. de accusation. Senatus*, inquit, *censuit, nè quis ob idem crimen pluribus legibus reus fieret.* ibique vberrimè explicuit *Glossa*; estque crebrior Doctorum sententia, eiusdem hominis delictum bis nequaquā debere puniri, vt pluribus in locis docuit *Bartolus*, quem laudat, ac sequitur *Bertach. in repert. verb. delictum, nu.* 8. *Iulius Clarus lib.* 5. *§. fin. pract. criminal. q.* 57 *praecipuè num.* 12. *Baiard. ead. qu. Farin. lib.* 1. *pract. & theor. crim. tit.* 1. *q.* 4. aliijque plures, & *Ianus Langlaeus in suis semestribus lib.* 5. *cap.* 2. iudicium de eadem re reddi amplius, quam semel non debere, eruditè demonstrat. Quin neque ipsemet Deus omnium Dominus *bis iudicabit*, seu *vindicabit in idipsum*, vt ex *Nabū Propheta cap.* 1. secundum Septuaginta refert *Gratiā. §. his auctoritatibus, de pœnit. dist.* 3. putàt, vt explicat *Gloss. in cap. quaeras, eod. dist. verb. dominus bis* non punit aliquem pro aliquo facto iterum, pro quo sufficienter eum semel puniuit. Atqui officiales, de quibus loquimur, singulis quibusque annis, vt superiùs innuimus, rationem reddunt annuae administrationis; ità vt Visitatoribus generalibus nihil omnino remaneat vlteriùs exquirendum.

4 Quod vero attinebat ad secundum, supermissi propositum caput, apertè constat, Ciuitatem Panormitanam ob à se praestita Regibus obsequia, inter caetera priuilegium obtinuisse, vt eius officiales Visitatoribus generalibus minimè subijcerentur; quod sanè priuilegium, quippe ex caussa onerosa, obsequiorum praestitorum concessū, sem-

semper fuit eidem ad vnguem, vt dicitur, custoditum: quoùsque *Don Ochoa de Luyãdo*, Visitator Generalis, eos nihilominus visitare voluit: etsi pœnas, ab eo in illos statutas, solui noluerit Don Franciscus de Castro tunc Prorex, & Comes Castrensis, postea Lemensium, ac denique Benedictinæ familiæ alũnus, ac Frater Augustinus de Castro nuncupatus, quoùsque hac de re Regem Philippum III. consuleret, à quo Siculi omnes in Generalibus Comitijs, quæ tunc de more habebantur, congregati petière, vt præcipere dignaretur, præfatum priuilegium obseruari: qui in hæc fermè verba respondit. *Sù Mãgestad, tiniendo consideraçion à la intercesion del Reyno, y à los meritos de sù Ciudad de Palermo, tiene por bien, que sus officiales nò sean comprehendidos en las Visitas Generales: excepto en lo, que tocare ala administraçion de la Iustiçia: reseruando Sù Magestad de poderlo haçer en todo por via de visita, quando le pareçiere conueniente.*

5 Quo sanè priuilegio vrì Ciuitas à fisco prohibetur, qui ijs verbis modo laudatis pura: *Excepto en lo, que tocare ala administraçion dela Iustiçia*, innixus vult officiales, de quibus est sermo, visitarionibus generalib⁹ omnino concludi, quippequi iustitiã proprijssimè administrant. Id quod tamen omnino falsum censeri debet: etenim solum illius Iudices, (quos *Prætorianos* appellamus, de quibus tamen hoc loci minimè loquimur; quos proindè Visitatoribus Generalibus subijci volunt Panormitani) verè iustitiam administrare perspiciuntur: quam vero cęteri administrant, ad vbertatem, & ea, quæ hanc consequuntur, paruique sunt momenti, spectat; neque vllum prorsus fundamentum excogitari potest, quo eis vllo modo iustitiæ administratio affingatur: non quidem virtute capitulorum Regni; quandoquidem ex ijs, quæ de illis loquuntur, putà ex *cap. 116. Regis Federici*, alijsq; contrarium prorsus elicitur, vt mox animaduertam: neque ex ea, quam quolibet anno illis tribuit Prorex delegatam potestarem: vtraque enim facultas, à capitulis scilicet, & à Proregibus ipsis tributa, nequaquam vlteriùs se extendit, quam ad pondera, mensurasque rerum venalium, quæ ad esum, potumque spectant, pęnasque à transgressoribus exigendas, pro quibus quoque singulis annis rationem, vt dixi, reddere tenentur.

6 Et sanè, si eiuscemodi priuilegium aliter interpretaretur: omnino frustatorium esset, ac nullius prorsus momenti: nihil enim penitus indulgeret, vt mox ostendam: quin Regis Philippi confirmatio, superiùs relata, omnino destrueret priscum illud huiusce ciuitatis priuilegium, quo eiusdem officiales ab huiuscemodi visitatorum iurisdictione eximebantur: neque iustũ, & conueniens foret, vt id, quod præfatus Rex in illius fauorem, ob eiusdẽ merita, Regnique preces, constitui voluit, aduersus eamdem interpretetur, *Reg. quod ob gratiam, de Reg. iur. in 6. l. nulla iuris ratio ff. de legib. l. quod fauore. C. eod.*

7 Certè, si quoad res modo recensitas ij officiales Visitatoribus Generalibus subijcerentur; quo sanè modo eorumdem visitarionibus minimè cõcluderentur, cum in nulla prorsus re alia iustitiam administrent, pro qua rationem reddere teneantur? quare quoad nullam penitus eo priuilegio frui possent; proindèque frustratoriũ, ac nullius prorsus momenti cẽseri deberet; nihilque penitus illis indulgerer, contra id, quod statuitur in *cap. Quoniam, de priuileg.* neque illius verba cum effectu acciperentur, contrà Vlpiani monitum, quod habetur in *l. si per alium §. docere, ibique Gloss. ff. nè quis eum, qui in ius vocat*. Et licet priuilegium illud ambiguum foret, comodissimum tamen esset ità intelligi, vt magis valeat, quã pereat, *l. quoties; l. vbi est. ff. de reb. dub. cum concord.*

T Ne-

8 Neque hoc loci omittendum putauerim, declarationem illam, putà solos Prætorianos Iudices Visitationibus Generalibus, ob relata superius verba, concludi, non verò cęteros eiusdem Ciuitatis officiales, ministrosque: hanc, inquam, declarationem humaniorem esse, benigniorem, ac verosimiliorem, quam contrariam: Etenim quis censeat, Catholicam Maiestatem, quæ sua erat humanitas, ac benignitas, illius Ciuitatis priuilegium, de quo loquimur, destruere voluisse, quo tẽpore eam fauore prosequi, ob eiusdem fidelitatem, merita, obsequiaque præstita, Regniquè preces, illudque confirmare cogitabat? Atqui humaniorem, benignioremq; interpretationem præ cæteris eligendam, passim iura decernunt: atque etiã in obscuris, quod verosimilius est, inspiciẽdum, *vulg. Reg. inspicitur de Reg. iur. in 6. cum concord.*

9 Et sanè, quamuis huiusce rei enodatio dubia foret; cum nostra interpretatio ad liberandum potiùs, quam obligandum tendat, præ cæteris seligi debet, *l. Arrianus ait ff. de action. & obligation. l. Absentem initio ff de pœnis, alijsque iuribus citatis à Gloss. in cap. veniam verb. si faciendum 35. q. 4.* cum prætertim sit beneficij; quod latissimè interpretandum est; ac etiam in illius fauorem, qui gratiam recipit, si verba dubia sint, Iason. *in l. si quis pro emptore n. 336.* loquens de fisco *ff. de vsucap.* & post alios ait *Mastrill. in cõment. ad indult. gener. an. 1600. cap. 23. nu. 15.* quarè concludendum omnino est, huius ciuitatis officiales nullo prorsus modo esse Visitatoribus Generalibus subijciendos.

10 Huic vltimæ Regni petitioni respõdit Rex hisce verbis. *Mandarè al Visitador General lo, que mas conuenga al mayor beneficio de mi Ciudad de Palermo.*

CONSILIVM VIII.

Num venditio annui reditus sit contractus censualis.

Ad

Pragm. Regis Alphonsi, & Bullam Nicolai V. & Greg. XIII. de Censibus.

§. I.

Epitome Bullarum Nicolai, & Pij V. & Greg. XIII. & Pragm. Alphonsi. de Censibus.

SVMMAE.

1 *Bulla Nicolai in compendium redacta: quaque Siculis indulget.*

2 *Eam Alphonsus cõfirmauit, vimque legis illi impertitus est.*

Quid insuper addat, statuatque Alphõsus.

3 *Bulla Pij Quinti de Censibus, & Doctores qui illam exponunt.*

Bulla Greg. XIII. Siculis indulta.

Quomodo res in census constitutione exprimenda.

1 Extat in Regni Capitulis, quæ Alphonsi Regis auctoritate in lucem prodière, Pragmatica quędam Sanctio, ab eodem Alphõso anno 1452. die verò vigesima Octobris, edita; qua quidem Rex laudauit, acceptauit, vimq; legis tribuit *Bullæ Nicolai Papæ V.* quæ est de Cẽsibus certo modo in Sicilia constituendis; incipitque *Sollicitudo Pastoralis officij*, cuius integrum exemplar laudatæ Pragmaticæ inseritur, refertutq; à *Quarãta in Bullario suo, verb. contractus censualis.* Quæ sanè, si in epitome redigatur, tria Siculis indulget. Primum quidem, vt hi possint censum constituere super certa re aliqua, vna, pluribusuè. Secũdum vt addere queant personalem, ac etiam generalem omnium prorsus, immobilium quoq; bo-

bonorum obligationem, & quascumque alias, ac foro cuilibet submissiones, nec non renunciationes, promissiones, stipulationes, pęnis, iuramētis, alijsque cautionibus vallatas, cæteraque omnia, de quibus inter ementes, & vendentes conuentum sit. Tertium denique vt venditor redimere possit quandocumque libuerit. Decernit inde, declaratque Nicolaus, Siculos, eiusdemque Regni incolas, & habitatores, ac Ciuitatum, & Terrarum Vniuersitates, modo exposito censualia liberè; licitèque contrahere, vendere, emereque posse, neq; propterea vsurariam committere prauitatem; dummodo census, seu annua pensio soluēda decimam sortis, seu recepti pretij partem neutiquam excedat; & pensiones ipsæ, seu, vt Pontifex vocat, annualitates in sortem minimè computentur; ac pro tota, integraque redēptione, præter principalem summam, nihil vltra ab emptore percipiatur, vel à venditore exhibeatur.

2 Hæc sanè omnia, vt antea dixi, Alphonsus laudauit, acceptauitque, ac etiam decreuit tanti roboris, atque auctoritatis existere, quanti ea, quę ab ipsomet, legem cōdendo, statuta sūt. Addidit insuper, ac sanciuit huiuscemodi censualium contractus, seu instrumenta, tamquam res iudicatas, nulla prouocatione suspensas, promptam, & paratam habere executionem, aliaque subdit circa eiusmodi executiones, & exceptiones, aduersus easdem opponendas, quæ ibidem consuli possunt. Sed præcipuè, dispositionibus Apostolicis inhærens, statuit res, bona, vel iura, ad præstationem censualium specialiter obligata: propter pēsiones eorum statutis terminis non solutas, vel huiusmodi rerum, iurium, vel bonorum deteriorationē, aut eorū alienationem, vel aliàs, minimè incidere in commissum, quibusuis pactionibus in contrarium initis, etiam pęna, aut iuramento firmatis, non obsistentibus vllo modo. Hanc sanè Pontificis Bullam, ac pragmaticam Regis sanctionem doctè, accuratèque explicauère plures Siculi Iurisconsulti, infra sæpius allegandi, qui vnico volumine conclusi circumferuntur, atque etiam *Petr. Foll. in praxi censuali*; ità vt nihil penè desit, quod desiderari queat, quod spectat ad rectum earūdem intellectum, si illud excipias, de quo hoc loci agere instituimus.

3 Sed quamuis ea, quæ præfata Bulla, ac pragmatica sanctione decreta sunt, centum, ac sexdecim fermè annis obseruata fuerint; nihilominus, cum *Pius V.* Pontifex æquè optimus, ac maximus *29. die Ianuarij anno 1569.* Bullam super censuum constitutionibus edidisset (quā vberrimè explicāt, præter cæteros, *Nauarr. in Ench. cap. 17. à n. 234. Less. lib. 2. de iust. cap. 22. dub. 12. & seq. Molin. de contract. disp. 380. & seq. alijque apud ipsos, & Quarant. loco cit.*) eamque Siculi debita cum reuerentia suscepissent, atque executioni demandare, tāquam obedientiæ filij, decreuissent; & experientia compertum sit, eam non sine maxima illius Regni perturbatione, & damno obseruari potuisse; à *Gregorio Papa XIII.* efflagitarunt, vt illorum indemnitati prospicere dignaretur; qui in Bulla, quæ incipit, *Quæ à Romanis Pontificibus*, referturq; à *Quarant. loc. cit.* iisdem, alijsque Sicilæ incolis, & habitatoribus, & locorum, ciuitatum, & Terrarum vniuersitatibus præsentibus, & futuris, indulsit, vt cēsus iuxtà Nicolai Papæ V. constitutionem facere, emere, & vendere licitè possent, ac si literæ Pij Papæ V. non emanassent. Addit verò, iubetque Gregorius, vt in censuum emptione, & venditione in futurum celebrādis, priùs vnius, vel plurium rerum certarum, super qua, quibusuè census ipse constituatur expressio; & deindè, si voluerint, omnium bonorum in genere mentio fiat. Præcipit denique vt Bulla Nicolai seruetur, ac præsertim, vt redimēdi facultas nō restringatur.

§. II.

Ostenditur plurimorum auctoritate, venditionem annui reditus esse contractum censualem.

SVMMAE.

4 *Annui reditus venditio contractus est censualis.*
Idem est vendere reditum, & ius ad illum percipiendum.
5 *Probatur id plurimorum auctoritate.*
Videtur hæc quæstio de nomine.
6 *Doctores passim hæc nomina confundũt,* *puta* censum, & reditum.
Quid sit census.
7 *Census sunt annui reditus.*
8 *Quid sit census consignatiuus.*
Emptor census non emit, nisi rei fructus.
9 *Innocentij opinio, volentis illicitum esse contractum censualem, improbatur; eiusque ratio n. 10. diluitur.*
10 *Bona vel sunt mobilia, vel immobilia, vel ius in vtrisque.*
11 *Idem est dicere, constitui censum super bonis, atque in bonis.*
12 *Doctores his vocibus promiscuè vtũtur.*
13 *Annui reditus bona immobilia censentur: & vnde id probetur.*
14 *In contractu census datur merx à pretio distincta.*
Iura quibus ostenditur licitè constitui censum.
Minorum curatores reditus ijs emere monentur.
15 *In censibus Bullaribus Siciliæ reditus emuntur.*
16 *Census formaliter est pecuniæ emptio, secundum quorumdam opinionem.*
17 *Census, & annuus reditus idem est apud Pium V. & Calix. III.*

4 Atque ea quidem omnia, quæ §. *anteced.* retulimus, plana, & à pluribus explicata sunt: Sed pluribus ab hinc annis in supremo Italiæ Senatu occasione litis, diu agitatæ inter Vniuersitatẽ Turtureti, ac illius Marchionem Illustriss. D. D. Garsiam Mastrillum, in qua equidem Dom. Marchionem defendebam, à quodam è iudicibus doctissimo viro dubitatum fuit, an venditio, seu emptio annui reditus contractus sit, censerique debeat censualis, saltem in Siculo Regno, vbi, vt prædiximus, virtute Bullæ Nicolai census constituitur; quam ob caussam eos Siculi *Bullares census* appellant. Asserebam ego, quã plurimorum auctoritati, ac rationibus innixus: negabat ille, motus præcipuè doctrina *Ioannis Aloysij de Septima in annot. ad eamdem Bull. & Prag. n. 2. & 3.* puta quia aliud est vendere annuũ reditum, aliud vero vendere ius ad illum percipiendum; atque hoc secundum esse censualem contractum, non verò primum. Sed id non rectè asseri doctissimorum virorum auctoritate, ac rationibus ostendi.

5 Et quidem, quod attinet ad Doctorum auctoritatem, *Gregorius de Valentia in 2. 2. S. Thomæ disp. 5. quæst. 2. pun. 5.* sequutus *Dominic. Sotum* ità loquitur: *Deinde dato quod ipsæ pensiones etiam emantur (videtur enim de hoc esse solum quæstio de nomine, vt rectè Sotus notat lib. 6. de iust. q. 5. art. 2. cum de re inter omnes conueniat, nempè censualistam, dum cẽsum emit, ideo pretium dare, vt habeat ius ad pensiones illas, siue vt iure possit pensiones illas recipere, quod omnes fatentur) tamen adhuc erit verum, &c.*

6 Atque hinc sanè oritur, quòd omnes prorsus Doctores, qui de censibus agunt, hæc nomina confundant, puta censum, & annuũ, seu menstruum reditum, & quandoque vocant censualem contractum, emptionem, ac venditionem census; quandoque vero annui, seu menstrui reditus emptionem, seu venditionem, ità vt dicatur omnino rectè, quando reditus venduntur, ius ad illos exigendos vendi; & quando hoc ipsum ius venditur, vendi reditus dicantur: quamuis enim formaliter,

liter,ac metaphysicè, vt Philosophi loquuntur, census nihil sit aliud, quā ius quoddam reditum, seu pensionem quampiam ex alterius re percipiendi; nihilominus re ipsa idem prorsus censeri debet annuum, seu menstruum emere reditum, ac ius eumdem reditum percipiendi, vt benè animaduertit *Molina tom.2.de iust.tract.2. disp. 383.n.3.* proindè Doctores passim non formalem hanc, seu metaphysicam distinctionem, sed ipsam rei veritatē attēdentes, indiscriminatim hisce vocibus vtuntur,ac præcipuè Canonum interpretes in *cap. in ciuitate, de vsuris*,vbi annui,& menstrui reditus, seu census emptionem, esse licitam ostendunt.

7 Item *Couarr.lib.3.variar. resol.cap. 7.*initio:*Annui*,inquit, *reditus, qui pecunia soluendi frequenter constituutur, vulgò* census *appellari solent; idq; adeo receptum est,vt nō inutile sit, &c.* & infrà quærit, an hi annui reditus licitè emi possint,additque:*Nam & hos census, annuos reditus dici propriè apparet ex textu in Clement.exiui. §. cumq; annui reditus de ver.signif.& ibi Card. tradit latè Andr.Tiraq.lib.1.de retrac. §.1. Glos.6. in princ.* Tum idem *Didacus* in toto de censibus discursu, passim censum ipsum, reditus annui emptionem appellat.

8 *Parlador.rer.quot.lib.1.cap.3.§.1. n.1.Titius*,inquit, *super bonis suis censum,seu annuos reditus Seio vendidit, &c.* eodemque modo promiscuè hisce vocibus vtitur *§.8. & tot.eod.cap.3. Felician.de censibus in proœmij fine: appellari*,inquit, *propriè annuos reditus* census *ex eo constat, &c. Toletus lib.5. instruct.Sacerd.cap.43.nu.1.*de censu consignatiuo, vt is est, de quo disputamus, loquens:*est*, ait, *cum quis,retento dominio rei suæ, partem aliquā fructus in alterum transfert;& tales census moda in vsu sunt*. Eodem ferè modo censum hunc consignatiuum alij describunt, vt *Felician.lib. 1. de censib. cap. 4.n.15.* Erit igitur in eorum sententia census,cuiusdam partis fructuum in alterum translatio: idemque putant omnino esse fructuū partem in cēsualistam transferri, ac ius illam percipiendi:atque id ipsum de reditu censēt, cum is inter rei fructus computetur. Atque ipsemet *Toletus* in tota de cēsibus ratiocinatione, cēsum ipsum ius percipiendi partem fructuum vocat, aitque in *cap.47.n.2.* emptorem census non emere, nisi fructus: id quod etiam alij affirmant apud laudatum *Felicianum n.7.*

9 *Syluester verb.vsura 2.nu. 12.Duodecimo*,inquit,*quæritur,vtrum licitum sit emere annuum reditum, maximè nouiter institutum: & dico multa. Primū exēplum huius quæstionis est, si Titius indigens pecunia Mæuio vendat quinquaginta florenos auri annui reditus super fundo, B. vel super omnibus bonis suis,obligans omnia bona sua, & fiat cōtractus pretio competente: &c.* Refert deindè *Innocentij* opinionem *in cap.in Ciuitate.de vsuris*, vbi hunc contractū esse illicitum autumat, si reditus de nouo constituatur, ea motus ratione, quòd ibi merx, siue res vendita minimè reperitur.

10 At *Syluester*,alios sequutus,esse licitum affirmat:*Quia*,inquit,*cum habeamus tria bona,scilicet mobilia,& immobilia,& ius in vtrisque,hoc tertium est, quod hic venditur*. Igitur quando annui reditus venduntur, iuxtà *Syluestri* sententiam, nihil aliud venditur, nisi ius illud, quod venditor super rebus, vel in rebus habet,ex quibus reditus percipiuntur. Tum subdit idem auctor: *Vnde falsum assumit Innocentius in sua ratione,quod ibi non sit res vendita, quia est vtique, scilicet certus reditus, seu ius exigendi certum reditum:* & infrà:*& ità*, ait, *videtur mihi res clara, quia non video differentiam inter affictum antiquum, & nouum quoad hoc: tum quia non directè, & immediatè emitur affictus siue reditus,sed ius exigendi,& percipiendi illum: tum quia, si affictus antiquus, quem secundum omnes*

nes emere licet, fuit licitè institutus; quare non potest etiam nunc alius institui, & vendi?. &c. Et tamen in contractu, de quo loquitur *Syluester*, cuius posuit exemplum, nonnisi annui reditus emi dicuntur.

11 Ex cuius sanè doctrina, quæ proculdubio est magnifacienda, euidenter constat, venditionem redituum annuorum, nihil aliud esse, quam iuris ad illos percipiendos, proindeque census venditionem. Animaduertẽdum est quoque, *Syluestrum* indiscriminatim, & promiscuè vti vocibus *super*, & *in*: nimirum idem est dicere cẽsum constitui *super* bonis, & *in* bonis: id quod ob ea monuerim, quæ inferiùs afferentur.

12 Integram *Syluestri* doctrinam refert, ac sequitur *Greg. Lopez in l. 28. tit. 8. part. 5. verb. A censo*, vbi ijs vocibus *census*, & *annui reditus*, ijsquè dictionibus *super*, & *in*, promiscuè pro eodem vtitur: qui tamen ibidem censum personalem videtur improbare; licet de reliquo bonorum hypotheca ei etiam accederet. Atque ità quoq; absque discrimine ijsdem vtitur *Io. Guttier. lib. 2. pract. ad l. 6. tit. 5. lib. 5. recop.* præsertim *q. 172. & 177. & cõs. 47. & cons. 49.* alibique passim.

13 *Sotus de iust. & iure lib. 6. q. 5. ar. 1.* censum licitè vendi probat: *quia annui reditus*, inquit, *in bonis immobilibus iure censentur, vt patet Clement. Exiui, de verb. signif. §. cumque annui: bona autem immobilia vendi, emique iustè possunt.* Ac si diceret hic auctor, cum vẽditur census, annui reditus venduntur, qui inter immobilia numerantur. Eodemque planè modo *Valentia* ratiocinatur *loc. cit. punt. 1. vers. nam vt ex dictis: Lessius lib. 2. de iust. cap. 22. dub. 12. n. 77.* omnesque cęteri Doctores ex hac eadem *Clementina*, censum quid esse immobile ostẽdunt: id quod minimè concluderet, nisi census ipse annuus reditus foret: respondere enim quispiam posset, verum quidem esse annuum reditum inter immobilia numerari; non verò ius illum percipiendi.

14 Et iterum Sotus: *Alter census*, ait, *est consignatiuus, vt dum quis, retentis suis bonis, eorumque vsu, consignat alteri certam pensionem, quam obligatur singulis mensibus, aut annis soluere.* Rursus. *nam*, inquit, *cum quisque liber homo bona sua diuendere possit; planè fit consequens, vt possit quoque vendere eorum fructus, vel eorum partem, obligando se, vel quotam eorum, vel certam partem soluere; ità vt alteri ius vendat exigendi à se eosdem fructus.* Et infrà, sequutus Syluestrum: *Fallitur*, inquit, *contraria opinio non dignoscens hic mercem à pretio distinctam: nam, sicuti dũ emuntur reditus antea constituti, emitur ius illud; ità & dum nunc constituitur, &c.* Tum demum ostendit, licitè constitui censum ex *§. Quoniam autẽ, in auth. vt ij, qui obligatas se hab.* vbi minorum curatores reditus illis emere annuos admonentur: quia scilicet idem prorsus est constituere censum, ac reditus emere. *Molina disp. 383. & seqq.* passim hæc omnia pro eodem accipit, pensionem, censum, reditum, ius reditum percipiendi: atque id ipsum apud alios animaduertere licet.

15 Neque vero desunt Siculi Doctores, illud ipsum profitentes: præcipuè *Milanen. decis. 1. n. 55. lib. 2.* contractũ Bullarem; puta qui in Sicilia virtute Bullæ Nicolai celebratur, contractũ subiugatorium vocat, & redituum vẽditionem. Et *Mastrill. in addit. ad q. 5. Petr. de Greg. de censibus ver. fructus lit. H. & ratio est*, inquit, *vltrà adducta hic per auctorem, quia fructus rei, super qua constitutus est census, emi dicitur, seu eius æstimatio, vt tradunt Io. de Lignan. & alij, quos allegat Gregor. Lopez, &c.* Vbi animaduertẽdum est, in censibus quoque Bullaribus, qui in Sicilia fundantur, de quibus proculdubio *Milanen. & Mastrill.* loquũtur, fructus emi, redituſuè rerum, super quibus constituuntur, aut eorũdem æstimationem, atque alia similia

passim

passim apud Doctores etiam Siculos reperiuntur, vt inferiùs quoque ostẽdemus.

16 Ex quibus sanè constat, apud auctores omnes venditionem annuorũ redituum, census esse venditionem: atque ità hæc ipsa duo vt plurimum apud eosdem ità confundi, vt vnũ pro alio sæpiùs accipiatur. Quin sunt, qui putent, teste *Less. de iust. lib. 2. cap. 22. dub. 1. n. 2.* censum formaliter esse pecuniæ emptionem, aut fructuum aliquot annuorumque quamobrem Doctores communiter, cum de cẽsibus agũt, ea inscriptione, puta, *De censibus, seu de annuis reditibus*, vt idẽ *Lessius*, alijque plures vtuntur, ad euitandam hanc nominis æquiuocationem, cum de re ipsa penitus constet.

17 Imo ipsemet *Pius V. in Bulla* superiùs allegata de censibus, quæ incipit, *Cum onus: statuimus*, inquit, *censum, seu annuum reditum creari, constituiue, &c.* Et *Calixtus Papa III. in extrauag. 2. de empt. & vendit.* duas hasce voces hanc ipsam ob causam sæpiùs coniungit, vt ibi *annuos reditus, seu cẽsus emerint: solutione redituum, & censuum: reditus, & census: huiusmodi emptis censibus, & reditibus.* Itaque cum census aliqua in re fundatur, nihil prorsus aliud, nisi annuus reditus in eadem, siue super eadem constituitur: & contrà: cumque annuus reditus emitur, nihil omnino aliud, nisi censum emi cẽsendum est; & è contrario.

§. III.

Ostenditur rationibus, venditionem annui reditus esse contractum censualem.

SVMMAE.

18 *Cum annuus reditus venditur, ius illum percipiẽdi venditur.*

19 *Idem censendum cum reditus antea constitutus emitur.*

20 *In contractibus rei veritas potius, quã scriptura perspicitur.*

Verba potius naturæ contractus, quam natura verbi seruire debet.

21 *Prima ratio doctrinæ positæ, & absurdum, quod sequeretur ex contraria opinione.*

Parata esse non debet via leges eludẽdi.

22 *Secunda ratio, & aliud absurdum, quod ex contraria sententia sequeretur.*

Pecunia vendi non potest, quia ipsa est aliarum rerum mensura.

Pecunia absens, ac periculis exposita vendi potest.

23 *Quid in contractu censuali mercis loco censeatur.*

Iura, & actiones venduntur.

24 *Tertia ratio.*

Annui reditus inter immobilia computantur.

25 *Quarta ratio.*

Nec emptio, nec venditio sine re, quæ veneat, intelligi potest.

26 *Cum res futuræ emuntur, quid propriè ematur.*

Quando hic contractus perficiatur.

27 *Spes quãdoque emitur, putà cum res incerta futura emitur.*

28 *Quinta ratio.*

29 *Sexta ratio.*

30 *Pragmatica Philippi Quarti de census constitutione.*

31 *Quid sit census.*

Idem est valor reditus, ac iuris illum percipiendi.

18 MOuentur vero vt plurimum laudati Doctores, ac præsertim *Syluester, Sotus*, alijque, ad id afferendum, quia nimirum, quando annuus reditus venditur, immediatè nil aliud vendi intelligitur, nisi ius illum percipiendi, & mediatè ipsummet annuum reditum; quoniã vero hæc ipsa duo ità sunt coniuncta, atque connexa, vt vnum sine altero nunquam prorsus esse, neque intelligi possit, ideo sæpè à Doctoribus confunduntur, vt hùcusque exposuimus, & infrà ostendetur.

19 Atque id etiam verum censeri debet in emptione reditus iam antea cõsti-

stituti: dum enim is emitur, nihil aliud emi, nisi ius ad illum percipiendum, *Sotus* suprà allegatus apertè docuit; cumque censum emit cẽsualista, ideo dat pretium, vt ius ad pensiones illas obtineat, siue vt iure illas recipere queat, vt *Valentia* supra laudatus monuit. Sed hac de re vide *Felician. de censib. lib. 2. cap. 1. n. 43. Gaspar. Roderic. de annuis reditib. lib. 1. q. 8.* qui vtriusque partis rationes benè perpẽdũt. Et primus quidem *vers. quarto*, secundus *n. 6.* post *Olanum in concord. Antinom. iur. lit. A. n. 118.* & *Guttier. pract. quæst. lib. 2. q. 173.* monet, Regem nostrum Catholicum, eiusque Regium Senatum hos contractus hìc in Hispania tolerare, vt scilicet minori, quam statuto censuum pretio fiant. id quod hodiè quoque passim in hisce Castellæ Regnis obseruari animaduertimus *Vide Nauarr. de vsuris nu. 112.* aliosque apud *Felician. & Roderic.* neque enim id ad rem nostram pertinet, quide reditu nouiter constituto disputamus.

20 Itaque secundùm communem Doctorum hùcusq; expositam doctrinã, ac ipsius rei veritatem, quam mox rationibus ostendemus, semper censualis erit contractus, siue reditus emantur, siue ius illos percipiendi: neque ipsa contractus natura ex illa formali, ac prorsus metaphysica distinctione; sed ex ipsa rei veritate, ipsaque, vt ita loquar, realitate colligenda erit: in cõtractibus enim rei veritas potius, quã scriptura perspici debet *l. 1. C. plus valere, quod agitur*, potiùsque verba cõtractus naturæ, quam natura verbis deseruire debent *l. sed et si possessori §. item si ff. de iureiuran.*

21 Et quidem, vt ad rationes tandem accedamus, si huic interpretationi, ac metaphysicæ distinctioni daretur locus; omnino corruerẽt tot Pontificum decreta de censibus edita: vnusquisq; enim assereret, se annuum, vel menstruum vendere reditum, non vero ius illum percipiendi; ac proindè se minimè Pontificum constitutionibus obstringi: eodemq; prorsus modo quisque sese tueretur, ac muniret contrà pragmaticas de cẽsibus, Regia auctoritate editas sanctiones: atque hinc semper parata foret via, quandocumque libuisset, eadem decreta, & constitutiones penitus eludendi: id quod fieri minimè debet, vt aptè ostendit *Tiraq. in l. si vnquam verb. susceperit liberos n. 3. C. de reuoc. donat. ex l. nec ei §. 1. ff. de adopt. & n. 56. ex l. fideicommissum ff. de condit. & demonst.* quæ quidem esse poterit prima ratio doctrinæ, quam profitemur.

22 Secundò autem probatur eadem doctrina, quia, si ipsimet reditus venderentur, nõ vero ius eorũdẽ percipiẽdorũ, pecunia pecuniã vẽderetur, proindeque feneratitius foret eiuscemodi contractus: vt enim rectè edocent omnes post *Aristotelem*, pecunia vendi minimè potest, cũ ipsa sit pretium, aliarumque rerum mensura. Neque hic occurras, vendi licitè posse absentem pecuniam, ac periculis expositã, vt probant Doctores, quorum aliquos allegat, sequiturque *Lessius lib. 2. de iust. cap. 23. dub. 4.* Aio enim, reditum, de quo loquimur, nullis prorsus periculis subesse; sed esse omnino certum: ea enim omnia, ac fortuiti casus ad venditores pertinere solent ex pacto, quod in hisce contractibus venditionum redituum apponere Siculi consuescunt: proindè emptores certum omnino reditum emunt, certique penitus sunt, se eiusmodi reditum percepturos.

23 Atque ità Doctores omnes diluũt *Innocentij* rationem, non agnoscentis in contractu census mercem à pretio distinctam: aiũt enim in redituum vẽditione nonnisi ius eosdem percipiendi propriè, atque veluti immediatè vendi, quod mercis loco sese habet in censuali contractu: qua de rè consuli potest *Molin. tõ. 2. de iust. tract. 1. disp. 385. præcipuè in resp. ad 3. arg. Valen. 2. 2. disp. 5. qu. 22. punt. 5. vers. ex hac do-*

doctrina sequitur primo: Syluest. verb. vsura 2. nu. 12. alijque passim. Quod quidem ius in vendente reperitur ante venditionem; postea verò in emẽtem trãsfertur; qui propriè illud emit, non verò pecuniam ipsam, cum maximè hæc duo differre censeantur: passim enim vendimus iura, & actiones, quas pecuniarias vocamus; nec tamẽ pecuniam ipsam vendi cẽsendum est: id quod præsertim licet animaduertere, cum ius quodpiam venditur litigiosum, licet de reliquo pensio, seu pecunia illa annuatim, vel aliter soluenda, illius iuris emendi ratio cẽseatur: quemadmodum fructus, quos ager feret, sunt ratio emendi ipsum agrũ; non tamen ipsosmet fructus emi propriè existimamus.

24 Tertiò probatur illa sententia, quia annui reditus, qui venduntur, inter immobilia computantur; non quod ipsæ res, quæ soluuntur, sint immobiles, cum eæ omnino mobiles sint, vt est ipsa pecunia: sed quia ipsum ius illos exigẽdi inter immobilia computatur: *Clement. Exiui §. cumque annui reditus, de verb. signif.* atque adeo annui reditus nomine ius ad illum exigendum intelligi debet, vt etiam optimè annotat *Molin. cit. n. 14.*

25 Quartò probatur ex *l. nec emptio ff. de contrah. empt.* vbi dicitur, quod nec emptio, nec venditio sine re, quæ veneat, intelligi potest. Atqui in casu, de quo loquimur, nisi ius ad reditus percipiendos vendatur, nequaquam concipi potest, quænam sit res, quæ veneat: neque enim vendi ipsi reditus possunt, qui minimè existunt.

26 Quod si dicas, eadem lege vendi, emiuè fructus posse, partusque futuros, vt cum editus est partus, iã tunc, cum contractum esset negotium, venditio facta intelligatur: si, inquam, id dicas; respondeo id esse quidem verum; at eiusmodi contractus condirionales censendi sunt, puta, si nascantur, vt ex *Glossa ibid. verb. emuntur*, annotãt Doctores: quarè tũc perfectus non est contractus; sed tunc demum perfici intelligitur, cum fructus, & partus editi sunt; rumque datur res, quæ venit, licet retrotrahatur, vt animaduertit eadem *Gloss. verb. intelligitur*: atqui contractus, de quo disputamus, non est conditionalis: certi enim reditus venduntur, qui minimè sunt in spe, vt sunt partus; fructusque futuri; sed omnino certum est, emptorem eos tandem præfinito tempore percepturum. Neque vero dici poterit, eni propriè reditum illum, qui actu est soluendus: nam ille, cum actu soluitur, vendibilis non est, (vti tamẽ sunt fructus, partusque, cum actu existunt) cum nihil sit aliud, quam pecunia numerata, quæ absque vsuraria prauitate alia pecunia emi nullo pacto potest, vt superiùs etiam ostensũ est.

27 Quod si iterum dicas *ead. l. nec emptio*, emi etiam iactum retis, seu captũ piscium, vel auium, vel missilium; & tamen nulla res hic, quæ veneat, reperitur. Respondeo eiusmodi contractibus nihil emi aliud, nisi spẽ: ideoq; à Pomponio iurisconsulto vocari spei emptionem: id quod nequaquam euenit in casu, de quo est sermo, cum omnino certum sit id, quod emitur, vt sæpè monuimus. Quin ex hoc ipsõ plurimum roboratur id, quod nos intendimus: nam, quemadmodum cum res incerta futura vẽditur, nihil aliud censetur vendi, nisi ius quoddam incertum ad illam percipiendam, puta spes, quam dominus habet; ità, cum res certa futura venit, nihil prorsus aliud putandnm est vendi, nisi certũ ius illud, quod dominus habet ad eãdem illam percipiendam.

28 Probatur quintò, quia mirum omnino videtur, quod nullus penitus Doctorum, etiam Siculorum, sermonem instituerit de hoc venditionis redituum contractu: cum tamen peculiares possent habere difficultates: sed omnes prorsus eumdem cum censuali confuderint: id non aliam ob causam

V sit

factum putauerim, nisi quia vterque contractus vnus, & idem censeri debeat.

29 Probatur sextò, quia reditus inter fructus rei computantur: at hi propriè non venduntur cum census venit: vsu enim, & vsufructu concludũtur; quos post redituum quoque venditionem venditores obtinent: propriè itaque vendi dicetur ius illos percipiendi.

30 Illud sanè hoc loci minimè prætermiserim obiter animaduertere, puta, quod si gratis omnino daretur, annuorum redituum venditionem contractum nequaquam esse censualem, ipsã nihilominus, saltem implicitè, & veluti indirectè quoad pretium, Nicolai Pontificis bulla comprehendi, ac pragmatica quoque sanctione 15. *Ianuarij ann.* 1623. de census constitutione à Philippo Rege Quarto, nunc feliciter regnante, edita, quæ statuit censum fundari minimè posse, nisi ad rationem, vt dicitur, de quinque pro centenario; in eaque iustum tum reditus annui, tum iuris ipsum percipiẽdi pretium decerni.

31 Et quidem iustũ huiusce iuris pretium in ea statui, nemo negare potest, cum expressim de cẽsus pretio loquatur, qui secundum crebriorem auctorum sententiam, si formaliter, ac veluti metaphysicè loquamur, nihil est aliud, quam ius cujuspiam ex re aliena percipiendi. Quod autem indirectè quoque reditus annui pretium ibidem statuatur, patet, quia iuris percipiendi reditum idem omnino est valor, qui est ipsius reditus, nec maior, minorue esse vllo modo poterit, vt monet *Sotus lib.6.de Iust.qu.5.art. 1.in resp.ad arg.* aliique passim, quod si apertè ibi decernitur iustum iuris percipiendi pretium; putà quinque pro centenario; concedendum omnino erit, idem esse annuæ pẽsionis pretium, seu reditus soluendi, cum non pluris, nec minoris æstimetur ius illã percipiendi, quam ipsa pensio, seu reditus, qui solui debet. Ex quibus sanè sequitur, eodem prorsus pretio emi debere reditum ipsum, ac ius illum percipiendi, proindeque reditus venditionem, etsi vltrò daretur non esse censualem contractum; saltem quoad pretium indirectè, atque implicitè præfata pragmatica comprehendi, quod, vt innui, obiter admonuerim.

§. IV.

Doctrina Ioãnis Aloysij de Septimo contra nostram improbatur.

SVMMAE.

32 D*Octrina* Io. Aloysij *de Septimo contra nostram.*

33 *Improbatur*, & num. seqq. *refertur ad verbum* n. 17.

34 *Eius rationes soluuntur*, & num. seqq.

35 L.fin. C.de rer.permut. *explicatur.*
Cap.ad nostram, de reb. eccl. non ali. *exponitur.*
Annona ciuiles inter immobilia computantur.

36 *Aloysij doctrinam Milanensi tribuit Ludouico Montalto.*

37 *Vlterius hæc doctrina explicatur.*

38 *& iterum improbatur.*

39 *Quid sit census consignatiuus.*
Quid census responde at in re, in rei domino, & in pensione.

32 SEd contrà doctrinam hucusque traditam sentire videtur *Ioannes Aloysius de Septimo loco cit. n.*4. in ea verò maximè innititur ratione; *quia scilicet*, vt ipse loquitur, *cum ista* (puta annui reditus, ac similia) *immobilia reputentur, & perpetuò videantur constitui, & maximè, quia est ibi ius reale constitutum, isti annui reditus dicuntur, &c. de isto contractu* (scilicet horum redituum emptione) *non loquitur Bulla* (puta Nicolai) *quoniam licitus est contractus quomodocumque iuxta l. iubemus C. de sacros. eccles. cũ Gloss. verb. annuos*: (fortè verb. annonas; nã ver-

verbum *Annuus* in *cit. leg.* non reperitur) *l. fin. C. de rer. permut. & tex. in cap. ad nostram, de reb. eccles. non alienand.*

33 Sed minimè recedendum à doctrina, tot, tantisque auctoribus prorsus communi, ob hanc vnius, etsi de cætero doctissimi viri, peculiarem: cum præsertim eiusdem fundamentum minimè firmum videatur: supponit enim, aut certè inuoluit doctrinam omnino falsam; puta censum inter immobilia neutiquam numerandum, & ius non esse reale, & annuum reditũ minimè nuncupandum: quæ sanè omnia inferiùs falsa esse demõstrabimus.

34 Quod verò spectat ad illud, quod addit, Bullam Nicolai de huiuscemodi contractu nequaquam loqui, ea ratione, quòd sit licitus: neque videtur vrgere: non enim Bulla de contractibus loquitur illicitis, seu de ijs, qui illiciti extiterant, ac literarum Apostolicarum virtute, seu Pontificis indulgentia liciti fiunt; sed de ijs loquitur, qui ipsomet iure sunt, erantque liciti, vt omnes Siculi Doctores ostẽdunt: idemque auctor allegatus à *nu. 22. vsque ad 25.*

35 Neque vero iura ab ipso laudata ci vllo modo suffragantur; quia de annui reditus emptione minimè loquuntur: etenim primùm *l. iubemus*, de ciuilibus annonis agit, quarum alienatio ibidem prohibetur, additque *Glossa*, eas inter immobilia computari. Deindè *d. l. fin.* vel de censu reseruatiuo loquitur, vt animaduertit *Sot. lib. 6. de iust. q. 5. art. 1.* vel de alio simili contractu, vt cum res ea lege donantur, vt quid menstruum; vel annuum præstetur; nõ verò agit de censu consignatiuo, de quo nos, illeque auctor disputamus. Denique *cap. ad nostram*, loquitur de concessione in feudum cuiusdam Villæ ea conditione, quod laicus, cui cõcedebatur, octoginta libras persolueret: id quod neque fuit redituum vẽditio; sed totius Villæ concessio. Quibus apertè constat, hæc iura minimè probare, ut ipso licitas esse redituum venditiones.

36 Sed quoniam hic idem auctor alia addit, quæ omnino hìc ad maiorem nostræ sentẽtiæ corroborationem sũt discutienda, & codex rarus est; ideo eiusdem doctrinam hoc loci ijsdem prorsus verbis transcribẽdam censuimus. *n.* igitur 3. *& seq.* hæc habet. *Secundus casus est, quando quis, recepta pecunia, constituit annuum censum iuris percipiendi super rebus proprijs; quod non habet aliquam realitatem, sed constitutionem personalem: & de isto contractu loquitur Bulla præsens. Aliud est alienare, aliud supponere, vt notat. in rub. de reb. eorum. item quia vult venditionem fieri super rebus, proprietatibus, & facultatibus venditoris, dictus census non est constitutum ius reale, sed hypotheca, & obligationis personalis super bonis subiugatis transfertur: istud importat natura istius verbi Bullæ, quo vtimur, prout declarat Bart. in l. codicillis §. instituto ff. de leg. 2. Iason. in l. fũdi ff. de an. lega. vbi allegat dict. Rub. sequitur Rom. cons. 388. in primo. hoc demonstro: nam quando constituitur aliquod ius percipiendi in prædio, prout requirit Bulla, tale ius non importat, nec seruitutem, nec aliquam realitatem, nisi obligationem personalem ad illud præstandum, quæ afficit promittentem: ità principaliter in terminis nostris declarat Alex. cons. 18. vol. 5. & pro hoc etiam, quod notat Paul. in l. pater puellæ circa medium C. de inoff. testam. vbi vult quod aliud est vendere rem, ex qua fructus percipiuntur; aliud est vendere ius, ex quo reditus percipiuntur: quia diuerso modo æstimati censentur; & sic cum sit venditum ius percipiendi, & nõ res, nullum aliud ius, quam personalis obligationis transfertur. istam opinionem tenet Bald. cuius doctrina est multũ in terminis nostris in cap. quæ in Ecclesiarum, de constit. col. 4. vers. quæro num quid feudatarius, vbi vult, quod ipse annuus reditus non sit constitutus respectu fundi subiugati, sed corporis fructuũ*

pradictum omnibus annis, allegat, quæ habentur in d §. instituto pro quo adduco tex. notab. in l. defuncta §. *Sempronio ff. de vsufr. vbi legatum ex redacto fructuum oleris non cōtinet vsumfructum, sed solum quod redactum est ex fructibus continetur, vt ex Gloss. notab. in l. si quis ita ff. de vsufru.* Hucusque Ioannes Aloysius de Septimo allegatus: quamuis hanc ipsam totidem verbis doctrinam *Milanen. in decis. 7. lib. 2. n. 41.* tribuat *Ludouico Montalto.*

37 Ex cuius quidem discursu, cuiuscūque tandem sit, videtur is in ea esse sententia, vt velit, virtute huiusce bullæ duplicem iniri cōtractum: primum sanè merè censualem, atq; ex hoc nōnisi obligationem purè personalem, nullamque prorsus realem; præcisè ex vi illius, ennasci: alterum vero contractum esse hypothecæ, qui est veluti subsidiarius censualis; adhibetur enim ad illius securitatem, quò scilicet annua pensio semper exigi possit, eo etiam euentu, quo persona obligata non solueret. Atque ex hac quidem sententia id viro illi doctissimo videbatur inferri, putà census Bullares Siculos esse merè personales, atq; adeo in ijs locum minimè obtinere doctrinam superius expositam, quæ solū in censibus realibus locum habet. Sed vtrumque falsum ostendimus.

38 Et sanè *Septimi* doctrinam esse satis infirmam, eiusque rationes minimè concludentes, videtur manifestum: etenim quod attinet ad id, quod hic auctor asserit, hoc (quādo scilicet quis recepta pecunia super rebus proprijs annuum censum constituit iuris percipiendi) non habere aliquam, vt ipse loquitur, realitatem, sed constitutionem tantum personalem, seu, vt ipsemet sese explicat *n. 7.* aliquod ius in re non transferri, sed tātum ius obligationis, & obligatio ad soluendum censum annuum; ac de hoc contractu Bullam Nicolai loqui.

39 Id, inquā, videtur omnino falsum: quia census, qui ità constituitur, vt ipse vult, apertè est census, quem omnes planè Doctores vocant consignatiuum realem, quem ità passim definiunt, seu describunt; quando quis super bonis suis alteri ius pensionis annuæ consignat, vt apud omnes prorsus Doctores, qui de censibus tractāt, animaduertere licet, ac præcipuè apud *Less. loc. cit. dub. 2. nu. 5. & 6.* vbi huic eidem censui affirmat respondere primò in re ipsa realem obligationem, quæ rem perpetuò comitatur, etiamsi alteri vendatur, tamquā onus quoddam, seu grauamen illi annexum, donec legitimè redimatur. Secūdò obligationem personalem in eo, cuius illa res est. Tertiò relationem debiti in pensione: eamdemque doctrinam tradiderat *Molina loc. cit. disp. 383. n. 3.* passimque alij plures.

§. V.

Ostenditur contra *Septimum*, auctoritate plurimorum, Bullam Nicolai V. loqui de censu consignatiuo reali.

S V M M AE.

40 *Quid censui consignatiuo personali respondeat.*

41 *Pius V. de censu reali loquitur, & improbat personalem.*

42 *Census Siculus in bonis constitui debet.*
Iura realia vendere licet.
Cēsus est seruitus personalis, vel mixta.
Quæ sit mixta seruitus.

43 *Doctores promiscuè pro eodem vtuntur vocculis, in, & super.*
Quot fructus corpus subiugatum producere debeat.

44 *In censu bullari fructus rei, eiusuè æstimatio emitur.*

45 *Alphonsi pragmatica ius antiquum declarat.*
Ius antiquū de censu consignatiuo reali loquitur.

46 *Vnde census bullares Siculi liciti probentur.*
Plures negant posse censum personalem con-

constitui...
47 *Census minoris absque decreto alienari non potest*.
Interdictum unde vi, cui competat.

40 QVare displicet omnino, quod *Septimo* placet, puta Bullã Nicolai de censu solum cõsignatiuo personali loqui, qui immediatè super persona, quæ se ipsam obligat ad pensionis solutionem, constituitur, cui solum obligatio in persona, & debitum in pensione respondet, cum hypotheca tamen aliquorum, omniumuè bonorum ad contractus censualis securitatem; non quòd ex ea soluenda sit pensio, nisi eo euentu, quòd aliter solutio à persona debitoris nequiret obtineri, vt explicant *Molin. ac Less. ll. cc.*

41 Displicet, inquam, primùm, quia cęteri Doctores contrarium profitentur, nimirum Bullam sæpè laudatam de censu reali consignatiuo loqui: *Toletus lib. 5. instruct. Sacerd. cap. 46. n. 2.* vbi ait, reales census ex se licitos esse, validissimo argumento probari, quia scilicet illos Nicolaus Papa Quintus pro Siciliæ Regnis approbauit: quod si Nicolaus de censu solum personali loquitur; nihil omnino *Toletus* cõcluderet. *Lessius lib. 2. de iustit. cap. 22. dub. 13.* vbi quærit, an conditiones à Pio Quinto requisitę ad contractus censualis iustitiam obligent vbique; *nu. 99.* ait in Sicilia non obligare: *ibi enim*, inquit, *concessum est primùm à Nicolao V. deinde à Gregor. XIII. vt cum tribus conditionibus possint census emere; quarum prima est, vt constituatur super re aliqua certa, &c.* Atqui Pius V. eas conditiones ad iustam cẽsus realis constitutionem, non personalis, quem ibidem improbat, requirit: quarè impertinens esset *Lessij* dubitatio, si Bullæ Nicolai, & Gregorij de personali loquerentur.

42 Siculi autem Doctores illud prorsus tamquam certissimum suppônunt: quorum primus est *Petr. de Greg. qu. 5. de censib.* vbi quærit, quænam ad contractus censualis substantiam iuxtà formam Bullæ, Regiæque Pragmaticæ requirantur; & *n. 2.* asserit primò requiri; quod census in bonis constituatur: *& talis contractus*, inquit, *habita relatione ad bona, super quibus talis census imponitur, erit validus, quia tunc in eo interuenit ius vẽdibile, & interuenit prædium; & talia iura realia licitum est vendere tot. tit. de hered. vel act. vend. & l. qui tabernas ff. de contrahend. emption. ita declarat Laur. de Rodulf. in tract. de vsur. in 12. q. 2. p. & q. seq. quin imo dici potest, quod talis census, cum imponatur super fructibus seu reditibus corporis subiugati, inducat que diminutionem fructuum ipsius corporis subiugati, seu bonorum subiugatorum quolibet anno ad rationẽ de decem, vel circa pro quolibet centenario; tunc erit quadam seruitus personalis*, (propriùs, ni fallor, *mixta seruitus* appellaretur, ob eam personæ, reique mixturam, vt ait *Io. Coras. in rub. ff. de seruitutibus n. 25.* quam ob causã Doctores eam *mixtam* nuncuparunt; præsertim, vt idem auctor ait, *Iustinianistæ in §. æquè, de action.* aliique de seruitutib. agentes, monetque *Less. lib. 2. de iustit. cap. 3. dub. 7.*) *quæ debetur à re personæ, prout declarat Bart. in l. pomũ ff. de seruitut. & sequitur Alex. cons. 18 incip. attentis & in p. & 2. col. in 5. vol.* Hucusque *Petr. de Greg.* cuius sanè auctoritas plurimi fit, & iure, in Siciliæ Regno.

43 Vbi animaduertẽdum quoque est, eũd. *Gregor.* indiscriminatim, ac pro eodem vti ijs voculis, *In*, & *super*, (eodemque modo ijsdem reliqui Doctores vtuntur, vt passim apud eos animaduertere licebit) vocatque censum ius reale, personalemque seruitutem: atque ità illum etiam appellat *q. 6. n. 79. post Bart. & Alex.* Deindè *nu. 14.* ait, quod si census sit super vno corpore specialiter tantum cõstitutus, requiritur, quod in tali corpore tot fructus, seu reditus à solo separati pro-

producantur, qui sufficiant ad totam summam annualium iorlum cẽsualiũ; impositam quolibet anno super dicto corpore subiugato: quod idem cæteri Doctores in censibus realibus ideo requirunt; quia hi ex fructibus rerum subiugatarum solui debent: qua de re vide *Nauarr. in comment. de vsur. nu.* 79. in personalibus autem censibus id non est necessarium, cum ij percipi minimè debeant ex rebus hypothecatis, quando hypothecæ illis annectuntur, vt omnes prorsus fatentur. Et quoad census Bullares Siculos præter *Petrum de Gregor.* laudatum, requirit quoque *Iacobus Chircus in annotat. ad Bull. & Pragm. initio expositas nu.* 28. *& Franciscus Prouenzalis nu.* 14. *atque idem Io. Aloysius n.* 118. licet contrariũ velle videatur *nu.* 133. sed suæ consequens doctrinę.

44 Alia insuper *n.* 15. 16. 17. 18. tradit idem *Petr. de Gregor.* quę vera minimè forent, nisi Bulla de cẽsu reali loqueretur. Ex quibus etiam apertè colligitur, eumdem censere, virtute Bullæ minimè constitui posse censum personalem, cum necessariò requirat, vt *in bonis* imponatur, quæ fructum ad minus soluendis pensionibus ęqualem tribuat. Eamdem doctrinam amplectitur *Mastrill. in add. ad ipsum Greg. verb. in bonis*, vbi plura affert, quæ nostro instituto maximè conducunt: ac præcipuè perpendendum est id, quod suprà obiter annotauimus ex *eod. Mastrill. verb. fructus*, pura in censibus Bullaribus, qui in Sicilia super rebus constituuntur, eorumdem fructus emi, vel illorum æstimationem: quarè nullo prorsus modo esse poterit cẽsus merè personalis.

45 Item *Corradinus Puteus in annot. ad Bull. & Pragm. cit. nu.* 1. censum vocat onus reale; ideoque rem censualem cum eo transire ad quemlibet possessorem *l. Pomponius* §. *cum quod ff. de acquir. possess.* alijsque iuribus ab eodẽ allegatis. *Iacobus Chircus in annot. ad eamd. Bull. & Pragm. n.* 1. *nota*, inquit, *quod ista Bulla est de iure communi: vide omnino in extrauag. de empt. & vendit.* & *n.* 2. ait, Alphõsi Regis Pragmaticam esse confirmatiuam, declaratiuam, & interpretatiuam veteris iuris; ideo trahitur retro: nã Bulla nihil addit, nisi quod statuit certum pretium: loquitur ergo de censu, de quo ius vetus disponit, qui nonnisi realis censendus est: & in confesso est apud omnes prorsus Doctores, eas extrauagantes, quarum prima est Martini V. altera Calixti III. de censibus consignatiuis realibus loqui, ac de ipsis solũ, & minimè de personalibus, omnes etiam docent: & *vide Less. dub.* 4. quamuis vtrobique constitui dicantur *super* bonis, dominijs, oppidis, terris, agris, prędijs, domibus, &c. quin Calixtus id ipsum, quod antea dixerat *super bonis*, mox explicat per dictionem *ex*, ibi, *& recipere soliti fuere illa ex domibus, terris, agris, prædijs, possessionibus, & hęreditatibus prædictis, qui in huiusmodi contractibus expressi fuerunt.*

46 *Ludouicus Montaltus item in annot. ad d. Bull. nu.* 3. contractus censuales, qui virtute Bullæ prædictæ in Sicilia celebrantur, licitos esse, probat, quia in allegatis extrauagantibus Martini V. & Calixti III. approbantur: quòdq; iure sint liciti, auctoritate cęterorum Doctorum ostendit. Ad eumdem planè modum ad ipsum probat *Blasius Lancea in annot. ad eamd. Bull. nu.* 14. vbi supponit, censum, virtute Bullæ constitutum, esse annui reditus emptionem: similique modo *Fidericus Letus* argumentatur *in annot. ad eamdem*. Atque idem affirmat ipsemet *Io. Aloysius n.* 25. aitque, esse communem Canonistarum, ac Theologorum opinionem; quos omnes loqui de cẽsu reali, videtur manifestum: quin eorum plures expressim negant, posse censũ personalem constitui, quorum aliquos allegat, sequiturque *Nauarr. comment. de vsuris nu.* 81. eosque citat etiã *Less. dub.* 4. ac penè innumeros laudat *Felician. lib.* 1. *de censibus cap.* 8. *nu.* 5. quos in-

inter præcipuè est *Hostiens. in cap. in ciuitate, de vsur.* quem tamen pro se *Septimus* allegat.

47 *Ferdinãdus Bongiornus in annot. ad Bull. n. 7.* postquam dixerat, cẽsum, secundùm Bullam constitutum, inter immobilia, & perpetua connumerari, proindeq; alienari minimè posse absque decreto, alijsque in alienatione immobilium minoris requisitis; addit, pro eo competere interdictum *unde vi*: quod tamen, sicuti omnes affirmãt, concedi illi, qui deiectus est à quasi possessione percipiendi annuam præstationem, seu pensionem, si modo realis est præstatio; ità eorumdem crebrior est sententia, negari, si prestatio minimè realis, sed solum personalis existat, vt constat ex ijs, quę præcipuè tradidit *Men. de recup. possess. remed. 1. nu. 87. & 88.* & *Fidericus Letus, ac Ramundus Ramũdetta in annot. ad eãdem Bullã* aiunt, probantque, annui reditus emptionem licitam iure esse, ac minimè vsurariam, indeque, contractum censualem bullarem licitũ quoque esse, inferre videntur; puta quia is nihil aliud eis videtur, nisi eorumdem annuorum redituum emptio, vel venditio: quod ipsum sæpè *Milanens. in suis decision.* supponit; quin quandoque expressim vocat censum bullarem, redituum emptionem, vt *lib. 2. decis. 1. nu. 113.* ibi: *in contractu venditionis reditus iuxtà formam Bullæ*: & decis. 2. n. 120. ibi: *in hoc contractu vẽditionis annui reditus, & census annui*: nu. 123. censuarium, annuorum redituum venditorem, appellat: & *decis. 7. n. 15.* ibi, *annui reditus, seu cẽsus constituti*: alijque passim idem asseuerant: quibus satis apertè innuunt, bullares census esse omnino reales, non vero solum personales; cũ nihil aliud sint, quam annuorum redituũ emptiones: vel saltem, quod nobis est satis, has esse cõtractus censuales, qui ad Bullæ formã in Sicilia celebrantur.

§. VI.

Ostenditur rationibus cõtrà *Septimũ*, Bullam Nicolai V. loqui de censu consignatiuo reali: probaturq; hunc censum esse quamdam seruitutẽ.

SVMMAE.

48 *Communis loquendi vsus, quam vim obtineat.*
Verbum statuti dubium secundùm hunc vsum exponi debet.
49 *Nicolaus V. loquitur, vt alij Doctores.*
50 *Census personalis talis dictus cum hoc addito, putà personalis.*
Dictio, super, *quandoque ius hypothecæ, & personalis obligationis significat.*
Quandoque ius in re.
Quid sit Sextarium.
51 *Hypotheca ius est in re.*
In d. Bulla ea dictio, super *ius mixtæ seruitutis significat.*
52 *Ex contractu censuali ius reale producitur.*
53 *Quid sit pensio Ecclesiastica.*
Onus est reale, & seruitus.
54 *Quid sit seruitus pro ipso iure sumpta.*
Quid vero, si pro ipsa rei subiectione sumatur.
55 *Felicianus censet, censum non esse seruitutem.*
Eius prima ratio improbatur.
56 *Secunda Feliciani ratio refertur, & diluitur* num seqq.
Seruitus, aut realis, aut personalis.
Absque prædio dominante nulla seruitus realis datur.
Species seruitutis personalis.
57 *Censualis contractus iure ciuili* ff. & C. *agnitus non fuit.*
Iura, quæ in l. vt pomum ff. de seruit. *recẽsentur, esse personales seruitutes, plures affirmant.*
58 *Ea dantur in quemcumque possessorem, & à quocumque vendicantur, quod non competit personalibus actionibus.*

Pro

Pro ijs remedium competit possessorium, quod pro iuribus personalibus non datur.

59 *Facultates pascendi, inhabitandi, similesque, mixtæ sunt seruitutes.*

60 L.Caius, de annuis legatis: *explicatur.*

61 *Regula ad discernendum, num ius aliquod sit seruitus; an vero obligatio personalis.*

62 *Dantur vsusfructus species, quæ morte vsufructuarij non extinguntur.*

63 *Census saltem est similis seruituti.*

48 VT vero ad rationes accedamus; mihi quidem videtur secundo loco posse euidēter pluribus, validisque rationibus probari, quātum subiecta res suffert, Bullam Nicolai loqui de censu consignatiuo reali. Primùm quidem quia eodē prorsus modo hic Pontifex loquitur, quo alij, puta Martinus V. & Calixtus III. in extrauagantibus sæpiùs allegatis, atque etiam cæteri Doctores, qui de censibus agunt: atqui hi omnes de realibus censibus loquuntur: de ijsdē igitur & Nicolaum loqui censendum est. Atque hæc quidem illatio videtur manifesta, tum ex ipsa rei natura; tum etiā, quia verba Nicolai proculdubio sunt secundùm communem loquendi vsum interpretanda: cui sanè vsui tanta vis inest, vt etiam verborum proprietati præferatur, vt docet *Bart. in l. 1. in princ. ff. de suis, & leg. per l. liberorum §. quod tamen Cassius ff. de leg. 3.* vbi in fine idem *Bartolus* ait, verbum statuti dubium secūdùm communem loquendi vsum intelligi debere: *Bartolum* refert, sequiturque *Decius cons. 540. nu. 8.* alijq; plures apud *Menoch. lib. 2. de arbitr. iudic. cent. 5. casu 489. num. 1.*

49 Maior verò illius syllogismi propositio ex ijs ostenditur, quæ superiùs animaduertimus, puta Martinum V. & Calixtum III. ea vti loquendi formula, nimirum cōstitui censum *super bonis*; eamdemque vsurpare Doctores cęteros antea relatos, aliosq; omnes, manifestè is deprehendet, qui eorūdem de censibus tractatus attentè perlegerit, quos breuitatis studio hoc loci omittimus recensere: eodem autem loquendi modo vsum in sua Bulla Nicolaum, patet quoque ex eiusdem inspectione; in eoque innititur *Ioannes Aloysius*, vt ex dictis liquet, moxq; etiam dicetur.

50 Minor autem eiusdem syllogismi propositio euidens videtur: nam omnes prorsus Doctores de censu consignatiuo reali instituunt quæstionem, ac de personali nonnisi pauca tradūt, eumque censum nuncupant cum hoc addito, *personalem*; cum tamen realem absolutè, ac simpliciter, & absque addito censum appellent, autumantque eum super bonis, rebusuè cōstitui: nec quidem impropriè loquēdo: quamuis enim verum omnino sit, dictionem illam *super*, quandoque ius hypothecæ, personalisque obligationis inferre, vt idem *Septimus* probat, & *Mandos. in reg. 33. cancell. q. 9. nu. 6.* nihilominus verissimum quoque censeri debet, eādem voculam, ab homine prolatam, significare ius in re, cui adijcitur: vt vendo decem sextaria (quod vinarij vasis est species, vt notat *Rebuff. in l. vinaria, vers. sequitur in tex. ff. de verb. signif. & Franciscus Hotoman.* auctor alioqui damnatus, *de verb. iuris verb. sextarium*, alijque) super tali fundo, aut domo: significat autem obligo illū fundum pro decem sextarijs, vt ait, probatque idem *Rebuff. in l. appellatione ff. de verb. signif. verb. superiores*, ex *l. codicillis §. instituto*, ibi: neque fenerare super eas *ff. de leg. 2.* alijsque.

51 Etsi autem hypotheca ius sit in re, proindeque eam quandoque inferre dictionem, de qua loquimur, negari non possit; attamen cum alia quoque iura in re reperiantur, ex cęteris colligendum erit, an hic, & nunc hypothecam inducat; an verò aliam speciem iuris in re. Asserimus igitur in casu, de quo agimus, dictionem illam *super*, in Bulla Nicolai appositam, significare

qui-

quidem in prima illius parte, puta ibi: *Huiusmodi censualia super rebus, & proprietatibus, &c.* ius in re; at non hypothecæ, sed mixtæ cuiusdam seruituris; quæ scilicet à re personæ debeatur.

52 Quod verò probamus primùm auctoritate, non solùm aliorum Doctorum, qui de censibus in vniuersum tractāt, quorum plures, præter antiquos, citat *Feliciā. lib. 1. de censibus cap. 4.* qui aiūt, ex contractu censuali ius reale produci, quo perpetuò prædiū tenetur: quā sententiam frequentissimo omnium consensu receptam, ait *Mattien. in l. 1. tit. 15. lib. 9. Recop. Gloss. 1. num. 5. & 6.* sed præcipuè Siculorum, qui ius census, impositum iuxta Bullæ formam, ius seruitutis appellāt, vt testatur *Milanen. decis. 1. nu. 17. lib. 2.* vbi allegat *Petr. de Greg. in tract. bullæ qu. 7. vers. secundò infero, & q. 5. in 1. col.* nosque superiùs *n. 38. & seqq.* annotauimus; eumdemque *Aloysiū de Septimo* (quod videtur mirum, quia immediatè antea dixerat, quod habens subiugationem nullum ius habet reale in domo) *super Bull. vers. secundo dico, quod subiugatio n. 137. Bongiorn. super Bull. in 1. col. nu. 2.* vbi allegat *Cassan. super consuet. Burgund. tit. de censibus §. 6. Frāc. Prouens. super verb. iuribus, & rebus, vers. subiugatio & seruitus, quæ debetur à re personæ, l. vt pomum, ff. de seruit. Alex. cons. 18. Canet. super cap. volentes fol. 165. n. 18. 19. 20. 21.* vbi hoc à nemine negari asseuerat.

53 Secundò probamus exemplo pensionis annuæ, quæ super beneficiorum fructibus imponi solet; quam, etsi aliqui velint ius esse percipiendi certam eorumdem fructuum portionem, vt *Nauarr. cons. 52. de præben. lib. 3. Emmanuel Sà verb. pensio n. 2. Tolet. lib. 5. in struct. cap. 82. n. 1. Valent. 2. 2. disp. 6. q. 16. punct. 3. vers. probatur autē minor, Less. lib. 2. de iust. cap. 34. dub. 37. aliique:* quidam verò velint, esse ipsam fructuum portionem, quorum aliquos allegat *Nauarr. cons. cit. nu. 1. & Gigas de pension. q. 1.* in eo tamen omnes conueniunt, vt velint, illā onus esse reale, seruitutemq; vt *Caccialup. de pension. q. 8. Paul. de Roman. de pension. in 8. & vlt. quæstio. nu. 22. Gomez ad reg. cancell. de infirm. q. 16.* quos allegat, sequiturque *Gigas qu. 96. Caputaquen. decis. 100. par. 3. nu. 5.* quos citat, ac sequitur *Anastas. Germon. tract. de indult. card. §. si vero illa n. 40. Rota diuers. decis. 454. nu. 1. vol. 1.* vbi citat quoque *Cassad. decis. 3. circa princ. de pēsion. Flamin. Paris. de resignat. benef. lib. 2. q. 8. n. 8. & lib. 6. q. 2. num. 6.* qui alios quoque laudat; omnesque prorsus Doctores eam reale onus appellāt, vt apud eumdem *Flamin. Paris. d. q. 8. n. 30. & q. 2. nu. 97.* quisque animaduertere potest. *vide cons. 3. à nu. 147.*

54 Vtriusque autem ratio esse mihi videtur: quia seruitus, si pro ipso iure sumatur, nihil est aliud, quam ius fruendi, vel aliquo tandem modo vtendi re aliena, aliquiduè circa eamdem impediendi: si verò pro ipsa rei subiectione accipiatur, nihil est aliud, quam realis obligatio, qua res alteri est obstricta, vt ex ipsa fructū percipere, vel ea aliquo modo vti, vel denique circa eamdem quidpiam impedire queat, vt rectè admonet *Lessius lib. 2. de iust. cap. 3. dub. 7.* Atqui census, vel annuæ pensionis constitutione, censualistæ, ac pensionario ius quodpiam constituitur fruendi, vel aliquo modo vtēdi re aliena: seu realis constituitur obligatio, qua res aliena ipsis obstringitur, vt ex ea fructum, aut aliud quidpiam percipere queant. Confirmatur idipsum, quia vtriusq; impositione ius diminuitur, quod domino alioquin cōpeteret, vt quoad pensionem, edocent omnes, & quoad census, de quo loquimur, Siculi Doctores, ac præsertim *Petr. de Greg. q. 5. cit. n. 2.*

55 Et quamuis *Felician. lib. 2. de cēsib. cap. 3. n. 21.* negare omnino videatur, censum esse seruitutem; eius tamen rationes non eius sunt ponderis, ac momenti, vt à communi prorsus sen-

tentia recedendum sit. Nam primùm suam opinionem probat, quia census à prædio abstractus constitui potest, quique in sola persona subsistat: non igitur, inquit, seruitus censendus est. Sed hæc sanè illatio mihi inepta videtur: etenim nos, omnesque alij Doctores, de censu reali loquimur; ille vero de personali; quem tamē, vt suprà monuimus, posse constitui, quamplures viri doctissimi inficiantur. Probat quidem *Feliciani* argumentum, si modo personalis census datur, genericā cēsus rationem, vt Philosophi loquūtur, non esse seruitutem; non verò huius, vel illius census rationem specificam; proindèque, licet illud gratis daretur, nihil tamen contrà communem sentētiam inferri posset: quandoquidem realis census est quidem seruitus: at id non obtinet ex illa generica, verum ex sua specifica ratione: id quod & in alijs rebus eiuscemodi manifestè cernere licebit.

56 Secundò probat idem *Felicianus* suam opinionem, quia duplex seruitus à Doctoribus agnoscitur, *Realis* altera; altera *Personalis*: at harum nulla est census: non esse quidem realem ab omnibus conceditur, ob prædij dominantis defectum, quod palam est nullum hic reperiri: absque verò prędio dominante nulla seruitus cōstitui potest, *l. 1. ff. commun. præd. l. vnus ex socijs ff. de serui. rust.* Rursus non esse personalem, seu mauis mixtam seruitutem, ostenditur, quia harum species tres à legumlatoribus numerantur, putà vsusfructus, vsus, & habitatio. Quod si dicas, hasce à iurisconsultis demonstrationis, atque exempli, non limitationis causa fuisse numeratas; dariqüe alias plures, vt ius cēdendi ligna ex silua aliena; piscādi in alterius flumine, venandi, aucupandi, &c. Replicari potest, eas species minimè esse seruitutes personales, sed iura quædā personalia dicuntur constituta, exemplo eorum, quæ ex Paulo in *l. vt pomum ff. de seruit.* recensentur, puta vt pomum decerpere liceat, vt spatiari, vt cenare in alieno possimus: quæ sanè iuriscōsultus negat esse seruitutes: proindeque aiunt ibidem Doctores quamplurimi, ex huiuscemodi conuentione nonnisi personalem obligationem enasci, innixi præcipuè eiusdem Pauli doctrina in *l. Caius ff. de annu. legat.* Cōfirmatur id ipsum, quia personalis seruitus extinguitur, extincta pſona, cui debetur: at vero ius annui reditus ad hæredes transit, duratque in perpetuum, quádiu scilicet nō redimatur.

57 Hanc quoque *Feliciani* rationem ità à nobis explicatam, & confirmatā, facilè soluimus. Aio in primis, mirum nequaquam censeri debere, si de hac seruitute à iureconsulto mentio minimè facta fuerit: nam, vt inquit *Molin. tom. 2. de iustitia tract. 2. disp. 383. nu. 12.* quemadmodum censualis contractus, de quo loquimur, agnitus non fuit iure ciuili Digestorū, & Codicis; ità mirum non est de hac seruitute in iure ciuili factam non fuisse mentionē. Deinde aio, à iureconsulto exempli gratia eas species fuisse enumeratas, non limitationis caussa. Ad replicationem vero assero, verum quidem esse, Doctores aliquos negare, ea omnia prorsus iura esse personales seruitutes: at quidam, & sanè maximi nominis iurisconsulti id expressim affirmāt: quorum aliquos refert *Menoch. de retinend. possess. remed. 6. nu. 45.* Sed præcipuè post eos omnes id aptè, vt assolet, ostendit *Io. Carasius in rub. ff. de seruitut. nu. 29. 30. 31. 32.* vbi ait, *Baldum, ac Fabrum* idem existimasse.

58 Ad quam sanè rem probandā pręfert *l. Lucius ff. de seruit. rust. l. Mela § fin. ff. de alim. & cibar. leg.* ideoque pro ijs confessorias, ac negatorias actiones cōpetere affirmat *l. 2. ff. si seruit. vendic.* dantur enim, inquit, hæc iura in quemcūque possessorem, & à quocumque vēdicantur, *l. ergo in princ. ff. de seruit. rust.* contrà naturam personalium obligationum, *l. fin. § fin. ff. de*

con-

contrah. empt. l. 1. §. si hæres percepto fundo, ff. ad Trebell. & pro ijs remediũ cõpetit possessorium l. 1. §. praeterea & §. permittitur ff. de aqua quotid. & æstiua. quod pro iuribus personalibus minimè datur, l. fin. ff. quor. bonor.

59 Quod verò spectat ad exempla, quę ex l. vt pomum, proferũtur, rectè quoque Corasius ibidem ostendit, iuriscõsultum inficiari solùm realem ijs constitui seruitutem, puta quia nullum ibi dominans prædium demonstratũ est, vt nec demõstrari poterat, cui seruitus illa deberetur: atqui sine dominãte prædio realis seruitus consistere nequit, vt suprà monuimus. Ibidem vero n. 10. idem auctor Rogerium, Petrum, aliosque sequutus, concessiones illas vult esse seruitutes personales, seu (quod idem semper in casu præsẽti censeri debet) mixtas; sicuti sunt facultates pascendi, inhabitandi, pecus ad aquam appellendi, aliæque ab eo recensitæ, vt ipsemet multis iuribus probat: & ridiculum putat eum scriptoribus negare, pro illis confessoriam dari, cum alibi passim doceant, eam nõ pro seruitutibus, modò, sed & pro quocumque iure incorporali iura impertiri: ibique rem totam fusiùs extricat.

60 Quod vero attinet ad L. Caius, de annuis loquitur legatis, non de eiusmodi cõcessionibus: cuius quidem legis, ac etiam l. Mela §. fin. cit. aptam interpretationem tradidit idem Corasius in rub. cit. nu. 31. & 32. Ex cuius doctrina illud præcipuè animaduerti debet, putà ad rectè discernendum, num cuiuspiam iuris concessio realis sit seruitus an, personalis, mixtaue; an vero personalis tantum obligatio, illud omnino esse attentè cogitandum; quibus verbis, quibusq; rebus, & quo tandẽ modo adhibitis, ea cõcessio indulta reperiatur.

61 Id namque altero ex his modis cõtingere potest: vel enim ea fit concessio certo, vicinoque fundo cum seruiente, cum dominante demostrato, ità vt ius illud à re rei immediatè debeatur; tumque realem prorsus constitui seruitutem, nemo ambigere debet: vel ea fit concessio, demonstrata solũ persona, non item vicino prædio, cui ius illud seruire debeat: idque rursus duobus planè modis accidere potest: primo quidem, si obligationis verba ad illum, cui fit concessio, referantur; tuncque aio seruitutem constitui personalem; vt in exemplis l. vt pomum cit. alijsque cęterarum, quas Corasius loc. cit. refert, euenire asseueramus. Si vero ad concedentis personam verba referantur; tunc neque rei, neque personæ seruitutem induci arbitramur; sed personalẽ dumtaxat obligationẽ, vt in l fin. ff. de contrah. empt. & l. Caius, cit. quam sanè rem Coras. ibidem explicat copiosè; qui omnino hac de re tota consulendus est; de qua longa quidem esset disputatio instituenda ea tamen non est huius instituti: satis nobis est vtramque opinionem probabilem censeri.

62 Denique, vt confirmationem allatæ rationis etiam diluamus, aio, verũ vtique esse, si regulariter loquamur, personalem seruitutem extingui cum persona, cui debetur: addo tamen, dari quasdam vsusfructus species, quæ non sunt huiuscemodi: puta emphyteuta, feudatarius, libellarius, superficiarius, veri sunt vsufructuarij; ea autem seruitus morte eorumdem minimè extinguitur; transit enim ad hæredes, quoùsque contractus omnino finiatur, vt optimè monet Lud. Molin. tom. 1. de iust. tract. 2. disp. 11. n. 8.

63 Quod si quispiam obstinatè contẽdat, censum nullo prorsus modo esse seruitutem propriè nuncupatam; non erit admodum elaborandum. Nam illud saltem nemo negare iure poterit, illum persimilem esse personali, mixtæuè seruituti, esseque ius in re, vt Molina docet tom. 2. de contract. disp. 372. n. 4. id quod nobis satis quidem est; non tamen omnino necessarium, vt inferiùs ostendemus.

§. VII.

Ostenditur iterum rationibus contrà *Septimum*, Bullam Nicolai V. loqui de censu consignatiuo reali.

SVMMAE.

64 *PRoponitur ratio efficax.*
65 *Oratores à Philippo II. & Siculis ad Pium V. & Gregoriū XIII. mittuntur.*
66 *Præcluditur obiectio.*
67 *Eadem obiectio vlterius diluitur.*
68 *Iterum probatur, Nicolaū de censu reali loquutum: quia manifestè census constitutionem ab hypotheca seiungit.*
Vitium superfluitatis fugiendum, etsi verba improprijssimè exponēda sint.
69 *Eadem ratio confirmatur.*
70 *Post census constitutionem in contractu censuali apponi solet clausula hypotheca.*

64 SEcundo probatur id, quod principaliter intendimus, puta Bullam Nicolai V. de censu reali loqui; quia scilicet alioquin, si tanrū de personali loqueretur, apertè consequens foret, conditiones à Pio V. ad census realis constituendi iustitiam requisitas, necessarias omnino esse in Siciliæ Regno, quo tempore census reales fundarentur: quandoquidem quo ad illas minimè Nicolaus V. aut Gregorius XIII. dispensasset; cū eæ ad census realis, non vero personalis, quem Pius ipse improbat, constitutionem requirantur. Quarè, si solum Gregorius personalem censum Siculis indulgeret; si ij realem constituerent; Pij Bullam seruare tenerentur: quod tamen nemo Siculorum verum arbitratur.

65 Quin idipsum, quod intendimus, manifestè idem Gregorius, Siculi ipsi, ac Philippus Rex II. tamquam certissimū suppofuère, vt ex ipsamet Gregorij Bulla satis liquet: Gregorius quidem, quia, vt initio dixi, Siculis indulsit, vt census constituere possent iuxtà formam Bullæ à Nicolao editæ, additque: *ac si literæ Pij V. non emanassent*. Quod si Gregorius cēsuisset, Nicolaum de personali censu loquutum; cum certum omnino sit, Pium loqui de reali; nihil prorsus indulsisset, & superflua esset eius venia, & indulgentia. Siculi vero, ac Philippus Rex illud ipsum supposuerunt, quia si Nicolaum de censu solùm personali loquutum censuissent, non vero de reali, cuius conditiones Pius decreuerat, minimè ad eumdem Pium Octauium Spinolam, Regni ipsius Magistrum Portulanū, oratorem misissent, qui eidem Pontifici plures difficultates, atque incommoda proponeret, quæ in illius Bullæ obseruantia, vt ibi dicitur, experimento quoad Siculos ipsos animaduersa fuerant: qui nonnullas ab eodem Pio suarum literarum declarationes, & moderationes reportauit; quas vt Regni necessitatibus minimè satisfacere compertum est, Philippus ipse Rex Secūdus, Regni sui indemnitati prospicere volens, tam suo, quam ipsius Regni nomine Iacobum Archiepiscopū Panormitanum ad Gregorium misit, qui pluribus eidem Pontifici repræsentatis difficultatibus, quæ in literarum Pij executione suboriebātur, veniam ab eodem obtinuit, de qua hucusque locuti sumus.

66 Quod si dicas, Piū saltem implicitè personalem censum improbasse, atque ideo Siculos, ac Philippum Regem à Pio ipso primùm, deinde à Gregorio petijsse, vt licentiam censum iuxtà formam Bullæ Nicolai constituendi ipsis impertirent. Respondeo, ex ipso Bullæ Gregorij contextu posse satis apertè cuilibet, eam perpendenti, constare, non personalis, sed realis cēsus iuxtà formam Bullæ Nicolai constituendi veniam Siculos efflagitasse, eamdemque Gregorium indulsisse: etenim hic Pontifex loquitur de forma

ma literarum Pij V. seruanda, ac de conditionibus ab eo ad census iustitiam requisitis: quæ sanè omnia ad reales census spectant, neq; vllo prorsus modo personalem attingunt, quē expressim ille Pontifex improbauit, vt suprà innui, ità vt, neque ijs seruatis conditionibus, constitui iustè decernat: cuius quidem formæ, ac conditionum vi Siculos solui petebatur.

67 Quæ insuper erant Pij declarationes, & moderationes, nisi expressim censum personalem Siculis concessisset? quæque erant difficultates, ac incommoda plura, quæ ex illarum literarum executione suboriebantur; si vnum solum vrgebat, quod personalem censum Siculi fundare nequiret? Demum cum Gregorius Bullæ initio expresserit, Pium in suis literis illud in primis præcepisse, vt census non generaliter super omnibus bonis, sed specialiter super re certa imponeretur; atque hanc Pij conditionem ità dispensarit, vt liceret quidem, ea nihil obstante, super omnibus prorsus bonis census constituere; sed tamen addiderit, vt priùs vnius, pluriumuè rerum certarum, super qua, vel quibus census cōstituatur expresse, deindè omnium bonorum in genere mentio fiat; ità vt hæc Gregorij venia ad illam Pij conditionem referatur; manifestè sequitur, Gregorij additionem loqui de censu reali, cum illa Pij conditio, ad quam additio refertur, ad censum quoque realem omnino pertineat. Alia hic addi possent, quæ breuitatis studio omittuntur: & ex ipsa Bullæ Gregorianæ inspectione facilè cuilibet occurrere possunt.

68 Tertio apertè, ni fallor, probatur Nicolaum de censu reali loquutum, quia scilicet in suis literis primò concedit, vt censualia imponi possint super rebus, & proprietatibus suis, ac facultatibus, & emolumentis eorumdem; ac deindè subdit, quod vendi, emique possint cum opportuna contrahentium securitate, & tuitione, ac indemnitate, & cum potestate vendentes personas, eorumque proprietates, reditus, iura, iurisdictiones, census, ac omnia, & singula mobilia, & immobilia bona obligandi, & obligare faciendi. Atque ex his duabus fanè clausulis, à Pontifice adhibitis, colligo, ipsum manifestè seiungere census realis constitutionem ab hypotheca, quam & illi addere ob securitatem permittit: cum enim dicit, se facultatem concedere huiusmodi cēsualia imponendi super rebus proprietatibus, & ceteris, quæ recensetdat formam contractui censuali, respicitque eius substantiam, ac vult illum super rebus, bonisuè imponi: quando deindè addit *cum opportuna securitate*, & cetera, quæ sequuntur, concedit, vt pro census securitate possint immobilia, mobiliaque bona hypothecari, ac respicit cautelam censualis contractus iam celebrati super rebus, proprietatibus ceterisque: ità vt illud *super rebus* primo loco positum nullo prorsus modo significet, aut inferat hypothecam; sed aliud ius in re, ac realem obligationem: etenim hypotheca ijs verbis, pura *cum potestate vendentes personas, &c.* infertur: & omnino superfluum erat secundam hanc clausulam apponere, si per primam hęc eadem hypotheca concedebatur: vitium autem superfluitatis ità effugiendum Doctores opinantur, vt verba impropriè, quin & improprijssimè intelligenda censeant, quò illud omnino eliminetur: id quod copiosè ostendit *Mantica de coniect. vlt. vol. lib. 3. tit. 6.*

69 Atque id ipsum, quod modo dixi, post quam hæc scripseram, vidi animaduersum ab incerto quodam auctore in *annot. ad Bull. cit. num. 6. verb. mobilia*, vbi: *Et sic*, inquit, *videtur, quod possit constitui subiugatio super bonis mobilibus, & tamen ex eis fructus non percipiuntur. Tu dic, quod quatenus hic Papa nominat bona mobilia, intelligit, quoad hypothecā; quò vero ad constitutio-*

tionem censu supra statim dixit super rebus, & proprietatibus, ita quod census debeat constitui super re, ex qua fructus percipiuntur, & sub hypotheca bonorum mobilium, & stabilium. Idque etiam vidi annotatum *à Milanen. decis. 1. nu. 93. & seq. lib. 2.*

70 Atque hæc sanè ratio confirmatur primùm, quia in contractibus censualibus post census cõstitutionem super bonis, &c. apponi solet clausula: *quæ omnia sub hypotheca*, vt omnes animaduertunt. Confirmatur secundò, quia post eiusdem census constitutionem Pontifex concedit, vt possint vẽdentes personæ sese obligare ad eiusdem census securitatem: quando igitur dicit, posse censualia super bonis constitui, quidpiam aliud intellexit, quam constitutionem personalem, seu ius personalis obligationis; cum hanc inferiùs indulgeat: ibi ergo realem intellexit obligationem. Quam sanè tertiam rationem satis sit ità leuiter, ac veluti summis digitis attigisse; licet de reliquo vlteriùs cõprobari posset.

§. VIII.
Soluuntur *Septimi* rationes.

S V M M AE.

71 *Septimi rationes diluuntur, & nu. seqq.*

73 *Obligatio merè personalis ad bonorum possessorem non transfertur.*

Actio personalis æris alieni hæredem sequitur.

74 *Contractus subsidiarius, soluto principali, dissoluitur.*

75 *Actione personali submota 30. annorum præscriptione, hypothecaria 40. annis perseuerat.*

76 *Qui putent omnem censum esse personalem obligationem: & qui hanc opinionem falsam, & commentitiam appellent.*

77 *Qui hanc opinionem profitentur; nihilominus censum vocant annuum redi-*

-tum: & num. 78. & 79.

80 *Decisio.*

71 Denique, quod attinet ad illius auctoris rationes, ex hùcusque expositis eæ facilè diluuntur: nam illud, quod ait, aliud est supponere, aliud alienare: respondeo, verum id quidem esse; at nos minimè dicimus, res censui suppositas alienari, sed in ijs realem quamdam dumtaxat constitui obligationem, quę iuri percipiendi ex illis aliquam fructuum portionem respondeat.

72 Illud deinde, quod addit de dictione *super*, iam suprà explicatum est satis: ac præcipuè recolendum est, plures auctores, ac ipsum Pontificem Sũmum eam confundere cum dictione *in*, & *ex*, illisque vti promiscuè, vt ex dictis colligitur, passimque apud Doctores, de censibus agentes, animaduertere licet. Præterea quod ius percipiendi aliquod annuum, menstruũue in prædio nullam habeat, vt ipse loquitur, realitatem, ex ijs, quæ tradit *Alex. cõs. 18. lib. 5.* Aio plures quoque, grauesque Doctores contrarium opinari, quorum aliquos laudat ipse *Alexander eod. cons. 18. Menoch. & Corasius locis superiùs allegatis:* quòd sanè placitũ eidem *Corasio* præ cęteris arrisit: ac præsertim in re, qua de agimus, omnes vt plurimum ità censent, vt ex dictis manifestum est: quod hoc loci vlteriùs confirmare omittimus coactè, nè longiùs, quam par sit, hęc ratiocinatio protrahatur.

73 Demum id, quod ait auctor ille, quando cõstituitur aliquod ius percipiendi in prædio, prout requirit Bulla, tale ius non importat, nec seruitutem, nec aliquam realitatem, nisi obligationem personalem ad illud præstandum, quæ afficit promittentẽ: Hoc, inquam, quod ait, omnino falsum videtur; tum ex ijs, quæ anteà fusè traddidimus: tum quia equidem intelligere nequeo, quomodo fieri possit, vt ius illud ex re alterius aliquid

quid percipiendi, nonnisi obligationem merè personalem ad illud idem præstandum sibi habeat respondentẽ, quæ promittentem afficiat; si extincto, sublatoque penitus promittẽte, remanet nihilominus obligatio illud ipsum præstandi, & ad bonorum subiugatorum possessorem transfertur; cũ id omnino contrà naturam personaliũ obligationum existimetur *l. fin. §. fin. ff. de contrab. empt. l. 1. §. si hæres percepto fundo ff. ad Trebell.* aliisque: licet de reliquo æris alieni personalis actio hæredem sequatur, vt monuit *Vlpianus d. l. 1.*

74 Neque dicas, ideo in possessorem transfundi, quia ea bona sunt hypothecæ subiecta; intelligere autem debemus vincula pignoris durare, personali actione submota, *l. 2. C. de luitione pignoris*; ne, inquam, id dicas; etenim hypotheca in censu personali solum exigitur ad censualis contractus securitatem: quare, si is promittentis obitu dissoluitur; & ipse hypothecæ contractus, quippe illius subsidiarius, seu accessorius, dissoluatur necesse est, *reg. accessorium de reg. iur. in 6. l. nihil dolo §. 2. l. cum principalis ff. eod.*

75 Quod vero in *l. 2. cit.* Gordianus Imperator constituit, si *Accursio* glossographo credimus, non esse ità vniuersè, ac generatim intelligendum; sed solùm singillatim in certo casu, puta quando actio personalis triginta annorum præscriptione submouetur: tunc enim hypothecaria nihilominus quadraginta annis perseuerat *l. cum notissimi ff. de præscrip. trigin. ann.* secus vero eueniret, si actio personalis pacto, solutione, re iudicata, iureiurando, alioue modo tollatur, vt idem *Accursius in l. 2. cit. verbo actione submota*, multis iuribus ostendit. Omitto fundi possessorem censuali contractu, etiam post promittentis obitum, ad soluendas annuas pensiones obstringi, neq; hypothecaria solùm compelli, vt quisque ex Pragmatica Sanctione sæpiùs laudata facilè deprehendere potest.

76 Sed licet gratis omnino daretur, Nicolaum de censu solum personali loquutum: quin immo omnem prorsus censum, vniuersè, ac generatim acceptum, nihil esse aliud, quam personalem obligationem principaliter; & rei, fundiuè, aut prædij additionẽ esse accessoriam, addique solum iure pignoris, aut hypothecæ, vt aliquibus placet, quos inter est *Couarr. loc. cit. cap. 7. n. 6. Felician. lib. 1. de censib. cap. 4. n. 4. & seq. alibique, Sotus,* alijq; quos citat *Milanen. decis. 2. lib. 2. num. 112. & seqq.* quam tamen opinionem improbant cæteri Doctores, vt *Tolet. lib. 5. instruct. cap. 47. n. 1. Molina disp. 387. n. 12.* qui eam falsam, & commẽtitiam appellant: licet, inquam, id gratis concedatur; non tamen indè sequitur, annui reditus venditionem non esse census, iurisuè illum percipiendi venditionem; nam, vt superiùs quoque monui, cum annui reditus venduntur, nonnisi ius illos percipiendi putandum est vendi; alioquin, si ipsemet reditus venderentur, fœneratitius esset contractus; pecunia enim pecunia emeretur; neque in eo daretur merx, & pretium, vt suprà etiam animaduerti, præsertim ex *Syluestro*.

77 Atque ijdem sanè Doctores, qui ex contractu censuali nonnisi obligationem personalem oriri volunt, resq; ad maiorem cautelã addi iure pignoris, & hypothecæ, ipsum censum vocant annuum reditum, vt de *Soto*, & *Couarruuia* superius annotaui; idemq; esse supponunt vendere reditum ipsũ, ac ius illum percipiendi. Ac præcipuè legendus est *Felicianus loc. cit. cap. 8. n. 6. lib. 3. cap. 4. in fine procemij, & in Append. cap. 1. lib. 1. à n. 5.* quibus sanè locis, alibique passim ait, censum dici propriè annuum reditum; & censualistam, annui reditus emptorem vocat, ipsumque censualem contractum, reditus annui venditionem; ac præsertim *lib. 1. cap. 4. n. 7. cum partes*, inquit, *celebrant censiticum contractum, inten-*

dunt

dunt emere redituum annuum pecuniarium, & *cap.* 7. vbi quærit, an contractus census sit licitus, *n.* 2. *ex natura rei*; inquit, *licitam esse annuorum redituum emptionem*, &c. vbi id, quod priùs vocarat contractum census; deindè appellat redituum annuorum emptionem: eodemque modo vocat *nu.* 5. & *tot. eod. cap.* 7. hancque licitam probat emptionem, quia ij inter immobilia numerantur *Clement. Exiui*, & *auth. vt ij, qui obligatas*, sæpiùs citatis; aitque Martin. V. & Calix. III. in suis extrauag. approbasse contractus emptionis, & venditionis redituum annuorum vti licitos, ibique innumeros recenset, qui eodem penitùs modo loquuntur. Et tamen hic auctor mordicùs defendit, obligationem, ex censuali contractu ortam, esse dumtaxat personalem, resque accedere loco pignoris, & hypothecæ, vt *Ioannes Aloysius de Septimo* arbitratur.

78 Et *Rebuff. ad constit. Reg. tract. de constit. redituum initio*, ita loquitur: *An emptio istorum redituum sit approbata olim concertabatur: hodiè verò nõ est dubium post declarationem Martini V. & Calixti III.* & quæ sequuntur: & infrà, censuarios vocat redituum venditores, vt etiam Calixtus in suis literis appellat: eodemque modo *Rebuffus* toto illo tractatu loquitur: qui tamen *gloss.* 17. *n.* 2. velle videtur, solã hypothecam, non verò aliud reale ius per censualem contractum induci.

79 Denique *Mieres p.* 1. *de Maiorat. q.* 40. à *n.* 37. sæpè censum vocat reditum, & è contrario: qui tamen etiam opinatur, ex censuali contractu nonnisi personalem obligationem oriri, cum rerum hypotheca, vt etiam monet *Felician. in Appẽd. cap.* 1 *n.* 5. *lib.* 1. Idemque præstant omnes hanc sententiam profitentes: neque enim discrimen vllum inter annui reditus emptionem, ac censualem contractum constituunt, ob rationem, sæpiùs explicatam.

80 Atque hæc satis sit tradidisse, vt ostenderetur, annui reditus venditionẽ esse contractum censualem, quamuis in Sicilia celebretur. Annui, inquã, reditus saltem denuò constituti; quicquid tandem sit de censu antiquo, & antea constituto; de quo nonnihil tetigimus suprà *num.* 19. & legendus est *Less. lib.* 2. *cap.* 22. *dub.* 7. *nu.* 45. & *seq.* qui vult, hunc quoque taxato, & legitimo pretio emi debere: licet moneat in Belgio, huic legi consuetudinem derogasse. Atque ità plures docti viri mecum sentière, postquam hæc scripsissem, qui fortè antea contrariã opinionem veriorem existimabant: licet supremus Italicarum rerum Senatus in ea lite, cuius occasione hæc in lucem edidi, validis motus, vt assolet, rationibus, nihil expressim hac de re decernere voluerit: sed eam Siculis Iudicibus commiserit terminandam: tacitè tamen, seu implicitè nostram opinionem sectatus est: iussit enim contractum emptionis annuorum redituum in aliquibus reformari, & ad formam censualis contractus reduci: dispensauitque in pragmatica pretiũ census constituente, vt scilicet posset Vniuersitas prædicta censum, ac reditum annuum constituere ad rationẽ de septem pro centenario: qua certè dispẽsatione Vniuersitas non indiguisset, si cõtractus venditionis redituũ, quem celebrauerat, contractus censualis non extitisset: pragmatica enim sanctio solum censualibus contractibus; non alijs pretium decernit: licet de cetero satis innuat, annuum redituum, censum, & subiugationem, idem omnino significare, dum his vocibus promiscuè vtitur, ac sæpè coniungit ad idem prorsus significandum, vt ex eius inspectione liquidò constat.

§. IX.

§. IX.

Quæstiuncula incidens resoluitur, an scilicet census reseruatiui, ac pensionis emphyteuticæ extinctio, quæ fit soluta pecunia, fieri debeat pretio statuto pro census consignatiui redemptione.

SVMMÆ.

81 D*Vplex census*, Consignatiuus, & Reseruatiuus, & *quid sit vterque.*

82 *Quis sit emphyteusis contractus, & quomodo differat à contractu census reseruatiui.*

83 *Quæstionis resolutio negatiua.*
Contractus census reseruatiui non est emptio, & venditio, sed alia species contractus.

84 *Bulla Pij V. non loquitur de hoc contractu; sed solùm de censu consignatiuo.*

85 *Idem dicendum de regia pragmatica.*

86 *Hic census reseruatiuus est irredimibilis, & perpetuus.*

87 *Casus in quo videtur census reseruatiuus, & tamen est consignatiuus.*

88 *Emphyteusis non est emptio, & venditio: & quænam includat pensionis emphyteuticæ extinctio, quæ verè redemptio dici non potest:* & num. 89.

90 *Explicatur quis contractus fiat, cum hæc pensio extinguitur.*

81 DVplex est census, alter *Consignatiuus*, de quo hactenus loquuti sumus; cum scilicet quis super bonis suis, quorum dominium directum, & vtile, ac possessionem retinet, vel etiam super sua persona, alteri ius pensionis annuæ consignat. Ita communiter Doctores. Alter dicitur *Reseruatiuus*; cum scilicet quis rem suam in alterum transfert quoad vtrumque dominium, vtile scilicet, ac directum, reseruata sibi annua pensione super eadem re. Ità etiam communiter Doctores: qui notant, talem censum à Iosepho constitutum fuisse in omnibus terris Aegiptiorum, præterquam Sacerdotum, cũ eas iam emptas, ac Pharaonis dominio subiectas, ijsdem Aegiptijs restituit *Genes.* 47.

82 Emphyteusis est concessio rei immobilis cum translatione dominij vtilis, retento directo, sub onere certæ pensionis, proprietario, seu directo domino soluendæ. Differt contractus emphyteusis à censu reseruatiuo: primò quia in hoc vtrumque dominium transfertur; in illo vtile dumtaxat: secundò in hoc res nõ cadit in commissum, nisi id in pactum expresse sit deductum; in illo cadit, ob non solutam pensionem per biẽnium, si sit ecclesiastica, per triennium, si secularis: tertiò emphyteuta rem vendere nequit, domino directo non monito; aliter eadit in commissum; ac tenetur soluere laudemium: non sic debitor census reseruatiui. Hæc omnia benè explicant post alios *Molina de iust. & iure tom. 2. disp. 381. n. 3. & Less. de iust. & iure lib. 2. cap. 22. dub 2. n. 4.* & plures alij.

83 Quoniam verò aliquando, qui rem sub censu reseruatiuo, vel ad emphyteusim concedunt, paciscuntur, vt census, seu pensio redimibilis sit, aut, meliùs loquendo, extinguibilis; nuperrimè à nobis quæsitum est, an huiusmodi redemptio, seu extinctio fieri debeat pretio à lege, seu regia pragmatica, statuto pro census consignatiui redemptione. Ipsi vero respondimus negatiuè; & posse fieri diximus quocumque pretio, modò sit iustum, consideratis rerum circumstantijs, ac præsertim communi æstimatione, & consuetudine regionis. Vt autem id rectè intelligatur, quoad cẽsum reseruatiuum, animaduertendum est, hũc contractum censualem reseruatiuum; non esse speciem emptionis, & venditionis; sed esse, aut contractum innominatum do, vt des; aut veriùs cõtractum, quo eiusdem rei vnum ser-

fertur, & aliud reseruatur: illud certum est, non interuenire in hoc contractu pensionis emptionem, aut iuris illam percipiendi, vt benè annotauit *Molina tom. 2. de inst. disp. 381. nu. 7.* quarè non rectè, & propriè ea dicitur redimi, aut reuendi, cum nunquam empta fuerit, aut vẽdita; sed propriùs dicetur extingui, aut etiam rem emptam eo onere liberari.

84 Hinc est, vt de hoc contractu Bulla Pij V. minimè loquatur, vt monuit *Boninsignius de censib. Less. lib. 2. cap. 22. dub. 2. n. 4. Molina disp. 381. cit. nu. 5. & disp. 382. nu. 2. vers. secundus contractus, aliique:* sed solum loquitur de censibus consignatiuis, in quibus regulariter interuenit emptio, & venditio annui reditus, seu census, seu iuris illum percipiendi, vt ait *Molin. disp. 383. n. 1. Less. loc. cit. initio,* & alij. Et quidem *Less. dub. 12. n. 96.* rectè obseruat, Bullam Pij V. ad eos solùm contractus extendi, qui fiunt per modum emptionis, & venditionis, in quibus, dato pretio, census constituitur: non autem ad eos, qui fiunt per alios contractus, veluti donationis, dotis, aut per viam legati, fideicommissi, aut alteriùs vltimæ voluntatis, post *Boninsign. & Nauarr.*

85 Atque hinc etiam sequitur, neque pragmaticam suprà citatam loqui de hoc contractu census reseruatiui; cum expressè agat de emptione, & venditione annui census, quæ solum interueniunt in censibus consignatiuis, vt dictum est, atque ita supponit *Molina locis citatis.* Idem erit, si quis alicui trad. t prędium v.g. pro cẽtum aureis, & simul pro annua pensione ex eodẽ prædio reddenda, neque enim hìc est emptio pensionis, sed contractus mixtus ex venditione prædij pro centum aureis, & ex contractu innominato, do idem prædium quoad id, quod plùs valet, quam centum aurei, vt mihi ex illo des tantam annuam pensionem. Idemque etiam erit, si quis compararet ab aliquo sibi prędium emptione, permutatione, aut aliter, & postea eidẽ pleno iure pro annua pensione concedar: vtrumque rectè explicuit *Molin. disp. 381. n. 7. & 8.*

86 Ex his autem colligebamus, redẽptionem, seu extinctionem talis census non necessariò fieri debere eo pretio, quo census consignatiui redemptio fieri debet: cum de tali censu nullo pacto neque constitutio Pij V. neque prædicta pragmatica loquatur: neque pro eo pretium decernat: quod tamẽ iustum esse debet, vt diximus. Certè huiusmodi census longè plùs valet, quam census consignatiuus: est enim ex se perpetuus, & irredimibilis, seu inextinguibilis, vt ponderat *Molina disp. 382. n. 2. vers. secundus contractus:* vbi doctrinam à nobis traditam apertè supponere videtur.

87 Quod si quis prædium vendat centum aureis, ea tamen lege, vt, interim dum non soluitur, emptor soluat annuũ cẽsũ, super eodem prędio constitutum; hoc quidem casu duplex cõtractus initur, primus quidem venditionis prædij; secundus vero venditionis census redimibilis, omnino distinctæ à prima venditione prædij: ità colligo ex *Laffart. de Gabell. cap. 10. de decim. vend. n. 47. Molina disp. 382. nu. 2. vers. primus est, & alijs.* Hunc vero censum non esse reseruatiuum, sed merè consignatiuum, ac proindè subiectum Bullis Pontificijs, & pragmaticæ sanctioni, patet; quia vendẽs hoc casu nihil sibi reseruauit, sed absolutè, & totaliter vendidit prædium, transferendo vtrumque dominium in emptorem; hic verò emptor pro pretio subiugat venditori, seu imponit, seu consignat censum redimibilem super re propria: vndè sequitur, hanc subiugationem debere fieri iuxtà pretium taxatum, & legitimum census; & eodem postea redimi. Ità colligo ex eodem *Molina disp. 382. cit. n. 2. vers. nõnulla, & duob. seq.* Atque ità hodie hæc omnia, quæ diximus, videntur vsu recepta.

Iam

88 Iam verò, quod attinet ad emphyteusim, eodem prorsus modo ratiocinandum erit. Nam in hoc contractu nulla prorsus interuenit emptio, aut venditio censûs consignatiui; sed datur res sub illo onere pēsionis: cum verò hæc pensio redimitur, seu extinguitur, transfertur etiam in emphyteutam dominium directum: quarè pretium illius pensionis annuæ non subiacet Bullis Pontificijs, neque Regiæ pragmaticæ, pretium statuentibus pro censibus consignatiuis, quæ super rebus constituuntur, emuntur, & venduntur: hoc autem casu census, seu pensio minimè constituitur, sed potius extinguitur: & quamuis vendi, aut emi aliquo modo dici possit, dum emphyteuta ius illud annuæ pensionis sibi comparat, vt cum re consolidetur; vt in censu reseruatiuo philosophatur *Molina disp.* 382. *n.* 4. tamen verè non est emptio censûs, sed illius extinctio, & potius liberatio rei ab illo onere appellari posset: per quem sanè contractum emphyteuta non solum acquirit, & consolidat ius illud cum re emphyteutica, ac illam illo onere liberat; sed etiam sibi comparat dominium directum, ità vt hic cōtractus sit quodāmodo emptio illius iuris, & ipsius dominij directi, ac proprietatis; ac proinde etiam ex hoc capite eius pretium nequit esse illud, quod pro censu consignatiuo taxatū est, cum hic census longè minus valeat in cōmuni hominum æstimatione, quam illa duo, puta extinctio pensionis emphyteuticæ, quæ natura sua irredimibilis est, & dominium directum.

89 Quāuis autē tū Bullæ Pōtificiæ, tū Regia Pragmatica, etiam redemptionis pretium statuant; vt scilicet eodem pretio, quo census fuit emptus, redimi possit: tamen id locum non habet in casu nostro, in quo redemptio non adest, cum nulla emptio præcesserit, quæ postea vi pacti de retrouendendo resoluatur, ac redemptio dici possit, vt idem *Molina* in censu reseruatiuo monuit *d. disp.* 382. *nu.* 4. Et hoc quidem pretium statutum fuit in fauorem venditoris censûs: vt non cogatur maiori pretio redimere, quā vendiderit: in re vero nostra, qui cōparat ius census, seu redimit, seu melius extinguit, non est ille, qui vendidit censum: nam verè nullus prorsus venditor præcessit, vt dictum est. Pretium autem redemptionis, à lege statutum, non est absolutè taxatum, sed quatenus dicit relationem ad pretium antecedens præhabitæ venditionis, quę per redemptionem resolui debet.

90 Si tamen strictè, ac proprijssimè loqui velimus, mihi videtur dicendum, in re nostra nullam reperiri difficultatem: nam cum emphyteuta domino directo soluit pretium conuentum in contractu emphyteutico pro extinctione pensionis, si propriè loquamur; neque censum emit, neque redimit, neque extinguit, neque aliud simile præstat; sed solum emit rem ipsam emphyteuticam quoad dominium directum, seu emit ipsum dominium, in cuius recognitionem pensio soluebatur, quæ ad substantiam contractus emphyteutici pertinet; vndè communi consensu contrahētes recedunt ab emphyteusis contractu, qui absque annua pensione, in directi dominij recognitionem, constare non potest ex communi, & alium contractum celebrant; puta venditionis, & emptionis dominij directi, virtute pacti appositi in emphyteusis contractu; vbi stabilitum fuit pretium huius contractus emptionis dominij, vt esset illud, quod conuentum fuit pro extinctione pensionis. Et hæc est huius negotij veritas: quibuscumque tandem verbis cōtrahentes vsi sint in emphyteusis contractu, siue pacti de retrouendendo, siue redemptionis, siue extinctionis, siue alijs quibuscumque: potius enim rei veritas, quam contrahentium verba attendi debent.

Atque ex his omnibus, breuiter

annotatis, constare videtur, rectè nos respondisse, extinctionem pensionis emphyteuticæ minimè subijci legibus statuentibus pretium pro censu consignatiuo. Et ità quoque à Tribunali Regij Patrimonij decisum reperitur: & apud omnes est vsu receptum: passim enim emphyteusis contractus ea lege, ac pacto celebrantur, vt pensionis extinctio ad rationem ad decem pro cẽtenatio fieri possit, ac debeat: quinimo, cum quidam notarius, qui huiusce contractus instrumentum confecerat, vti pragmaticæ transgressor delatus fuisset, à iudicibus absolutus fuit. Non subijci pragmaticæ subiugantem ad 8. v.g. pro 100. vt redimat censum de 10. pro 100. dicam alibi.

CONSILIVM IX.

Principem Supremum, à iudice inferiore consultum, eidem rescribere debere.

Ad

Cap. 32. Regis Martini.

§. I.

Quibus casibus iudex, siue ordinarius, siue delegatus, de caussa dubia Principem supremum consulere possit.

SVMMAE.

1 *IVdex, de iure dubitans, Principem consulere potest: idque statuit Rex Martinus* d. cap. 32. *n.* 10.

2 *Huiusce consultationis exempla, tum iuris Cæsarei, tum Pontificij*, & n. 1.

3 *Iudicibus aliorum odium metuere, aut gratiam aucupari non licet.*

4 *Doctrina* n. 1. *posita, tum in delegato, tũ in ordinario iudice locum habet.*

5 *Iura contraria explicantur.*

6 *Modus argumentandi à contrario sensu aptus censetur.*

7 *Quibus euentibus hic idem arguendi modus locum non habeat.*

8 *Iudex, de facto dubitans, superiorem cõsulere non potest.*

Factum instrumentis, ac testibus probatur.

9 *Explicatur* l. diuus ff. de off. Præsid.

1 NEmini sanè iuris vtriusque perito dubium esse potest, quin iudex siue ordinarium, siue demandatam, seu mauis delegatam, habeat potestatem, de iure dubitans in causa aliqua ferre sententiã Principem consulere queat; siue de se aliquo exprimat, quid ei placeat, siue nihil omnino innuat; sed absolutè solum dubia de quæstione consulere. Atq; in iure quidem Cæsareo est expressa hac de re Iustiniani constitutio in *l. iubemus si qua sugestio C. de appell. & consult.* id apertè iudicibus permittentis. Idemque Iustinianus in *Auth. de iudicib. §. fin. coll. 9. Si quid*, inquit, *audientes iudices putauerint esse dubiũ, damus eis licentiam de his nunciare nobis, & consulere nos*; & cætera, quæ sequuntur. Idem statuitur integro ferè titulo *de relationibus in Codice* eiusdem Imperatoris; cuius leges quasdã inferiùs perpendemus. Atque huius quidem consultationis exẽplum proponitur in *l. verum §. ex facto ff. de minorib.* idemque passim in Imperatorio iure animaduertere licet, vt etiam ex inferiùs exponendis constabit.

2 Neque verò in Pontificio iure desunt eiusmodi cõsultationis exempla, præsertim *tot. tit. de rescrip. de offi. de leg. & de appell. & relat.* alibiq; passim reperies, iudices Papã de iure aliquo consulentes, ipsumque Summum Põtificem ijs rescribentem, ac præcipuè consulenda sunt *cap. biduum §. fin. 2. q. 6. & cap. intimasti, ibique gloss. de appell.* vbi expressim statuitur, vt iudex relationis, seu cõsultationis exemplũ, antequam referat, siue consultet, litigatoribus edat, vt inferiùs quoq; erit fusiùs exponendum.

3 Neque secum ipsum pugnare putes Iustinianum, dum in *Auth. vt, iudices non expectent sacras iussiones coll. 9.* videtur

detur contrarium decernere, cum: *Iubemus*, inquit, *nulli iudicantium quolibet modo, vel tempore pro causis, apud se propositis, nuntiare ad nostram tranquillitatẽ; sed examinare perfectè causam, & quod eis iustum, legitimumque videtur, decernere, &c.* Ne, inquam, id putes; nam in hac *auth.* de ijs iudicibus loquitur Iustinianus, qui, vt sese exonerent, ac vt litigatorum odium euitent, Principem consulunt, vt ibi admonet *Glossa verb. tranquillitatem, & Bart. ibid. aliaque Glossa in l. 1. verb. cõsulat C. de relat. & in auth. de iudicibus, verb. dubium*: sufficit enim iudicibus, vt ait idemmet Imperator in *Auth. de Mand. Princip. §. Patrocinia, in fine, coll. 3.* per omnia ad perfectam fortitudinem, & lex, & Imperij fauor; ideoq; eis aliorum odium metuere, aut gratiã aucupari minimè licet.

4 Neque item doctrinæ traditæ censeas aduersari *l. placet. 2. C. de pedan. iudicib.* vbi Serapioni præfecto scribẽtes: *Placet*, inquiunt Imperatores Diocletianus, & Maximianus, *vt iudicibus, si quos grauitas tua disceptatores dederit* (id est delegauerit, vt *Glossa* interpretatur) *insinués, vt delegata sibi negotia, lata sententia, terminent, nec in ijs causis, in quibus pronunciare debẽt, & possunt, facultatem sibi patere remittendi ad iudicium præsidiale cognoscãt*: & quæ sequuntur. Nè, inquam, id censeas: nã responderi posset ex *Glossa ibid. verb. cognoscant, & in l. 1. cit. verb. consulat. C. de relat.* eam legẽ de delegato loqui, nõ verò de ordinario, de quo iura à nobis allata loqui videtur. At rationem minimè reddit *Glossa*, cur non idem in delegato de iure dubitante sit asserendum: certè eam reddi impossibile, nedum difficillimũ videtur: eadem enim in vtroque iudice, si de iure dubitet, ratio perspicitur, proinde vulgatis iuribus idem ius erit obseruandum: quare initio apertè asseruimus, idem in vtroque iudice censeri. Propterea *Glossa in l. 1. cit.* aliam subdit responsionem, puta, quia delegatos referre non debet ad iudicandum.

5 Sed, quicquid sit de huiusmodi Glossę solutionibus, mihi videtur posse facillimè responderi, scilicet si dicatur, prohibere ibi Imperatores causarum relationes, seu consultationes, cũ iudices nullo prorsus modo de iure dubitant, sed omnino sciunt quid iustè iudicandum sit, atque aliquam ob causam iudicare detrectant. Id quod apertè ijdem Imperatores innuere videntur: etenim in ijs solum caussis nolunt iudicibus ad Pręsidem eas remittendi patere potestatem, in quibus pronunciare *debent, ac possunt*: si id igitur nequeant, puta quia de iure quopiam dubitant; nequaquam ijs remittendi, referendi, aut consultandi adimunt facultatem. Quin potiùs ex hac ipsa lege maximè roboratur id, quod nos intendimus: quandoquidem, si relatio, seu consultatio delegato iudici interdicitur, cum iudicare debet, ac potest: eidem ergo permittitur, cum iudicare minimè debet, neque potest: id autem euenit cum de iure dubitat; tunc enim, vt patet, iudicare non potest, quin prius certus de iure illo dubio reddatur: siquidẽ dubiam ferre sententiam non potest.

6 Atque hoc quidem argumentandi modo in iure pontificio Pontifices sũmi, & in Cæsareo summi iurisconsulti, ad quamplures eliciendas iuris conclusiones, passim vtuntur, vt videre licet in *cap. cum Apostolica §. fin. de his, quæ fiunt à Prælat. cap. 1. dist. 9. ca. qualis dist. 25. cap. disciplina §. descende dist. 45. cap. de crimine 15. q. 3.* in ijsq; omnibus monet *Glossã*, quæ alia quoque iura profert: item *l. cũ prætor initio ff. de iudic. l. 1. §. 1. ff. de off. eius, cui mand. & vtrobique Glossa* iura quamplurima recẽset. Qua de re videri possunt, quę scribit *Anton. Corset. in singul. ver. argumentum à cõtrario sensu, Bertach. in repert. verb. argumentum n. 10. Euerard. in loc. com.* & alij passim. Sed præ cæteris eo vtitur Vrbanus Papa secun-

secundus relatus in *cap. sanè 24. qu. 2. inter cæteros*, ait, *nostræ fidei patres B. Leo Papa doctor egregius, quibus viuis*, inquit, *non communicauimus, nec mortuis communicare debemus. constat ergo, quoniam quibus viuis, vt ex opposito loquamur, communicauimus, mortuis quoque communicare possumus.*

7 Et quamuis hic idem arguẽdi modus quandoque locum non habeat; sed enim id euenit ob peculiares singularium casuum rationes, veluti cũ aliter in iure expressum reperitur; siue, quod est idem, alia iura obuiarẽt, vt probat *Glossa in extrauag. de Iudæis, & Sarracenis verb. intra trienniũ, post medium, & in Clement. 1. de sentent. excom. verb. obseruare*: vel cũ prauus, aut cõtrarius infertur intellectus, aut quidpiam penitus absurdum, vt *Bertach.* ostendit. Quorum sanè nullum ex nostra citatæ legis interpretatione sequitur, vt quisque deprehenderit, si eam attentè, ac sine praua animi affectione perpendat.

8 Consultò addidi sæpè, *si iudex de iure dubitauerit*: etenim si de facto iudici dubium foret, minimè eidem superiorem consulere licebit: extat enim Vlpiani responsum, quod refertur in *l. eum quem ff. de iudic.* id apertè prohibentis: *Iudicibus*, inquit, *de iure dubitãtibus Præsides respondere solent: de facto consulentibus non debent præsides consilium impertiri: verum iubere eos, prout religio suggesserit, sententiam proferre: hac enim res nonnunquam infamat, & materiam gratiæ, vel ambitionis tribuit.* Atque huius quidem rei esse ratio potest, quia factum instrumentis, ac testibus probatur, quæ melius iudici ipsi, quam superiori innotescere queunt *l. 3. §. 2. ff. de testib.*

9 Neque obstat id, quod in *l. diuus ff. de off. Præsid.* legitur, vbi de facto iudici Principem consulere permittitur, ibi: *Consules nos, vt existimemus, an immanitatem facinoris, si cum posset vi derisentire* (de furioso matricida loquuntur Imperatores) *commiserit, supplicio afficiendus sit.* Non, inquam, obstat, quia etiam hic de iure Principem consulere indulgetur; num scilicet furiosus ille sit supplicio afficiendus, si iudici constiterit, delictum ijs interuallis eum commisisse, quibus sensu sanior erat: cuius quidem rei cognitio eidem iudici ab Imperatoribus demãdata fuerat, ibi: *Diligenter explorabis, &, si quid tale compereris, consules nos, vt existimemus, num sit supplicio afficiendus*: id vero statuere, iuris est decisio, non autem facti. Atque ità docuit *Glossa in cit. l. diuus verb. consules nos, & in l. eum quem verb. impertiri*: & vtrobique aliam quoque innuit solutionem, puta in *l. Diuus*, permitti quidem iudicibus Principem, non verò Præsidem, de facto consulere: at in *l. eum quem*, id ipsum quoad Præsidem negari: & quamuis non vndequaque id nobis arrideat, in eo tamen minimè possumus diutiùs immorari.

10 Hæc sanè omnia præmisimus, vt intelligatur, iure aliquoties Siciliæ iudices Regem nostrum cõsulere, illiusque respõsum expectare ad sententiã caussæ dubiæ pronunciãdam. Id quod etiam, quòd attinet ad Regia rescripta, Rex Martinus *in cap. 32.* ijsdem indulsit.

§. II.

Assertio nostra demonstratur.

SVMMAE.

11 *Difficultas hic agitanda explicatur: ac resoluitur affirmatiuè.*

12 *Prima resolutionis ratio, ac fundamentum, & n. seq.*

13 *Finis consultationis quis sit.*

14 *Secunda ratio ex* Auth. in medio litis, &c.

15 *Tertia ratio ex* l. si . C. de legib.

16 *Nouum ius à quo interpretari debeat.*

17 *Quarta ratio ex* l. 1. C. de relat. *& n.* 18.

Caussa

Caussa, quæ refertur, plena instructione ad Principem mitti debet.

19 *Quinta ratio ex* l. 1. & 2. C. de relat. *& aliis.*

Consultationis exemplum ante consultationem litigatoribus edendum.

20 *Sexta ratio ex* l. iubemus, C. de appell.

21 *Qui consiliarij olim consultationibus iudicum respondebant.*

22 *Vltima ratio, quæ etiam probat, caussas relatas debere à Principe decidi, ex* l. nè caussas. C. de app.

Infamia notatur iudex, qui plenam instructionē ad Principē relata caussa non mittit.

23 *In appellatione caussa nunquam ad iudicem à quo remittuntur.*

24 L. nè caussas C. de appell. *quomodo in compendium à Bartolo, & Castro redigatur.*

25 *Decisio.*

1 Difficultas verò, quæ occasione cuiuspiam consultationis exorta, supremorum iudicū animos in diuersas, quin prorsus oppositas sententias adegit, ea fuit; num scilicet æquum esset, caussam, de qua iudices Regem consulebant, iterum absque certa decisione ad eosdem remittere terminandam, illis iubendo, vt, quid iure iustum esset, decidèrent. Etenim quidam id æquum esse, iureq; fieri posse affirmabāt; sed nullo, quod ego viderim, iure innixi: alij penitus negabāt. Equidem interrogatus, quid iuris hac in re sentirem, sententiam negantem respondi mihi esse verissimam, & contrariam omni prorsus iure, ac ratione destitutam: eamque supremus Italiæ Senatus amplexus est. quam ego iuribus, quæ modo subijciam, à litigatorum altero, quem defendebam, rogatus ostendi.

12 Ac primò quidem ex *Auth. de iudic. §. fin. coll. 6.* vbi, vt suprà quoque retuli: *Si quid*, inquit Iustinianus Imperator, *audiētes iudices putauerint esse dubium, damus eis licētiam de his nunciare nobis, & consulere nos, vt discāt, quæ necessaria sunt, & ità quid agēdum sit, explicent, & faciant iusta simul, & rationabilia iudicia*. Ex Principis igitur responso discere debet iudex, quid sit agendum, vt iustitiam administret: atqui, si idem Princeps caussam, de cuius iure index dubitabat, eidem absque certa aliqua decisione terminandam remittat; remanebit certè idem met iudex dubius, ac omnino perplexus in sententia ferenda, sicuti priùs erat, antequam Principem consuleret: neque ex hac consultatione sciet, quæ necessaria sunt, quò faciat iusta, & rationabilia iudicia, vt Imperatori placet.

13 Atque ex hac *Auth.* cęterisque iuribus, inferiùs afferendis, validissima ratio, ac veluti traditæ doctrinæ fundamētum elici, meo iudicio, potest. Etenim finis indulgendæ ab Imperatoribus consultationis is fuit, quem modò innui, quo scilicet iudex in dubio iure à Principe disceret, quid ea in re iuris foret, indeque calleret, quod sit eadem in re iustum, ac rationabile iudicium, iustamque deindè sententiam ferre posset: quod, nisi Princeps consultanti iudici respondeat, equidem non video, quo randem modo consultationis finis cōstare possit: atque ideo tota ipsiusmet cōsultationis ratio corruat, necesse est.

14 Secundò probatur tradita doctrina ex *Auth. in medio litis non fieri sacras formas, ibi: si vero aliqua dubitatio, coll. 8.* postea enim quam Imperator præcepit, vt iudex, de caussa aliqua cognoscens, secundùm legem in eadem procederet, ac iudicaret; non verò secundùm sacras formas, aut iussiones, lite pendente, emanatas, subdit: *Si vero aliqua dubitatio iudici de aliqua fiat lege, nunciet ad nostram potestatem, & à nobis expectet caussa scriptam declarationem, aut interpretationem, & secundùm eam decidat litem*. Principem ergo consulere debet iudices, de iure aliquo dubitantes, ab eoque expectare

re causę dubiæ declarationem, aut interpretationem, secundùm quam deinde sententiam proferre oportet: debet igitur & ipse Princeps iudicibus respondere: hæc enim duo affecta sūt, seu, vt communiter loquimur, relatiua, atque ideo vnum absque altero subsistere minimè potest.

15 Tertiò probatur ex *l. fin. C. de legib. & constit.* vbi: *Si enim leges condere,* inquit Iustinianus, *soli Imperatori concessum est; & leges interpretari solo dignū imperio esse oportet: cur certè ex suggestionibus* (quomodo suggestio, ac relatio differāt, exponit *Glossa* l. 2. eo. tit. verb. quæ ex relationibus) *procerū, si dubitatio in litibus oriatur, & sese non esse idoneos, vel sufficientes ad decisionē litis illi existiment, ad nos decurritur? & quarè omnes ambiguitates iudicum, quas ex legibus oriri euenit, aures accipiunt nostræ, si non à nobis interpretatio mera procedit? vel quis legum ænigmata soluere, & omnibus aperire idoneus esse videbitur, nisi is, cui soli legislatorem esse concessum est?* & cętera, quæ sequūtur. Ecce vobis, vt Imperator ipse cōtrà illius opinionis patronos validissimis vtitur argumentis.

16 Etenim si dubius est cuiuspiam legis intellectus, quis profectò eam poterit interpretari, nisi solus Imperator, qui tam conditor, quam interpres legum solus iustè existimatur? Cuius quidem dubij iuris ratio eadem videtur habenda, quæ noui iuris, quod inueterato vsu non adhùc stabilitum est: de quo sanè Leo, ac Zeno Imperatores statuūt in *l. cum de nouo C. de leg.* quòd, si de eo dubitatio emergat, necessaria est tam suggestio iudicantis, quam sententiæ principalis authoritas: quod enim discrimen erit, si de veteri iure etiam dubitetur, si illud interpretari nemo poterit, nisi solus Imperator? certè & runc necessaria erit, & suggestio iudicantis, & Principis quoque responsum. Rursus cur Principem de dubio iure consulit iudex, si nihil inde interpretationis expectet? fine profectò suo careret consultatio, si princeps nullam ambiguæ litis decisionem iudici remitteret; & frustra eiusdem Principis aures acciperēt iudicum ambiguitates, si nulla ab eo interpretatio mera procederet.

17 Quartò probatur ex *l. 1. C. de relat.* vbi: *Si quis iudicum,* inquit Imperator, *duxerit esse referendum, nihil inter partes pronunciet; sed magis, super quo hæsitandum putauerit, nostram consulat scientiam.* & infrà: *Sed neque ad nos mittatur aliquid, quod plena instructione indigeat.* Idemq; statuitur in *l. fin. eod. tit.* Quod si caussa, quæ refertur, ad iudicem referentem iterum decidenda absque alia declaratione mitteretur; minimè huiusmodi plena instructio necessaria foret.

18 Neque dicas, hoc ideo ab Imperatore exigi, vt scilicet quandoque, si lubeat, definitiuam proferre sententiam queat: nè, inquam, id dicas: etenim nulla omnino potior ratio perspici videtur, cur in quibusdā id efficiat, in alijs verò caussis id ipsum præstare detrectet; ansamque pluribus daret Princeps iure cogitandi, ipsum esse personarum acceptatorem. Præterquamquod in *cit. l. fin.* apertè innui videtur, ideo omnes omnino caussas debere à relationis serie comprehendi, quando ratio, seu necessitas est in negotijs Principis consilium requirendi, quia debet iudex eius expectare responsum.

19 Quintò probatur ex *l. 1. & 2. C. de relat. l. fin. ff. quando appell. fit;* quā iure Pontificio approbatam inuenies in *cap. biduum §. fin. 2. q. 6. cap. intimasti, de appell.* & pro ijs consule *Gloss. in cap. cum olim. 2. verb. Vriæ, de off. deleg.* Iubent hæc iura, vt iudex consultationis exemplum ante relationem, seu consultationem, litigatoribus edat: (excepta tamen eiusdem iudicis opinione, si eam ad Principem mittat, vt sancitur in *l. iubemus C. de appellat.*) vt, si cui fortè relatio minùs plena, vel contraria videatur, is refutatorias preces offe-

offerat,seu,quod est idem,& *Glossa* interpretatur, appellet: quod tunc sanè licebit: postea enim quam Princeps contrà litigatorum alterum rescribit, appellari non potest *l.1.§.1.& l.fin.ff. quando appell.sit,& cap. biduum §.fin. cit.* Atqui cur litigatoribus exemplũ consultationis edatur, & quarè à consultatione appellari prohibetur, si cõsultus Princeps poterit,absque certa dubij iuris interpretatione,causam ad iudicem remittere decidendam?

20 Sextò probatur ex *l. iubemus, sæpè citata,C.de appell. & consult.* vbi postquam Iustinianus iudicibus indulsit, vt ipsum consulere possent,si aliquod iuris dubium ijsdem occurrisset;iubet, consiliarios, ibidem recensitos, in scriptis relationem discernere, siue præsentibus partibus,siue absentibus, & responsum,relationi dandum, suâ sententia manifestare. Vult ergo Imperator, de caussa aliqua consultus, vt ab eius consiliarijs illa examinetur, quò,iuxtà eorumdem consilium, rescribere iudici queat.

21 Hi sanè Cõsiliarij eo temporis erant duo Patritij viri, vel Consulares, vel Præfectorij, qui ab Imperatore eligebantur,necnon & Quæstori ad id muneris exequendum adiungebantur. Hodiè vero in Regis Catholici Monarchico regimine hanc,sicuti,& omnem, quę ad Italiam spectat, prouinciam suscipiunt prudentissimi viri, atque iuris vtriusque consultissimi, qui pro tẽpore ab ipsomet Catholico Rege præ cæteris eliguntur, vt consiliarij munus in supremo Italicarum rerum Senatu exequantur. Atqui igitur est,vt hi responsum relationi, seu consultationi dandum, sua sententia manifestent,quò Rexipse iudici rescribere queat; iudexque possit, deposito dubio, sententiam, iuxtà Regium rescriptum, absque hæsitatione proferre: qui,vt supra innui,fuit,estque finis consultationis iudicibus indulgendę.

22 Denique Principem post relationẽ, seu cõsultationem debere caussas decidere, seu definitiuam proferre sententiam,expressim docere videtur *l.nè caussas C. de appell. & consult.* vbi:*Nè caussas*,inquit Imperator,*quæ in nostrã venerint scientiam,rursus transferri ad iudicia* (puta vndè veniunt) *necesse sit, instructiones necessarias plenè actis inseri præcipimus:nam cogimur à proferẽda sententia temperare: quoniam verendum est, nè lis incognito negotio dirimatur,adempta copia conquerendi:quarè perẽnibus inuretur iudex notis,si cũcta,quæ litigatores instructionis probationisque caussa, recitauerint, indita actis, vel subiecta non potuerint inueniri.* Infamię igitur pęnam subibit Iudex, qui necessarias caussæ instructiones mittere ad Principem prætermittit: nimirum quia caussæ, quæ referuntur, minimè sunt ad eumdem iudicem remittendæ;sed potiùs ab ipsomet Principe decidendæ.

23 Quod si dicas,hanc Imperatoris cõstitutionem de appellatione, ad Principem facta, non verò de consultatione loqui: atque ideo,quod in illa sancitur,respectu appellationis, non autẽ consultationis locum obtinere; aio,id quidem in appellatione verissimum censeri, vt satis constat ex pluribus legibus *C. & ff. de appell.* addo tamen, Imperatorem in citata constitutione videri de cõsultatione loquutum: etenim in appellatione nullo prorsus modo caussæ ad iudicem remittuntur, à quo fuit appellatum,vt patet *l. eos qui §.1.C.de appell.alijsque*: at verò Imperator plenam exigit instructionem, nè scilicet necessarium sit,caussam rursus ad iudicem transferri, qui de ea Principem consuluit: quarè cõsultò hæcce verba apposuisse videtur Imperator initio legis; quò scilicet innueret,se de consultatione loquutum.

24 Atque ita eam legem videntur intelligere *Bartolus,& Paulus de Castro:* quorum primus eam sic in epitome redigit: *quæ retractationi non subiacẽt, diligenter sunt agẽda: & iudex,qui Cõsultori omnia acta non miserit,infamatur:*

tur: alter vero in hunc modum: *iudex, qui caussam remittit ad* Principem *terminandam, debet omnia acta mittere, uqia à sententia* Principis *non potest appellari; ideo cautiùs agendum: & iudex, qui non omnia misit, infamatur*. Secundùm igitur auctoris vtriusque doctrinam, Imperator de cõsultatione loquitur. Et quidem de *Bartolo* nullum potest esse dubium, cum apertè Principem *Consultorem* appellet: *Paulus* vero id etiam liquidò docet, cum velit, de iudice, caussam ad Principẽ terminandam remittente, loqui legem, qualis proculdubio ille non est, à quo appellatur: nunquam enim is ad Principem dicitur caussam remittere terminandam, cum ipse iam definitiua sententia terminarit; sed potiùs apostolos dare, actaque edere, & sentẽtiæ à se prolatæ executionem suspendere cogitur.

25 Atque ex his sanè omnibus concludendũ omnino videtur, debere Principem supremum, ab inferiore iudice consultum, eidem ità rescribere, vt is ex huiuscemodi rescripto definitiuam absque hæsitatione sententiam proferre queat. atque ità, vt suprà etiam innui, supremus Italiæ Senatus ea in lite, cuius occasione hęc omnia allegauimus, executioni mãdandum decreuit.

CONSILIVM X.

Futuræ successiones in officijs, vti in beneficijs, regulariter improbatæ.

Ad

Cap. 30. Alphonsi. 13. Ferdinandi, & 26. Caroli V.

§. I.

Ostenditur assertio iure municipali Siculo, & Canonico.

SVMMAE.

1 *FVturas concedere officiorum successiones luctuosum est, & tristissimi plenum euentus.*

2 *Probatur id primò iure municipali Siculo.*

Id præsertim in officio Straticboti sancitum.

Expectatiuæ officiorum Siculorũ nullæ.

3 *Diuinum ius positiuum nihil, aut parum tradita doctrinæ suffragatur.*

4 *Probatur doctrina tradita secundò iure Pontificio.*

Qua pœna ij puniantur, qui viuentium Sacerdotum locum occupant.

5 *Concilium Lateranense eas successiones improbat.*

6 *Decretum Lateranensis Concilij alia quoque amplexa sunt.*

7 *Sanctus Augustinus Hipponẽsium Episcopo accessit, non successit.*

8 *Neque Summo* Pontifici *licet sibi eligere successorem.*

9 *Plura cęteris damus, quæ nobis ipsis cõcedere probibemur.*

Nemo sibi sumit honorem.

10 *Sanctus Petrus sibi Clemẽtem elegit successorem, quod tamen doctrina tradita non aduersatur.*

Ad Petri vmbram infirmi curabantur.

Clemens se Pontificatu *abdicauit.*

11 *Concilium Basileense nobis fauet.*

Aliqui illud censent illegitimum.

Mala,

Mala, quæ ex expectatiuis gratiarum enascuntur.

12 *Futuræ successiones per importunitatē, & ambitionem extorquentur.*

Ob importunitatem non cōcedendæ multoties conceduntur.

Hisce futuris successionibus captandæ alienæ mortis occasio tribuitur.

13 *Concilium Tridentinum nobis fauet.*

14 *Tradita doctrina etiam in beneficiorū præsentationibus locum habet.*

15 *Ex ea ortum ducunt plures regulæ Cancellariæ.*

Coniux grauem culpam committit, alteri matrimonium promittens, post præsentis coniugis obitum ineundum.

Ea promissio irrita à pluribus censetur.

1 Consueuère Principes, qui superiorem neminē agnoscūt, quibusdam futuras quas vocamus successiones nondum vacantiū officiorum quandoque concedere: de quibus equidem à Ministro quodam regio, viro apprimè docto, consultus, quid iure sentirem; respondi sanctiùs, ac tutiùs Supremum Principem acturum, si eas nemini concedat, sequutus doctissimum *Petrum Gregorium Tholosanum lib. 1. de rescript. cap. 10. n. 1.* qui verissimè addit, id esse luctuosum, ac tristissimi plenum euentus. id quod ipse desumpsisse videtur ex Iustinianæa constitutione, quæ habetur in *l. fin. C. de pactis*; etsi eam non laudet.

2 Et sanè, quod attinet ad ius municipale Siculum, reperio primum *cap. 30. Alphonsi Regis* ità loquentis: *officiū Straticboti, capitaneorum, iudicatusuè, personis diuersis pro annis pluribus concedi non possit; sed vni pro vno proximè sequenti tantum anno concedi valeat: si quod vero officium ex prædictis contrà huiusmodi nostri capituli tenorem impetratum fuerit, ipso iure pro reuocato haberi volumus.* Tum *Ferdinandus Rex* secundus, Siculorum votis petentium, vt nulli officia, beneficia uè, viuente adhuc possessore, concederentur, annuens, sanciuit, priuilegia super officijs viuentium specialiter impetrata, *præter ipsorum consensum*, irrita esse, nulliusque momenti: statutum id inuenies in *cap. 13.* eiusdem Catholici Regis. Demum *Carolus V.* Imperator, Siciliæque Rex *in cap. 26.* eisdemmet Siculis petentibus, nè expectatiuæ officiorum, in vita officialium viuentiū, concederentur, respondit, pro reuocatis, atque nullas esse existimandas expectatiuas omnes, quæ, vt ibidem dicitur, hinc antea fortè fient: & in *cap. 142.* cum Siculi, parum sibi constantes, ab eodem Imperatore efflagitarent, vt expectatiuam quamdam Ludouico Sancio indulgeret; scitè rescripsit, se minimè concedere expectatiuas. idemque respondit in *cap. 143. & 150.* petentibus ijsdem, vt similis expectatiua Hieronymo Antonino de Imperatore, ac Gherardo Alliatæ concederetur.

3 Eam vero, quam posui verissimam propositionem, præter ius municipale Siculum modo relatum, ostendi vtroque iure, pontificio, ciuilique, ac ratione quoque naturali: hæc enim omnia eiuscemodi futuras successiones penitus abhorrent. Quispiam etiā id ipsum diuino iure probaret, puta ex *cap. 7. Epistolæ S. Pauli ad Romanos & 1. ad Corinth. 7.* vbi ex sentētia Mādosij *in reg. 21. cancell. q. 1. n. 5.* prohibetur erga viuentis vxorem desiderium; cui tamen mortuo viro quisque nubere iure potest, nisi aliundè impediatur. *Nec Episcopatus*, inquit Mandosius, *nefandissimi Iudæ Scariothis viui collatus alteri fuit, sed post eius obitū sors cecidit super Matthiā Act. 1.* Sed, vt verum fatear, hæc sacra loca mihi haud satis apta videntur ad quam intendimus veritatem inferendam; licet cæteroqui *Mandosij* instituto maximè conducant: loquitur enim ipse de beneficio per uiuentis obitum impetrato, diuusque Paulus viuentis quoque vxorem quempiam habere vetat; & Scariothis exemplum viuētis quoque beneficium nemini dandum mo-

net. At nos de futuris loquimur successionibus, quibus non viuentium, sed moriturorum officia, cum re ipsa decedent, conceduntur: quare diuinum ius nihil, aut certè parum, videtur nobis suffragari: nisi ius diuinum pro naturali iure accipere lubeat; pro ea scilicet lege, quæ in homine reperitur ab æterna, increataque lege, deriuata; qua videlicet bonum cognoscit, omnino amplectendum, malum verò penitus fugiendum: quæ sanè lex, cum à D. o, naturæ auctore, hominum mentibus imprimatur, à pluribus, quos citat, sequiturque *Molina tom. 1. de iust. tract. 1. disp. 3.* ius diuinum naturale nuncupatur, illudque seiungunt à diuino positiuo, quod in antiquum veteris, & nouum noui testamenti non incongruè partiuntur. si ergo hunc in modum ius diuinum accipiatur, inferiùs satis ostendam, illud apprimè nobis patrocinari.

4 Probatur itaque nostrum enunciatum, secundò quidem iure canonum, in quo sanè quamplura Pontificum decreta, & Sanctorum responsa inuenies, qui easdem futuras, præsertim in beneficijs, successiones omnino detestantur. Id ostenderet quispiam ex *cap. 1. de concess. præb*, vbi: *qui in viuorum Sacerdotum loco ponuntur*, inquit Gelasius Papa, *hoc ipso sunt ab ecclesiastica communione pellendi. quo se passi sunt successores viuis sacerdotibus adhiberi*: & ex *cap in primis 2 q. 1. cap. non furem, & cap. eum qui 7. q. 1.* ac similibus, vbi eosdem, qui viuentium Sacerdotum locum occupare præsumũt, fures, latronesque censeri, ac deponendos Pontifices summi decernunt. qua de re consuli queunt, quæ latè traddidit *Mandos in cit. Reg. 21. cancell. & Rebuff. in reg. de subrogandis collitigantibus gloss. 7. in prax. benef.* Sed certè hæc iura non futuras, de quibus nos loquimur, successiones condemnant; sed solum præcipiunt, vt, qui superstitibus adhùc Episcopis, peruersè, & cõtra canones in eorumdem ecclesijs ordinari præsumunt, sacerdotio priuati, ab omni prorsus ecclesiastico ministerio repellantur.

5 Expressim verò id, quod nos intendimus, probatur ex Concilio Lateranensi, Alexandri III. tempore celebrato, quod refertur in *cap 2. de concess. præb. cit.* vbi: *Nulla Ecclesiastica*, inquiũt Patres, *ministeria*, (idest officia, seu dignitates, vt Glossa interpretatur,) *seu etiam beneficia, vel ecclesiæ tribuantur alicui, seu promittantur, antequam vacent; nè desiderare quis mortem proximi videatur, in cuius locum, & beneficium se crediderit successurum: cum enim in ipsis etiam legibus Gẽtiliũ inueniatur inhibitum; turpe est, & diuini plenum animaduersione iudicij, si locũ in Ecclesia Dei futuræ successionis expectatio habeat, quam ipsi etiam Gentiles condemnare curarunt.*

6 Atque hoc Lateranense decretum amplexa sunt plura Cõcilia, præsertim Prouincilia, præcipuè *Coloniense primum p. cap. 5.* quod *tom. 5. Concil.* continetur, in quo illud recitatum fuit ijsdem omnino verbis, & approbatum. Huius quoque Cõcilij vestigijs inhærentes Alexander ipse Papa tertius in *cap. relatum*, & Innocentius item Papa III. in *cap. ex tenore eod. tit. de concess. præb.* promissionem vacaturi beneficij irritam, inanemque esse declarant. Atque hinc etiã Zacharias Papa Bonifacio Moguntino Archiepiscopo petenti, vt sibi ob senectutem, corporisque imbecillitatem coadiutorem adiũgeret, qui sibi in Episcopatu succederet, rescribens, primum quidem iure concessit, vt refertur in *cap. petijsti 7. q. 1.* de secundo autem *si eumdẽ*, inquit, *diuina voluerit clementia post tui diem transitus superesse, si eum aptũ cognoueris, & in tua voluntate fuerit diffinitum, ea hora, qua te de præsenti seculo migraturum cognoueris, præsentibus cunctis, tibi successorem designa, vt hùc veniat ordinandus: hoc nulli concedi alij patimur, quod tibi, caritate cogẽte, largiri censuimus. de eo autem quod* tibi

tibi successorem constituere dixisti, vt, te viuente, in tuo loco eligatur Episcopus, hoc nulla ratione concedi patimur; quia contra omnem ecclesiasticam regulam, vel instituta Patrum, esse monstretur: nimis enim reprehensibile esse, manifestum est, vt, te viuente, tibi alium substituamus: &c.

7 Hic *Gratianus 7.q.1.§.ecce quod Episcopo*, ait, S. Augustinum Hipponensium Episcopo accessisse quidem, non successisse, & refertur in *cap. non autē, ead. caus. 7. qu.* 1. Id ipsum Alexander Papa III. cit. in *cap. accepimus, de pactis*, iniquum ait esse, sacrisque canonibus inimicum, atque ideo nullatenus tolerandum; & eiuscemodi successiones detestabiles, & iniquas vocat, proindeque friuolas, & inanes esse decernit. Et quidem Concilia Antiochenum, Bracharense, Romanum, Hilarius quoque Papa, ac Hieronymus, aiunt, Episcopis minimè licere, successorem sibi constituere, licet ad vitæ exitum peruenianti; &, quod si tale aliquid factum fuerit, irritū sit huiusmodi constitutum, vt refertur in *cap. episcopo non licere, cap. Episcopo non liceat, cap. plerique, cap. Moyses, & seq. 8. qu.* 1. & *cap. Episcopo non liceat*, integrum recitatum fuit in *Concilio Hispalensi*, & inter illius fragmenta *cap.* 8. refert *Garsia Loaysa in collect. Concil. Hispan fol.* 245. Mogūtino autem Archiepiscopo, vt prædixi *n.6.* id speciali priuilegio concessum fuit.

8 Sed neque ex *cap. si transitus dist.* 76. aptè colligitur, summo licere Pōtifici, sibi instituere successorem. Etenim, vt optimè inquit *Gratianus §. his auctoritatibus*, 8. *qu.* 1. aliud est de sui successoris electione cū fratribus deliberare; aliud est ex testamēto tāquā suæ dignitatis hæredem sibi quærere: illud fieri permittitur; (vt in *cit. cap. si transitus*, innuitur) hoc autem penitus prohibetur: idemque animaduertit *Glossa in cit. cap. si trāsitus, verb. non possit*: non enim debet Papa, quæ ad perpetuam vtilitatem generaliter sunt instituta, vlla commutatione variare, *cap. 3. ibique Glossa verb. nulla cōmutatione, 25. q. 1. & in §. cit. His auctoritatibus verb. beatus, alibique*.

9 Et quamuis id ipsum Pontifex concedere ab peculiarem aliquam rationem alijs queat, vt Zaccharias Bonifacio indulsit, vt *n.6.* diximus; ei tamē illud idem minimè licet: plura enim cęteris licitè damus, quæ nobis ipsis concedere prohibemur, vt *Hostiensis* admonet: Episcopi enim alijs honorē, priuilegiumuè sæpè tribuunt; sibi verò impendere licitè nequeunt: nemo enim sibi sumit honorem, ad *Habreos 5. cap. in scripturis 8. q. 1.*

10 Et quamuis S. Petrus, Apostolorū Princeps, Beatum sibi Clementem successorem instituerit *cap. 1. 8. q. 1.* id tamen, vt idemmet *Gratianus §. cit.* docet, ab illis valet in argumentum assumi, qui tales sibi substituunt, qualem sibi successorem Beatus Petrus quæsiuit. Addit Glossa in cit. *cap. si transitus dist. 79. verb. nō possit*, id minimè in consequentiam esse trahendum; quia & ad Petri vmbram infirmi curabantur: *& de hoc*, inquit, *dici cōsueuit 5. q. 5. Petrus*. Adderem, quod tradit *Glossa in cit. cap. 1. 8. qu. 1. verb. aut ligandi*, Clementem, quem sibi successorem Petrus delegerat, rexisse quidem post eum Ecclesiam Dei, sed videns ipsemet, quod exemplum esset omnino perniciosum, quempiam sibi eligere successorem, vltrò sese Pontificatu abdicauit, Linusque in eius locum primò, inde Cletus, quos adiutores sibi Petrus asciuerat, suffecti sūt: quibus sanè vita functis, denuò Clemens ipse Pontifex renunciatur. Et quamuis apud historicos adhùc sub iudice lis sit, num verè ecclesiam rexerit Clemens ante Linum, & Cletum; illud tamen omnes penè fatentur, ipsum, ob modo relatam ex ea *Glossula* rationem, eos sibi præposuisse, nè scilicet alios exemplo doceret, esse sibi facultatem successores in beneficijs, seu ecclesijs deligendi: qua de re viden-

de *Bellar. lib. 2. de Rō. Pon c. 5. & Barō. an. 69. & Quintan. lib. 2. Eccles. à n. 5.* aliosq; apud *Barbos. de potest. Epis. tit. 1. cap. 3. num. 43.*

11 Reperi quoque statutum hac de re *Concilij Basileensis*, sub Eugenio Papa Quarto celebrati, tomoq; item quarto Conciliorum conclusi, quod hìc annectere censui; non quòd illius acta Concilij probem; cum indè plerique illud illegitimum iudicet, quòd eumdem Eugenium Papam deponere sit conatum, ac definiuerit, Generale Cōcilium esse suprà Papam, vt luculenter post *Turrecrematam lib. 2. Sūmæ, de Eccl.* aliosque plures ostendit *Nicolaus Sanderus lib. 7. de visibili Ecclesia monarchia*: qua de re legendus est quoque *Bellar. lib. 2. de Cōcil. à cap. 13. vsque ad lib. 3.* sed quod re ipsa ea, quæ præfatum Cōcilium affert, quod attinet ad præsens institutum, magni sunt ponderis, ac momenti: docet enim, plurimum obfuisse rectæ Ecclesiarum administrationi gratiarum expectatiuas, *quæ grauem*, inquit, *ordini, statuique ecclesiastico perturbationem, variasque inordinationes, ac plurima discrimina inuexisse comperiuntur: ex his enim frequentiùs dati sunt ecclesijs ministri non probati, nec cogniti, vacaturorumque beneficiorum expectatio, quæ, sicut antiqua iura testantur, occasionem desiderandæ mortis alienæ præstare solet, quoad plurimum præiudicat animarum saluti: &c.*

12 Hisce similibus incommodis permotus Bonifacius Octauus in *cap. detestanda, de concessione præben. lib. 6.* promissiones vacaturorum beneficiorum omnino improbauit, puta quia, vt ipsemet eloquitur, sicut experientia docuit, per promissiones huiusmodi (quæ per importunitatem nimiam, per quam non concedenda multoties conceduntur, & per ambitionem improbam, vt plurimum extorquentur) aperitur via sub tali palliatione verborum, ad promittenda damnabiliter cōtra Lateranēse Cōcilium beneficia vacatura; mortis alienæ votum ingeritur, & ecclesijs, ac prælatis, & personis ecclesiasticis grauamina plurima inferuntur. & *cap. seq.* nè captādæ alienæ mortis occasio tribueretur, sanciuit, quòd is, cui ab Apostolica sede, vt ei de aliquo beneficio prouideatur, quod duxerit acceptandum, indultū est, certū, & expressum, priusquā vacet, acceptare non potest.

13 His sanè omnibus addere licebit *cap. ex transmissa, cap. ad extirpandas successiones, de filijs presb. cap. consulit, de iurepatr. cap. ad hæc, de decim. & Cōcilium Romanum*, Hilarij tempore celebratum, *cap. 5.* queque in allegatis capitibus à Doctoribus traduntur. Sed præsertim consulenda sunt, quæ sacrū *Tridentinum Concilium* hac de re nouissimè decreuit in *sess. 25. cap. 7. de reform.* vbi ea, quæ in beneficijs ecclesiasticis hæreditariæ successionis imaginem referunt, sacris constitutionibus odiosa, & Patrum decretis contraria esse asseuerat.

14 Quæ sanè omnia etiam in beneficiorum præsentationibus locum obtinere, ex ijsdem regulis apertè colligitur, aitque *Rebuff. in concord. tit. de regia ad Prælat. nominat. §. 1. verb. occurrente huiusmodi, & in Proœm. concord. verb. Fati*: mihique aptissimum videtur ad id probandum *cap. fin. de concess. præben.* vbi id ipsum de præsentatione statuitur, vt quisque animaduertere potest.

15 Atque hinc quidem plures Cancellariæ regulæ ortum, atque originem ducunt, vt 21. *de non impetrando beneficium per obitum viuentis*; vbi id assequens, ineptus redditur ad illud ipsum, cum vacauerit, impetrandum: item *reg. 29. de subrogandis collitigantibus*, præsertim ibi: *cupiens* (Dominus noster) *eorū fraudibus obuiare, qui viuentium beneficia impetrat*: rursus *reg. 30. de verisimili notitia*, quam Pontifex requirit, nè viuentis beneficium impetretur. Denique *reg. 62.* vbi, petenti sibi prouideri de vacaturo, do-

va-

uacanti dari literas decernitur. Hinc quoque *Greg. 9. in cap. fin. de eo, qui dux.* ait, grauem culpam committere coniugem, alteri matrimonium promittentem, post præsentis obitum cõiugis ineundum; eique esse pęnitentiã iniungendam; hancque promissionem irritam, inanemque plures arbitrantur; quos citat, sectaturque *Sanch. lib. 7. de matrim. disput. 79. num.* 40. Alia equidem plura de re proposita recenserem, nisi me breuitatis studium impediret. Ad ius igitur Cæsareum trãseamus.

§. II.

Ostenditur assertio iure Cæsareo, ac naturali ratione.

SVMMAE.

16 *IVs Cæsareum futuras successiones detestatur.*
Pactum futuræ successionis est contra bonos mores.
Pœna mulctatur, qui cognati viuentis bona donat.
Inutilis est stipulatio, qua de futura successione conuenitur.
17 *Hæc pacta nec iuramento firmantur.*
18 *Pactum nõn succedendi iuramento obfirmatur.*
Non est contra bonos mores.
Aufert votum captãda alterius mortis.
19 *Iuramentum contra bonos mores non obligat, neque est vinculum iniquitatis.*
Mores Ciuiles à Naturalibus, & Canonicis seiuncti.
Bonorum morum nomine, naturales intelliguntur.
20 *Ciuiles intelliguntur, cum solum mores, non item boni appellantur.*
Improbus est is, qui de viuentis hæreditate sollicitus est.
21 *Hæreditas viuentis vendi non potest.*
De viui hæreditate nominatim mandari non potest.
Nemo pro hærede se gerere potest, viuo eo, cuius in bonis gerendum est.
Viuentis nulla est hæreditas.
22 *Ratio naturalis tradita doctrinæ.*
Turpe est ad delinquendum homines inuitari.
Hæc naturalis ratio communis est cuicumque futuræ successioni.
23 *Argumentum de beneficijs ad officia validissimum est.*
Identitas rationis magnam vim habet.
24 *Supremi quoque Principes ad secularia officia dignissimos eligere debent.*

16 ET quidem ius Cæsareum futuras hasce, de quibus loquimur, successiones detestari, nemini dubium esse potest. *Nobis*, inquit Iustinianus Imperator, de pactis loquens futurarum successionum, in l. fin. C. de pactis, *omnes huiusmodi pactiones odiosæ videntur, & plenæ tristissimi, & periculosi euentus:* ob insidias, addit *Glossa*, quæ ei instruuntur, de cuius hæreditate agitur: *quarè enim*, prosequitur Imperator, *quodam viuente, & ignorante, de rebus eius quidam pacifcentes conueniunt?* Deindè secundùm veteres regulas decernit, huiuscemodi pacta, quæ contrà bonos mores ait esse inita, omnino repelli, nec ex eis quidpiam obseruari: quin & ei, qui cognati alicuius viuentis bona, eorũuè partem donauit; si postea iure prętorio succedat, quoniam aduersus bonos mores, & ius gentium donare festinauit, actiones hæreditarias in totũ denegãdas, eidemque vt indigno auferendam hæreditatem, respondère iurisc̃õsulti Martianus, ac Papinianus, vt constar ex *l. 2. §. fin. ff. de ijs, quibus vt indign. & ex l. quidam, & seq. ff. de donat.* Atq; ità quoque Iulianus in *l. stipulatio hoc modo ff. de verb. obligat.* & Imperatores Diocletianus, & Maxim. *in l. ex eo C. de inutil. stipul.* irritã, inutilemque volunt esse stipulationẽ, quippe bonis moribus contrariam, qua de futura successione, seu hæreditate conuentum est. quod alibi quoq; reperies à legumlatoribus sancitum.

17 Et quidem, quamuis iuramẽto obfirmentur pacta eiuscemodi; nihil tamen

men indè firmitatis acquirunt; quia scilicet bonis moribus aduersantur. Atque ità volunt *Anch. cons.* 403. *Fulgos. cons.* 73. *Deci. cons.* 502. *n.* 10. *vers. præterea*, quos allegat, sectaturque *Mand. in reg.* 21. *cit. q.* 1. *nu.* 5. aliosque plures citat, ac sequitur *Georgius Natan in repet. cap. quamuis pactū vers. quarto fallit, de pactis lib.* 6. quæ circūfertur in *tract. de pactis diuersorū*, qui vnico volumine concluduntur, ibique *n.* 60. vide *Add. ad* ipsum, & *Ioā. Corasium in opusculo pactorum futuræ successionis*, vt se ipse citat in *l. stipulatio hoc modo, ff. de verb. obligat.* quod equidē opusculum videre non potui.

18 Quibus addo *Glossam in l. si quando §. illud etiam verb. prægrauari C. de inoff. testā. & in l.* 3. *verb. improbatur, C. de collation.* vbi id ipsum probat ex *l. non dubium, C. de legibus*; aitque, verū esse cum in pacto succedendi, tum nō succedendi: quod, vti in primo libenter admitto, ità falsum censeo in secūdo, præcipuè post Bonifacij Octaui cōstitutionem, quæ habetur in *cap.* 2. *de pactis in* 6. vbi decernit, pactum non succedendi, à lege ciuili improbatū, putà *l. pactu dotale* 3. *cit. C. de collation. l. si quando cit. C. de inoff. testam.* alijsq; si iuramento obfirmetur, seruari debere, cum non vergat in æternæ salutis dispendium, nec redundet in alterius detrimentum. Quamobrem consultò legumlatores in laudatis legibus censeo minimè edocuisse, pacta non succedendi esse contrà bonos mores, vt in pactis succedendi voluère; quod in illis minimè datur votum captandæ alterius mortis; quin illud omnino aufertur: in his verò tribuitur, vt sæpè diximus: id quod præsensit *Natā loc. cit. n.* 41. *& Decius cons. pro tenui*, 31. *n.* 4. vt, postquam hæc scripseram, animaduerti.

19 Eo igitur, quòd succedendi pactum bonis moribus aduersatur, iureiurando obfirmari nō potest: vulgaris enim est regula, non est obligatorium contra bonos mores præstitum iuramentum *de regulis iuris lib.* 6. neq; etenim ideo iusiurandum est institutum, vt esset vinculum iniquitatis *cap. inter cætera* 22. *q.* 4. Et licet ciuiles mores à naturalibus, & canonicis Doctores seiungant, velintque laudatam regulā de canonicis solùm, non item de merè ciuilibus intelligendam; nihilominus verum quoque censeri debet, & ab eorum pluribus edocetur, ciuilem legislatorem, cum quidpiam contrà bonos mores esse autumat, nihil aliud vt plurimum intelligere, quam illud idem turpe censeri, & à bonis moribus naturalibus, seu à naturali ratione penitus alienum, ideoque velle nec sacramenti religione obfirmari, vt respondit Martianus in *l. si quis inquilinos §. fi. ff. de leg.* 1. adhibita D. Seueri, & Antonini auctoritate. Atque id ipsum sanciuère (nihil tamen de iureiurando expressim statuentes, sed potiùs illud tamquam certissimum supponentes) Imperatores Diocl. & Maxim. in *l. mercalem C. de condit. ob turpem caussam*, Paulus *in l. Titia.* §. 1. *ff de verb. oblig.* Vlpianus *in l. itē apud ff de iniur.* iterum Paulus in *l.* 1. *ff. de extraord. crim.* Imper. Anton. in *l. pacta C. de pactis*, omnibusque illis in iuribus, quæ pacta futuræ successionis viuentium improbant, & sexcentis alijs animaduertere licet.

20 Ciuiles vero solùm mores, putà vt à naturalibus, & canonicis seiunctos, tunc à latoribus legum intelligi, docent *Couarr. & Anast. Germ.* mox laudādi, cum scilicet mores tantum, seu simpliciter, non item bonos appellant. Certè pactionē de uiuentis hæreditate moribus etiam naturalibus aduersari, & ob sui turpitudinē prohiberi, nemo iure inficiabitur: turpe enim est, atque inhonestum, ansam præbere captandæ alterius mortis, agereque de viuētis, & non consentientis hæreditate: propterea improbū esse Iulianus existimat eum, qui sollicitus est de viui hæreditate, vt refert Vlpianus in *l.* 2. §. *interdum ff. de vulgar.*

gar. subst. qua de re plura edidit *Couarr. in rub. de testam. 2. p. nu. 15. & in cap. quamuis, initio secundæ partis nu. 1. & seq. de pactis in 6. & Anastasius Germonius lib. 3. de sacror. Immun. à n. 109. vsque ad 127. Natan. loc. cit.* quæ apud illos consulenda sunt: neq; enim hæc vberiùs tradere ad rem, qua de agimus, spectat; ad eam igitur reuertor.

21 De viuētis hæreditate, an scilicet vendi queat, interrogatus Pomponius, respondit in hæc verba: *si hæreditas venierit eius, qui viuit, aut nullus sit*; (puta quia non existit, vel nullus est iure ciuili, vt seruus) *nihil esse actū, quia in rerum natura non sit, quod venierit*; vt refertur in *l. 1. ff. de hæred. & action. vend.* cum enim hæreditatem aliquis vendit, vt ait Paulus in *l. cum hæreditatem eod. tit.* esse debet hæreditas, vt sit emptio. Hinc *Cicero lib. 4. Rhet. ad Heren. post medium*, cum de expeditione: *hæreditate mea*, inquit, *tibi, me viuo, pecunia venire nō potuit.* Hinc quoque Vlpianus consultus, an nominatim de viui hæreditate mandari possit: *Sed ego non puto*, respōdit, *recipiendum, vt de viui hæreditate mādetur*, vt refertur in *l. si quis mihi §. sed vtrum generaliter, ff. de acquir. hæred.* & Pomponius, Labeonem sequutus, docuit, neminem pro hærede se gerere posse, viuo eo, cuius in bonis gerendum sit: vt cōstat ex *l. neminem ff. eod.* quia viuentis, addit *Glossa*, nulla est hęreditas, iuribus ab eadem laudatis. quamobrem Paulus in *l. qui hæreditatem ff. eod.* dixit, eum, qui hæreditatē adire, vel bonorum possessionem petere volet, certum esse debere, defunctum esse testatorem. Pleraque alia in iure Cæsareo eiuscemodi reperire licet, quibus vtique satis constat, illud futuras successiones penitus improbare, maximèque fauere hominū dispositionibus, quæ eas tollunt, remouentque votum captandæ alterius mortis, vt animaduertere præcipuè licet in *l. de fideicōmisso C. de Transact.*

22 Ratio vero naturalis, cui ea doctrina firmissimè innititur, ex iuribus hùcusque relatis commodè colligi potest: etenim ea captandæ alienæ mortis votum tollit, alteriusque necis machinationem, quæ, vti omni protsus iuri diuino, naturali, humanoque maximè aduersantur; ità & illud, quod hæc ipsa tollit, ijsdem iuribus maximè cōsentaneum existimandum erit: nimis enim turpe, inhonestum, omnique iuri contrarium est, ad delinquēdum homines inuitari, *arg. l. si vnus §. illud ff. de pactis l. cōuenire ff. de pact. dotal.* quam ob caussam à summis Pōtificibus, & iurisconsultis futuræ successiones iniquæ, detestabiles, turpes, inhonestæ, reprehensibiles, inhumanæ, passim nuncupantur, quod scilicet eas obtinentibus alienæ mortis captandæ ansam omnino præbent; proindeque eos ad delinquendum inuitant. Quæ sanæ optima ratio communis est cuicumque prorsus futuræ successioni, siue de cętero ea sit viuētis hæreditatis, siue beneficiorum ecclesiasticorum, siue secularium officiorum: quarè æquè in his omnibus appositè concludit: idemque proinde ius obseruari in his omnibus debet *vulg. l. illud ff. ad l. Aquiliā. l. vni. §. hoc interdictum, ff. de fonte, cum concord.*

23 Etsi vero, quod attinet ad secularia officia, id non inueniatur expressum; nihilominus validissimum est de beneficijs ad officia argumētum, vt post *Bart. in l. 2. §. data ff. de option. leg. Pēn. in l. annonas C. de erogan. milit. ann. lib. 10. Io. Lup. in repeti. cap. per vestras, initio, de donat. inter vir. & vxor.* affirmat *Rebuff. in constit. reg. tract. vt benef. ante vaca. &c. gloss. 2. & in reg. Cancell. de subrogandis collitigantibus, gloss. 7. n. 30. & 40.* Cum præsertim, vt modo dixi, eadem prorsus ratio in vtrisque perspiciatur: quam quidem rationis identitatem, vt philosophi, ac iurisconsulti loquuntur, in iurium interpretatione magnifaciendā, vimque etiam obtinere, vt expressum

censeatur id, quod sub ea comprehēditur, ostendimus latè *conf. 3. n.* 164.

24 Hùc transferri ea omnia possent, quæ latè à Doctoribus, præsertim Theologis, traduntur in 2. 2. *S. Thom. q.* 63. de personarum acceptione in officijs secularibus conferendis, ac de obligatione, qua, lege iustitiæ, supremi quoque Principes obstringūtur, vt dignissimos quosque in ijs eligant: quod difficulter adimplerent, futuris officiorum successionibus concedēdis; cum hę sæpè ijs tribuantur ob eorumdem importunitatem, quibus, si officia re ipsa vacarent, minime conferrētur, vt animaduertitur in *cap.* 26. Caroli Imperatoris, initio laudati: possentque etiam medio tempore illorū mores immutari, ineptosque fieri, qui idonei antea fuerant. quæ quidem omnia, breuitati studens, quoad fieri poteſt, lubenter recensere prætermitto.

§. III.

Obiecta diluuntur: & explicatur, quibus casibus Princeps futuras officiorum successiones concedere possit.

SVMMAE.

25 *Quidam aiunt, absoluta potestate posse Principem futuras officiorum successiones indulgere.*

26 *Princeps absque caussa officia officiarijs auferre non poteſt.*

Qui contra sentiunt, non satis sibi constant.

27 *Cum de potestate Principis agimus, de morali, non physica disputamus.*

In rebus moralibus idem eſt posse, ac honeste, licitèque posse.

28 *Neque Papa beneficia beneficiarijs absque causa auferre poteſt.*

Ius naturale fortius eſt, quam Principatus.

26 *Imperator eſt sub pedibus iuris gētium, & naturalis.*

30 *Poteſt dominus sperati feudi inuestituram in alium militem facere.*

31 *Id tamen olim controuersum fuit.*

32 *Vsusfruct⁹, vni cōſtitutus, cedi alteri post prioris mortem à proprietario poteſt.*

33 *In iure feudiſtico plura reperiuntur rationi naturali dissentanea.*

34 *Ius feudiſticum ius eſt singulare, & ad alia similia trahi non poteſt, neque ad casus non expressos extendi.*

35 *Ea feudorum consuetudo euentus triſtissimos parat.*

Argumentum à feudis ad officia non valet.

36 *Plenaria dispositio beneficiorum ad Romanum Pontificem spectat.*

37 *Summus Pontifex, etsi possit beneficiorū futuras successiones concedere, non tamen regulariter debet.*

Peccat, si supra ius sine caussa dispensat.

38 *Multa licent, quæ non expediunt.*

39 *Quādo Princeps futuras officiorum successiones concedere queat.*

Quando etiam debeat.

Adiutor, & successor in beneficijs quando constituendus.

40 *Quando licitè futuræ successiones conceduntur; cum scilicet possidentes consentiunt.*

Non tamen illud passim indulgendum.

41 *Decretum Philippi IV. hac de re.*

25 Sed hic obijcere solent, qui minùs rectè, nè dicam improbè contrariam consulunt doctrinam, Christianæ reip. vtique perniciosam: obijciunt, inquam, absolutam Principis potestatem, qua volunt eidem omnia licere, ac proinde posse officia absque vlla prorsus causa possidētibus auferre: atque hinc inferūt, posse eorumdem officiorum alijs tribuere futuras, de quibus loquimur, successiones: quas quidem absoluta potestate posse Principem indulgere post *Salic. Cagnol. Afflict. decis.* 292. *n.* 5. censet *Mastrill. lib.* 1. *de Magistrat. cap.* 25. *n.* 27.

26 Sed hæc sanè omnia haud satis cōgruè

gruè asseruntur. Et quidem absolutā Supremi Principis potestatem, ab ordinaria omnino seiūctam, satis superque ostendimus *conf. 1. à n. 16.* esse penitus explodendam. Quod verò neque officijs possidentes priuare absq; caussa queat Princeps, patet cum ex doctrina *loc. cit.* fusè à nobis tradita, quæ hoc loci omnino est recolenda: tum quod, licet sint, qui censeant, id posse Principem supremū, quos allegat, ac sequitur *Mastrillus cap. 27. à n. 1. vsque ad 16. loc. cit.* moti præsertim exemplo Pontificis summi, quem plurimi volunt, posse beneficiarios absq; vlla causa beneficijs priuare; plures tamen ex horū quoque numero, quos citat etiam, sectaturque *Mastrill. nu. 16.* volunt, id facere minimè Principē debere; nisi id vrgens, iustaque caussa exigat: quia scilicet decet concessum à Principe beneficium esse mansurum, *reg. decet de reg. iur. in 6.* id vero dicimur posse, quod honestè possumus: de quibus, alijsque similibus, consulēda sunt, quæ *loc. cit.* diximus copiosè, præsertim *à n. 29.*

27 Equidem non satis intelligo, quo tandem sensu Auctores ijdem ex vna parte doceant, id posse Principem supremum; ex alia vero velint, id ipsum facere minimè debere: etenim, si in primo enunciato de potentia, & facultate physica loquuntur; id quidem verissimum est: nam si cuipiam Princeps officium absque caussa tollat, quod ille iustè, ac legitimè possidet; quin immo si eidem bona omnia, & vitam ipsam absque vllo prorsus delicto auferat; nemo profectò erit, qui eidem dicere audeat, cur ità facis? vt inquit *Bald. in prælud. feud.* nosque etiā *loco cit. n. 15.* annotauimus. Atqui, neque ipsi, neque nos de physica facultate loqui debemus, cum de Principis potestate disputamus: de rebus namq; moralibus tractamus, quærimusque, nū hoc, illudue queat Princeps tuta, vt dicitur, conscientia, sine culpa, iustè, secūdùm leges; seu, quod est idem, nū in Principe moralis, vt aiunt, facultas huius, vel illius faciendi reperiatur; quod si ità, seu iuxtà hunc rei intellectum ij in primo suo enūciato loquātur; manifestè sibi ipsis contradicunt: quandoquidem in secundo negant hanc ipsam Principi moralem facultatem, quam eidem in primo concedunt: in rebus enim, quæ ad mores spectant, idem omnino est posse, atq; honestè, ac licitè posse.

28 Et sanè quòd neq; supremus Princeps officia officiariis, neque Pontifex Summus beneficia beneficiarijs auferre absque sufficienti, iustaque caussa possit, rectè, vt solet, ostendit *Pinellus in rub. C. de rescind. vēdit. prima p. c. 2.* præsertim *à n. 29.* vsque ad capitis finem; qui omnino legendus est: vti quoque consulenda sunt ea, quę tradidit *Gul. Bened. in cap. Raynutius, de testam. verb. duas habens filias, à n. 36. & deinceps, Mastrill. loco cit. cap. 27. Anna alleg. 103. Capic. decis. 121. Surd. cons. 419. lib. 3. alijque à Mastrillo laudati: Rebuff. de consuet. in præfat. num. 35.* vbi ait, officiarium minimè à Principe absque caussa officio priuari posse, quòd scilicet id sit contra ius naturale, quod fortius est, quam Principatus, secūdùm *Baldi* doctrinam ab eodem allegati.

29 Denique quamuis illud, quod volunt contrariæ sententiæ patroni, verum gratis daretur; non tamen rectè indè inferretur, posse supremum Principem futuras illas officiorum successiones concedere: qui enim eam tuentur sententiam, censent, officia auferre iuri, rationique naturali nullatenus aduersari, sed humano dumtaxat, suprà quod ipsum Principem constituunt. At nos iam probauimus, futurarum successionum concessionē esse contrà ius humanum, diuinum, naturale, naturalemuè rationem, suprà quam Princeps minimè est constitutus: licet enim Imperator sit suprà caput iuris ciuilis, vt inquiunt *Barbat. & Bald. relati à Molina lib. 3. de pri-*

mog.cap.3.n.17. est tamē sub pedibus iuris gentium, & naturalis, vt *d.conf. 1.n.15.* monuimus: quare, etsi illud licitè Princeps posset; hoc tamen, ob expositum modo discrimen, minimè potest.

30 Obijciunt iterum feudorum exemplum, de quibus in §.*moribus lib.2.tit. 26.si de feud.defunct.conten.sit in.dom. & agnat. vass.* statuitur, esse moribus, seu consuetudine receptum, dominū de feudo militis sui, quod post mortē ipsius ad ipsum dominum reuerti speratur, in alium militem inuestituram facere posse: quæ inuestitura tum demum, vt ibidem dicitur, capiet effectum, cum feudum domino, aut hæredi suo fuerit apertum. idem inculcatur *lib.1.§.si verò Archiepiscopus tit. 3.qui success.feud.dar. teneant. & §. 1. tit.9.qui success.ten.an. & §. si quis inuestierit.tit. 27. de feud. dat. in vicem. leg.commiss.* aiuntque omnes ferè Doctores, hæc eadem iura interpretantes, atque alij, quorum aliquos allegat *Mastrill.lib.1.de magistr.cap.25. à n.1.* aitque esse communem opinionem *Iul.Clar.§.Feudum,q.14.* securus *Iacobum Aluarottum, antiquum Iuris feudistici interpretem.*

31 Hæc tamen obiectio diluitur, primùm quidem, quia, etsi tradita doctrina hodiè moribus quo iure quaq; injuria recepta sit; tamen antiquitus maximè controuersa fuit: nam, ut refertur in *cit. tit. 27. lib. 1.* ea placuit Mediolanensibus, & Cremonensibus feudistis; Placentinis vero displicuit; nisi miles, antea inuestitus, consentiret, motis maximè Iustinianæa constitutione in *l.fin.cit.C.de pactis.* Deindè eiuscemodi inuestitura non erit valida, si de certo homine fiat, vt *Vrsill.ad Afflict.decis.292.* ait, censuitque *Iacob.de feud verb.inuestiui talem n.12.* vide eumdem *Vrsill. Ang. Pisanell. & Prosp. Carauit. in add. ad Afflict.* Præterea feudi concessio, de qua laudata iura, & Doctores loquuntur, nequaquam est de futura viuetis successione, ità vt ob hanc rationem inducatur votum captādę alterius mortis, quod iura omnia execrantur; sed de alterius successionis caducitate, vt post *Bald.in d.§.moribus, & §. si quis inuestierit, animaduertit Afflict. decis. 292.cit.n.3.* quæ sanè successio morte, eiusuè delicto penitus expirat.

32 Rursus feudi dominus, vt idem *Afflictus* monet, ius sibi competens in alterum transfert, eo penè modo, quo vsusfructus, vni constitutus, cedi, legarique alteri post prioris mortem à proprietario potest, *l.si dominus ff.de vsuf.* puta non purè, sed, vt annotat *Clarus*, sub conditione, si scilicet Vassallus ille absque descendentibus, aut agnatis, ad feudum ipsum vocatis, decesserit; vel in tempus, puta quando idem feudum ad dominum deuoluetur: resque remanet in eodem prorsus statu, quod attinet ad caprandæ mortis votum, post præfatam concessionem, in quo ante eamdem reperiebatur: quid enim interest dominusnè, an is, cui feudum ità conceditur, vassallo mortem machinari queat? quarè hinc nullum prorsus nouum mortis periculum eidem injicitur; sed illius captandæ mortis occasio solum subiectum, vt ita loquar, mutare videtur, vt quæ antea erat in domino, post concessionem in alterum veluti transfundatur. At in re, qua de agimus, officiario nouum omnino amittendæ vitæ periculum ab eo, qui futuram officij successionem indulget, procreatur, quod antea neutiquam extiterat.

33 Insuper pleraque in iure feudistico reperiri rationi, vt aiunt, naturali omnino dissentanea, atque penitus absurda, nemo est, qui, si illud attētius legat, non facilè deprehendat: ità vt opportunè *Francisco Hotomano*, auctori de cętero damnato, ius istud legenti illud *Ciceronis* in mentem venerit ex *primo libro de oratore*, puta: incredibile est, quam sit omne ius ciuile, præter nostrum, inconditum,

ac

ac penè ridiculum, vt ipsemet in *Præfatione disputationis de Feudis nu.* 30. profitetur; vbi inter alia absurda exempli loco profert id ipsum, de quo hic loquimur, putà licere Patrono, seu Domino, feudum vni datum, alteri in tempus mortis prioris vassalli conferre: quo, inquit, iure captandæ alienæ mortis occasio perspicuè præbetur.

34 Denique verissimum est, & ab omnibus ferè conceditur, ius feudisticū ius esse omnino singulare, quod Paulus relatus in *l.ius singulare ff. de legib.* illud esse decernit, quod contrà tenorem rationis, propter aliquam vtilitatem, auctoritate constituentium introductum est, &, vt *Glossa* monet ibidem, cæterique Doctores, ad alia similia trahi minimè potest. Docent quoque omnes, quorum aliquos laudat *Mastrillus loco cit.n.17.ea*, quæ de feudis sunt tradita, vt potè contrà iuris communis dispositionem, ad casus non expressos minimè extendi, allegantque *cap.odia de reg.iur.in 6.*

35 Addit *Afflictus cit. decisione 292. Andream de Iser. in cap. 1. cit. tit. qui success.tenean.* asserere, præfatam consuetudinem feudum possidenti esse omnino periculosam; ob captandæ mortis votum, ideoque euentus parare tristissimos: quin imo corruptelam, vsumque pattium censendam; ac proindè non esse obseruandam, vtpote ratione carentem. Idemque affirmat *Mastrillus*, dixisse *Baldum cōs.* 323. aliàs 196.*vol.1*. Et *Iulius Clarus* in fine laudatæ quæstionis: *Debent tamen*, inquit, *Imperatores, & Principes abstinere ab huiusmodi inuestituris cōcedendis: nè inducant votum captandæ mortis, vt audiui contigisse nostris temporibus in quodam Marchione ex primatibus Italiæ, cuius nomen tacetur*. Quamobrem post alios *Mastrillus* cēset, non valere à feudis ad officia argumentum, ob hanc ipsam modo expositam rationem.

36 Objiciunt denique id, quod Clemens tertius, seu nuis quartus, vt in vetustioribus Codicibus legitur, statuit in *cap. 2. de præbend. in 6.* vbi omnium prorsus ecclesiasticorum beneficiorum plenariam dispositionem ad Romanum ait Pontificem pertinere; ità quod, non solùm ipsa, cum vacant, possit iure conferre; verum etiam ius in ipsis tribuere vacaturis. Cur ergo, inquiunt, id in officijs præstare nequeat Princeps, ad quem eorumdem plenum, vt aiunt, dominiū spectat, iuxta crebriorem Doctorum opinionem?

37 Verum enim vero hæc quoque objectio soluitur, primùm quidem, quia quod Clemens eo capite decernit, fortè ad illud referendum est, quod Zaccharias Papa Bonifacio Moguntino Archiepiscopo concessit, vt suprà *n.6.* recensui; ità vt eo sanè euentu, eique similibus, queat Pontifex Summus in beneficijs ius tribuere vacaturis. id quod, vt patet, peculiare est, ob rationem omnino peculiarem; quapropter non est in consequentiam deducendum. Deindè aio, posse quidē id præstare Pontificem Romanum; nō tamen debet de honestate, inquit *Abbas in cap.proposuit n.5. de concess. præben.* ubi Innocentius Papa Tertius fatetur, suæ intentionis nequaquam esse, inuestituras, de vacaturis beneficijs factas, contrà Canonum statuta ratas habere; licet secundùm plenitudinem potestatis, inquit, de iure possumus suprà ius dispensare; puta, vt omnes interpretantur, si iusta subsit caussa; alioquin à culpa, quoad Deū, non erit immunis, vt sæpè Doctores, cum hac de re agunt, animaduertunt.

38 Rectè quoque *Mandosius in reg. 11.Cancell.q.10.nu.8.& 9.* postquam ostenderat, beneficia iure minimè esse conferenda, aut promittenda, antequam vacent, ait, Summum quidē Pontificem tantum posse promittere vacatura, seu ad illa, vel in illis ius tribuere *cit. cap. 2. de præbend. in 6.* alijsque ab eo laudatis: *Non tamen,*

in-

inquit, *sequitur, quòd expediat id possim facere; multa enim licent, quæ non decent, vel non expediunt*: (id à nobis *cons.* 1 *n.* 19. satis demonstratum est), *quando igitur Papa concedit vacatura, seu ad illa ius, debemus tenere vltrà, quòd licet, quòd deceat, & conueniat, & quòd ex caussa rationabili faciat.*

39 Illis ergo casibus, quibus Papæ nō tantum licet, verum etiam decet eūdem, eas futuras beneficiorum successiones concedere; iisdem sanè neq; negauerim, posse quoque Principem supremum secularium officiorum illas indulgere, ob easdem penitus rationes, quæ in vtrisque perspiciuntur; quin & id ipsum libenter concesserim: neque enim vniuersè, ac generatim supremis id negari Principibus debet: imo, si qua vrgeat necessitas, deberēt omnino illas concedere, nedum possent. Quod sanè tunc locum præcipuè, me iudice, obtineret, quando nimirum quispiam non solum successor, sed adiutor quoque in officio deligitur: iis scilicet casibus, quibus Canonum interpretes in beneficiis volunt, dandos esse adiutores simul, & successores: qua de re vide *Mandosium reg.* 11 *cit. q.* 5. *Lotter. lib.* 2. *de re benef. q.* 25. *& in apparatu n.* 14. *&* 15. vbi de origine expectatiuarū; aliosque ab iis allegatos, & *Barb. de pot. Ep. all.* 118. *n.* 2. ac præsertim, quod sacrum *Tridentinum Concilium* hac ipsa de re decreuit in *cap.* 7. *de reform. sess.* 25. Cætera, quæ huc transferri possent, consulēda sunt apud Doctores in *cit. cap.* 2. *de praben. in* 6. *& cap.* 2. *de concess. preb.* alibique.

40 Illud postremò animaduerterim, tutè videri Principem acturum, si tūc futuras indulgeat successiones, quando ii, qui officium possident, illis vltrò, libenterque consenserint: tunc enim posse Principē eas iustè impertiri, colligitur satis ex *cap.* 13. Catholici Regis, quod initio retulimus, ibi: *Præter ipsorum consensum*; ac si diceret, accedente eorumdem consensu, eas posse legitimè concedi: quod idem apertè elici potest ex *l. fin. cit. C. de pactis*, vbi, posteaquam Iustinianus Imperator pacta, de viuentis hæreditate inita, repulit, nihilque ex iis obseruari sāciuit: *nisi ipse fortè*, subdit, *de cuius hereditate pactum est, voluntatem suam eis accomodauerit, & in ea vsque ad extremum vitæ spatium perseuerauerit: tunc enim, sublata acerbissima spe, licebit eis* (contrahentibus de ea hæreditate paciscētibus) *illo sciente, & iubente, huiusmodi pactiones seruare.* Vbi & huiusce rei ratio satis innuitur: non enim præsumendum erit, eosdem paciscentes vitę illius insidias paraturos: nisi enim hi boni essent, is vtique, de cuius agitur successione, illis pactionibus minimè cōsentiret, vt monet *Glossa verb. acerbissima, ead. lege.* Atque ideo, hoc præhabito consensu, futuræ officiorum successiones videntur posse absq; iniquitate concedi: cum nulla censeatur alterius mortis occasio præberi. Monuerim tamen, neque id passim indulgendum; sed priùs attentè perpensis personarum qualitatibus, nè in eadem prorsus incommoda, quę cupimus euitare, nolentes etiam incidamus: id quod accuratè perspicere debent Regum Consiliarii, quorum prudenti, rectoque iudicio hæc omnia relinquenda censemus.

41 Atque hæc fermè omnia perpēdēs Rex noster Philippus IV. æquè iustus, ac potens, subditorum commodis inuigilans, non multis ab hinc annis generatim decreuit, vt in posterum nullæ huiuscemodi vacaturorū officiorum futuræ successiones concederentur; nisi fortè filiis in parentum officiis: modò ipsimet parentes in id expressè consentiant.

(: S :)

CON-

CONSILIVM XI.

An possit aliquis vnà cum sua posteritate naturalizari.
Ad
Cap.166. Caroli V.

§. I.

Ostenditur sententia negans quoad posteros ex defectu notitiæ, & acceptationis ipsorum posterorum non existentium.

SVMMAE.

1 *Facti species, quod euenit, refertur.*
2 *Sicula beneficia alternatim solis Siculis oriundis deberi.*
Qualitas, cum intentionis est fundamentum, plenè probanda est.
3 *Priuilegium adoptionis posteris alicuius inualide indulgetur.*
In adoptionis priuilegio adoptati notitia necessaria est.
4 *Item consensus.*
Patria potestas in ciuem, & patris in filium æquiparantur.
Patriæ amor, quandoque amori patris præferendus.
Ius patriæ potestatis, inuitis filijs, soluere patres nequeunt.
Neque eos inuitos sub potestatem redigere.
5 *Nullus contractus obligat, nisi mutuus contrahentium consensus accedat.*
Ciuilitas à patre acquisita filium non obstringit, nisi consentiat.
Priuilegium absenti non quæritur, ante quam acceptetur.
6 *Absens non fit Papæ familiaris, nisi priuilegium acceptet.*
Ciuilitatis priuilegium non facit ciuem ignorantem.

1 OBrinuit Mæuius, quo tempore Siciliæ Prorex erat, à Siculis in comitijs generalibus, seu in generali parlamento, legitimè congregatis, priuilegium quodpiã, quod vulgò naturalitatis (adoptionis latinè *cons.2.* appellauimus) nuncupatur, nedum sibi, verũ & suis quoque posteris, & descendentibus: cui quidem simile nemo hùcusque impetrauit; neque fortè vnquam quis erit impetraturus. Eo frui voluit Titius Mæuij, vt ipsemet asserebat, pronepos, pro ijs obtinendis beneficijs, quæ Siculis dumtaxat, iuxtà Alternatiuæ priuilegium, debentur. Vacabat tunc Archimandritatus Messanensis pro Siculis, quem Titius obtinere vti Siculus intendebat. Quæsitum fuit, num id assequi licitè posset.

2 Equidem illum ab eiusecmodi beneficijs obtinendis repellendum censui, cũ ijs quæ *cons. 2. cit.* tradidimus copiosè, ostendentes hæcce beneficia nonnisi oriundis Siculis, & neutiquã priuilegio ascitis debere iure conferri: tum quia Titius iste nondum probauerat, se Mæuij posterum, ac verè pronepotem; cum certum omnino sit qualitatem, cum ea intentionis, petitionisuè, est fundamentum, plenè esse probandam; plenèque eam non ostendentem, penitus succumbere, vt ostendunt passim Doctores ex *l. 1. §. ait Prætor, ibique Bart. ff. ne quis in flu' publ. l. Fulcinius §. cum hoc vbi Gloss. ac Bart. ff. ex quib. caus. in possess. eat. l. pen. §. docere, vbi Pau. Castr. ff. ne quis eum, qui; alijsque*: qua de re fusè *Mascard. de probation. cõcl.* 1254. Tum denique ijs, quæ hoc loci breuiter repetere operepretium duxi, eòque maximè tendunt, vt ostendatur, eiusmodi priuilegium nullius esse roboris, ac momenti.

3 Aio igitur adoptionis, seu naturalitatis priuilegiũ iure quidem, ac validè cuipiam, putà sibi dumtaxat, non verò suis posteris indulgeri. Huiusce autem rei ratio est, quia hi posteri, cũ, vt modo supponimus, quo tempore illud priuilegium conceditur, non existant, seu nõ sint in rerum natura; nullam

Iam queunt eiusdem priuilegij notitiã obtinere: in tali verò adoptione exigi adoptati notitiam, vti omnino necessariam, patet ex ijs, quæ habet *Petr. de Anchar. cons. visis pacto, & statuto* 169. probans, eam in ciuilitate omnino requiri: quẽ laudat, ac sequitur *Decius cons. in casu, de quo dubitari* 661. *n.* 9. *Menoch. lib.* 2. *de arbitr. cent.* 2. *casu* 185. *n.* 38. qui alios etiam allegat; penes quem *n.* 30. plures quoque Doctores comperies, idem in quocũque tandem priuilegio edocuisse.

4 Quin consensum etiam in re, qua de agimus, atque acceptationẽ adoptati, seu naturalis denuo procreati, requiri, optimè arguitur ex *l. absenti ff. de donation. & l. qui absenti ff. de acquirend possess.* vt *Ancharanus* quoque in ciue denuò creato argumentatur, *Roman. in l. qui absenti cit. Ruin. cons.* 200. *n.* 17. *tom.* 2. *aliјque apud Menoch. cons.* 1129. *n.* 39. *lib.* 12. Patriæ enim potestas in ciuem suum, patrisque in filium æquiparari, docẽt omnes in *l. veluti ff. de iustit & iure*, imo patriæ amor quandoque præferendus est, *l. Postliminium* §. *filius ff. de captiu. & postlim. reuers. l. minime ff. de relig. & sumpt fun.* alijsque. *Atqui generaliter*, inquit Iustinianus Imperator in §. *Generaliter, Auth. quib. mod. nat. effician. sui, coll.* 7. *in omnibus, qui prædictos modos* (putà legitimationis) *deducuntur ad legitimum ius; tunc hoc volumus obtinere, dum & filij hoc ratum habuerint: nam si soluere ius patriæ potestatis, inuitis filijs, nõ permissum est patribus; multo magis sub potestatem redigere inuitum filium, & nolentem, iustum nõ est.* Eodem igitur modo minimè poterit Prouincia quæpiam, Regnumuè, seu Ciuitas, naturalitatis, seu ciuilitatis donum in aliquem inuitum, vel ignorantem conferre, eumque in suã redigere potestatem,

5 Cum præsertim, vti etiam in ciuilitate ex *Aretino Ruinus loco cit.* arguit, onera quoque naturalitati annectantur: quã ob caussam in eiusmodi priuilegijs ea, similiauè verba, *cum honoribus, & oneribus*, inseri consueuit: quibus sane subeundis nemo ignorans, & absque proprio cõsensu obstringi poterit, *arg. l. sicut initio C. de action. & obligation.* est enim hæcce adoptio cõtractus, & quidem ex ijs, quos onerosos nuncupamus: generatim verò nullus omnino contractus vim obtinet efficaciter obligandi, donec mutuus consensus accedat, vt pluribus laudatis iuribus, ac doctoribus, probat *Sãch. lib.* 1. *de matrim. disp.* 6. *n.* 2. alijque passim. *Baldus* quoque in *l.* 1. *C. de his, qui filios distrax.* quem citat, sectaturque *Decius cons.* 661. *cit. n.* 10 ait, ciuilitatem à patre acquisitam, filium minimè astringere, nisi is consentiat. Atque vniuersè priuilegium abseti nullo modo quæri, ante quam sit acceptatum, ostendit *Ruin. cons.* 200. *cit. n.* 15. & *cons.* 102. *nu.* 8. *tom.* 3. *ex cap.* 1. *de concess. præbend in* 6. & *cap.* 2. *de cõstit. Bart. & Doctor. in l. fin. ff. de constit. Princip. & in l. qui absenti ff. de acquir. poss.*

6 Vnde *Anchar. cons. præmitto* 390. vti refert *Ruin. cons.* 200. *cit. num.* 17. concludit, si quispiam absens fiat Papæ familiaris, et cõmensalis, hoc priuilegium non prodesse ante notitiam, & acceptationem. Probat etiam *Ruyn. n.* 15. *cit.* ciuilitatis priuilegium non facere quempiam ciuem, si ei absenti, ignorantique, ab altero impetretur. Cum igitur pronepos ille concessi priuilegij tempore consentire, & acceptare minimè potuerit, vt pote nedum absens, sed neque in rerum natura, vt diximus, existẽs; consequẽs vtique est, vt tunc tẽporis nullum sibi priuilegiũ acquisiuerit.

(:†:)

§. II.

§. II.

Acceptatio, in posteris post ipsorum existentiam superueniens, eis prodesse non potest.

SVMMAE.

7 *Quomodo duorum absentium voluntates in vnum, idemq; concurrant.*

8 *Rectè à donatione ad naturalitatem arguitur.*

Argumentum de similibus ad similia validum est.

Qui similes casus censeantur.

9 *Si nihil validè offertur, nihil validè acceptatur.*

Voluntates absentium quomodo coniungantur.

10 *In quocumque contractu contrahentium cōsensus vicissim innotescere oportet.*

11 *Onerosa oblatio tacitam habet conditionem, si alter se obligare velit.*

12 *Naturalitas est contractus onerosus.*

Ciues denuo creati aliorum ciuium oneribus obstringuntur.

13 *Consuetudo contra actus substantiam inualida est.*

Vbi substantia remouetur, actus consistere non potest.

Consuetudo circa substantialia matrimonij non valet.

Neque circa substātialia appellationis.

14 *Ex insueto modo concedendi metus arguitur.*

Regis resolutio.

7 AT neq; vllo vnquam tempore eumdem Titium consensisse, acceptasseque, compéritur. Neque verò eidem prodetit nunc id exequi, vt illud, quod intendit, assequatur. Etenim, præterquamquod eiuscemodi acceptatio nescio quid doli continere videretur; vt validè acceptaret, omnino requireretur, vt Siculi ipsi eidem, quippe absēti, per epistolam, vel nuncium, cui id ipsum cōmitterent, priuilegium illud deferrēt, atque insinuarent: id enim est necessarium, vt duorum voluntates in vnū, idemque concurrant, vt omnes profitentur ex *l. absenti cit. ff. de donation & l. 1. ff. de contrah. empt.* atque id ipsum ob eamdem prorsus rationem in donatione locum obtinere, vult communis Doctorum sententia, vt tetsis est *Iulius Clarus lib. 4. §. donatio q. 12.* colligiturque ex *Glossa in l. nec ambigi C. de donat.*

8 Rectè vero argui à donatione ad naturalitatem, seu adoptionem, qua de loquimur, patet, quia hæc illius præsefert similitudinem: quā ob caussam ciuis, seu naturalis, denuò creatus, diciturciuitate, regnouè donari: argumentum autem de similibus ad similia valere, quin fortissimum censeri, monuit *Glossa in l. 1. ff. de offic. eius cui mandat. verb. fortissimum*, & alia, quæ est finalis in *l. 1. C. de interdictis*, alibique: cum enim non possint omnes articuli, omnesuè casus singulatim, aut legibus, aut Senatusconsultis cōprehendi; cum in aliqua caussa horum sententia manifesta est, is, qui iurisdictioni præest, ad similia procedere, atque ità ius dicere debet, inquit Iulianus iureconsultus, vt refertur in *l. non possunt ff. de legibus* Atque in eamdem iuit sententiam *Aristoteles lib. 1. politicor. cap. 11.* & de eiuscemodi argumētandi ratione vide, quæ scitè tradidit *Menoch. lib. 2. de arbitr iud. cent. 1. cas. 84.* vbi post alios rectè concludit, eos dici similes casus, cum par in illis ratio subest. neque dubium est apud iuris vtriusque peritos, idem seruari ius, vbi eadem ratio perspicitur, vt sæpè nos monuimus: ac præcipuè consulenda sunt, quæ hac de re *consil. 3. à n. 163.* fusè tradidimus.

9 Perspici verò eādem prorsus rationem, cum in donatione, tum in naturalitate, quod attinet ad rem, de qua agimus, videtur manifestum: non enim volunt Siculi, in ea concedenda naturalitate, proprium cousensum per

alium, quam per proprium nuncium, aut epistolã, in Titium dirigere: quãuis ergo alius id Titio insinuauerit; nihil tamen ipsi validè oblatum fuit, ac proindè nihil validè acceptare potest: qua etiam ratione arguit *Lessius lib. 2. de iust. & iure cap. 18. dub. 6. nu. 42.* in donatione. Deindè hac eadem acceptatione contractus iste, de quo loquimur, perficitur: cuius sanè perfectio, ac substantia in voluntatum vnione tum Siculorum, tum ipsiusmet Titij consistere censendum est, vt satis colligitur ex *l. 1. ff. de pactis*: absentiũ autem voluntates minimè coniungũtur, nec in vnum, idemque concurrũt, nisi vnius voluntas alteri per epistolã, vel nuncium, ad id ab eo missum, intimetur, vt pluribus iuribus, ac Doctoribus rectè ostendit *Sanchez lib. 1. de matrimon. cit. disp. 6. n. 3.* apertèque elici videtur ex *institut. tit. de obligat. ex consens.* ibi *vnde inter absentes quoq; talia negotia contrahuntur, veluti per epistolam, vel per nuntium.*

10 Imo hoc priuilegium coram ipsomet nuncio, ad id destinato, foret acceptandum; & nequicquam suffi eret, si coram alijs acceptaretur: quia alioqui Siculorum, ac Titij consensus in vnum, idemque minimè concurrerẽt, nec vicissim innotescerent: quod in quocunque contractu necessarium esse, omnes prorsus Doctores profitentur: vt pluribus ostendit *Sanch. d. lib. 1. de matrim. disp. 7. n. 35.* quem citat, ac sequitur *Less. d. lib. 2. de iust. & iure cap. 18. dub. 6. n. 43. Molina tom. 2. de iust. & iure disp. 264. præsertim num. 5.*

11 Verumenimuero, quamuis Siculi priuilegium hoc naturalitatis Titio per literas, aliouè modo obtulissent; fuisset etiam opus, vt Titij acceptatio Siculis ipsis per literas, vel per nũtiũ, ab eo missum, vicissim innotesceret, vt in re simili ratiocinatur *Sanch. lib. 1. cit. de matrim. disp. 7. n. 15.* quem laudat, sequiturque *Less. d. lib. 2. cap. 18. dub. 6. cit. n. 43. vers. si vero per literas*: quod in casu, quo de agimus, præstitũ esse, minimè probatur. Et licet omnino gratis daretur, non fuisse necessarium, vt Siculi Titio per literas, aut per nuntium, offerrent naturalitatẽ; nihilominus prorsus fuisset requisitũ, vt Titius ipse Siculis se eam acceptasse, patefaceret: quæ enim onerosa dicitur oblatio, tacitam habet conditionem, si scilicet alter vicissim se obligare velit, vt *Lessius n. 39. loc. cit.* ostẽdit. quare cum Siculi concesserunt, seu obtulerunt Meuij posteris, seu descẽdentibus, naturalitatem, id sanè præstitere sub ea tacita conditione, posito nimirum, quod ij eamdem acceptarẽt, seque vicissim obstringerent ijs muneribus, & oneribus subeundis, quæ naturalitati annectũtur; antea ergo, quã Siculis hæcce reciproca obligatio innotescat, adhùc minimè perfectus est contractus, cum absolutus eorumdem consensus omnino desideretur; quem ponere profectò nequeunt, nisi acceptasse Titium sciant: quare, cum neque hoc ipsum præstitum sit; nullo prorsus modo idemmet Titius eo priuilegio frui potest. Neque vero censendũ est, Siculorum fuisse voluntatem, vt statim naturalitas hæcce valeret, posito Meuij posterorum consensu, etsi ipsis Siculis non innotesceret: id namq; præsumi non potest; sed clarè, apertèque ab eisdemmet exprimi, declararique oportuit, ut rectè *n. 43. vers. vnde sequitur, in fine loco cit.* in omni prorsus contractu *Lessius* monet.

12 Sed neque dubiũ esse cuipiam poterit, eiusmodi naturalitatis priuilegia ad modum onerosi cuiusdam cõtractus, indulgeri: etenim in ijs ea, similiaue verba opponi consueuit, *cum honoribus, & oneribus*, vt superius quoque animaduertimus: quemadmodũ enim is, qui in ciuem alicuius ciuitatis asciscitur, ijs omnibus muneribus, oneribusque obstringitur, quibus ciues ipsi communi iure obligantur, vt probat *Ruin. cons. 200. sæpè citato num. 19. tom. 2. ex Paulo de Castro in l. si duo ff. de acquir. hæred. Bald. in l. quod si nore*

re C. de legib. per l. cum ex ratione ff. de excus. tutor. ità sanè & is, qui cuiuspiā Regni naturalis denuò procreatur, ijs subeundis muneribus tenebitur, quibus alij quoque naturales obstringuntur.

13 Sed traditæ hùcusque doctrinæ Titius contrarium vsum obijciebat, quo sese tueri posse existimabat: putà, quia nemo penitus adhùc reperitur, qui, vti nos volumus, naturalitatem acceptauerit. Occurrendum est tamen primū quidem, quia nullum omnino exemplum huic, de quo agimus, simile proferre Titius potest: quandoquidem neminem reperies, qui naturalitatem hanc per descēdentiam, vt ità loquar, obtinuerit; ijque, qui eam hùcusque impetrarūt, proculdubio eamdem acceptauère, vtpote, ipsis enixè petentibus, concessa fuit: idque Siculis ipsis satis innotescebat. Deindè contrarius vsus, etsi daretur, nihil penitus obesset: agitur enim in re præsenti de essentia, vt dicitur, contractus, seu de requisito ad illius substantiam necessario: consuetudo autem contrà actus substantiam nullius est roboris, & momenti, vt docet Glossa in cap. 2. verb. officiali, de consuetud. in 6. vbi enim substantia remouetur, actus consistere nō potest, vulg. l. cum precario ff. de precario, & l. 2. ff. de vsuf. ear. rer. quæ vsu consum. Vnde cōsuetudo circa substātialia matrimonij nihil valet, vt docuit Card. in Clement. sæpè S. & quia 3. q. in fine, de verbor. signif. per cap. 1. & fin. de sponsali. neque appellationis substantialia queunt per consuetudinem immutari, vt post Abbatem autumat Decius in rub. de appellat. n. alia que similia passim in vtroque iure reperire licet.

14 His omnibus addo, videri naturalitatem istam Mæuio à Siculis, metu perterritis, concessam, proindèque nullā, tum ex ijs, quæ conf. 2. annotauimus; tum maximè, quia nullam prorsus aliā huic, qua de agimus, similem vnquam Siculi indulsère: ex hoc autem insueto concedendæ naturalitatis modo optimè argui metum, docent omnes, arg. cap. quam graui, de crimin. fals. Atque hæc sanè omnia vlteriùs ex his, quæ conf. seq. afferam, confirmari possunt.

His sanè expositis, occasione vacationis prædicti Archimādritatus, Rex noster Siculum oriundum huic priuilegiario prætulit; vt diximus conf. 2. num. 53.

CONSILIVM XII.

Exterorum in Siculos adoptio, seu allectio, irrita, vt plurimum, & improbata.

Ad

Idem cap. 166. Caroli V.

S. I.

Hæc allectio regulariter fit contrà formam *d. cap. 166.* ideo irrita.

SVMMAE.

1 *Cap. 166. Caroli V. quid contineat.*

2 *Quæ ex eo cap. inferantur.*

Naturalitates metu conceduntur; & contrà illius cap. formam substantialem; ideo irritæ.

Actus, cōtrà statuti formam gestus, irritus est.

3 *Quin & citrà, vel præter ipsam gestus.*

4 *Formæ nihil addi, detrahiuè debet; siue ea à lege, siue ab homine inducatur.*

5 *Forma in dubio præsumitur substantialis.*

Decretum irritans formam substantialem inducit.

6 *Actus nullitatem operatur: ac Papa manus ligat, si exprimatur: ac tunc derogatio requiritur: alijque eiusdem decreti effectus.*

7 *Contraria consuetudo nihil eius cap. dispositioni obest.*

1 CONsueuère Siculi, parum sibi, suisque posteris consulētes, in Generalibus comitijs, exteros in Siculos adoptare, seu, vt vulgus loquitur, naturalizare, quò hi Siculorum priuilegijs eo prorsus modo, pro obtinendis quoque officijs, ac beneficijs, gaudeant, quo Siculi ipsi oriundi perfruuntur. Et, vt hic Siculæ reip. mos perniciosus omnino præcideretur, in *cap.* 166. Caroli Imperatoris ità statutum hac de re reperitur. *Item perchè detto Regno hà concluso, & accordato, che nullo vnquam tempore per li tre Bracchi del detto Regno se potesse fare habilitatione à persona nessuna extera, per potere concorrere como Regniculo del detto Regno, & che qualsiuoglia habilitatione si facesse à persona extera di qualsiuoglia condicione, e grado, etiam che fosse Vicerè, sen figli, ò consăguinei, se intendano nulle, & fatte per metum, & impressionem præsumptione iuris, & de iure, & cossì ogni altra dispensatione, che il detto Regno facesse, tanto per esso Vicerè, suoi figli, e consanguinei, come per ogni altra persona extera: per questo il detto Regno supplica à V. Cesarea Maiestà, si degni prouedere, & comandare, che etiamsi li tre Bracchi del detto Regno consentissero contra la conclusione del detto Regno, & forma del presēte capitulo, s'intēda detto cōsenso casso, irrito, & nullo, & oltra che nō si possa parlare, nè trattare cosa alcuna, che tendesse contra il detto capitulo, eccetto che fossiro presenti personalmenti, & non per procuratore tutti quelli, che hanno di dare la voce di quelli, che interuengono alle tre Bracchi, non si possa concludere cosa alcuna, & si se concludesse, detta conclusione sia nulla, vt supra; & impetrandosi alcuno officio, ò beneficio in virtù di detta habilitatione, tale impetratione sia nulla, & non si ci deba exequire*. Decretum verò, Imperatoris mandato, huic capitulo appositum, hoc est: *Sù Magestad es contēto, que se guarde el capitulo, que sobre esto tiene, y nò mandarà cosa en contrario.*

2 Atque ex eo quidem primùm constat, eiuscemodi naturalitates, atque habilitationes irritas omnino censeri, nulliusque momenti, ac per metum concessas. Secundò constat, nihil penitus posse tractari, quod huius capituli dispositioni aliquo pacto aduersetur, nisi præsentes adsint personaliter, vt ibi dicitur, non verò per procuratores, ij omnes, qui adesse, suffragiũque ferre debent: quodque contrà id fiet, irritum, ac nullum censeatur. Tertiò denique constat, beneficiorum, atque officiorum impetrationes, harum habilitationum virtute emanatas, irritas esse, neque executioni mandandas.

3 Et sanè hasce naturalitates metu concedi, proindeque inanes, inualidasque censeri debere, quod est nostrum institutum, satis ex ijs primùm ostenditur, quæ *cons.* 2. *à n.* 33. leuiter tetigimus, quæ hoc loci erunt vberiùs exponenda. Aio igitur, naturalitates hasce inanes, irritasque censeri, quòd ferè semper contrà laudati capituli formam, & quidem substantialem, à Siculis indulgentur: sed enim certum, atque indubitatum est, actum contrà statuti formam, & maximè substantialem, nullum esse, ac prorsus inanem *cap. venerabili, de off. deleg. cap. Pisanis, de restit. spoliat. cap. cũ dilecta, de rescrip. ibique latè Felin. vers. Gesta contra formam*, vbi præter hæc iura allegat *l. cum hi S. si prætor ff. de transact.* ibidemque alia addit, quæ hùc transferri commodè possent: sed apud ipsum erunt consulendæ & post *Anch. Angel.* aliosque probant *Decius cons.* 228. *Mandos. in reg.* 27. *cancell. q.* 24. *à n.* 15.

4 Neque solùm vitiari actum formæ defectu, cum contrà ipsam, sed etiam si citrà, vel præter ipsam, agatur, vt si quidpiam addatur, vel minuatur, post *Io. And.* aliosque, ostēdit *Felin. loco cit. ver. amplia primo, Mandos. loc. itē cit. n.* 16. etsi in minima solum parte forma non custodiatur, vt post alios monent

nent *Felin. & Mandoſius*, modo laudati: horumque reddunt rationem, quòd formæ nihil prorſus addi, detrahique poteſt: eaque aiunt locum obtinere, ſiuè ab homine, ſiue à lege, forma inducatur: ipſos conſule hac de re, latiùs differentes.

5 Formam verò concedendarum naturalitatum per illud capitulum conſtitui, ſeu induci, ſatis colligitur ex eodem ibi: *cōtra la forma del preſente capitulo*. atque ex ijs, quæ tradidit poſt alios *Mandoſ. in reg. 24. cancell. q. 3. n. 8. & 9 & reg. 27. cit. q. 24. n. 14. & 15.* & quidem ſubſtantialem, qualis quælibet in dubio eſt cenſenda, vt monet *Decius conſ. 228. cit. poſt Bald. in l. compationes n. 5. in tertia oppoſit. C. de fide inſtrum.* & alij apud *Barboſ. Axiom. 100. n. 1.* vbi plura de forma. Sed præcipuè id oſtenditur, quia in *eod. cap.* decretum, quod vocant annullariuū, & irritans reperitur, à quo ſubſtantialem formam induci, probat poſt alios plures *Felin. loc. cit. verſ. quintū ſignū, Mandoſ. reg. 27. cit. q. 24. n. 15. Dec. cōſ. 20. n. 2. & 3.* alibique ſæpè transferri hùc commodè queunt cętera quoque ſigna, quæ *Felinus loc. cit.* accuratè perpendit.

6 Atque de irritante decreto plura congerit *Barboſ. clauſula 40.* vbi oſtendit poſt innumeros alios, illud actus nullitatem penitus operari, ſciant, ignorentuè contrahentes: Papæ quoque manus ligate, ſi exprimatur, tūcq; derogationem requiri, maximè ſi acceptēt, vel eorum acceſſerit cōſenſus, in quorum vtilitatem, & commodum lex fuerit introducta: neque ei renunciari poſſe, ſi merum etiam partium fauorē reſpiciat; titulum, ac poſſeſſionem inficere, omniaque irritare; nedū introductam etiam immemorabilem contrariam, verum futuram quoque remouere conſuetudinem, annexamque habere inhibitionem aduerſus etiam ignorantes, maximè ſi ſupremi Principis ſit decretum: quæ quidem omnia vberiùs comprobata reperies apud auctores à *Barboſa* laudatos. Iam vero præfari capituli formam in naturalitatibus concedendis minimè cuſtodiri, patet, quia quamplures, & ſanè è principalioribus, quos inter, omnes ferè epiſcopos connumerare licet, qui intereſſe deberent, procuratores mittunt, & nunquam perſonaliter adſunt, vel adfuerunt, vt capitulum expreſsè requirit.

7 Et quamuis hodie in more poſitum ſit, vt in comitijs generalibus exteri à Siculis, abſq; prædicti capituli forma, ac ſolemnitate in Siculos adoptentur; nihilominus vſum hunc, ſeu conſuetudinem inualidam eſſe, nec eiuſdem capituli diſpoſitioni poſſe derogare, ſatis ex ijs oſtenditur, quæ *conſ. 3. à n. 177.* attulimus copioſè.

§. II.

Hæc eadem allectio non fit cum ſpeciali derogatione *d. cap. 166.* regulariter; ideo irrita.

SVMMAE.

8 *Clauſulæ derogatoria ſequentis diſpoſitionis ſpecialis derogatio requiritur.*

9 *Diſpoſitio qualibet non debet eſſe eluſoria.*

10 *A verbis conſtitutionis non eſt recedendum.*

In rebus claris non eſt coniecturis locus.

11 *Quadam* Decij *doctrina notanda.*

12 *Alia* Bartoli *doctrina notanda.*

Plura de forma ſtatuti omnino ſeruanda.

13 *Alius eſt defectus poteſtatis, alius volūtatis.*

14 *Populus ius ſibi conſtituere poteſt.*

8 His verò conſtitutis, quæ modò expoſuimus, ac præſertim de irritante decreto, quod in *cit. cap.* reperitur, vlteriùs probatur, huiuſmodi adoptiones regulariter irritas eſſe, nulliuſque momen-

menti, quia scilicet ijs deest principale quoddam requisitum, licet cætera haberent, puta clausulam specialem derogatoriam *d.cap.166.* opus enim fuisset, vt de eo capitulo specialis mẽtio, ac derogatio fieret in hunc fermè modum, nimirum, *non obstante tali capitulo, seu Regni conclusione, constitutione, statuto, talia continente*: verissimum enim est, constitutionem quãlibet, seu dispositionem, habentem clausulas, quas derogatorias quoque nuncupamus, sequentis dispositionis, seu voluntatis, quæque prohibeat, nè impetrationes, seu rescripta contrà eamdem emanẽt, per generales clausulas minimè tolli, nisi de ea specialis mentio, ac derogatio fiat, vt omnes eliciunt ex *l. si quis in principio ff. de legat.3.* vbi: *nemo*, inquit Hermogenianus, *eam sibi legem potest dicere, vt à priore voluntate ei recedere non liceat: sed hoc ità locum habebit, si specialiter dixerit, prioris voluntatis se pœnituisse, &c.*

9 Conferunt maximè, quæ congerit *Gloss. in cap. 1. verb. non timore mortis, vers. respondetur, quod verum est, de ijs, quæ vi, metusuè causa fiunt: vide cap. nonnulli §. 1. de rescript. ibiq; Gloss. Abb. Felin. aliosque: item cap. vnicum. ibique Gloss. de excess. Prælat. in 6. Anton. Cors. in singul. verb. rescriptum 2.* Consulẽda sunt quoque, quæ docuit *Bart. in l. omnes populi n. 31. ff. de iustit. & iure*, vbi hanc doctrinam scitè comprobat, diluitque ea, quæ eidem aduersari videntur: vide quoque *Bald. in l. eam quã n. 36. C. de fideicom. Deci. cons. 181. & 228. cit.* ex cuius sanè doctrina vlteriùs id, quod nos intendimus, roboratur. Etenim, si actus quilibet cõtrà præfatum Capitulum gestus valeret, absque eiusdem capituli expressa derogatione, nunquam omnino illud locum obtineret, & frustratorium, atque elusorium penitus foret, quod non est asserendum; *arg. l. si quando initio ff. de legat. 1. cap. si Papa, de Priuileg. in 6.* & ità arguit Iurisconsultus *in l. fin. ff. nè quid in loc. publ. & in l. si prætor ff. de iudic. & in l. si quis rem, vbi Gloss. ff. de arb.* alia vide apud *Barbos. Axiom. 11. n. 4.*

10 Et in nostro quidem casu, vti in suo ait *Decius*, non est admodum elaborandum: quia eius capituli, aut constitutionis verba apertè innuunt, quod factum in contrarium sit omnino irritum, & inane: & à verbis constitutionis non est recedendum. *l. quod constitutũ, ibique Bart. aliique ff. de testam. milit.* in rebusque claris non est coniecturis locus, *vulg. l. continuus §. cum ità, in fine ff. de verb. obligation.*

11 Et quamuis cõtrà traditam doctrinam aliqua afferri queant, quæ ipsi aduersari videantur, quę à *Decio* initio *cons. 228. cit.* referuntur; quibus sanè probatur eo ipso, quod Concilium quempiam actum gerit contrà priorẽ ab ipsomet sancitam constitutionem, censeri hanc eamdem tollere, seu suspendere; nihilominus ea facillimè ab eodem *Decio* diluuntur. Ex quorum profectò solutione magis etiam fulcitur id, quod nos intendimus: monet enim ipse, obiecta locum duntaxat obtinere, quo tempore forma aliqua simpliciter à constitutione, statutoue exigitur, atque vlteriùs non progreditur, contrarios scilicet actus irritãdo: secus verò, cum expressim statuitur, vt contrarij actus irriti sint, nullius que roboris, ac momenti: tunc enim ij irriti sunt.

12 Refert *Decius* eximiam *Bartoli* doctrinam in *l. omnes populi ff. de iust. & iure*, quem nos quoque suprà laudauimus; vbi, inter cętera, ait; ideo præcedens statutum, à quo forma certa requiritur, cum contrarij actus annullatione, per subsequens non tolli, nisi in hoc illius fiat mentio, & derogatio specialis; quia protestatio præcedens desse animum in statuto, nisi quando contrario declaratur; *d. ar. l. si quis in principio ff. de relig. & sumpt. in l. qui in aliena §. fin. ff. de acquir. hered.* cõfert *l. si quis in principio cit. ff. de legat. 3.* ibique *Bart.*

Bart. ità *l. humanum C. de legib.* interpretatur, vt velit, ibi formam simpliciter datam, neque fuisse sancitum, vt, si actus aliter fieret, non valeret: idē quoque ipsum *Bartolum* docere alibi, *Decius* refert: & *Bald. in l. humanum cit. vers. secundò quaro*, vbi ait, quod si statuto quopiam caueatur, vt reformationes, & statuta fieri nequeant, nisi certa forma seruata, Populusque congregatus, ea minimè custodita, reformationes efficiat; ait, inquam, has irritas censeri, quando statutum illud, quod formam requirit, actus contrarios nihil penitus valere, decreuit. Vide quoque *Paul. de Castr. in d. l. humanum*, vbi *n.* 5. hæc eadem penè, quę *Baldus* docuit, recenset; additque, Florentiæ id quotidie euenire, putà quod in aliquo actu statuitur, quod omnes voces concordes, nemine discrepante, concurrant: si enim postea, ea forma minimè custodita, oppositum efficiatur, vel ordinetur, id irritum erit, & inane, si modo in primo statuto expressim dicatur, quod cōtrarius actus non valeat; secus verò, si forma simpliciter absque actus annullatione requiratur: idemque edocent alij plures apud eumdem *Decium cons.* 228. *cit.*

13 Sed neque hìc dicas, posse Siculos, in generalibus comitijs congregatos, priorum comitiorum decretis, seu statutis derogare: id etenim non est ità certum, cum ea in publicum commodum, atque vtilitatem decernuntur, vt contrarium nequeat iure defendi; etsi vim legis, quam illis tribuunt Regum confirmationes, minimè perpendamus. Sed nihilominus, licet id ipsum gratis omnino concedamus; addimus tamen, nos nequaquam potestatis defectum, sed voluntatis allegare, vt declarant *Bart. in d. l. si quis in principio, & Bald. in rub. vers. reuertor ad quæstionem C. de precib. Imperato. offerend.* quos laudat, sectaturque *Decius cons.* 228. *sæpiùs cit. n.* 2. quia in eiusmodi cōtrario actu adesse minimè censetur Siculorum voluntas, cui in præfato capitulo fuit derogatū, vt *Bart. in l. omnes populi cit. & Decius in d. cons.* animaduertunt, cum præsertim ea adoptionum priuilegia in priuatum cōmodum concedātur: quo sanè casu non ità facilè illi capitulo, quippe in publicam Siculorum vtilitatem introducto, derogari potest; sicuti si id per nouam constitutionē decerneretur, vt docet *Bart. Bald.* alijque, quos *Decius cons.* 10. *cit.* recenset.

14 Denique illud hoc loci minimè prætermiserim, consultò nos in tota hac ratiocinatione capitulum illud nunc statutum, nunc constitutionem, nunc alijs huiuscemodi nominibus appellasse; siue enim illud vim, valoremque obtineat à Regis auctoritate, illud cōfirmantis, siue à Regni volito, hoc ius sibi constituentis, quod facere potest, accedente præsertim Principis consēsu, *l. omnes populi cit ff. de iust. & iure, instit. eod. tit. § ius ciuile*, semper vtiq; vera erūt, quę hùcusque exposuimus, neque ei derogari poterit consuetudinē, erroremuè, nulloque Siculorum consēsu, ac voluntate, introducto, vt ex dictis, locis superiùs allegatis, manifestum est.

15 Satis hùcusque ostendimus, ni fallor, exterorum in Siculos adoptiones esse omnino irritas, formæ expositæ defectu: addidimus tamen, *vt plurimum*: si enim, ea seruata, concedātur, etsi dubitare quispiam non ineptè posset, num iure Prouinciæ, quibus, nullo iure id permissum reperio, vel ciuitatibus indultum inuenitur, eas concedere queant; hoc tamen loci gratis damus, eas validas fore, licet non vt hi adoptati, allectique Siciliæ beneficia consequantur, vt copiosè *cons.* 2. demonstraui-mus.

S. III.

§. III.
Exterorum allectiones, vt plurimum improbatæ ostenduntur.

S V M M AE.

16 *Exterorum adoptiones improbatæ.*
17 *Probatur id exemplo adoptionis, Alios an adoptare queat, qui liberos habet.*
18 *Ludouicus XII. Francorum Rex omnes eiusmodi adoptiones reuocauit.*
19 *Probatur illud ipsum exemplo legitimationis.*
Naturales filij in legitimorum damnũ non legitimantur.
20 *Illegitimi cum legitimis non succedunt.*

16 NVnc breuiter ostendam, easdem exterorum adoptiones esse penitus improbatas, licet ceteroqui validæ forent. quam sanè rem tetigit doctiss. *Diana*, cuius codex, postquam hæc scripseram, ad manus peruenit, *tract. de parlamento resol.6.* qui indè ait, cautè, ac difficulter in parlamento esse exteros inter Regnicolas admittendos, quòd in magnam Regni vtilitatem redundat, vt non exteri, sed ex natione ad beneficia assumantur, vt ibidem quorũdam auctoritate, ac rationibus ostẽdit, nosque latiùs probauimus *cons.3. à n.84.*

17 Sed præter hanc rationem, duas, quæ sequuntur, addiderim. loquor verò semper, posito quòd eiuscemodi priuilegia ad obtinenda Siciliæ officia, ac beneficia suffragẽtur; id quod, si de beneficijs sit sermo, iam *cons.2.* ostensum est, ad hunc effectum nihil illa prodesse. Probatur igitur id primùm adoptionis exemplo, cui maximè similem esse naturalitatem loco citato monuimus: quin eodem adoptionis nomine naturalitatem non incongruè significari, ibidem ex probatis auctoribus ostendimus. Probatur, inquam, adoptionis exemplo, de qua quidem Vlpianus, vt refertur in *l. nec ei § fin ff. de adoption.* ità loquitur: *præterea videndum est, an non debeat permitti ei, qui vel vnum habebit, vel plures liberos, adoptare alium, aut illorum, quos ex iustis nuptijs procreauit, diminuatur spes, quam vnusquisque liberorũ obsequio parat sibi.* ac si doceret iurisconsultus, parentibus, qui liberos habent, alios adoptare minimè debere permitti, si hinc spes ipsis liberis minuatur, putà obtinendorum præmiorum, quæ ijsdem, ob obsequia parẽtib⁹ exhibita, omni iure debẽtur.

18 Atque hæc sanè optima ratio maximè perpendenda erit in exterorum in Siculos adoptione: cum enim hinc plurimum ipsis Siculis spes diminuatur officiorum, ac beneficiorum consequendorum, quæ præmia sunt, eorumdem obsequijs, Patriæ quotidiè præstitis, debita, fit profectò, vt hæc eadem adoptio omnino reprobanda sit: *ne canes rabidi*, inquit Rebuff. in const. reg. trac. de literis natural. gloss. 2. n. 10. *panes filiorum deuorent, ac tollant*: quam ob caussam Ludouicus XII. Francorum Rex, vt ibidem monet *Rebuffus*, omnes naturalitatis literas ad beneficia, & officia obtinendum, reuocauit, quæ non fuerunt effectum sortitæ.

19 Iterũ illud ipsum probatur exemplo eorum, qui natalibus, Principis rescripto, aliàsue restituuntur, seu legitimantur: cui quidem legitimationi *d. cons. 2.* similem fecimus post alios exterorum, de qua agimus, adoptionem, nequeunt sanè filij naturales in legitimorum detrimentum, ac præiudicium legitimari, vt Doctores ostendunt, ex *auth. quib. mod. nat. effic. sui* S. *si quis autem filios legitimos non habens*, & ibi, *legitimis, sicut prædiximus, non obstantibus* & S. *generaliter*, ibi, *omnino enim, legitimis existẽtibus, nequaquam vim legitimorum ei adijcimus, auth. præterea, & l fin. circa mediũ C. de nat. lib.*

Quòd-

10 Quòdque illegitimi cum legitimis succedere parentibus nequeant, ait, post *Recuperium de Sancto Miniano*, *Bart.in l.3.in fine ff. de testam.* cuius doctrinam omnes prorsus Doctores amplectuntur, quorum aliquos laudat *Molin.lib.3.de primog.cap.2.nu.3.* Si ergo illegitimi natalibus restirui nequeunt, si inde damnum, ac præiudicium legitimis sequatur: eodem prorsus modo neq; exteros licebit in Siculos adoptare, quando ex huiusmodi adoptione Siculis ingens, atque euidens sequitur detrimẽtum: hi etenim adoptati, cum sæpè sint superioris notæ viri, si clerici sint, beneficia; si laici, officia præcipua occupant, atque oriundis Siculis sępissimè tollunt. quod quam sit rationi dissonum, ex ijs quisque facile deprehendet, quæ vberrimè *consf.3.à n.84.* explicuimus. Atque ex his omnibus concludendũ est, huiusmodi adpotiones, etsi aliũdè apertè constaret validas esse, nihilominus fore ex expositis modo capitibus improbandas: nisi fortè aliquibus concederentur de ipsomet Regno optimè meritis, quos à generali regula excipi rationi consentaneum esset.

CONSILIVM XIII.

Quid restituendum finito rerum mobilium vsufructu.
Ad
Cap.48.& 49. Regis Martini.

§. I.

Quid restituendum, finito vsufructu earum rerum, quæ vnico actu consummuntur.

S V M M AE.

1 *Bonorum publicatio reis criminis læsæ Maiestatis statuitur: & in ea vsusfructus includitur.*

2 *Rerum mobilium quasi vsusfructus cõstituitur.*

3 *Earumdem triplex genus.*
Quæ propriè vsu consummi dicantur.

4 *Earum rerum, quæ vnico actu consummuntur, finito vsufructu, æstimatio restituenda est, aut res ipsa eiusdem qualitatis.*
Hæc de re cautio interponitur, quocumque modo vsusfructus constituatur.

5 *Fructuario electio est, rem velit restituere, an æstimationem.*
Quæ æstimatio reddenda.

1 Bonorum omnium cõfiscationẽ, seu mauis publicationem, maximam inter eas, quas pęnas pecuniarias appellamus, reis criminis læsæ maiestatis à Martino Siciliæ Rege in *cap.48. & 49.* statutam inuenimus: eà vero vsumfructum quoque cõcludi, durareque, reo vsufructuario viuente, volunt omnes ferè Doctores, quorum plures laudat, ac sequitur *Farin.lib.1.Pract.& Theor.Crim.de delictis, & pęnis tit.3.q.24 num.32.* & meliùs *q.25.n.149.* qui *n.150.* contrariam paucorum opinionem ad hanc cęteris communem reducere conatur. vide quoque *Batard.ad Clar.q.78.n.29.* sed præsertim hanc quæstionem reperies accuratè agitatam ab *Anton. Gomez var.tom.2.cap.15.de seruit. à n.18.* Si igitur inter cętera, bonorum quoque mobilium vsumfructum, quẽ fortè eius criminis reus habebat, fiscus publicauerit; quidnam, eo finito eiusdem rei interitu, proprietario restituendum erit? Accidit casus, cum in Hispania degerem: de quo equidẽ consultus, respondi, hanc difficultatẽ omnibus rerum mobilium vsufructuarijs prorsus esse communẽ, proindèq; quoad omnes dissoluendam.

2 Et sanè primùm certum esse debet hoc loci, rerum mobilium quasi vsumfructum Senatusconsulti beneficio verè constitui. Apertè id sancitur in *§.constituitur, instit.de vsufructu, l.1. 2.alijsque ff.de vsuf.earum rerum, quæ vsu consum.l.1.C.de vsufr. l. vsufructu bonorum ff. ad l. Falcid.* alibique passim,

sim, præsertim *lib. 7. ff.*

3 Earumdem equidem rerum, imitatus *Abbatem in cap. fin. de pignor.* triplex genus distinguerem: primum sanè earum, quæ vnico prorsus actu consummuntur; cuiusmodi vinum, oleum, frumentum, pecunia, ac similia censentur: de quibus Caius loquitur in *l. si vini ff. de vsufr. ear. ver. &c.* quæ vsu consummi propriè dicuntur. Secundum genus est earum, quæ non quidem vnico actu, sed pluribus paulatim minuuntur, ac veterascunt: cuiusmodi sunt quotidianæ vestes, & si quid aliud simile reperitur. ad id sanè generis reducerem ea, quæ potius tempore, quam vsu consummuntur, veluti aulæa, vestes scenicæ, & lugubres, quarum perrarus est vsus: de quibus loquitur *Franciscus Hotomanus*, auctor damnatus, *in cit. §. cõstituitur, ver. vestimenta, instit. de vsufr.* Tertium denique genus earum est, quæ ipso vsu, aut tempore ferè non consummuntur, quas Iurisconsulti immobilium regulis metiuntur, definiuntque, vt sunt vasa aurea, argenteauè: de quibus Vlpianus loquitur *in l. fin. ff. vsufr. quemadmodum caue.* aliaque huiusmodi, de quibus omnibus mox dicendum erit.

4 Quod igitur attinet ad primum genus, omnes prorsus Doctores censẽt, earum rerum, quæ eo concluduntur, restitueu iam esse æstimationem, finito earumdem vsufructu, aut certè eædem res erunt reddendæ eiusdẽ prorsus qualitatis, cuius receptæ sunt: qua de re cautio interponi debet: id quod statuitur apertè in *d. l. si vini, & l. 2. alijsque ff. de vsufr. ear. rerum, in cit. §. constituitur*, atque alibi passim: & quidem quoad hanc, quam aio cautionẽ interponendam, nihil interest, siue ex testamento, siue ex voluntario cõtractu vsusfructus sit constitutus, *l. vsufructu 1. C. de vsufr. & l. 1. §. planè etsi ff. vsufr quemad. cau.*

5 Et quidem fructuario electionẽ esse, velitnè æstimationem, an res ipsas restituere, probabilius puto cum *Ario Pinello ad l. 1. C. de bon. mater. parte 2. n. 80. paulo ante finem*: quod ipse ibidẽ probat: idemque affirmare *Alciatum lib. 7. Parerg.* ait *Syluester Aldobr. in add. ad cit. §. constituitur.* Atque æstimatio quidem ea reddi debet, quæ fit tempore cõstituti vsusfructus, vt placuit *Glossa in d. §. cõstituitur. verb. æstimatæ*, quæ id probat ex *l. si vini, cit.* eamque cęteri sequuntur. Atque hoc primo rerum genere lana, odores, & aromata contineri voluit Vlpianus in *l. lanæ ff. de vsufr. ear. rer.*

§. II.

Quid restituendum, finito vsufructu earum rerum, quæ pluribus actibus minuuntur.

SVMMAE.

6 *Abbatis doctrina de hac re probatur. & num seqq.*
Mobilis appellatione mouentia quoque concluduntur.
7 *Aliud est vsu consummi, aliud vsu minui.*
8 *Rei commodatæ damnum ad dominum spectat.*
9 *Quid significet verbum* abuti.
10 *Opinio* Lud. Molin. *hac in re refertur.*
11 *Impugnatur: & explicatur* l. sed etsi §. erit vestimentorum ff. de vsufr.
12 *Vestium vsusfructus est veluti rerum immobilium.*
13 *Probatur vlterius Abbatis doctrina.*
14 *Scenicæ vestis vsusfructus quomodo cõstituatur.*
15 *Alexandri doctrina contraria refertur.*
16 *Iura, quibus eam probat, non sunt efficacia.*
17 §. constituitur instit. de vsufruct. *cõtra traditam Abbatis doctrinam maximè vrget.*
Hotomani *doctrina, eiusque* d. §. *explicatio.*
Duplex vestium genus.
18 *Quæ militent contrà* Hotomanum.
Vestis appellatione omne vestimentum con-

concluditur.

19 *Multa, quæ vestimenti nomine concluduntur.*

Verbum simpliciter prolatum generaliter est intelligendum.

Indefinita propositio æquiualet vniuersali

20 *Vestimẽtorum genus, quod citò corrumpitur.*

Quomodo in eo vsusfructus cõstituatur.

21 *Aliud vestimentorum genus, quorum vsus perrarus est.*

Quomodo in his vsusfructus constituatur.

22 *Opinio* Abbatis *tutò amplecti potest.*

6 IAm vero, quod attinet ad secundum genus, *Abbas in cap. cum constet n. 3. de pignoribus*, vniuersè, ac generatim docet, rerum eo conclusarum id restituẽdum, quod superfuerit post vsumfructum; idque probat satis quidẽ efficaciter ex *l. 1. ff. vsusfr. quemadmodum caue.* vbi: *si cuius rei*, inquit Vlpianus, *vsusfructus legatus sit, æquissimum Prætori visum est, de vtroque legatarium cauere, & vsurum se boni viri arbitratu, &, cum vsusfructus ad eum pertinere desinet, restiturum quod indè extabit. hac stipulatio, siue mobilis sit res, siue soli, interponi debet.* Quibus profectò verbis satis indicat iurisconsultus, idem omnino iudicium de rebus soli, seu, quod idem est, immobilibus, ac de mobilibus, quæ vsu minuuntur, ferendum esse. Mobilis autem appellatione mouẽtia quoque concludi, placet *Glossæ ibidem verb. mobilis*, innixæ in *l. mouentium ff. de verbor. signif.* vbi id apertè sancitũ est. Atque quod de hac cautione statuit Vlpianus in vsufructu, quacumque ex caussa cõstituto, puta in vltimis voluntatibus, seu inter viuos vult locũ obtinere *S. planè, etsi, eadem lege.*

7 Confirmat vlteriùs suam sententiã Panormitanus ex *l. 1. de vsufr. earum rer. quæ vsu consum. vel minuuntur*, vbi vsu consũmi, ac vsu minui, vt qualitates omnino diuersas poni animaduertit: vnde, inquit, iura quæ decernũt, vt æstimatio præstetur, in rebus, quæ vsu consũmuntur, loqui, censendum est, vt in *cit. cap. cum constet, & l. si vini ff. de vsufructu ear. rerum, quæ vsu consũ.* quarè extendenda minimè sunt ad ea bona, quæ vsu non consũmuntur: ipsi enim vsufructuario magnum præiudicium inferretur.

8 Iterum eamdem probat opinionem *Abbas* à simili; cum enim commodantur res, quæ vsu minuuntur; ad dominum, non verò ad commodatarium damnum spectat, vt *l. eum qui ff. commodati* fortiùs, ipse ait, hoc dicendum in vsufructuario, qui naturaliter possidet, vt damnum, inde contingens sine culpa sua, cedat proprietario, & non sibi: *Abbatem*, ipsius doctrina omnino trãscripta, apertè sequitur *Sylvester in Summa verb. vsus, & vsusfructus n. 4. & Emanuel Sà item in summa V. vsufructus n. 2.* eamdem sententiam amplectuntur *Card. & Imol. in eod. cap. fin.* qui citat *Florian.* prout eos omnes allegat Pinellus *ad l. 1. C. de bonis mater. part. 2. paulò ante finem.*

9 Adderem hisce *Abbatis* rationibus id, quod placuit Vlpiano relato in *l. sed etsi § etsi vestimentorum ff. de vsufr.* vbi: *& si vestimentorũ*, inquit, *vsusfructus legatus sit, non sicut si quantitatis vsusfructus legetur, dicendum est, ità vti eum debere, nè abutatur: nec tamen locaturum, quia vir bonus ità non vtetur. Nè abutatur*, inquit, idest nè cõsumat, vt *tot. eod. tit.* sumitur illud verbum, aitque *Rebuff. in l. bona. ver. abuti etiam ff. de verb. signif.* & in simili re exponit *Glossa in l. vbi adhùc, ver. abutatur C. de iure dot.* Atque in eo sensu eo verbo ipse *Cicero in Topicis*, vbi agit de loco à contrario, vtitur, ibique *Boetius: vtimur*, inquit, *ijs rebus, quæ nobis vtentibus pereunt.* Vult igitur iuriscõsultus, vsufructuarium hisce vestibus abuti minimè debere; quia nimirum eædem erunt post finitum vsũfructum restituendæ: si enim eorum æstimatio esset reddenda; cur in ijs consumptio

prohibeatur, quæ in alijs eiusmodi, quorum scilicet æstimatio restitui debet, omnino conceditur?

10 Sed *Ludou. Molina tom. 1. de iustit. disp. 7. vers. vsufructuari* tenetur cautionem, circa medium*, defendens, vestes eo rerũ numero, quoad vsumfructum pertinet, comprehendi, quæ vsu dicuntur consummi, ità vt earum æstimatio sit reddenda; huic legi respondet, aitque, eam se ipsam explicare, dum addit, inquit, se intelligere, quando legatur vsusfructus vestis, vt finito tempore, vestis, & nõ illius æstimatio restituatur: quibus verbis satis apertè docet, subdit *Molina*, quando id non exprimitur, vestis vsumfructum computandum esse cum vsufructu rerum, quæ vsu consummuntur.

11 Nihilominus, pace tanti viri, equidem non video, vnde colligatur apertè, Vlpianum seipsum exponere ad eũ modum, quo asserit *Molina*, vt iurisconsulti verba perpendenti fiet manifestum. fanè, si id eliciatur ex ijs verbis, *non sicut si quantitatis vsusfructus legetur*; aio, ea potius *Molinæ* aduersari, quam fauere: etenim duplici sensu eadem verba antecedentibus, ac subsequentibus connecti possunt, vt ex *Glossa ibidem*, licet obscurè, colligitur; primo quidem vt oratio ità construatur: quod si vestium vsusfructus sit legatus, dicendũ est, ità vti vsufructuarium debere, nè abutatur; non autem sicuti si quantitatis vsusfructus legetur, putà vt abuti possit; ità vt tota hæc oratio integra sit quoddam responsum: & hoc est, quod dicit *Glossa* verba *& si vestimentorum, esse de responsione*. quam quidem interpretationẽ quisque manifestè videt, nihil prorsus fauere *Molinæ* explicationi.

12 Secundò ità construi possunt, vt prius facti species ponatur, in hunc modum: & si vestium vsusfructus legatus sit, & quidem legetur non sicut quantitatis vsusfructus, puta, vt *Glossa* interpretatur, vt detur vestimentum æstimatum, æstimatione reddenda; finito vsufructu: deindè ponatur responsio, nimirum, dicendum est, &c. & hoc est, quod dicit *Glossa* verba illa: *et si vestimentorum, esse de facto, & ibi esse responsionem, dicendum est, &c.* quę quidẽ interpretatio satis apertè *Molinæ* aduersatur: quandoquidem iurisconsultus vult, vt vestium vsusfructus sit veluti rerum immobilium legatus, nisi eas æstimatas tradi voluerit testator; nam tunc apertè constat ipsius mens, atque intentio, volentis, reddi earum æstimationem: quod si id non exprimat, intelligetur earum vsusfructus veluti immobilium constitutus; non verò computãdum esse cum vsufructu rerum, quę vsu consummuntur, vt voluit *Molina*: quod apertè indicat Vlpianus, dum dicit: *si vestium vsusfructus legatus sit, & non legetur, sicut quantitatis vsusfructus*: quasi dicat, & non exprimatur, quod ità legatus sit: id enim sciri nequamquam poterit, nisi exprimatur: quarè hoc omnino, non verò quod voluit *Molina*, erit exprimendum, puta vestium vsumfructum ità constitui, vt eædem, non verò earum ęstimatio restituatur: quod nullo pacto colligitur ex verbis iurisconsulti, vt consideranti patebit.

13 Adderem quoque *Abbatis* rationibus aliud eiusdem Vlpiani volitum, relatum in *l. si vsusfructus mihi §. si vestis, ff. vsusfructus quemad. caueat.* vbi: *si vestis*, inquit, *vsusfructus legatus sit, scripsit Pomponius, quamquam hæres stipulatus sit, finito vsufructu, vestem reddi; attamen non obligari promissorẽ, si eam sine dolo malo attritam reddiderit*.

14 Neque obstat, quod ait *in d. l. Glossa verb. vestis; scilicet*, inquit, *Scenicæ, in qua vsusfructus legari posſit d. §. et si vestimentorum*: quasi vero tantum in hisce scenicis vestibus locum obtineat vsusfructus: occurri enim potest, atq; asseri, id falsum videri, atque apertè ex eo §. non probari: imo potius contrarium inde inferri efficaciter potest; nam

nam iurisconsultus post laudata verba, *et si vestimentorum, &c.* ità infert: *Proinde, et si scenica vestis vsusfructus legetur, vel aulai, vel alterius apparatus, alibi quam in scena non vtetur. sed an locare possit, videndum est, & puto locaturũ: & licet testator commodare, non locare fuerit solitus; tamen ipsum vsufructuarium locaturum, tam scenicam, quam funebrem vestem, &c.* quibus profectò verbis liquidò constat, Vlpianum omnino distinguere scenicas vestes ab ijs, de quibus initio *eiusd. S.* loquutus fuerat: nam has vsufructuarium neutiqnam locare posse statuit; scenicas verò locare non prohibet: quarè, præter has, aliarum quoque vestiũ vsusfructus cõstitui potest, quod etiam colligitur ex *Glossa ibidem verb. quam funebrem*.

15 Sed *Alexander cons. 58. nu. 6. vol. 3.* quamuis asserat, vsufructuarium teneri cautionem præstare de rebus restituendis immobilibus, siue mobilibus, prout stabunt, finito vsufructu, idque probet ex *l. 1. alijsq; ff. vsufr. quẽadmodum*; id tamen dumtaxat verum putat in ijs, quæ vsu non consummũtur: *pro ijs vero*, inquit, *quę vsu consummuntur, vt est vinum, oleum, frumentũ, lana, ac vestes temporales, cautio præstari debet de earum reddenda æstimatione*.

16 Suam doctrinam ostendit *Alex.* ex iuribus, quæ expressè loquuntur de rebus, quæ vsu consummuntur, non vero de his, quæ vsu minuuntur, vt rectè animaduertit *Abbas*, & suprà retulimus: quare quoad has non rectè id probatur. Allegat *Alex.* aliquos Doctores, volentes, appellatione rerũ vsu consumptibilium vestes quoque comprehendi, quos inter ponit *Feder. de Sen. cons. 46.* ex cuius tamen respõso vix aliquid certi colligi, ait *Abbas loc. cit.* licet, inquit Alexãder, *Gar. Floren. Ioannes de Imo. in cap. fin. de pignoribus*, in contrarium inclinent. Fauet solùm *Alexandro*, ex iuribus ab eo allatis, *S. cõstituitur, instit. de vsufructu*, vbi, inter ea, quorũ æstimatio est reddenda post finitum vsumfructum, expressim vestimenta numerantur: & *Glossa ibidem ver. vestimenta*, soluens obiectionem desumptam ex *d. S. & si vestimentorum*, ait, hunc de quibusdã vestimentis, quæ perpetuò durabant; Iustinianum verò in *cit. S. constituitur*, de temporalibus loqui.

17 Sed, vt verum fatear, hic paragraphus maximè vrget: vestimenta enim ibi expressè ponuntur inter res, quæ ipso vsu consummuntur: & quidem *Hotomanus in d. S. constituitur ver. vestimenta*, in his monet, adhibendã esse distinctionem: nam, quæ sunt eiusmodi, vt omnino vtendo consummantur, & pereant, quales sunt quotidianæ vestes, ea in abusu consistere dicuntur: quare, si in his vsusfructus cõstituatur, quasi vsusfructus erit, & de reddenda earum æstimatione tenebitur, *l. si vini ff. de vsufr. earum rerum:* sin autem tempore potiùs, quam vsu consummantur, veluti, aulæa, vestes scenicæ, & lugubres, quarum perrarus est vsus, propriè vsusfructus dicitur, *d. l. sed et si quid S. 5. l. si vsusfructus S. penu. cit. l. vestis ff. de verb. signif.*

18 Sed contrà *Hotomani* distinctionẽ videtur esse *S. et si vestimentorum*, vbi vt suprà probauimus *n. 13.* præter scenicas, ac lugubres vestes, aulęa, atque alios eiusmodi apparatus, quorum locatio permittitur, statuitur, aliarum quoque vestium vsumfructum constitui rectè posse, quorum locatio prohibetur; additurque ratio, quia ità vir bonus nõ vteretur: quod videtur omnino intelligẽdum etiam de quotidianis vestibus, alijsque, quibus vir bonus ad locationem neutiquam vteretur: ijs enim, quæ potiùs tempore, quam vsu consummuntur, quis sanè vir bonus ad locationem nõ vteretur? Adde, vestis appellatione omne prorsus vestimentum comprehendi, affirmare Paulum in *l. vestis ff. de verb. signif.* ibique aptè *Rebuffus*.

19 Et quidem, vt Vlpianus ait in *l. vestimen-*

ſtimentum,& ſeq.ff.de aur. & arg. leg. veſtimenti appellatione continetur quoque pannus à textura remotus, ſiue à globo ſit inciſus, ſiue non: item lanea omnia, lineaque, vel ſerica, vel bombycina, quæ induendi, vt camiſię, præcingendi, vt cingula, amiciendi, vt chlamis, inſternendi, vt tapeta, & coopertoria, incubandi cauſſa parata ſunt vt culcitræ, linteamina, atq; alia eiuſmodi, & quæ his acceſionis vice cedunt, quæ ſunt inſitæ picturæ, clauiq; aurei, qui veſtibus inſuuntur. virilia quoq; puerilia, muliebria, communia, ac familiaria: de quibus omnibus vide *l.cum aurum in fin.& ſeq.initio, d.l.veſtimentorum, l.veſtis, l.cum tunicam, l. argumento, initio vſq; ad* §. *ornamenta, eod.tit.* vide quoq; *Rebuff.in d.l.veſtis.* quare veſtimentorum appellatione in *cit.* §. hæc prorſus omnia comprehendentur: verbum enim ſimpliciter poſitum generaliter eſſe intelligendum, probatur *arg cap.præterea ibiq;gloſſ.V. ſimpliciter, de offic. deleg.* ac indefinita propoſitio æquiualet vniuerſali, *cap. primo diſt.* 29. aliiſq; iuribus ibidem à *Gloſſ.fin.* allatis, multiſq; probat *Mādoſ.in Reg.* 16 *Cancell.quæſtione* 32.*n.* 9.*& cap.quia circa, ibiq; Abbas n.* 2. *de Priuil.* neq; nos diſtinguere debemus, vbi lex nequaquam diſtinguit, *vulg. l.de precio ff.de Publici:in rem acti. cum concord.* paſſimq; Doctores affirmant, pluraq; nos tradidimus *initio conſ.*3.

20 Difficillimum ſanè puto, Paragraphos hoſce ità componere, vt non aduerſentur: nihilominus vltima hæc interpretatio, licet non omnino, tamen præ cęteris arridet, ſi rectè intelligatur. conſtituendum igitur videtur duplex veſtimentorum genus; alterum ſanè, quod ità citò corrumpitur, vt vſu conſummi ferè dici poſſit: huiuſmodi ſunt quotidianæ veſtes, veluti quibus quotidiè domi mulieres vtuntur, vt expoſuit *Menoch. de Arb. Iud. lib.* 2.*cent.* 3.*caſu* 218.*nu.*2.atque de hiſce loquuntur Iuſtinianus in *d.*§.*conſtituitur,* atq; Vlpianus in *l.*1.*ff.de vſufr. ear.rerum, in fine*, vbi rerum, quæ vſu minuuntur, ait ſenatuſconſulti beneficio conſtitui vſumfructum, vt ſcilicet cautio adhibeatur de æſtimatione reſtituenda.

21 Secundum genus eſt eorum, quorum vſus perrarus eſt; cuiuſmodi ſunt non ſolùm ſcenicæ veſtes, lugubres, aulæa, aliiq; huiuſmodi apparatus, quorum locatio à Iuriſconſulto permittitur; verum quoq; veſtes precioſæ, magnique valoris, quę potiùs ſunt ad ornatum, quam ad corporis vtilitatem, quaſq; feſtiuis diebus tantum, ac ſolênioribus deferre conſueuimus, vt ait idem *Menoch.* quarum locatio à iuriſconſulto videtur interdici; quia ità viri boni non vtuntur. atq; de his ſtatuitur in *cit.*§. *& ſi veſtimentorum.*

22 Demum, quoad hoc ſecundum rerum genus, illud ſaltem affirmauerim, tutò in praxi amplecti poſſe *Panor mitani* opinionem; tum propter ipſius auctoritatem, quæ maxima cenſeri debet; tum etiam aliorum, qui eum ſequuntur, ac præcipue *Emanuelis Sà*, qui exemplum ponit expreſſim in veſtibus, quarum affirmat reddi debere, quod ſupererit poſt vſumfructum.

§. III.

Quid reſtituendum, finito vſufructu earum rerum, quæ vſu ferè non conſummuntur.

S V M M. AE.

23 QVAE *hoc rerum genere concludantur.*

24 *Vaſa vinaria plurima.*

Quæ vaſorum appellatione concludantur.

Vaſorum propriè vſusfructus conſtituitur.

25 *Item annulorum aureorum.*

26 *Ornamento diſſoluto, vſusfructus extinguitur.*

Quæ dicantur ornamenta.

Quod

23 QVod deniq; attinet ad tertiũ rerum genus, aio, in ijs propriè constitui vsumfructum, ità vt, quod, eo finito, superérit, sit restituendum: eiusmodi sunt primò vasa aurea, vel argentea, *cit. l. fin. ff. vsufr. quemadm. caueat*. Secundò iumenta, seruiq; *§. constituitur inst. de vsufr. l. 3. §. constituitur ff. de vsufr.* Tertiò numismata aurea, vel argentea, quibus pro gemmis vti solemus *l. numismatum ff. eodem tit.* Quartò statuæ, atq; imagines, *l. statuæ. ff. eodem*.

24 Quintò omnia vasa, nedum aurea, argenteaue, verum quoq; ærea, christallina, stannea, plumbea, vitrea, lignea, fictilia, idest ex terra, quæ etiam figulina, seu figlina vocantur, lapidea ex lapidibus, escaria, in quibus escæ in mensa reponuntur, potoria, in quibus potamus, & bibimus, aquaria, olearia, culinaria, & vinaria, in quibus vina reponuntur, turcularia quoq; vinaria, olearia, pannaria, pileatia, in quibus vuæ, oliuæ, pannus, pilei, aliaq; in quibus alia premuntur. Item dolia cuiuscunq; generis, feria, amphora, sextarius, metreta, cadus, cõgius, vrna, brochus, cuppa: quæ omnia sunt vasa vinaria, aliaq; multa: quæ quidem cuncta vasorum appellatione comprehendi, affirmat *Rebuff. in l. vinaria ff. de verb. signif.* atq; hæc prorsus omnia in hoc tertio genere comprehẽdi, efficaciter probatur ex *d. l. fi. ff. vsufr. quemadm. caueat*. vbi indefinitè Vlpianus vult, vasorum propriè constitui vsumfructum, nec vllo pacto eorum genera distinguit, atq; adeo neque nos distinguere debemus, quod ex suprà dictis *n. 19.* satis probatur. Item in dolijs, ferijs, cuppis, cadis, & amphoris, constitui propriè vsumfructum, videtur docuisse idem Vlpianus *in l. sed & si §. quibusdam ff. de vsufr.*

25 Sextò aurei annuli hoc genere cõcluduntur: quod probatur ex *d. l. sed & si §. proinde*, vbi pro ea voce, *aulæi*, alij legunt, *aurei annuli*, vt notat *Rebuff. in l. vestis ff. de verb. signif.* certè hi perpetui ferè censentur.

26 Denique ornamenta hoc eodem genere comprehenduntur: quod videtur satis probari ex *l. quid tantum §. proinde ff. quibus modis vsufr. amitt.* vbi statuitur, ornamento dissoluto, aut transfigurato, vsumfructum extingui: ergo in eo vsusfructus consistebat. Huiusmodi ornamenta præcipuè sunt muliebria, de quibus in *l. argumento §. ornamenta ff. de aur. & argent. leg.* veluti inaures, armillæ, viriolæ, annuli, pręter signarorios, vt in *l. signatorius ff. de verb. signif.* & ibi benè explicat *Rebuff.* omniaque, quæ ad aliam rem nullam parantur, nisi corporis ornandi caussa: quo ex numero etiam hæc sunt, aurum, gemmæ, lapilli, qui aliam nullam in se vtilitatẽ habent: de quibus, alijsque vide eãdem *l. argumento*.

In hac lite partes cum fisco transigère.

CONSILIVM XIV.

Num Infantes infidelium validè, ac licitè à Dominis, inuitis parentibus, baptizari queant.

Ad

Cap. 64. Regis Federici.

EXtat hac de re, quòad infideles, Siculorum seruos, in Regni Capitulis Regis Federici, constitutio, quæ habetur *cap. 64.* estque huiusmodi: *Ad pullulandam etiã, & augmentandam dictam fidem Catholicam, & vt paruuli, in infãtia baptizati, crescant, & roborentur in ipsa; perpetuò mandamus edicto, vt domini seruorum, siue Christianorum, siue Saracenorum parientium, partum ipsum, postquam ad lucem peruenerit, sicut assuetum est in suis filijs, facere baptizari procurent: quod si contrafecerint, infãtes ipsi, nihilominus sine calumnia per ecclesiam baptizati, liberi statim fiant.*

Nihil

Nihil sanè decernit Rex, num ad hoc ipsum licitè præstandum parentum consensus exigatur: de quo tamen maxima est inter Theologos altercatio.

Cum in Regia Matritensi degerē, quidam nescioquis, infantes seruulos habens, ex proprijs mancipijs ortos, nolebat eos, inuitis parentibus, baptizari: ad id tamen compellebat loci ordinarius: ille verò ad id minimè obstringi contendebat, & iniuria ad illud compelli, nixus rationibus, quæ postmodum afferemus. Quæsiuit a me prædictus ordinarius, quid hac in re iure sentirem. Equidem meam sētentiam sequentibus assertionibus explicaui.

§. I.

Infantes quicumque, & quorumcumque, etiam non baptizatorum, validè, inuitis parētibus, baptizantur.

SVMMAE.

1 *Prima hac assertio cōtra quos sit.*
2 *Est* Sancti Thomę.
3 *Vlterius explicatur* Sācti Thomæ *doctrina.*
Regeneratio spiritualis est similis natiuitati carnali.
4 *Eximia* Sancti Augustini *doctrina.*
Quomodo infantes fidem, & pœnitentiā habere queant.
5 *Ecclesia est omnium mater, & tota omnes, tota singulos parit.*
6 *Anima, quæ peccauerit, ipsa morietur.*
Spiritus Sanctus bona vnius fidelis alteri communicat.
7 *Quæ voluntas ad baptismi valorem requiratur.*
Fidelium infantes, etiam apostatarum, absque controuersia, parentibus inuitis, baptizari possunt.
8 *Gasparis Hurtadi doctrina.*
Aliqua omnino volūtas ad baptismi valorem requiritur.
9 *Huius rei ratio à* Sancto Augustino *redditur.*
Alia eiusdem S. Doctoris apta ratiocinatio.

1 HVius §. assertio, quæ est prima in nostro ordine, certissimè est contrà *Durādum dist. 4. q. 7. & Palud. etiam dist. 4. q. 4.* est etiam, teste doctissimo viro, mihiq; amicitia coniunctissimo, P. *Gaspare Hurtado*, Doctore Cōplutēsi, *tom. 1. de Sacram. disp. 3 de Bapt. diff. 3.* contrà *Marf. qu. 4. art. 4. dub. 3. Capreol. dist. 5. q. 1. art. 3. Catherin. in opusc. de pueris Iudæorum recipiendis ad Baptismum, & Syluest. verb. baptismus 4. q. 7.* Sed reuera *Syluester* potius nobis fauet, quam aduersetur: solùm enim negat, nostram assertionē esse *S. Thomæ*, licet eam putet, ac vocet indubitatam.

2 Sed quicquid sit de huiusce cōtrariæ sententiæ patronis, nostra propositio in primis, quicquid autumet *Syluester*, est *Sancti Thomæ*, qui eam, tāquam certissimam, supponit *3. p. q. 68. art. 10.* dum quærit, num iudæorum, aliorumuè infidelium filij, sint, inuitis parentibus, baptizandi; concludirque, non esse baptizandos; atque ait, id esse valdè periculosum: *quia*, inquit, *de facili ad infidelitatem redirent*: at eum, qui ad infidelitatem reddit, fidem antea suscepisse necesse est; & quidem per baptismum, qui validus fuerit, & *in resp. adprimum* ait, non debere quempiam irrumpere ordinem iuris naturæ, quo filius est sub cura patris, vt eum liberet à periculo mortis æternæ, putà eumdem, inuitis parentibus, baptizando. vult igitur Sanctus Doctor, baptismū, de quo loquimur, valiturum, cū baptizatum doceat per eū à mortis æternæ periculo liberari. eadem ferè habet *Sanctus Thomas 2. 2. q. 10. art. 12.*

3 Et quidem ad baptismi valorem non requiri à *S. Thoma* voluntatem, quam *interpretatiuam* Theologi vocant, quæ sit parentum, aut tutorum, sed

sed solũ, quę fit Christi, ecclesięque, aptè colligitur ex eiusdem doctrina, quæ habetur *q.68.cit.art.9.* vbi quærit, an pueri sint baptizandi; & aientem sententiam docet. diluens verò ea, quæ sibimet ipse obiecerat, puta de intentione Sacramentum suscipiendi, de fide, ac pęnitentia, quæ ad baptismi valorem requiri videbãtur, quæque in paruulis inueniri posse, hęretici negabant; *in resp. ad primum* ait, quòd regeneratio spiritualis, quæ fit per baptismum, est quodammodo similis natiuitati carnali; quantum ad hoc, quòd sicut pueri in matris vteris constituti, non per se ipsos nutrimentum accipiunt, sed ex nutrimento matris sustentantur; ità etiam pueri, nondum habentes vsum rationis, quasi in vtero matris ecclesiæ constituti, non per se ipsos, sed per actum ecclesiæ salutem suscipiunt.

4 Id quod Sanctus Doctor ostendit ex doctrina *S. Aug. lib. 1. de peccatorum meritis, & remissione cap. 25. circa finem, & cap. 19 etiam circa finem tom. 7.* & refertur *cap mater, de consecr. dist. 4.* vbi: *Mater*, inquit, *ecclesia os maternum paruulis prabet, vt sacris misterijs imbuantur; quia nondum possunt corde proprio credere ad iustitiam, nec ore proprio confiteri ad salutem. Si autem propterea rectè fideles vocantur, quoniã fidem per verba gestantium quodammodo profitentur; cur etiam non pęnitẽtes habeantur, cum per eorumdem verba gestantium diabolo, & huic saculo abrenuntiare monstrentur?* subdit Sãctus Thomas: *& eadem ratione possunt dici intendentes, non per actum propria intentionis, cum ipsi quandoque contranitantur, & plorent; sed per actum eorum, à quibus offeruntur.*

5 Et in *resp. ad 2.* explicans, quo tandem modo paruuli fidẽ habere queant, ex doctrina eiusdem *Sancti Aug. in epist. 23. ad Bonifacium tom. 2.* & habetur in *cap. in ecclesia, de consecr. dist. 4* ità loquitur. *In ecclesia Saluatoris paruuli per alios credunt, sicut ex alijs, qua in baptismo remittuntur, peccata traxerunt: nec impeditur eorum salus, si parentes sint infideles, quia, sicut Aug. dicit eidem Bonifacio scribens,* (id quod refertur in *cap. quaeris, dist. 4. cit. circa med.*) *offeruntur paruuli ad percipiendam spiritualem gratiam, non tam ab eis, quorum gestantur manibus, (quamuis, & ab ipsis, si & ipsi boni fideles sunt) quam ab vniuersa societate Sãctorum, atque fidelium: ab omnibus nãque offerri rectè intelliguntur, quibus placet, quod offeruntur, & quorum caritate ad communionem Sancti Spiritus adiunguntur. tota hæc ergo Mater Ecclesia, quæ in sanctis est, facit; quia tota omnes, tota singulos parit.*

6 Hinc autem infert idẽ *S. Th.* quòd infidelitas propriorum parentum, etiamsi eos post baptismum dęmoniorum sacrificijs imbuere conentur, pueris non nocet: *quia*, inquit, *vt Aug. ibid. dicit* (putà epist. 23 referturque in d. cap. quæris, in fi. io) *puer, semel generatus, per aliorum voluntatem deinceps non potest vinculo aliena iniquitatis obstringi, vbi nulla sua voluntate consentit, secundùm illud Ezech. 18. sicut anima patris mea est, ità & anima filij: anima, qua peccauerit, ipsa morietur. Sed ideo ex Adam traxit, quod Sacramenti illius gratia solueretur, quia nondum erat anima separatim viuens: fides autem vnius, immò totius ecclesię paruulo prodest per operationem Spiritus Sancti, qui vnit Ecclesiam, & bona vnius alteri communicat.*

7 Alia quoque addit ibidem *S. Thomas*, ex quibus satis apertè elicitur, illius sententiam, ac *Diui Augustini*, cuius doctrinæ maximè innititur, esse, ad valorem baptismi solum requiri voluntatem interpretatiuam, nõ quidem parentum, ac tutorum, cuius infidelitas pueris baptizatis minimè nocet; sed Christi, atque ecclesiæ, seu vniuersæ Sanctorum Societatis, ex cuius sanè consensu, ac voluntate paruuli ad baptismum offeruntur: quæ certè necessariò requiritur, vt fidei

professio, nouæque vitæ inchoatio, quæ fit per baptismum, sit voluntaria eo modo, quo potest, & sufficit, puta interpretatiua voluntate Christi, & ecclesiæ, vt expositum est. atque itá habet quoque crebrior auctorum sententia, quorum plures laudat, ac sequitur *Suarez tom. 3. in 3. p. S. Thom. disp. 25. sect. 1. n. 2. & seqq. Vasquez disput. 155. Aegid. q. 68. art. 10. Hurtado d. tom 1 de Sacrã. disp. 3. de bapt. diff. 3. Valent. in 3 p. D. Th. disp. 4. q. 3. pun. 2. vers. in paruulis autem:* qui etiã validam addidit rationem; quia scilicet absque vlla prorsus controuersia potest paruulus baptizari inuito parente fideli, etiam hæretico, aut apostata, qui aliquando fuerit baptizatus: non ergo requiritur parentum, aut tutorum voluntas interpretatiua, vt paruulorum baptismus valeat.

8 Probat hoc ipsum *Hurtado loco citato,* quia infantibus non est possibilis consensus in baptismum: ipsi enim consentire nequeunt, vt patet, neque parentum, aliorumuè consensus sufficit; nam horum non est infantium voluntas. Hanc equidem rationem veneror, vti ab amico viro, & apprimè docto traditam: licet alioqui contrà illam nõnulla militare videantur: etenim præterquam quod voluntas illa interpretatiua Christi, & Ecclesię hucusque explicata, satis est, vt paruuli dicantur in baptismum consentire; videtur omnino necessarium asserere, aliquam tandem requiri voluntatem, vt baptismus validus sit: quomodo enim baptismi susceptio dicatur voluntaria fidei professio, ac vitæ nouæ inchoatio, de quibus suprà meminimus, si nulla prorsus voluntas in eo actu reperiatur? & quo sanè modo verum erit id, quod Christus Dominus docuit *Matth. 16. qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit, qui verò non crediderit condemnabitur*; si paruuli neque per alios credant? per alios certè credere, voluit *Aug.* suprà laudatus, atque etiam *lib. 6. contrà Iulianum cap. 12.* ibi: *Ideo ergo credunt, atque confitentur, & maiores per cor, & os proprium, & paruuli per alienum.* quarè, vti nos, *S. Thomam, ac Sanctum Augustinum* secuti, diximus, Christi, & Ecclesiæ voluntatem exigi, satisq; esse ab baptismi valorem; itá contrariæ sententiæ patroni, parentum, vel tutorum requiri voluntatem, asseuerabunt.

9 His omnibus addiderim rationem, pro hac ipsa re à *S. Aug. epist. 23. cit.* scitè redditam: *vt autem,* inquit, *possit regenerari per officium voluntatis alienæ, cum offertur consecrandus, facit hoc vnus spiritus, ex quo regeneratur oblatus: non enim scriptum est, nisi quis renatus fuerit ex parentum voluntate, aut ex offerentium, vel ministrantium fide; sed nisi quis renatus fuerit ex aqua, & spiritu. Aqua igitur exhibens forinsecus sacramentum gratię, & Spiritus operans intrinsecùs beneficium gratiæ, soluens vinculum culpæ, reconcilians bonum naturæ, regenerat hominem in vno Christo ex vno Adam generatum:* & infrà idipsum alia ratione confirmat. *Illud autem,* inquit, *nolo te fallat, vt existimes, reatus vinculum, ex Adam tractum, aliter non posse dirumpi, nisi paruuli ad percipiendam Christi gratiam à parentibus offerantur: sic enim scribens dicis, vt sicut parentes fuerunt auctores ad eorum pœnam, per fidem parentum identidem iustificentur; cum videas, multos non offerri à parentibus, sed etiam quibuslibet extraneis; sicut à dominis seruuli aliquando offeruntur, & nonnunquam, mortuis parentibus suis, paruuli baptizantur ab eis oblati, qui illis huiusmodi misericordiam præbere potuerunt: aliquando etiam, quos crudeliter parentes exposuerunt nutriendos, à quibuslibet, nonnunquam à sacris virginibus colliguntur, & ab eis offerantur ad baptismum.* Hæc S. Aug. ex quibus sanè elicitur, nedum eiusdem sententia, verum quoque & illius validissimę rationes.

S. II.

§. II.

Infantes non baptizatorum, quibus casibus possint, vel non possint, inuitis parentibus, licitè baptizari.

SVMMAE.

10 *Secunda assertio explicatur.*
11 *Qui sint infantes.*
Quid in hac re dicendum de ijs, qui vsum habent rationis.
12 *Infantes baptizatorum possunt, his inuitis, licitè baptizari.*
Ecclesia ius habet filios, sicuti & parentes, ad fidem compellendi.
13 *Si parentes non sint subditi christianorũ, non possunt eorum filij, ijs inuitis, baptizari.*
14 *Tutorum consensus non est necessarius.*
Neque parentum adoptiuorum.
Adoptio lege ciuili est introducta.
15 *Sufficit alterutrius parentis consensus.*
16 *Si filij sint à cura parentum abstracti, possunt licitè baptizari.*
Cautio in hoc seruanda.
17 *Si infantibus mortis periculum immineat, possunt, ac debent, inuitis parentibus, baptizari.*
18 *Contraria nostræ secundæ assertio à pluribus defenditur.*
Secunda assertio nostra communior est.
19 *Est Sancti Thomæ: & referuntur eius rationes, quibus eam probat.*
Ecclesia nunquam consueuit Iudæorum filios, parentibus inuitis, baptizare.
Sanctus Thomas contrariam assertionẽ periculosam censet.
20 *Infantes iure naturali sunt sub cura parentum.*
Pueri antiquorum in fide parentum saluabantur.
Puer sine rationis vsu ab animali bruto non differt.
21 *Eum à cura parentum subtrahere iniustum est.*
Filij infidelium baptizati, ab eorum consortio sunt separandi, ob periculũ peruersionis.
22 *Iudæorum genus vsque ad mundi finem perseuerabit.*

10 SEcunda assertio. infantes non baptizatorum, etiam subditorum Principibus Christianis, non possunt licitè, inuitis ambobus parentibus, baptizari; si illi ab horum cura abstracti nõ sunt, neque ipsis infantibus mortis periculum immineat. Hæc sanè propositio quædam continet omnino certa, quædam verò controuersa: quæ omnia mox ex illius explicatione facillimè intelligentur.

11 Aio igitur primùm, *Infantes*, puta rationis vsum non habentes; si enim hunc obtineăt, iam sui esse incipiunt, poteruntque, quantum ad ea, quæ iuris diuini, vel naturalis existunt, sibi ipsi prouidere: tuncque ad fidem sunt inducendi, non coactione, sed persuasione, vt *S. Tho. loc. cit.* docet. quando autem dubitatur, an vsum habeant rationis, quid faciendum, vide *Hurtad.* cęterosque.

12 Dixi, *infantes non baptizatorum*: etenim, si baptizati illi forent, etsi hæretici essent, vel apostatæ, absque dubio possent, & deberent, inuitis parentibus, baptizari, vt supra innui: habet enim Ecclesia peculiare ius eiuscemodi paruulos baptizandi, sicuti & compellendi ipsos parentes ad fidẽ, cęteraque præcepta seruanda, inter quæ vnum est filios debito, ac consueto tempore baptizandi; quod saltem consuetudine est introductum: & ab eadem met ecclesia quilibet facultatem obtinet, saltem interpretatiuè, vt ait *Valentia* suprà laudatus, illud ecclesiæ ius exequendi.

13 Aio deindè, *etiam subditorum Principibus Christianis*: quandoquidem, si nequaquã sint subditi, multò certius est, non posse, illis inuitis, baptizari: neque enim possent tunc Principes filios à parentibus absque iniuria abstrahere, proindeque eos priuare patria potestate, vt certè ob peruersionis periculum post baptismum essent om-

nino abstrahendi, vt mox etiam dicetur.

14 Tum subdidi, *parentibus inuitis:* si enim infantes vtroque orbati sint parente, etsi sub tutoribus reperiantur, possunt tamen, ijs inuitis, licitè à Principibus, vel ex eorum consensu, baptizari: solùm enim ciuili iure tutores curam gerunt pupillorum, in quo Principes dispensare queunt. Atque ità contra *Paludanum* censet *Sotus in 4. dist. 5. q. vnica, art. 10. vers. addit ibid.* & *Hurtado*. Idemque putauerim de parentibus adoptiuis: adoptio enim lege 12. tabularum est instituta, non verò iure naturali, vt Doctores monent, *Instit. de adopt.*

15 Dixi, *ambobus parentibus inuitis:* nã, si alter consentiat, absque controuersia poterit infans licitè baptizari. Ac de patre quidem id statuitur in *cap. fin. de conuers. infid.* de matre verò in *Cõc. Tolet. 3. cap. 14.* ac de vtroque in *cap. 62. Cõc. Tolet. 4.* refertúrque in *cap. iudei. 28. q. 1.* quin refert *Valētia*, Greg. XIII. statuisse, inuita matre, post defunctum patrem, superstite, si auus paternus consentiat, posse infantem licitè baptizari. Ratio autem non incongrua, præter eas, quas laudati doctores afferunt, mihi videtur, quia, cũ vterque parens ius habeat filios benè educandi, præsertim quoad ea, quæ pertinent ad religionem; & in re, de qua loquimur, hæc duo iura, ideſt ius paternum, & ius maternum, in exercitio sibi inuicem aduersentur; proculdubio præualere debet, quod bono pueri, & quidem spirituali, meliùs cõsulit, ac perfectiùs finem bonæ educationis, ob quem natura illud tribuit, attingit.

16 Subdidi, *filij, puta filij, ab horum, puta parentum, cura abstracti nõ sunt:* siquidem, si ab hac cura, & parentum, etiam nõ subditorum, potestate, quacumque tandem ratione, etiam iniusta, ità abstrahantur, vt omnino periculum cesset ad illos remeãdi, ac proindè cesset etiam periculũ peruersionis; licebit sanè eos, inuitis parẽtibus, baptizare; modo cautè agatur, nè ad infideles parentes redeant, ac reuertantur: hoc enim euentu infantes sub cura, ac potestate parentum minimè reperiuntur.

17 Denique dixi, *neque ijs mortis periculum immineat:* si enim præsentis vrgeat mortis periculum; deberent, nedum possent, non baptizatorum infantes, inuitis parentibus, baptizari: neq; enim poterunt tunc parentes vti iure paterno, cum tanto detrimento, atque incommodo paruulorum. Atque hæc fermè omnia certa sunt apud Doctores omnes: de quibus consulendi sunt superiùs laudati, præsertim *Val.* & *Hurt. & Vasquez. tom. 2. in 3. p. disput. 155. & Suar. 3. tom. in 3. p. disput. 25.* alijque apud eosdem, & plures iurisconsultorum apud *Bertaz. cons. crim. 250. lib. 2.*

18 Illud igitur remanet cõtrouersum, num infantes nõ baptizatorum, subditorum Principibus Christianis, quibus nullum imminet mortis periculũ, neque à cura parẽtum sunt abstracti, licitè possint, ambobus inuitis parentibus, baptizari. Et aientem sententiã dicuntur amplexi *Scotus in 4. dist. 4. q. 9. Gabriel. q. 2. art. 3. dub. 5. EcKius hom. 2. de bapt. apud Valent. & Hurt. locis citatis, & Turrian. in 2. 2. S. Thõ. disp. 53. dub. 1.* qui illam etiam tribuit *Ledesmæ 1. p. 4. quæst. 9. art. 10.* & quoad Iudæorum filios, *Angelo verb. Baptismus 6. n. 11. & Syluestro, baptismus 4. qu. 6.* qui tamen expressim nostram sententiam profitetur, quæ cõmunis est cęteris omnibus, quos laudant, ac sequuntur *Valen. Hurt. Vazquez, Turr. Suar.* alijque passim. tribuitur etiam contraria opinio à *Sylu.* quibusdã iurisperitis, quoad iudæos spectat: licet nostra cęteris omnibus placeat, vt infrà ostendetur.

19 Sed præcipuè nostra assertio est *S. Th. 2. 2. q. 10. art. 12. & 3. p. q. 68. art. 10.* & vtrobique eam validis rationibus confirmat. Ac prima quidem desumi-

sumitur ex ecclesiæ vsu, ac consuetudine, quæ maximam habet auctoritatem: nunquam enim ecclesia consueuit Iudæorum filios, etsi Christianis Principibus subditorum, inuitis parentibus, baptizare, vt *art.* 12. *cit.* latiùs *S. Thomas* ostendit; qui propterea addit, periculosum videri, hanc assertionem de nouo inducere, vt præter consuetudinem in Ecclesia hactenùs obseruatam, iudæorum, inuitis parentibus, filij baptizentur.

20 Tum *eod. art.* 12. subdit *S. Doctor* duplicem rationem: quę tamen vna fieri cōmodè potest, vt etiam monet *Vazquez, & Turrianus*: & ipsemet S. *Thomas* præstat *art.* 10. *cit.* ea autem est huiusmodi. Secundùm ius naturale infantes sunt sub cura parentum, quamdiu ipsi sibi prouidere non possunt: vnde etiam, ait *S. Tho.* de pueris antiquorum dicitur, quòd saluabantur in fide parentum. Et quidem à parentibus filius non distinguitur secundùm corpus, quamdiù in matris vtero continetur; postea vero quam ab vtero egreditur, ante quam vsum liberi arbitrij habeat, sub parentum cura, sicuti sub quodam spirituali vtero continetur: quamdiù enim rationis vsum non habet, puer ab animali irrationali minimè differt. Vndè sicuti bos, vel equus, est alicuius, vt eo vti proprio instrumento iure ciuili, cum voluerit, vtatur; ità iure naturali filius, ante rationis vsum, est sub cura parentum.

21 Hinc autem sequitur primùm, contrà iustitiam esse naturalem, si puer, antequam vsum habeat rationis, à cura parentum subtrahatur; sicuti iniustum omnino foret ab eisdem alias res eripere, quæ iure possiderent. Atqui Iudæorum, aliorumque infidelium filios, (putà baptizatos, vt *Glossa* interpretatur) nè parentum vltrà inuoluātur erroribus, ab eorum consortio separandos, decernitur in *cap. Iudęorum* 28. *q.* 1. quod desumptum est ex *Conc. Tolet.* 4. *cap.* 59. si enim apud illos relinquerentur, postmodum, cū ad perfectam ætatem peruenirent, de facili possent, inquit S. Doctor, à parentibus induci, vt relinquerent, quod ignorātes susceperūt: quod vergeret in fidei detrimentum.

22 Ex eodem autem principio sequitur secundò, etsi huiuscemodi abstractio nō esset in consideratione, etiam contrà eamdem iustitiam naturalem esse, si de ijsdem infātibus, inuitis parentibus, aliquod ordinetur, proindèque illis inuitis, baptizentur: sicut, inquit *S. Thomas*, etiam si aliquis habēs vsum rationis baptizaretur inuitus. lege eumdem *D. Thomam* vtrobiquè & *glossam in cap. iudæorum* 28. *qu.* 1. vbi nostram, quoad iudæos, docuit assertionem; eamque probat ex incommodo, quod indè apertè sequeretur; quia breui, inquit, nullus esset iudęus: quomodo ergo reliquiæ Israel saluæ fierent postea? quam quidem *Glossæ* doctrinam sequuntur omnes penè canonū interpretes (si paucos excipias) *in cap. sicut Iudæi, de iudæis, & Sarrac.* alibique, quos laudat, sectaturque *Felin. in d. cap.* vbi, prętér auctoritatem *Isaiæ* 1. ab ea *Glossa* relatam, aliam affert *Hieremiæ* 3. puta: *in diebus illis saluabitur Iuda.* in hanc eamdem opinionem magis inclinat *Abbas in cap. sicut Iudæi cit.* vbi & aliam subdidit rationem; quia scilicet indirectè horum infantium parentes ad fidem suscipiendam cogerentur; quod proculdubio fieri non debet, *cap. cit. sicuti iudęis & cap. qui sincera, cap. de iudæis dist.* 45. alibiq; quicquid *Scotus* asseueret. quam etiā rationem affert *Syluest. verb. Baptismus.* 4. *q.* 6.

(: §.:)

§. III.

§. III.

Diluuntur obiecta contra assertionem §. antecedentis.

SVMMAE.

23 Prima obiectio.
24 *Iudaei non sunt propriè serui.*
Ij à Principe,*cui subijciuntur, vendi non possunt.*
Neque eis auferri bona.
25 *Quare Iudaei quandoque serui dicantur.*
Cur Iudaeorum genus sustinetur.
26 *Iudaei christiana mancipia habere non possunt.*
Ascriptitium habere possunt.
27 *Qui in alterius est potestate, alios in potestate sua habere non potest.*
Iudaei mancipia alterius sectae habere possunt.
28 *Ab eis coactè seruitia exigi non possunt.*
29 *Liberi homines quandoque à iure serui nuncupantur.*
30 *Matrimonium contrahens, quasi amittit libertatem.*
Heres paruulus seruo comparatur.
31 *Secunda obiectio contra secundam assertionem.*
Solùm, qui iustas nuptias contrahunt, filios in potestate habent.
Iudaeorum nuptiae iustae non videntur Archidiacono, ac Romano.
32 *Solutio secundae obiectionis.*
Sententia Archidiaconi, ac Romani *improbatur.*
Iudaei iustas nuptias contrahunt.
Proinde filios in potestate habent.
33 *Iudaei ea obtinent, quae sunt ciuium Romanorum, ideoque filios habent in potestate.*
Hanc potestatem amittunt, si filij ad fidem conuertantur.
34 *Tertia obiectio contra secundam assertionem.*
Praecipua contrariae sententiae ratio.
35 Soluitur ex S.Thomae doctrina.
Non est quispiam à morte corporali contrà iuris ciuilis ordinem eripiendus.
Neque à spirituali contrà ordinem iuris naturalis.
Iustè, vel iniustè potest quispiã occidi.
36 *Primo casu nemo potest eum à morte liberare.*
Secundo autem quilibet potest, quin & debet.
37 *Eodem modo in re nostra ratiocinandũ.*
Qui suo iure vtitur, nemini iniuriam facit.
38 *Alia solutio tertiae obiectionis.*
39 Princeps *non habet facultatem patriae potestatis abusum corrigendi.*
Nisi in certis casibus.
40 *Quarta obiectio contra secundam assertionem*
Obedire oportet magis Deo, quam hominibus.
41 *Solutio quartae obiectionis.*
Qualibet dispositio intelligenda est, praesuppositis terminis habilibus,
Neque in lege naturae puerum offerre, neque in veteri lege circumcidere, inuitis parentibus, licitum fuit.

23 Sed obijcies primùm contrà nostram secundam assertionem, §. 2. explicatam, quia Iudaeos propria culpa submisit perpetuae seruituti, *cap. etsi iudaeos, de Iudais, & Sarracen.* hinc autem fit, vt saltem ipsorum filij, rationis vsum non habentes, ipsis inuitis, baptizari queant. atque huic rationi praecipuè innituntur iurisconsulti, qui contrariam profitentur opinionem.

24 Respondeo, quicquid sit modò de huius enthymematis illatione, de qua tamen infrà latiùs dicendum erit, falsum esse, iudaeos propriè esse seruos quoad omnia, vti sunt mancipia, puta quae iusto bello capiuntur, aut quae ex ancillis nostris enascuntur: neque enim ij vendi queunt, etiam à Principe, cui subijciuntur; neq; is ab eis bona auferre licitè potest, vt supponit *Conc. Lateran.* relatum in *cap. iudaei 2. eod. tit.* & expressè statuitur in *cap. sicut Iudaei,* quos, aliosq; paganos, quietè degentes, offendere, eorumuè bona rapere Christianis non licet *l. Christianis*

nis C. de pagan. & sacrif. eor.

25 Dicuntur verò ab *Innocentio III.* subiecti perpetuæ seruituti, vel quòd vbique gentium alijs subijciuntur, & nullibi dominantur; & quidem ità, vt ipsorum subiectio dici seruitus quodammodo possit, vt experimento cōperimus: vel quòd, vt ait *Abbas in cap. etsi Iudæos cit.* possent esse Christianorum serui propter eorum delictum; sed ex pietate, vt inquit *Panor.* sustinentur in libertate, & eorum ceremonijs, ad hoc vt alliciantur ad fidem Christianorum; & hoc ideo, quia aliqua est spes de eorum conuersione *45. dist. qui sincera*. Idq; ex ipsa Innocentij Epistola satis colligitur: ait enim, Iudæos, quos propria culpa submisit perpetuę seruituti, à Christiana pietate receptari, illorūq; cohabitationem sustineri: quæ sanè mancipijs, ac propriè seruis minimè aptari possunt.

26 Quin imo sese *Innocentius* videtur inferiùs explicare, dum prohibet, nè seruientes habeant christianos: nè, inquit, filij liberæ filijs famulentur ancillę; sed tamquam serui à domino reprobati, in cuius mortē nequiter coniurarunt, se saltem per effectum operis recognoscant seruos illorū, quos Christi mors liberos, & illos seruos efficit. Ità quoque Iudæis expressim Christiana mācipia retinere prohibetur *cap. 1. & 2. cap. Iudæi 2. cap. fin. de Iudæis*, alibique: licet ascriptitium seruum eis habere permittatur *d. cap. 2.*

27 Arqui mancipia Christianorū, qui proindè sunt in eorum potestate, alios in sua potestate habere nequeunt, *l. sic eueniet ff. ad l. Iul. de adult. cap. patrem 32. q. 3.* atque ideo neque fuisset necessarium prohiberi Iudæis, si serui forent, mancipia retinere: ex se enim id ipsis fuisset interdictum: quibus tamen apertè conceditur alterius sectæ mancipium retinere, modo illud non circumcidant, *l. vnica C. nè christianū mancip.*

28 His adde, quod ait *Abbas in cap. sicuti Iudæi n. 3. de Iudæis*, puta illos nequaquam dici strictè, ac propriè seruos: quandoquidem ab eis coactè obsequia, seu, vt loquitur *Clemens 3 in cit. cap. sicut Iudæi*, seruitia exigi minimè queunt; nisi quæ ipsi tempore preterito facere consueuerunt, ob quæ putauerim dixisse *Alex. Papam. 2.* relatum in *cap. dispar. 23 q. 8.* eos esse vbique seruire paratos, puta quoad ea, quæ præstare consueuerunt.

29 His deniq; omnibus annecterem; à iure liberos quosdam homines, *seruos* quandoque nuncupari, dicique libertatem ijs auferri, à seruientium specie parum differre, & cętera huiuscemodi: quos tamen proprijssimè liberos esse constat. ità liberum hominem, dolo malo ab altero detentum, exhibi Vlpianus iubet in *l. 1. ff. de libero homine exhibendo*, tuendæ scilicet libertatis caussa, ob quam illud interdictum proponi docet; ac si ità detentus seruus censeretur: nihil enim, subdit Venuleius in *l. seq.* multum à specie seruientium differunt, quibus non datur facultas recedendi.

30 Item Papinianus relatus in *l. Titio centum, §. 2. ff. de condit. & demonst.* nō obscurè innuit, eum, qui matrimoniū contrahit, amittere libertatem; non sanè eam, quā cæteri, qui propriè serui dicuntur, amittunt; sed eam, quæ sufficiat, vt non incongruè quodammodo seruus censeatur: id quod etiā ex *l. 2. cit.* ostendit *Alex. cons. 71. lib. 2.* Ad eumdem planè modū & Iudæi serui non ineptè nuncupantur, nō quòd amiserint omnimodam libertatem, sed quòd ità principibus subijciuntur, oneraque plurima subeunt, vt serui quodammodo censeantur: quin & *S. Paulus ad Gal. 4.* hæredem, quanto tempore paruulus est, nihil à seruo differre, ait, cū sit dominus omnium, eo quòd sub tutoribus, & actoribus reperitur. Atque secūdùm hùcusque expositam doctrinam intelligi potest id, quod S. Thomas, soluens hoc idem obiectum, docet 2. 2. *qu. 10. art.*

art.12.ad 3.& 3.p.q.68.art.10.ad 2. puta Iudæos esse seruos Principum seruitute ciuili, de cuius tamen sententia infrà dicendum erit.

31 Objcies secundò, quia ij solùm habent filios in sua potestate, qui iustas nuptias contrahunt §.1.*instit.de patr. potest.& l.item in potestate ff.de ijs, qui sunt sui, vel alieni iuris*: at Iudæorum nuptiæ non videntur iustæ; quia à ritibus christianis declinant, *cap. gaudemus, de diuortijs*, vt arguit *Archid. in cap. qui sincera dist.* 45. prout eum refert *Felin.in cap iudæi 2.n. 6. de Iudæis*, qui ait, eam sententiam amplecti *Roman.in l.multum ff.de verb.oblig.* licet ob aliam rationem, quam idem *Romanus* insolubilem appellat; quia scilicet Iudæi serui sunt christianorũ, ac proindè filios in potestate neutiquam habent. At, si id verum est, præcipua nostræ assertionis ratio corruat, necesse est: quæ enim Iudæis fieret iniuria, si ab eis filij, qui eorum curæ, ac potestati minimè subijciuntur, à Principibus, ipsorum dominis, abstrahantur, ac baptizentur?

32 Respondeo, sententiam *Archidiaconi* putari à cæteris falsam, sicuti, & duplex eiusdem fundamẽtum. Et quidem, quod attinet ad secundum, cui maximè *Romanus* innititur, satis in primo obiecto est improbatum. Quod verò ad primum spectat, facilè in ipsũ *Archidiaconum* retorquetur hunc fermè in modum: Iudæi iustas contrahũt nuptias, & inter eos verum matrimonium, & coniugij contractus reperitur *cap. de infidelibus, de consag. & affinit. & cap.gaudemus, de diuort.cap.2. de conuers. infidelium*, atque alibi: ergo & filios habent in sua potestate.

33 Ità quoque arguit *Abbas in cap. 2. cit.n.3.* qui & aliam subdit rationem: etenim Iudæi ea omnia obtinent, quæ sunt ciuium Romanorum, *l.Iudæi 1.C. de Iudæis*, atqui ciues Romani filios habent in potestate *l.item in potestate ff.de his, qui sunt sui, vel alien.iur. & §. 1.Instit. de patr. potest.* eodemq; modo argumentatur *Felin.loc.cit.* qui etiã aliam haud incongruam addidit rationem, puta quia *priuatio*, inquit, *præsupponit habitum: sed per conuersionem filiorum ad fidem perditur illa potestas, glos.sing.in cap.Iudæorum 28.q.1.ergo &c.* Atque hanc sententiam, præter eos, quos laudat, ac sequitur *Felin.loc. cit. & add. ad Abbat.* amplexus est *Alex.cons.71.cit.lib.2.& Barth.Socin. cons.62.& 70 p.1.* alijq; plures, quos citat, sequiturque *Bertaz. cons. crim. 250.n.5.lib.1.*

34 Objcies tertiò, quia si parens filiũ occidere vellet, aut nollet à mortis periculo, in quo est, liberari; ei tamen subueniendum esset, etiamsi hanc ob rem filium perpetuò à cura, & potestate parentis abstrahere oporteret: quod locum maximè obtineret in Principe, cui pater subijceretur: ad ipsum enim spectat patriæ potestatis abusum corrigere, & impedire. Multò ergo magis liceret per baptismũ ferre puero opem quoad vitam spiritualẽ, quamuis parentes contraniterentur. Hæc est potissima ratio; cui contrariæ sententiæ auctores maximè innituntur: quam tamen diluit quoq; *S. Th.* locis superius laudatis.

35 Respondeo igitur ex ipsius Sancti Doctoris doctrina, quæ breuissima est, sed succi plena: ait enim, nõ esse quẽpiam à morte corporali contrà iuris ciuilis ordinem eripiendum; *puta*, inquit, *si aliquis à suo iudice condemnetur ad mortem, nullus debet eum violenter à morte eripere. Vnde nec aliquis debet irrumpere ordinem iuris naturæ, quo filius est sub cura patris, vt eum liberet à periculo mortis æternæ.*

36 Statuit ergo S.*Doctor*, licet non ità clarè, duobus planè modis posse quẽpiam temporali vita priuari: primo quidem iustè, puta cum quis à iudice ob aliquod delictum ad mortem dãnatur: secundo autem iniustè, quando scilicet quispiam innocens à priuata persona occiditur: ac primo quidem euentu nemo poterit illum hominem à mor-

à morte liberare: sic enim iuris ciuilis ordinem penitus inuerteret. Secundo autem euentu cuilibet est facultas, quin & debitum, cuiuscumque tandē virtutis sit, innocētem illum à morte, etiam violenter eripere, si potest.

37 Atqui in re nostra eodem prorsus modo licet ratiocinari, si enim infans ab extraneo quopiam, cuius curæ, ac potestati minimè subijcitur, baptizari prohiberetur; tunc sanè, quia id iniustè prohiberetur; posset, ac deberet quisuis, illo inuito, puerum baptizare, cui maxima iniuria, & quidē quoad spiritale bonum, ab illo irrogaretur. At cum id à parentibus pueri, quibus ipse naturali iure subijcitur, præsertim quoad ea, quæ spectant ad religionem, prohibetur; nulla ab ipsis, saltem formaliter, puero iniuria irrogatur: quandoquidem, quoad hoc, iure paterno vtitur: cum verò, qui suo vtitur iure, nemini iniuriam facere, passim iura, ac Doctores decernunt. quarè, si quis id auderet, proculdubio naturæ ordinem irrumperet.

38 Atque hæc ex doctrina S. *Thomæ*: alias huiusce obiectionis solutiones apud laudatos Doctores consuli debent. solum hic addiderim, puerum, quem pater occidere vellet, in extrema necessitate vitæ temporalis esse constitutum, cui subueniri penitus debet: at eum, quem pater prohibet baptizari, nequaquam in extrema necessitate vitæ spiritualis repetiri suppono: si id enim esset, iam *suprà n.* 17. explicuimus, posse tunc, inuitis parētibus, baptizari.

39 Denique moneo, falsum esse, Principi tributam facultatem patriæ potestatis abusum corrigendi, quoad baptismi susceptionem: nulla enim ratione id probari potest: quin contrarium satis ex hùcusque expositis facilè colligi potest. solùm id obtinent Principes, quoad ea, quæ ad externum regimen spectat, quæque pacem, & exteriorem gubernationem perturbarent, vt etiam animaduertit *Hurtado, Vazquez, & Turrianus*: elicique potest ex *l. si lenones C. de Episcop. audien. & l. lenones C. de spect. lib.* 11. qua de re vide *Sotū in* 4. *dist.* 5. *q. vnica art.* 10. *vers. secundo arguitur, si parentes*.

40 Obijcies quartò, quia Matth. vlt. dicitur: *Docete omnes Gētes, baptizantes eos*, & cętera, quæ sequuntur: vbi nullum Christus Dominus requirit parentum cōsensum, vt filij licitè baptizentur: obedire autem oportet magis Deo, quam hominibus, *Act.* 5.

41 Respōdeo, hoc Christi domini præceptum de gentibus baptizandis, sicut & quamlibet aliam legis, hominisuè dispositionem, intelligendum in casu possibili, & præsuppositis terminis habilibus, vt iurisconsulti loquuntur, *l. vt gradatim ff. de muner. & honor. Glos.* 1. *in l.* 1 *C. de sacros. Eccles. Bart. Iason. alijque in l.* 1. *§. nunciato ff. de nou. oper. nuncia.* Atque adeo, sicuti nemo ait, Christum Dominum ibi præcepisse, & ministris tribuisse facultatem baptizandi omnes indiscriminatim, etiam inuitos; sed eos solùm, qui sacramentum istud suscipere vellent; ità & ipse affirmauerim, ibidem minimè tributam ministris facultatē infantes, inuitis parentibus, baptizandi, cum id naturali iuri repugnet. Solùm igitur ibi facultas indulgetur eos baptizandi, qui de cætero habiles sūt, atque idonei ad illud sacramentum suscipiendum. Huic similem responsionem traddidit *Vazquez*, atq; eius pedissequus *Turrianus*, qui, & cæteri supra laudati, omnino hac in re consulendi sunt: præcipuè quia probant, neque in lege naturæ fuisse licitum, puerum, inuitis parentibus, Deo offerre, neque in veteri lege illū circūcidere: id quod alterius obiecti dilutioni inseruire poterit.

§. IV.

Ostenditur posse dominos licitè, infantes suorum mancipiorum, inuitis parentibus, baptizare.

SVMMAE.

42 *Tertia assertio explicatur: communior est.*
Domini possunt mãcipiorum filios, inuitis parentibus, baptizare, quin & debent, eosque proinde ab illorum potestate, & cura abstrahere.
Cur cõueniens sit pueros baptizari.
43 *Aliorum ratio, qua hanc assertionẽ probant.*
44 *Non est admodum efficax.*
Filiorum educatio parentibus naturali iure conuenit.
Firmior illius assertionis ratio.
45 *Mancipia filios in sua potestate non habent.*
Ius patriæ potestatis proprium est ciuiũ Romanorum.
Olim dominis in seruos vitæ, necisque potestas erat.
Item patribus in filios.
46 *Serui iustas nuptias non contrahunt, si ius ciuile spectemus, quod eas contubernium appellat.*
47 *In nuptijs contrahendis ius pontificium perspici debet.*
Secundùm illud iustæ nuptiæ inter seruos reperiuntur.

42 Tertia assertio est, posse, imo debere dominos suorum mancipiorum infantes, inuitis parẽtibus, baptizare, adhibita cautela, nè eorum curæ committantur, ab ijsque peruertantur. Id est, quod *cap.* 64. Federicus Rex sáciuit, finem sibi proponens fidei augmentum, atque etiam paruulorum, in infantia baptizatorũ, in eadem fide robur, & incrementum: quam quidem rationem Sanctus quoque *Thomas 3. p. q. 68. cit. art. 9.* perpendit: *Fuit*, inquit, *etiam conueniens pueros baptizari, vt à pueritia nutriti in his, quæ sunt christianæ vitæ, firmiùs in ea perseuerent, secundùm illud Prouerb. 22. Adolescens iuxtà viam suam, etiam cum senuerit, non recedet ab ea, & hanc rationem assignat Dionys. vlt. cap. de eccles. Hierar.* sed vtinam, vt hæc in re expressim, ità & in modo posita assertione patronum *Sanctum Thomam* haberemus. Probare tamen infra conabimur, eum saltẽ nobis non aduersari. Nostra tamen assertio communis est omnibus, si *Capreol. in 4. dist. 5. q. 1. art. 3. Marsil. qu. 4. dub. 2. Caiet. qu. 68. cit. art.* 10. paucosque alios excipias, quos citat *Hurt. diff. 5. & Turr. dub. 2. loco cit.* & videtur esse *S. Aug. epist. 23. ad Bonif. n. 3. cit.* ibi: *à dominis serui aliquando offerantur.*

43 Probatur à cæteris hæc tertia assertio, quoad primam partẽ, puta posse dominos illud licitè præstare, hunc fermè in modũ. Possunt Domini pueros suorum mancipiorum ità à cura, & potestate parentum abstrahere, vẽdendo, donando, aliòue amandando, vt nullo vnquam tempore ad illos sint redituri, ratione scilicet dominij, quod domini in omnes res mancipiorum iure habent: poterunt ergo & ab eadem cura illos abstrahere ob hunc finem optimũ, quo scilicet ità abstracti baptizentur, & in fide christiana religiosè educentur. Atqui ità omnino cessabit periculum illud peruersionis, quod apud omnes fuit in consideratione, vt docerent infidelium pueros, inuitis parentibus, nõ posse baptizari: poterunt ergo tunc licitè baptizari; & quidem quamuis sub parentum cura, quousque vsum habent rationis, relinquantur, modo, antequam peruerti possint, ab illis abstrahantur, & christianè educentur, vt voluit *Vazquez. Turr.* alijque, quos allegat, sequiturq; *Hurt. loc. cit.* quia, inquiunt, parentibus nulla prorsus iniuria irrogatur ex eo præcisè, quod, ijs inuitis, filij baptizentur: nullum enim ius habent parẽtes, vt ipsi soli curam gerant baptismi, eorum-

eorumque salutis spiritualis: non quidem naturale, quod baptismum non agnoscit; neque diuinum, cum illud nullibi reperitur.

44 Sed quoniam hoc, quod videtur validum fundamentum, posset fortassis non ineptè penitus euerti, cum satis constet, filiorum educationem parentibus naturali iure conuenire, §. 1. *instit. de iure nat. gen. & ciuil. l.* 1. §. 2. *ff. de iust. & iure, cap. ius naturale dist.* 1. diuinoque iure ijsdem videtur cōpetere filiorum, quos sub potestate habent, salutē spiritalem procurare, sicuti olim filij in fide parentum saluabantur; ideo vlteriùs illam assertionem ostenderem, etiamsi à peruersionis periculo præscindatur. Do igitur gratis, solùm parentum curæ subijci pueros naturali iure quoad ea, quæ ad religionem spectant, si generatim, atque vniuersè loquamur: addo tamen, id verum censeri, si filios in sua potestate habeant: si enim non habeant; neque vllam illorum curam habere queunt; proindèque neque quoad ea, quæ pertinent ad religionem.

45 Atqui serui, seu mancipia, cum ciues Romani minimè censeantur, non habent filios in sua potestate: ius nāque potestatis, quod in liberos habemus, proprium est ciuium Romanorū, inquit Iustinianus in §. 2. *instit. de patria potestate*; & statutum reperitur in *l. item in potestate ff. de his, qui sunt sui, vel alien. iur.* neque ij, qui in alterius sunt potestate, alios in sua habere queunt, *l. sic eueniet ff. ad l. Iul. de adult. cap. patrem* 32. *q.* 3. in potestate autem dominorum sunt serui, quæ etiam potestas vitæ, necisque antiquitùs erat, §. 2. *instit. de ijs, qui sui, vel alien. iur. sunt. & l.* 1. *ff. eod.* sicuti & olim patribus in filios vitæ quoque, ac necis potestas erat, *l. in suis ff. de lib. & posth. & l. fin. C. de patr. potestat.* eaque prorsus omnia, quæ iure potestatis patriæ parentibus cōueniunt, quęque *Gloss.* 1. *in §. ius autē instit. de patr. pot.* recēset; potiori quodam iure, modoque excellentiori, dominis in seruos conceduntur.

46 His omnibus adderet quispiam, in potestate parētum esse liberos, ex iustis nuptijs procreatos, §. 1. *instit. de patr. potestate, & l. itē in potestate cit.* Atqui iustas nuptias serui minimè cōtrahunt, si ius ciuile spectemus: illas enim hoc ius *contubernium* appellat in *l. adoptiuus* §. 1. *ff. de ritu nupt.* alibique, aitque, solùm Romanos ciues inter se iustas nuptias cōtrahere, §. 1. *instit. de nuptijs*, idest liberos homines, addit *Glossa*. Serui ergo, inquit, non faciunt matrimonium, sed contuberniū, vt hìc, & *C. de incestis nuptijs l. cum ancillis, & in auth. de nupt. §. si vero decretum, vers. si verò ab initio coll.* 4. Ius autem Cæsareum hac in re spectandum videtur: quandoquidem ipsum statuit, patriam potestatem ijs competere, qui ex iustis nuptijs filios procrearunt: iustis, inquam, nuptijs ab ipso Cæsareo iure approbatis: neque enim de alijs intelligere potuit.

47 Sed, vt verum fatear, in nuptijs cōtrahendis, vt ait *Gloss. cit.* ius Pontificium perspici potiùs debet, quod, vt suprà *n.* 32. monuimus, etiam inter iudæos, & infideles voluit constare iustas nuptias, & coniugij contractum; sicuti & inter seruos, *tot. tit. de coniug. seru.* etsi addi posset, hìc minimè negari, seruorum matrimonium esse verum in ratione matrimonij; sed solum affirmari, nihil prodesse, quoad hunc effectum habendi in potestate filios, ex illo procreatos; quod scilicet non est eiusmodi, quale ius Cæsareum ad effectum explicatum requirit; quod idem tribuit patriam potestatem, vt probat *Glos. in l. quidam sunt, verb. non habeant ff. de pęnis, ex instit. de patr. potest.* qua quidem ratione quisque, prout eam congruentem cognouerit, vtatur. Atque hac de re tota legendi sunt plures, quos laudat *P. Diana tract.* 15. *resol.* 45.

§. V.

Soluuntur obiectiones contrà assertionem §. antecedentis.

SVMMAE.

48 *Obiectio prima.*
49 *Dilutio*, & num. seqq.
Quod sit ius ciuile proprijssimè dictum.
Ciuilis ratio naturalia iura corrumpere non potest: licet iuri naturali non per omnia seruiat.
Quod sit ius gentium.
Ex eo orta bella, & captiuitates.
Iure naturali omnes homines liberi nascebantur.
50 *Quare ius gentium excogitatum.*
Sæpè naturalis ratio *nuncupatur.*
Item æquitas naturalis.
Item ius naturale.
§. 2. instit. de oblig. quæ ex delict. *de iure gentium, non diuino interpretãdus.*
51 *Furtum quomodo naturali lege prohibitum dicatur.*
Ius gentium rerum diuisiones, ac dominia induxit.
52 *Libertas inæstimabilis est, eiusque æstimatio infinita.*
Seruitus mortalitati comparatur.
53 *Secunda obiectio contra tertiam assertionem ex doctrina* S. Thomæ.
54 *Soluitur, & num. seqq.*
Quomodo Iudæi serui dicantur.
Expositio doctrinæ S. Thomæ *à Soto tradita.*
55 *Non probatur.*
56 *Exponitur rectiùs* S. Thomæ *doctrina.*
Ex quibus caussis serui fiant.
57 *Quare Iudæi serui Ecclesiæ, aliorumuè Principum nuncupentur.*
Ex bello captiuitates iure gentium sequuntur.
58 *Seruitus triplex est.*
Filij ex matrimonio contracto à clerico in sacris constituto, serui fiunt.
Deferentes Sarracenis merces prohibitas, & in ipsorum nauibus nauigantes, serui fiunt.
Pœnam pro culpa infligendam ius naturale dictat.
Eius determinatio est de iure positiuo.
59 *Ciuilis ratio potest ciuilia iura corrumpere; naturalia non potest.*
60 *An Iudæi possint suis bonis à Principibus spoliari.*
Id ecclesia facere non consueuit.
Fauore libertatis multas leges Principes seculares ediderunt.
61 *Vltima obiectio contra tertiam assertionem, eiusque dilutio.*

HOc, & sequenti §. afferentur, ac dissoluētur rationes, quibus nixus ille, quem initio cõsilij retulimus, seruulos baptizare, inuitis parentibus, detrectabat.

48 Obijciebat igitur primùm, quia, vt locis superiùs laudatis *S. Thomas* edocuit, ius ciuile iuris naturalis ordinem non excludit: at filij hoc iure parentibus subijciuntur: non igitur iure ciuili hic ordo erit inuertendus.

49 Respondeo, verum quidem esse, ius ciuile, proprijssime dictum, puta quod quisque populus sibi constituit §. 2. *instit. de iure nat. gen. & ciuili*, iuris naturalis ordinem non excludere, neq; aliter illud immutare; cum ciuilis ratio ciuilia quidem iura corrumpere possit, naturalia verò non vtique, inquit Iustin. in §. *fin. inst. de leg. agn. tut.* licet non per omnia ei seruiat *l. ius ciuile ff. de iust. & iur.* Addo tamen, neque id à nobis asseri, quippe qui solùm volumus, à gentiũ iure, quod, vsu exigente, humanisque necessitatibus, eæ omnes sibi constituerunt, §. *ius autem gentium, instit. tit. cit.* sicuti bella sunt orta, & captiuitates secutę, seruitutesque naturali iuri contrariæ, quo omnes homines ab initio liberi nascebãtur, §. *cit. & l. manumissiones ff. de iust. & iur.* ità & ablatam seruis patriam potestatem; nè scilicet, qui in aliena est constitutus potestate, alios habeat in sua; quod contrà naturam videbatur.

Quod

50 Quod sanè gentium ius ideo, natura ipsa duce, eæ excogitarunt *l. omnes populi ff. de iust. & iur. §. 2. inst. de iur. nat. atque alibi*, quod animaduerterēt, non aliter posse conseruari humanam societatem: quam ob caussam hoc ius sæpè à iurisconsultis *naturalis ratio* nuncupatur, vt *l. 1. ff. de acquir. rer. dō. l. fin. in princ. ff. de bon. dān.* sæpè quoq; *aquitas naturalis*, *vt §. thesauros, & seq. instit. de rer. diuis. l postliminium est ius §. 1. ff. de capt. & postl. reuer. l. 1. ff. de pact. l. 1. ff. de doli excep.* alibique: quin sæpiùs *ius naturale* absolutè, ac simpliciter appellatur, *vt §. sed naturalia, instit de iur. nat. gen. & ciuili, §. singulorum §. per traditionem, & §. vēdita instit. de rer. diuis.* atque etiam (*si Corasio* credimus *lib. 6. miscell. ca. 25.*) *§. 2. de oblig. qua ex delic. & l. 1. §. fin. ff. de furtis*: quamuis vtrobique *Glossā* id de diuino iure interpretetur.

51 Sed certè congruentius *Corasius* ratiocinatur, cum rarò prisci iurisconsulti, quippe ethnici, de iure diuino loquantur, &, vt plurimum, illud non agnoscunt, saltem vt à naturali discriminatum. quibus sanè locis furtum dicitur naturali lege prohiberi, non quidem rigorosè accepta, omnibus animantibus communi, qua res omnes etiam communes extiterant, communisque erat omnium possessio, *cap. ius naturale dist. 1.* ac rectè explicat *S. Tho. 1. 2. q. 49. art. 5. ad vlt.* sed iure gētium, quod rerum diuisiones induxit, ac dominia distinxit, proindeq; furta prohibuit, *l. ex hoc iure, ibique Gloss. & DD. ff. de iust. & iure.*

52 Sicuti igitur potuit ius gentiū quibusdam hominibus auferre libertatē, quæ inæstimabilis res est, *l. libertas, ff. de reg. iur.* eiusque æstimatio infinita dicitur in *l. non est ff. eod. tit.* eique cōtrariam seruitutem mortalitati ferè comparamus, *l. seruitutem ff. de reg. iur.* ita & mirandum non est, iisdem auferre potuisse patriam potestatem, quæ minimum est bonum, si libertati comparatur.

53 Obijcies secundò, quia Iudæi sunt serui Principum seruitute ciuili, iuxtà doctrinam *S. Th. 2. 2. q. 10. art. 12. ad tertium, & 3. p. q. 68. art. 10. ad secundum, & q. 10. cit. art. 10.* ait, Iudæos esse seruos Ecclesiæ, atque ideo posse hanc de illorum bonis disponere. quod idē affirmat in *opusc. 21. ad Ducissam Barbantiæ*, vbi ait, posse dominos ab eis eripere bona, licet cōsulat, vt non fiat. Atqui secundùm eiusdem Sancti Doctoris sententiam locis modo, ac sæpiùs laudatis, nequeunt illorum pueri, inuitis parentibus, baptizari. Ergo saltem sententia *S. Thomæ* nobis aduersatùr.

54 Respondeo, *Sotum in 4. dist. 5. qu. vnica artic. 10. paulo ante finem*, ex *D. Augustini* sētētia asserere, iudæos dici seruos, idest tributarios, quia vsque ad seculi finem gens illa, inquit, nullum possidebit proprium Regnum; sed semper erunt alienorum tributarij: quare, cum dicūtur serui, non intelliguntur vt mancipia: *vndè*, subdit Sotus, *S. Thomas non dicit simpliciter, quod sunt serui Christianorum, sed principum seruitutē ciuili.* At quonam modo serui dicantur iam *suprà à num. 24.* satis exposuimus. Solùm hìc quærimus de *S. Thomæ* sententia, quem *Sotus* innuit, iudæos seruos appellare, idest tributarios.

55 Sed quoniam S. Doctor etiam addit, de eorum bonis posse ecclesiam disponere, iisque à Principibus illa auferri; ideo hæc subdit Sotus: *verum est tamen, quod opusc. 21. dicit, quod, sicut iura volunt, meritò suæ culpæ sunt addicti seruituti; & ideo domini possunt accipere bona sua; sed consulit, vt non fiat: At vero iura illa non vidi, nec quid illic S. Thomas iunior sibi voluerit planè intelligo: in summa enim scilicet 2. 2. q. 10. vbi de infidelibus locutus est, nihil tale dixit.* Hæc Sotus.

56 Equidem miror, doctissimum virū iura illa minimè vidisse, cum apertè in *cap. et si Iudæos, de iudæis, & Sarrac.* dicantur illi propria culpa submissi per-

pe-

petuę seruituti, vt *suprà nu.* 23. etiã dictum est. miror quoque, neque eum animaduertisse, *S. Thomam q.* 10. *cit. art.* 10. *in corp.* asserere, ecclesiam de rebus iudæorum posse disponere, quia sunt eius serui, vt modo diximus. quarè effugium illud de *Sancti Thomæ* iuuentute nihil nobis suffragatur. Aliter ergo exponendum erit S. Doctoris enunciatum. Pro cuius quidem enodatione, recolendum erit id, quod statuit Iustinianus in *§. serui autem, instit. de iure person.* & antea docuerat Martianus, vt refertur in *l.* & *seruorũ ff. de statu hominum*; puta seruos aut fieri, aut enasci: nascuntur ex ancillis nostris; fiunt autem, vel iure gentium, idest ex captiuitate; vel iure ciuili, cũ homo liber, maior viginti annis, ad pretium participandum sese venũdari passus est. vbi monet *Hotom. verb. cum liber homo*, subaudiendum, *veluti*: alij enim complures sunt amittendæ libertatis modi; veluti cum quis supplicio damnatus, pęnæ seruus efficitur: aut cum libertus patrono ingratus iudicatus est, vt *instit. de cap. dimin.* §. 2 & *l. fin. ff. eod. alijsque apud Gloss. verb. iure ciuili.*

57 Quod igitur attinet ad rem, quam præ manibus habemus, existimo *Diuum Thomam* velle, Iudæos Principum, seu ecclesiæ seruos nuncupari, non quod ex captiuitate, iure gẽtium excogitata, atque constituta, serui sint effecti: id enim euidens est, non esse censendum: quandoquidem nullum prorsus bellum Christiani Principes iudæis inferunt, ex quo captiuitates, & seruitutes iure gentium sequantur, *§. ius gentium, instit. de iure naturali,* & *cap. ius gentium dist.* 1. sed seruos dici *seruitute ciuili*, vt consultò addidit *S. Thomas*, cui addici perpetuò ob proprium delictum ecclesia, seu ius Pontificium decreuit: ad eum planè modũ, quo iure Cæsareo, ob aliquod delictum, serui pęnæ quidam efficiuntur, vt dixi.

58 Et quidem etiam *Glossa in cap. ità quorumdam verb. seruos, de iudæis*, monet, triplicem esse seruitutem: vnam à iure naturali inductam, alteram iure gentium, tertiam iure Pontificio: cuius vltimæ exemplum sumpsit ex *cap. cum multę* 15. *q. vlt.* vbi Cõcilium Toletanum filijs, natis ex matrimonio contracto à clerico in sacris constituto, seruitutis pęnam infligit, seruique manent eius ecclesiæ, cuius sunt clerici: quam sanè pęnam quidam aiunt per non vsum esse sublatam; alij adhùc permanere: qua de re consulendus est *Nauarr. in relect. d. cap. ità quorumdam notab.* 11. *in Gloss penul. n.* 16. *de iudæis.* alterum exemplum sumpsit *Glossa ex eod. cap. ità quorumdam*, & *cap. ad liberandum eod. tit.* vtrobique enim statuitur, christianos sarracenis, merces prohibitas deferentes, vel in ipsorum nauibus nauigantes, esse excomunicandos, rebusque proprijs priuandos, efficique capientium seruos. cuius quidem rei rationẽ reddidit *Nauarr. loc. cit. n.* 15. *nam*, inquit, *vt ait S. Th. in* 4. *dist.* 36. *ius naturale dictat, pęnam pro culpa infligendam, l. Ità vulneratus ff. ad l. Aquil. at determinatio pœnæ secundum conditionem personæ, & culpæ ad Iudicem, & ius positiuum pertinet, & ideo seruitus, prout est quædam pęna pro aliquo delicto determinata, de iure positiuo humano est, & à naturali proficiscitur, sicuti determinatum ab indeterminato.*

59 Potuit ergo ecclesia, in pęnam peccati iudæorum, eos perpetuæ submittere seruituti: quæ optimè dicetur *seruitus ciuilis*, puta à iure positiuo profecta. quomodo autem intelligẽdum sit, vt hoc obiter moneam, quod ait *Glossa* modo laudata, dari seruitutem iure naturali inductam, & quo tãdem pacto iure gentium, aut positiuo seruitus, quę contrà naturale ius videtur esse, induci queat, optimè exponit *Nauarrus loco citato* omnino consulẽdus. loquitur ergo *S. Thomas* de hominibus qui serui sunt seruitute ciuili, seu, quod idem censeri debet iure positi-

fitiuo: quod quidē iuris naturalis ordinem excludere nequit: quandoquidem ciuilis ratio ciuilia quidem iura corrumpere potest, naturalia verò nō vtique, vt dixit Imperator Iustinianus *in §. fin. instit. de legit. agnat. tut.* nosq; suprà retulimus. Atqui ipsi de ijs hominibus loquimur, qui iure gentium serui fiunt, vt superiùs satis exposuimus, atque ideo *Sanctus Thomas* nobis minimè aduersatur.

60 An vero Iudæi ob ciuilem seruitutem queant à Principibus suis bonis spoliari, *S. Thomas in eo opusc.* 21. fortassis ità arbitratus est; nisi aliundè prohiberetur. Certè olim serui pęnæ libertatem, ciuitatem, & familiam amittebant, vt laudatis modo iuribus constat, & *cap. ità, & cap. ad liberandū cit.* cur ergo non potuerit ecclesia sancire, vt Iudæi ob suum crimen possent suis bonis licitè spoliari, idque in ea ciuili seruitute includeretur? quod tamen ecclesia facere minimè consueuit: quin id expressim prohibet in *cap. sicut Iudæi, de Iudæis, & Sarrac.* & Imperator in *l. christianis C. de pagan. & sacrif. eor.* de bonis verò eorū ideo ecclesia quandoque disponit, quod ità communi, externoque regimini conducere animaduertit; vt de seruis eorum in libertatem vendicandis, vel aliter alienandis: sicuti, vt ait *S. Thomas*, etiam Principes seculares multas leges ediderunt circà suos subditos in fauorem libertatis; cum tamen hi subditi neque sint serui ea ciuili seruitute, qua Iudæos secundum *S. Thomæ* doctrinam diximus obstringi: multò ergo magis ecclesia hac in re Iudæis nullam infert iniuriā, cum ei, vel eius membris ipsi iudæi ciuili seruituti subijciantur.

61 Obijcies denique, quia, si domini suorum mancipiorum pueros, inuitis parentibus, baptizarent, infamiæ nota, ex hoc fidem propagandi modo, ecclesiæ inureretur: quod tamen non erit asserendum.

Respondent omnes laudati Doctores, eam infamiæ notam solum apud ignorantes, atque infideles absque ratione, imò contrà rationem sequuturam, ac proinde paruipendendam.

§. VI.

Ostenditur, dominos debere, infantes suorum mancipiorum, inuitis parentibus, baptizare.

SVMMAE.

62 *Debent domini suorum mancipiorum filios, inuitis parētibus, baptizare.*

63 *Ratio, qua id probat* Turrianus.

64 *Ratio, qua illud* Hurtado *ostendit, eiusdemque hac in re doctrina.*

65 *Vniuersalior ratio illius doctrinæ, firmiorque.*

Infantes seruuli à dominis educari debent.

Item ab illis nutriri, ali, &c.

66 *Domini ab ecclesia cogi possunt, vt suos seruulos baptizent.*

Possunt quandoque ab hac obligatione domini excusari.

67 *Captiuorum redemptio iure gentium est introducta.*

68 *Soluitur quædam obiectio.*

62 PRobauimus hùcusque primam vltimæ nostræ assertionis partem §. 4. *n.* 42. positæ, puta, posse dominos mācipiorum infantes, inuitis parentibus, baptizare; ostendendum nunc erit breuiter, id etiam debere; atque ideo optimè ad id Regē Federicum Siculos obligasse; proindeque potuisse illum Præsulem cōpellere dominum, de quo initio consilij; vt id exequeretur. Probant id post alios *Turrianus, & Hurtado* locis superiùs laudatis.

63 Et primus quidem ait, esse spiritualis misericordiæ obligationem, qua domini obstringuntur, vt huiusmodi seruulos baptizent; quia ij in necessitate spiritualis remedij reperiuntur, quod

quod obligare potest etiam cum aliquo incommodo succurrentis, vt in tractatu de caritate demonstratur: cũ ergo concludit *Turrianus*, dominus possit separare filium mancipij sui à parentibus; potest illi succurrere, vt baptizetur, ac proindè obligabitur ex caritatis præcepto erga proximum.

64 *Hurtado* autẽ illud primò probat, quoad infantes iam à parentibus separatos: tunc enim, inquit, dominis incumbit obligatio eos educandi, ac proindè eosdem baptizandi, orta ex ecclesiastico præcepto, pertinensque ad virtutem religionis. Imo, addit idẽ auctor, ex misericordia tenetur ad nõ restituendos infantes seruos parentibus infidelibus liberis, ob periculum, in quo constituuntur, vt decipiantur, deceptique parentum sectam amplectantur. At quando infantes eiuscemodi parentibus sunt coniuncti, vult *Hurtado*, obligationem esse dominis ex misericordia separandi à parentibus infantes, antequam ad vsum rationis perueniant, ob periculum peruersionis. Quamdiù tamen infantes parentibus coniuncti reperiũtur, vult hic auctor, Dominis nullam esse obligationem eosdem baptizandi; quia, ait, non obligatio eius incumbit ex religione, quia ex hac virtute tantum tenetur, quamdiù eis incumbit obligatio educandi illos: neque dominis incumbit obligatio emendandi errorem parentum quoad baptismum, & educationem spiritualem infantium.

65 Ego vero assertionem nostram ratione magis vniuersali comprobarem, puta quæ absolutè ostendat, dominis esse obligationem infãtes seruos baptizandi, quicquid sit, an separati modo sint à parentibus; an verò sint, ob id ipsum, quod baptizantur, separãdi. Ratio autem est, quia hi infantes à dominis, & minimè à parentibus educari debent: domini igitur obligantur ad eos baptizandos, illorumque salutem spiritualem procurandã: quæ sanè illatio ab omnibus concedi-tur: cui enim incumbit obligatio illos educandi, ad eumdem sanè pertinet, illis procurare ea omnia, quæ ad rectam eorumdem educationem spectant; quorum præcipuum baptismus censeri debet. Assumptum vero, seu antecedens probatur, quia, vt suprà satis ostensum est, parentes serui non habent infantes in sua potestate, sed dominis hæc competit potestas: his ergo, & non illis incumbit obligatio infantes seruulos educandi, sicuti & nutriendi, alendi, aliaque illis exhibendi, quæ necessaria sunt ad vitæ sustentationem, postea verò quam eos baptizarunt, tenentur etiam consequenter, eos à parentibus separare, nè ab illis peruertantur: id quod erat vltimum in tertia assertione probandum.

66 Iam verò cum domini, de quibus loquimur, christiani sint, atque ecclesiæ subiecti, cogi etiam possunt ab eadem, eiusuè membris, quæ sunt Prælati omnes, ac Principes Christiani, ad vtrumque præstandum, puta ad infantes illos ritè baptizandos, & à parentibus seiungẽdos; vti superiùs diximus de Christianis parentibus, hæreticis, vel apostatis, puta cogi eos posse ad suos filios baptizandos: quin & hos, illis inuitis, esse baptizandos: quod vltimum Rex Federicus in fine capituli, initio relati, iustè, sanctèque decreuit. Posse verò dominos ab ea obligatione quandoque, ob graue aliquod incommodum excusari, prudentisque arbitrio id expẽdi debere, placuit *Hurtado*, & *Turrianus* quidem aliqua, quæ obijciuntur incommoda, rectè ostendit locum minimè obtinere.

67 Illud solùm videtur maximè vrgere, quia scilicet, si hi paruuli ex obligatione sunt baptizandi, captiuorum redemptioni aditus omnino præcluderetur, quæ iure gentium est introducta: atque hinc christianorum filij, qui captiui essent, redimi nequirent: neque enim Gẽtiles eos dimitterent,

si

si eorum filij à christianis captiui non dimitterentur. Post *Vazquez* verò monet *Turrianus*, si id damni, atque incommodi verè sequeretur, licitum minimè fore, hosce infantes baptizare, nedum dominos ad id nequaquam obligari.

68 Sed quispiam, fortassis non ineptè, assereret, maioris considerationis, ac momenti esse debere baptismi bonũ, quam seruitutis malum, quod inde in alijs per accidens, atque ex alterius malitia sequeretur.

His omnibus, quæ hùcusque exposuimus, motus Præsul ille, compulit dominum seruulos, inuitis parentibus, baptizare. Quibus etiam constat, iniuria nescioquem iniquitatis arguisse capitulum Federici, quod huius consilij initio recitauimus.

CONSILIVM XV.

Matrimonium firmum, ratumque esse, absque parentum, aut consanguineorum consensu, cõtractum; etsi quandoque illicitũ, ac proindè sãctè interdictum.

Ad Cap. 72. Caroli V.

§. I.

Refertur lex Sicula, & ostenditur, solum contrahentium consensum ad matrimonij firmitatem requiri.

SVMMAE.

1 *Quid hac in re Siculi à Carolo Imperatore efflagitarunt, quidque illis responderit Imperator.*

2 *Siculis prohibitum est sub grauissima pena, nè matrimonia cum minoribus, absque propinquorum, aut curatoris consensu, contrahant.*

3 *Ad matrimonij firmitatem solus contrahentium, non aliorum consensus requiritur.*

Eum requiri à nemine negatur, & ex sacris literis probatur.

Consensus matrimonium facit, non coitus.

Consensus debet esse voluntarius, verbis legitimis expressus.

4 *Matrimonium præcipuè est coniunctio animorum.*

5 *Matrimonium est contractus, vltrò, citroque obligatorius, qui requirit vtriusque contrahentis consensum.*

Contractus est vltro, citroque obligatio.

6 *Coniugiũ est summus amicitiæ gradus.*

7 *An de potentia Dei absoluta matrimonium absque consensu consistere queat. opinio aiens probatur.*

Id re ipsa quandoque accidisse Victoria *docet; sed alij iure negant.*

Id matrimonium non esset voluntariũ.

8 *Ille consensus liber esse debet.*

Amentium matrimonia inualida sunt.

Matrimonia errantium circa substantiam, vel conditionem seruilem personæ, inualida sunt.

Item & metu contrahentium.

9 *Ad matrimonij firmitatem parentum, aut propinquorum consensus non requiritur.*

Id probatur ex sacris literis, & exemplis, quæ in ijs referuntur.

10 *Idem ex sacris canonibus probatur.*

Puellis virginibus licet, inuitis parentibus, vouere continentiam.

11 *Conc. Trid. in re nostra quid definierit.*

Auctores contrariæ opinionis.

12 *Parentes, quod attinet ad matrimoniũ validè contrahendum, nullam in filios obtinent potestatem.*

Potestas omnis à Deo est.

13 *Quæ ad matrimonij valorem requirãtur.*

14 *Seruorum matrimonia, inuitis dominis, contracta, valida sunt.*

Filij parentibus in ijs, quæ ad indiuidui operationem pertinent, non subdũtur.

15 *Omnes homines natura pares sunt in ijs, quæ pertinent ad corporis sustentationem, prolisque generationem.*

6 *Obiectio præcluditur.*

17 *Filij suarum facultatum naturalium dominium soli habent, non item parentes.*

1 IN cap. 72. Caroli Imperatoris hęc vernacula lingua Siculi ab eodē efflagitarunt. *Item imperoche in questo Regno haui più volti acaduto, che multi ausu temerario cum violentia, & inganni, seu persuasioni, pigliano figlio, seu figlia minuri di anni dicidotto, senza voluntà de loro parenti, per casarli, & collocarli ad matrimonio con loro proprij, seu figli, ò altri persuni, non senza grandissimo deseruitio dilo eterno Dio, & iniuria delli parenti: per tanto supplica lo detto Regno plaza à Vostra Cesarea Maestà comandari, & ordinari, che qualsiuoglia persuna, che de cetero piglirà figlio, ò figlia di alcuno, sēza la volunta di loro tuturi, seu curaturi, ad minus di dui parenti li più stritti, che cui questo præsumirà fari, ò à tali attu interuinirà, sia in pena dela vita, & confiscationi dili beni, lu quali nullo vnquam tempore possi esseri admissò ad alcuna compositione.* Hisce à Regno precibus porrectis respondit Imperator: *Placet Cæsareæ Maiestati.*

2 Interdictum ergo remanet Siculis sub vltimi supplicij, ac bonorum publicationis pęna, nè matrimonia cum minoribus decem, & octo annorum, absque Curatoris, aut duorum propinquorum voluntate, contrahere filios, aliosuè procurent. Sed hæc lex quibusdam æquo seuerior, alijs penitus iniqua, proindeq; nullius momēti visa est. Ac prioribus quidem mortis pęnam, ac publicationis bonorum, atrocioribus criminibus debitam, lenioribus, vt hoc, quo de agimus, putant, attribui nimis rigidum videbatur: posterioribus verò erat iniqua, atque prorsus iniusta, quòd matrimonij libertatem à canonibus sacris requisitam inuertere videbatur. Ego vero existimo, vtramque opinionem falsam censeri debere, si lex rectè intelligatur. id quod ex ijs, quæ modò subijciam, fiet manifestum. Moneo tamen, in Gallia simile huic nostræ legi edictum reperiri, vt refert *Rebuff. in l. Marcellus vers. rapta est ff. de ver. sign.* vbi aliam quoque non absimilem Caroli V. ordinationem, ann. 1540. editam, refert.

3 Aio igitur primùm, ad matrimonij omnimodam firmitatem contrahentium consensum, omnino liberum, exigi necessariò, eumque solum sufficere; non verò parentum aliorumuè propinquorum requiri. Hæc sanè assertio quoad primam partem, putà necessariò exigi contrahentium consensum, est omnibus communis, si potentiā Dei, quam ordinariam, seu ordinatam Theologi vocant, spectemus; neque ab ipsismet hæreticis negatur. Desumitur verò tum ex sacris literis, putà *Gen.* 24. vbi Batuel Rebeccæ pater, & Laban frater, seniori seruo Abrahæ, de matrimonio Rebeccæ cum Abrahæ filio tractanti, dixerunt: *Vocemus puellam, & inquiramus eius voluntatem:* tum ex iure pontificio, putà *cap. fin. de sponsa duorum, cap. vnico, de desponsf. impub. in 6. & §. 1. 27. qu. 2.* vbi *Gratianus ex Isidoro* refert, consensum facere matrimoniū: & *cap. 1. ead. cau. & q.* refertur ex *S. Io. Chrysostomo*, seu potiùs auctore operis imperfectī *hom. 32. in Matth.* matrimonium non facere coitum, sed voluntatem; putà, vt ibidem ait *Glossa*, consensum voluntarium, verbis legitimis expressum, non verò coactum, *cap. cum locum de sponsal.* qua de re vide *Gloss. in cap. 1. verb. opera dist.* 34. ac Doctores de matrimonio tractantes.

4 Sed præsertim expressiùs id, quod intendimus, docet Nicolaus Papa ad consulta Bulgarorum *cap.* 3. refertur que in *cap. 2. 27. q. 2.* sufficit, inquit, secundum leges solus eorum cōsensus, de quorum coniunctionibus agitur, qui consensus, si in nuptijs solus fortè defuerit, cætera omnia etiam cum ipso

so coitu celebrata frustrantur: vbi *Glossa* ait, verba illa, *secundum leges*, intelligi posse secundũ canones, quos ait esse *cap si quis* 1.29.*qu.*2.*cap.* 1.*de coniug.seru.cap.cũ caussam, de rap.* vel dic, ait Glossa, secundum leges prout sonat litera; nihilque aliud addit. Equidẽ pro hac re proferrem Vlpiani enunciatum, quod refertùr in *l. nuptias ff. de reg iuris*, vbi: *nuptias*, inquit, *non concubitus, sed consensus facit*. quã quidem legem *Glossa in* §.1.*verb. coniunctio, instit. de patr. potest.* laudauit, vt ostenderet, illam viri, ac mulieris coniunctionem, à Iustiniano Imperatore in nuptiarum definitione positam, non corporum tantum esse, sed præcipuè animorum, vt etiam placuit *Glossa in* §. 1. *verb. coniunctio* 27. *qu.* 2. vbi *cap. cum initiatur* 1. *& cap. multorum eiusd. quæst.* allegat. idemque ostendit *S.Tho.* 3.*p.q.*29.*ar.* 2.*in corp.* quod idem Vlpiani volitum recitatur in *l. cum fuerit ff de condit. & demonstr.* quem imitatus Imperator Iustinianus in *auth. de nuptijs* §.*nuptias coll.* 4. ait, eas affectum alternum facere, putà mulieris, ac viri, vt *Glossa* interpretatur. quibus adde *cap vnicum* 30.*q.* 2.vbi dicitur, non esse ibi coniugium, vbi non est vtriusque consensus: cuius capituli initium reperitur in *cap.*2. *de desponsat.impub* ex quibus sanè aperte colligitur, eam assertionis partem cum Pontificio, tum Cæsareo iure muniri.

5 Eiusdem autem assertionis rationẽ hunc fermè in modum equidem formarem. Matrimonium est quidam contractus, quem omnes vltrò, citròque obligatorium appellamus: requiritur ergo ad eius omnimodam firmitatem vtriusque contrahẽtis consensus: quæ quidem illatio euidens videtur ex ijs, quæ fusè tradunt Doctores, cum de contractibus agunt, cum Theologi, tum Iurisconsulti; ij in *tract. de iust. & iure*; hi verò præsertim *in l. Labeo ff. de verb. oblig.* ac alibi sæpè, vbi satis ostendunt, vtriusque contrahentis consensum requiri, vt vltrò, citròque obligatio enascatur; quæ effectus est proprius per contractum productus: quamobrem à Labeone fuit in citata lege definitus, cũ esse vltrò, citròque obligationem. & sanè quis intelligat voluntariam obligationem in vtroque contrahente exoriri, nisi & vtriusque consensum, & voluntatem cognoscat, qua quisque eorum velit sese alteri obligari? Assumptum verò illud, seu antecedẽs patet quoque, quia iura omnia, omnesque prorsus Doctores matrimonium contractum appellant, ex quo quidem vinculum, quod maritale vocãt, ac maritalis obligatio in vtroque cõiuge enascatur.

6 Eãdem assertionis partem alijs etiã rationibus confirmant Theologi, ac iurisconsulti, præsertim *Bellarm. tom.* 2. *lib.* 1. *de matrim. sacr. cap.* 18. *Valentia* 3.*p. disp.* 10 *q.* 3. *punct.* 1. *Sanch. lib.* 2. *de matr. disp.* 25. alijque, quos apud illos consulere licet. solũ ex illis animaduertendum est, coniugium esse summum amicitiæ gradum, secundũ Aristotelem, cui quidem maximè repugnaret, quod illud inter inuitos, ac nolentes, aut saltem non volentes contraheretur.

7 Dixi hanc primam assertionis partem veram, si potentiam Dei ordinariam spectemus: etenim, si absolutã consideremus, sunt, qui censent, posse per eam essentiale matrimonij vinculum rectè consistere, absque vllo contrahentium consensu. ità post *Victor. & Sot.* opinatur *Valẽ. in* 3. *p. disp.* 10.*q.*3 *punct.* 1. Ratio est, tum quia Deus effectricis causæ vicem supplere potest: atqui illius vinculi caussa efficiens est consensus: tum etiam, quia Deus, quippe dominus corporis cuiuscumque hominis, poterit illius potestatem alteri tribuere, & si homo ipse omnino renitatur: tum denique, quia, vt *Victoria* arbitratur, re ipsa id quandoque præstitit Deus; putà in coniugio Euæ, & Adami *Gen.* 2. Oseæ,

& mulieris fornicariæ: etsi hanc postremam *Victoriæ* rationem *Sotus*, ac *Valentia* iure non amplectantur, ac penitus refellant. Sed licet vera sit horum doctorum sententia; addiderim tamen, eo euentu minimè fore eiuscemodi coniugium, vt hodie est: quādoquidem minimè foret, nec esse posset voluntarium, cum Deus neque absoluta potentia actus vitales, qui ab intrinseco principio essentialiter manare debent, absque vitali potentia producere queat: cum id contradictionem inuoluat, vt passim Theologi docent: qua de re vide *Sanch. loc. cit. disp. 26.*

8 Addidi in assertione, eum consensum omnino liberum esse debere, puta à ratione deliberata profectum: ità enim producere poterit mutuam illā obligationem, quæ contractus effectus censetur. A deliberata, inquam, ratione; tum vt amentium, aut aliter rationis vsu carentium consensus (si consensus dicendus est) excludatur; quorum sanè matrimonia inualida sunt, si eo tempore contrahantur, quo ratione minimè vti queunt, vt post *Couarr. in epit. lib. 4. decret. p. 2. cap. 2. à n 2.* aliosque edocuit *Valent. loc. cit. punt. 2.* tum etiam ut eorum consensus excipiatur, qui circa personam errant quoad substantiam, vel quoad conditionem seruilem, vt ijdē Doctores fusiùs explicant: tum denique, vt ille consensus excludatur, qui metu cadente in constantem virum extortus fuit. de quibus, alijsque similibus, præsertim ad hunc eumdem consensum requisitis, consulendi sunt auctores laudati, cæterique de matrimonio tractantes: neque enim vacat e a hìc vlteriùs indagare: neque ad institutum sermonem spectant.

9 Dixi demum in eadem assertione, hunc solum contrahentium consensū liberum sufficere ad matrimonij omnimodam firmitatem, neque parentum, aliorumuè propinquorum ad illam vllo modo requiri. Et quidem horum primum ex secundo necessariò infertur: etenim, si alterius cuiuspiā præter contrahentium consensum ad illam firmitatem requireretur, maximè is foret parentum, aut propinquorum: si igitur hic minimè exigitur, vt modo probabimus; sanè sufficiet solus contrahentium consensus. Probatur autem parentum, aut propinquorum non requiri consensum, primùm quidem ex sacris literis, putà *Genesis 2. o.* vbi Deus coniugium instituens: *propter hoc*, inquit, *relinquet homo patrem, & matrem, & adhærebit vxori suæ*: satis innuens, parentum arbitrium ad coniugij valorē minimè requiri, vt *Valentia loc. cit. pun. 6.* animaduertit. Hinc verò factum est, vt eædē sacræ literæ vxores passim eas vocent, quas Esau duxit, putà Iudith, & Basemath, Isaacho, & Rebecca, eius parentibus inuitis, quippequæ horum amborum animum offenderant, *Gen. 26. in fine*, & ex *cap. 28.* satis colligitur, eum tertiam accepisse vxorem, puta Mabeleth contra eorumdem parentum voluntatem. Rursum Iacob Patriarcha sanctissimus vnam quidem vxorem, scilicet Rachel, vel Liam parentum consilio duxit; tres vero alias, ac præsertim duas ancillas, puta Gelpham, & Balam, inscijs omnino parentibus, accepit, vt ex *Gen. 29. & 30.* elicitur. Denique Tobias validè cum Sara, etsi ignorantibus parentibus, matrimonium contraxit, fuitque illud Deo, Angeloque acceptum, *Tob. 7.*

10 Idem præterea ostenditur ex sacris canonibus, præsertim *ex cap. sufficit 27. q. 2. alijsque num. 3* relatis: quibus addendum *cap. cum virum, de regularib.* vbi in fine Clemens Papa III. de nubili puella loquens: tunc, inquit, quia liberum habet arbitrium in electione propositi, sequi parentum non cogitur voluntatem: & in *cap. cum apud, de sponsal.* vbi sufficere asseritur ad matrimonij firmitatem solum contrahentium consensum. Quibus anne-

nectere iuuabit *Sancti Ambrosij* enūciatum in *lib. de virg.* cui licet, inquit, maritum eligere, non licet Deum præferre? quod sanè in eum finem asseruit, quo scilicet ostenderet, puellis virginibus licere, parentibus quoque inuitis, Deo vouere continentiã; vti etiam iisdem licet virum sibi eligere contrà eorumdem voluntatem. Atque id ipsum expressiùs docet idẽ Sanctus Doctor in *epist. 43. ad Sisinnium*, quem, filio indignatum, quòd, eo inconsulto, vxorem duxisset, vt veniam eidem indulgeret, induxit: satis innuens, firmum, ratumque fuisse illius matrimonium, quamuis, patre inscio, celebratum.

11 Atque, vt omne prorsus dubium hac in re penitus tollatur, ea assertionis pars definita est à Patribus in *Cõc. Trid. sess. 24 cap 1. de reform. matrim.* vbi anathemate eos damnat, qui falsò affirmant, matrimonia à filijsfamilias, sine consensu parentum, contracta, irrita esse, & parentes ea rata, vel irrita facere posse. quod sanè sanciuit *Tridentinum* maximè contrà hæreticorum errorẽ, qui falsò id, quod Cõcilium damnat, affirmabant, vt *Caluinus, Brentius, Kemnitius, Bucerus, Lutherus*, alijque à *Bellarmino, & Valentia* allegati. Et quidem *Bellarminus* huius sententiæ primum auctorem *Erasmum* fecit. Eamdem tamen conatus est probare *Duarenus in tit. sol. matr.* teste *Anastasio Germonio lib. 2. animad. cap. 11.* (grata est nobis doctissimi, ac amicissimi Præsulis memoria) item *Cuiacius lib. 3. cap. 5. obseruationum, Cunannus lib. iur. ciuil. 8. cap. 4. Forcatulus libro, cuius inscriptio, Cupido iurisperitus, & Corasius lib. 1. Miscell. cap. 17.* qui se, antequam *Erasmum* videret, hanc sententiam docuisse, iactat, atque iterum eam laudat in *l. qui liberos n. 16. ff. de rit. nupt.*

12 Ratione vero illud ipsum probauerim hunc fermè in modum. Parentes in ijs, quæ pertinent ad matrimoniũ validè contrahẽdum, nullam in filios obtinent potestatem: non igitur poterunt ij horum matrimonium irritũ reddere, quod in eo eorum consensus defuerit: quæ sanè illatio euidens videtur: quandoquidem non aliundè id parentes contendere queunt, quã iure patriæ potestatis; alioquin cur eorum potius, quam aliorum consensus requiratur? assumptum vero, seu antecedens enthymematis probatur, quia, cum omnis prorsus potestas à Deo sit, vt docet Apostolus ad *Rom. 13.* proindeque illam quoque, quam in liberos parentes obtinent, ab eodemmet Deo ortum ducere, certum sit: fit sanè consequens, vt huiusce patriæ potestatis limites ex ipsiusmet Dei illam tribuentis intentione desumendi sunt.

13 Atqui Dei voluntas, & intentio ea fuit, vt illa potestas in ijs, quæ pertinent ad matrimonia filiorum contrahenda, minimè eam vim obtineret, vt illa rata, irritaue facere possit: quã quidem Dei intentionem satis, me iudice, elicere possumus ex *Gen. 2.* vbi ipsemet Deus coniugium instituens: *Propter hoc*, inquit, *relinquet homo patrem, & matrem, & adhærebit vxori suæ*. quod si filijs ius est parentes relinquendi, vt vxoribus adhæreant; certè ipsis parentibus nullum erit ius illos inuitos detinendi, quo minus iisdem vxoribus adhærere queãt. atque ideo, parentibus quoque inuitis, nuptias validè inire filij minimè prohibentur. Alijs quoque rationibus illud ipsũ laudati Doctores ostẽdunt, ac præsertim *Bellarminus*, qui indè firmissimè probat, quod in matrimonio, inuitis parentibus, à filijs inito omnia prorsus adsunt, quæ ad sacramenti valorem, & firmitatem necessariò requiruntur, putà intentio ministri, quæ est ipsorummet contrahentium liber consensus; adest quoq; materia, quæ sunt eædem personę ad matrimonium idoneæ: adest denique forma, quæ sunt verba, signaue mutui consensus.

Hoc

14 Hoc ferè arguendi modo ante *Bellarm.* vsus est *Magister sententiarum in 4. dist. 28 & S. Th ibid q. 1. art. 3. in arg sed contrà 2. & in corp.* quæ à Collectore Supplementi ponitur *qu. 45. art. 5.* Tum huius rationis solutiones euertit *Bellarminus*, confirmatq; iterum illud ipsum exemplo seruorũ, quorum matrimonia valida sunt, etsi inuitis dominis, contracta *cap. 1 de coniug. seru.* atq; omnes Theologi docent: cum tamen maior sit dominorũ in seruos, quam parentum in liberos auctoritas, & potestas. Hanc sanè de seruorum matrimonijs, contrà dominorum voluntatem initis, doctrinam à *Sancto Thoma* reperies confirmatã in *supp. cit. 3. p. q. 52 art. 2.* optima, ni fallor, ratione, qua & nostram de filiorum nuptijs, inuitis parentibus, contractis non ineptè ostendere licebit: arguerim verò hunc fermè in modum: sicuti sibi parentibus quoad ea, quæ ad indiuidui operationem pertinẽt, minimè subduntur, ità & quoad ea, quæ ad speciei conseruationem per generationem assequendam spectant, ijsdem nequaquam subijci, censendum erit, cũ nulla prorsus in vno, quã in alio potior ratio perspiciatur: quemadmodum ergo filius patri non subijcitur, quin liberè comedere, & dormire, aliaque huiuscemodi, eo quoque inscio, vel inuito, quæ ad indiuidui conseruationem spectant, facere queat; ita & illi minimè subditur, quin liberè, validèque matrimonium contrahere possit, etsi pater omnino renitatur, cum id ad speciei cõseruationem pertineat.

15 Atque id ipsum est, quod idem *S. Doctor 2. 2. q. 140. art. 5. in corp.* edocuerat, puta omnes prorsus homines natura pares esse in his, quæ pertinẽt ad corporis sustentationem, & prolis generationem; indeque infert, quod modò tradidimus. Cuius sanè rei vlterior ratio ea est, quam tetigit ipsemet *Sanctus Thomas loco cit. & ead. 3. p. q. 68. art. 10.* si eidem id annectatur, q; ex iure Cęsareo satis elicitur, putà ex *instit. de patria potestate, & l. 3. ff. de his, qui sunt sui, vel alie: iur.* nimirum patriam potestatem ius positiuum Romanis ciuibus indulsisse, proindèque non posse illud, quippe à naturali iure profectum, ipsummet naturale ius inuertere, eiusque legibus contraire: atqui vti appetitus naturæ, inquit *S. Doctor in supp.* est ad operationem indiuidui, ità est ad conseruationem speciei per generationem.

16 Neque dicas, ius ipsum naturale tribuere parentibus in filios patriam potestatem: id enim verissimum est, quamdiu ipsi rationis vsum non habent; quo verò tempore illum obtinent, quantum ad ea, inquit *S. Thomas art. 10. cit.* quæ sunt iuris diuini, vel naturalis, incipiunt suæ potestatis esse, & ideo propria voluntate, inuitis parentibus, possunt baptismum suscipere, sicut, & matrimonium contrahere. quod idem ferè docuerat idẽ *S. Thomas 2. 2. qu. 88. art. 8.* cũ homo, ait, venit ad annos pubertatis, est suæ potestatis, quantum ad ea, quæ pertinent ad suam personam, puta quod obliget se religioni per votum, vel quod matrimonium contrahat. eamdemque doctrinam tradiderat *in 4. dist. 28. q 1. art. 3.* qui transcriptus est *in supp. 3. p. q. 45. art. 5.*

17 Denique *Valẽtia* illud ipsum ostẽdit firmissima ratione: quæ tamen ad modo positas reduci non incongruè potest. innititur autẽ dominio, quod solus filius obtinet in sua generandi facultate, alijsque naturalibus, quarũ sanè nullo prorsus modo pater potestatem habet, aut dominium, ità vt filium eorumdem vsu priuare queat, exempli gratia, nè videat, ne comedat, &c. Poterit ergo filius de ea generandi facultate absque parentis cõsensu, tamquam de re sua, validè disponere, puta eam alteri tradere per matrimonij contractum. Hasce quidem rationes vlteriùs explicari, confirmarique possunt; sed breuitati studen-

dentes, id libēter omittimus. legi possunt *Val. & Bellar.* sæpiùs laudati, qui singillatim omnes hæreticorum rationes, quas *Kemnitius* collegerat, dissoluunt: *Valentia* quidem *loc. cit. vers. argumenta vero: Bellarminus autem integro cap.* 20.

§. II.

Soluuntur obiecta, & explicatur, an filius peccet, inuitis parentibus, contrahendo.

S V M M AE.

18 *Notandum pro solutione obiectionum.*
Parentibus diuino, ac naturali iure obediendum.
19 *Potest aliquid validum esse, licet illicitum, & inhonestum.*
Quomodo Deus sit auctor sacramenti validi sed improbè ministrati.
20 *Iura, quæ contrà nos proferuntur, quomodo exponenda.*
21 *Quænam culpa à filio patretur, si matrimonium, inuitis parentibus, contrabat.*
Sententia Sancij *volentis, filios hac in re parentum consilium petere, non autē sequi debere.*
22 *Parentibus filij hac in re quomodo subijciantur.*
23 *Patri filium obedire oportet in ijs, quæ pertinent ad vita disciplinam.*
24 Sancij *opinio probabilis: sed probabilior est aliorum, docentium, filios sequi debere consilium parentum.*
25 *Probatur filios grauissimè peccare, nisi id exequantur.*
An parentes nuptijs filios tradere teneantur.
26 *Ratio efficacior.*
27 *Matrimonia à filijs, sine consensu parentum, contracta Tridentina Synodus detestatur.*
Et antiquitus quoque prohibebantur.
28 Sancij *rationes soluuntur.*
29 *Aliæ dilutiones.*
30 *Conditio legato adiecta, si matrimonium cum consensu patris contrahatur, an sit reijcienda.*
31 Cap. olim, de arb. *explicatur.*
An filij inuitis parentibus, nubentes exhæredari queant.
An parentes filiæ ità nubenti dotem dare teneantur.

18 SEd, vt omnia hæreticorum obiecta vnica opera penitus refellantur; animaduertendum est, præsertim ex *Magistro in 4. dist.* 28. alijsque, aliud censeri, matrimonium absque parentum consensu esse irritū, nulliusque momenti; aliud verò idē, etsi validum, ratumque, esse tamen illicitum, quippe contrà obedientiam parentum, debitam à filijs, celebratū, ac proindè cōtrà diuinum, naturaleq; præceptum, quo parentibus parere obstringimur, vt in quarto decalogi præcepto, & ad *Coloss.* 3. *l.* 2. *ff. de iust. & iure*. quarè peccabit quidem filius absque caussa, inscio, inuitoue parēte, matrimonium iniens modo, quo infrà explicaturi sumus; validè tamen illud contrahet: quia scilicet, etsi pater nullam hac in re habeat potestatem quoad matrimonium absolutè contrahendum, vel non contrahendum; obtinet nihilominus ius quodpiam quoad modum contrahendi, vt scilicet cum hac, illauè persona ineatur, vel minimè ineatur, vt mox vberiùs exponemus.

19 Neque sanè nouum censeri debet, vt aliquid validum quidem, ratumque sit, & nihilominus illicitum, & iniquū, & contrà ipsum ius diuinum cēseatur. Id quod euenire potest (& vtinam nūquam eueniret) in cuiuslibet sacramēti vsu, puta si cum is, qui illud alteri ministrat, tum is, qui suscipit, id agant non ob Dei gloriam, animæque salutem; sed ob lucrum aliquod, turpeque commodum, aliumuè finem, penitùs iniquum: tunc enim nemo certè negabit sacramento valorem, ac firmitatem; etsi de cetero malè, illicitè, & cum grauissima culpa ministretur, ac

ac suscipiatur. Quo quidem euentu Deum ex parte sacramenti auctorem *Bellarminus* agnoscit; non verò ex parte ministrantis, ac suscipientis, qui, illum offendentes, sacramento omnino abutuntur.

20 Et, vt exemplum ex ipsomet matrimonij sacramento proferatur; si cum filius, tum parentes in matrimonium, quo de loquimur, ob prauum aliquẽ finem consentiãt; profectò hæretici minimè negabunt, illud validum, ratumque censendum; idemque tamen contrà diuinum, naturaleque præceptum agnoscere cogentur. Seiungendũ igitur est in re, qua de agimus, alijsuè similibus, ius ab honestate; adeò vt posse quidpiam validè fieri, non sit licere id ipsum fieri: id quod, quoniam aduersarij non satis perceperunt, in eum errorem miserrimè prolapsi sunt. quare iura omnia, quæ contrà nos ij proferunt, de honestate loquũtur matrimonij; non verò de valore, ac firmitate. vel, si de Cæsareis legibus sermo sit, eas Pontificijs decretis correctas, plures agnoscunt. de quibus satis accuratè disserunt *Val. Bell. & Germonius* superiùs allegati: quamobrem hoc loci nihil ampliùs addendum existimaui.

21 Quænam verò culpa sit filij, matrimonium absque caussa, inuitis parentibus, contrahentis, controuersum est: omnes autem eum culpæ prorsus immunem agnoscunt, cum iusta caussa subest hac in re parẽtibus non obediendi. cuius rei plura exempla post alios recenset *Sanch. lib. 4. de matrim. disp. 23. n. 7.* illud tamen controuertitur, num, si ea iusta caussa deficiat, lethalem culpam committant filij, si parentibus eã in re obedire detrectent. *Sãchez loc. cit. n. 1.* post alios autumat, obstringi filios sub lethali culpa consilium parentum petere circa matrimonium contrahendum, non tamen illud sequi: & ità, inquit, licitè posse, ipsis inuitis, prius tamen consultis, inire matrimonium, quod volunt: atque hanc sententiam plures docere, ac præcipuè *S. Th. 2. 2. qu. 104. art. 5. in corp.* vbi asserit, omnes prorsus homines natura esse pares in ijs, quæ ad proprij corporis sustentationem spectant, prolisque generationem. Vndè, inquit, non tenẽtur nec serui dominis, nec filij parentibus obedire de matrimonio contrahendo, vel virginitate seruãda; vt ipsi quoque superiùs monuimus.

22 *Sed*, quod attinet ad *D. Thomæ* auctoritatem, aliorumque non absimili modo loquentium, moneo, duobus planè modis posse filios parentibus subijci in matrimonijs contrahendis; vno quidem quoad substantiam, putà quod illis, in matrimonio absolutè cõtrahendo, vel non contrahendo, virginitate seruanda, vel non seruanda, parere obstringantur, & ità, quemadmodum pater nequit filio prohibere, quo minus cęteris naturalibus facultatib[9], quarũ nullã pater obtinet potestatem, idem filius vtatur, v.g. nè comedat, nè videat, nè audiat; ità & eidẽ filio interdicere nequit, quo minus facultate generandi, si libuerit, vtatur: quarè in his, similibusque filius patri parere non obligatur. altero autem modo aio, posse filios ea in re parentibus subijci quoad modum, putà quod illis in matrimonio hoc, vel illo modo, cum hac, vel illa persona contrahendo, obedire teneantur: & ita, quemadmodũ pater filio potest prohibere, quò minus cæteris naturalibus facultatibus hoc, vel illo modo, in hac, illauè materia, vtatur, veluti nè comedat hunc, vel illum cibum, nè videat, audiatuè hanc, vel illam rem, quæ fortè præuidet pater, fore filio nocitura; ità & eidẽ filio interdicere potest, quo minus generandi facultate hoc, vel illo modo vtatur, eamque huic, vel illi per matrimonij cõtractum tradat.

23 Atque id est, quod docuit *S. Thom. art. 5. cit.* puta non teneri filios parentibus obedire de matrimonio contrahendo, vel virginitate seruanda, ab-

so-

solutè scilicet, & quoad substantiam actus: quoad modum verò satis innuit Sanctus Doctor, eos parẽtibus subijci, cum ait, debere filium patri obtẽperare in ijs, quæ pertinent ad vitæ disciplinam: nam, cum matrimonij contractus actio quædam sit, quæ magni momenti existimatur, pertineatq; maximè ad vitæ disciplinam, vt debito modo fiat; erit sanè ius parentibus hac in re filios dirigendi, & filijs debitum illis obediendi. Atque ità intelligendi sunt loqui ij ferè omnes, qui absolutè, ac simpliciter docent, filios parentibus subdi in matrimonijs contrahendis.

24 Etsi vero *Sancij* opinio probabilis sit; mihi tamen probabilior, ac tutior est sententia doctissimi *Bellarmini, Valentiæ*, aliorumque, quos idem *Sancius nu 9.* recenset, docenrque, peccare filios, quando absque iusta caussa, parentibus vel inscijs, vel prorsus inuitis, matrimonia contrahere audent. quamuis eorum plures non omnino declarent, num culpa sit venialis, nũ verò lethifera: licet plerique satis innuant, esse mortalem, dum eam grauem expressim appellant. & quidem, si culpa adest, vt certè adesse mox ostendemus; videtur omnino consequens, vt mortifera censeatur, quippe quæ in re maximi momenti reperitur, vt ex mox dicendis satis quoque colligetur.

25 Sanè culpam hanc esse grauissimã, hisce rationibus probatur: primùm quidem ex sacris literis, ijs sanè locis, quibus munus parentibus tribuitur liberorum nuptijs tradendorum, putà Deutor. 7. ibi: *filiam tuam non dabis filio eius, nec filiam illius accipies filio tuo:* & Sap. 7. ibi: *da filiam tuã viro prudenti: & 1. ad Corinth. 7. versus finem:* & ex eis Scripturæ exẽplis, quæ retulit *Bellarminius.* Sed hisce quidem locis, vt verum fatear, innuitur dumtaxat, honestum valde esse, vt parentes liberos nuptijs tradant; non verò id esse præceptum, ità vt ex eius transgressione peccatũ, & quidem mortiferum fiat.

26 Probatur igitur efficaciùs ex *cap. 1. 3. & 4. 30. q. 5. cap. honorantur 32. q. 2.* alijsque, quæ contra primam nostram assertionem aduersarij, nedum ex iure canonum, sed etiam ex Cæsareo protulère: quibus certè satis innuitur, parentum consensum, ad honestè matrimonium à filijs contrahendum, requiri; idque naturalem quoque rationem suadere, scitè censuit Iustinianus in §. 1. *instit. de nuptijs:* quam sanè equidem indè colligo, quòd, cum præceptum sit, nedum diuinũm in quarto Decalogi explicatũ, & à Paulo ad *Colos.* 3. verùm quoq; naturale, seu gẽtium, quo parentibus parere obstringimur, vt Pomponius monet in *l. 2. ff. de iust. & iure:* id verò maximè locum obtinere censendum sit, cũ de re graui agitur, vt status assumptio est existimanda; certè fit cõsequẽs, vt in re, qua de loquimur, filij parẽtibus obediant.

27 Et hanc quoque rationem superiùs ex *D. Thomæ* doctrina cõfirmauimus. quamobrem sanctè Tridentina Synodus loco superiùs laudato, huiusmodi matrimonia sicuti, & clandestina semper detestata est, atq; prohibuit: vt etiam monuit *Germonius cap. 11. cit. in fine;* ac rectè *S. Ambr. lib. 1. de Abraham cap. vlt.* (vbi plura, hùc trãsferenda, tradidit, quæ referuntur in *d. cap. honorantur*) illud *Euripidis* laudat, qui puellam ità loquẽtem refert: *sponsalium quidem meorum pater meus curam subibit: hoc enim non est meũ:* & senex ille Simo in *Andria Terentiana: Adeon,* inquit, *impotenti est animo, vt, præter ciuium morem, atque legem, & sui voluntatem patris; tamen hanc habere studeat cum summo probro?* Alias huiusce sentẽtiæ rationes apud laudatos sæpè Doctores, & *Ruardum Tapperum in explicatione art. 20. Louaniensium* consulere licet: hoc enim loci eas omnes transcribere superuacaneum est.

28 Neque verò putes quicquam ob-

 stare,

ſtare, quod *Sanchez* nobis obiectat, puta quod homo per matrimonij contractum perpetuæ ſubditur ſeruituti, proindèque rectam rationem poſtulare, vt in illo contrahendo omnino ſit liber, à nulliuſque voluntate dependeat: nè, inquam, id putes obſtare: etenim, præterquam quod huiuſcemodi ſeruitus non vera, ſed quaſi ſeruitus à *S Th. in ſupp. 3. p. q. 47. art. 6. in corp.* exiſtimatur; quod attinet ad id, quod in hac ſeruitute præcipuum eſt, puta quod homo abſolutè perpetuæ obligetur ſeruituti, homo penitus liber exiſtit; poterit namque ei ſeſe ſubdere, vel non ſubdere, prout ipſi libuerit, etiam parentibus prorſus inuitis, vt ſuperiùs ſatis expoſuimus: quod verò huic, illiuè ſubijciatur, nil mirum eſſe debet, quod à parentum conſenſu aliquatenus depẽdeat, quoad honeſtatem ſcilicet, non autem quoad matrimonij firmitatem: quod parentibus liberorum bono indultum eſt, quò ſcilicet ijs benè conſulant in re maximi ponderis, ac momenti.

29 Neque iterum obſtat, quod idem *Sancius* obijcit, quia nimirum nemo ad id, quod eſt culpa, obligari poteſt: at promittens alteri clam matrimoniũ implere omnino tenetur: non erit igitur peccatum matrimonium, inuitis parentibus, inire: non, inquam, obſtat; quandoquidem occurrere licet, malè ex caſu prorſus peculiari, & in quo particularis ratio perſpicitur, inferri concluſionem omnino vniuerſalem. Certè filius illud promittens, abſque parentis conſenſu, malè agit, proindeque grauiter peccat; ſed poſita illa promiſſione, eam ſeruare obſtringitur, etiam nolente patre, qui abſque ratione tunc denegabit conſenſum, & filius iuſta cauſſa, eo inuito, matrimonium contrahet. eſtquę crebrior doctorum opinio, vt innui, filium, inuitis, inſcijſuè parentibus, licitè nuptias inire, ſi iuſta, ac rationabilis cauſſa ſubſit; quam hoc euentu putandum eſt, eſſe promiſſionem, ac quòd inde ſequeretur alterius detrimentum: quod ſatis quoque eſt, vt ipſummet iuramẽtum minimè ſeruetur; ſi ſcilicet ſeruatum redundet in alterius detrimentũ, vt Bonifacius Octauus monet in *cap. quamuis pactum, de pactis in 6.*

30 Tertiò non obſtat, conditionem legato adiectam, ſi filius vxorem cum parentis conſenſu ducat, Doctores plurimos docere eſſe penitus reijciendam, quos citat, ſequiturque idem *Sancius lib. 1. diſp. 34. n. 22.* nõ, inquã, obſtat: ſiquidem alij contrariam profitentur opinionem. Certè eorũ plures, quos laudat *Sanchez*, loqui cenſendum eſt abſolutè, & quoad matrimonij ſubſtantiam, non verò quoad modum, vt ſuprà de alijs quoque monuimus. Alia ſanè poſſent hic tradi nõ inopportunè; ſed, breuitati ſtudens, libenter omitto. Solùm illud monere haud prætermiſerim, ex eo quoque *Sancij* opinionem videri non ſatis cõgruam, quod fini, ob quem parentibus filiorum directio, ac regimen cõceſſum eſt, aliquo tandem modo aduerſetur: ideo enim id illis indultum eſt, vt re ipſa filios dirigant, præcipuè quoad ea, quæ ad vitæ diſciplinam ſpectant: quod ſi ſolum filij eorum conſilium petere, non autem ſequi obſtringantur; regimen illud dũtaxat erit ſpeculatiuum, non verò ad praxim reductum; proindeque finis ille minimè attingetur.

31 Denique non obſtat *cap. cum olim de arbit.* quod contrariæ ſentẽtiæ plurimum fauere videtur, etſi ab eius patronis minimè proferatur, decernitq; eum, qui conſilium ab aliquo petere obſtringitur, nequaquam teneri iam petitum ſequi: etenim, etſi illud ibi, quoad perſonas in eo recenſitas, locũ obtineat; perpetuum tamen non eſt, vt rectè monuit *Alciat. in l. coram nu. 11. ff. de verb. ſignif.* plerumque enim deficit; ac præſertim cum aliundè colligitur, eum debere ſequi conſilium, nedum petere, vti ipſi præſtitimus.

An

An autem filij, inuitis parentibus, nubentes, ab ijsdem exhæredari queant, consulendi sunt *Germonius lib. 2. anima duerf. cap. 12. & Sãch lib. 4. cit. disp. 24. & seq.* qui negantem partem amplectuntur. Item an parentes filiæ ità nubenti dotem constituere teneãtur, vide *Sanc. disp. 26.* certè olim in *Concilio Trident.* fuisse sanctionem postulatam, qua patri liceret filiam, absque eius consensu matrimonium contrahentem, exhæredare, refert *Ceuall. com. contr. com. q. 5. n. 5.* quam optimo iure fieri potuisse, ait ex traditis à *Sarmiento lib. 1. select. cap. 11. n. 8.*

§. III.

Ostenditur, posse matrimonium, inuitis parentibus, initum, prohiberi, ac puniri.

SVMMAE.

32 *Contrahere absque consensu parentum est cõtrà bonos mores.*

33 *Doctores edocentes, hæc statuta esse valida.*

34 *Ad ecclesiam spectant caussæ matrimoniales, legesque matrimonij stabilire, vt sacramentum est.*

Id etiam spectat ad secularem potestatem, vt illud contractus est.

35 *Iustitia statuti Siculi probatur.*

36 *Principi non obedientibus in veteri lege pœna mortis statuta est.*

37 *Legum transgressores prosper rerũ euentus non excusat.*

In maleficijs animus, non euentus spectatur.

Manlij Torquati seueritas in filio puniendo.

32 Atque ex hac postrema doctrina, quam hucusque probauimus, infertur manifestè, à statuto quopiam hoc ipsum matrimonium, quod illicitè, inuitis parentibus, initur, posse iustissimè prohiberi, atque etiam puniri, quippequod in malos mores animaduertit, vt expressim contrà *Innocentium* edocuit *Bald. in l. omnem n. 12. C. ad senat. Tertull. quia*, inquit, *contrahere sine consensu patris est contrà bonos mores omniũ, & maximè prudentum, & inducit odiũ capitale, vt l. 2. § si emancipatus ff. de contra tab. & ideo valet statutum*, (putà plectens contrahentem matrimonium cum filiofamilias absque patris consensu) *non quia vetat substantiam matrimonij; hoc enim non potest facere, nisi Papa; sed quia punit malos mores, & in republica facinora seminantes.*

33 Et huiuscemodi laicorum legem, vel statutum valere, docet *Ceuall. loco cit. n. 6 post Sarmien. loc. cit. Innocent. in cap fin de secundis nupt. Bald in rub. de constitut in fine, & in cap. tenor, de re iudic. & in cap. clerici de iudic. Palac. Rub. in cap. per vestras, de donation. notab. 3. §. 3. nu. 9.* alios idem censentes laudat *P. Diana tract. 2. de Immun. eccles. resolut 74. & 104.* Vide *add. Bald. & Lud. Rom. aliosq; in rub. ff. sol. matr. & And. Sicul. in cons vlt. n. 12. vol. 2. & in add. ad Bald* qui hanc sententiã profitentur. Et sanè leges, quæ filios absque parentum consensu matrimonium contrahentes exhæredant, iustas esse, neque à Pontificio iure correctas, docent pęnè innumeri Doctores Theologi, ac Iurisc õsulti, quos laudat *Sanch. lib. 4. de matrim disput. 25.* qui eam sententiam probabilissimam vocat, licet contrariam probabiliorem arbitretur.

34 Et quamuis matrimonium sit Ecclesiæ sacramentum, proindeque ad ipsam spectent matrimoniales caussę, legesque circa matrimonia stabilire, *cap. tuam de ordin. cog. cap. causam. 2. qui fil. sint leg. cap. 1. de sponsal. alijsque, & Conc. Trid. sess. 24. can. 12.* nihilominus, quoniam & matrimonium cõtractus quidam est naturalis, & politicus, poterit sanè secularis potestas curare, vt conuenienter, debitoque modo fiat, vt pax, quiesque reipublicæ conseruetur, ab eaq; perturbationes, & rixæ, quæ inde enasci solent,

 peni-

penitus arceantur. Etsi vero contrariã *Io. And.* opinionem complures etiam sequantur, quorum aliquos citat *Santius disp.* 25. *cit. & Hippol. Riminaldi cons.* 78. *n.* 14. *inter cons. matrim. Ziletti tom.* 1. *& Ceual. loc. cit.* aliosque neutericos laudat, sequiturque *Diana loc. cit.* ij. tamen fortassis commodè explicari possent, vt de valore matrimonij loquantur, nõ verò, vti nos loquimur, de honestate, vt eosdem videtur explicuisse *Barthol. Chartarius cons.* 63. *n.* 6. *inter cons. matrim. tom.* 1. *cit.*

35 Sed, quicquid sit de huiuscemodi Doctorum opinionibus, statutum Siculum, seu lex illa municipalis, de qua initio meminimus, cuius occasione hæc omnia sunt exposita, videtur omnino iusta, & sancta, si accuratè perpendatur. Et quidem primùm eã loqui censendum est, non de matrimonij firmitate, quam nullo prorsus modo improbat, neque improbare potest, vt ex superiùs expositis satis intelligitur; (nisi fortè velis uim illã, de qua lex meminit, inualidum reddere matrimonium: sed tunc non lex, sed metus id facit) verum de eius honestate, ità vt illud matrimonium absque tutoris, aut curatoris, vel saltem duorum propinquorum consensu, qui parentum loco succedunt, tamquam illicitum improbet, atque condemnet. Deindè nõ in ipsos minores nuptias ità contrahentes animaduertere; sed eos plectere, qui vi, fraude, dolo, malisque artibus minores illos proprijs filijs, alijsuè matrimonio iungũt; ac proindè nullum prorsus contrahentibus ipsis incutere metum, quo minus liberè matrimonia contrahere queant; atque ideo in ea lege locum minimè obtinere rationes, quibus cõtrariæ sententiæ patroni, omnimodæ mattimonij libertati fauentes, maximè innituntur.

36 Denique aio, vlcisci hanc legem grauissimum crimen, quod ij, de quibus ipsa loquitur, committũt, dum vi, seu metu, vel fraude, minores circumueniunt, quò cum proprijs ipsorum, qui metum incutiunt, vel decipiunt, filijs, alijsuè nuptias contrahant: quod scelus esse nefandissimum, nemo inficiari potest, Sanè, si iustum est hoc, de quo loquimur, præceptum, atque in re grauissima, maximique ponderis; cur non illius trãsgressores morte puniantur, quando & Principi quacumque in re non obedientibus eadem mortis pęna decernatur? 3. *Reg.* 13. refertur que in *cap.* 2. *de maiorit. & obedien.*

37 Neque putes illius legis transgressorem à pęna excusaturum prosperũ rerum exitum, qui quandoque eas nuptias consequetur: etenim in maleficijs animum, non euentum spectari Adrianus rescripsit, refertque Callistratus in *l. diuus, ff. ad l. Corn. de sicarijs.* cuius sanè rei exemplum ponitur in *l. si quis seruo C. de furtis.* sed meliùs Modestinus in *l.* 3. *paulo ante finem ff. de re militari: in bello*, inquit, *qui rem à duce prohibitam fecit, aut mandata non seruauit, capite punitur, etiamsi res benè cesserit.* consule *Gloss. ibid. verb. cesserit.* Atque ità ex *Liuio* 1. *decad. lib.* 8. alijsque refert *Tiraquellus de pœnis, caus.* 52. *n.* 3. *& Corasius lib.* 1. *Miscell. cap.* 24. *n.* 7. Manlium Torquatum iussisse, securi percuti filium, quòd contrà patris præceptum cum hoste pugnasset, eumque occidisset. ac simile quidpiam alij quoque præstitisse, referunt auctores laudati, ac præsertim *Tiraquellus*, qui hanc sententiam pluribus ostendit. Atque ità tota hæc de re difficultas facillimè dissoluetur.

Edidi non multis ab hinc annis libellum, cuius inscriptio est, *Matrimonij valor à Francorum oppugnationibus vendicatus:* ibi nonnulla erunt consulenda, quæ ad hanc rẽ pertinent.

(: § :)

CON-

CONSILIVM XVI.

De necessaria beneficiariorum residentia, à Patronisque procuranda, ac de eius venia Regijs Cappellanis indulta.
Ad
Cap. 92. Regis Ferdinandi, cap. 13. & 162. Caroli V.

§. I.

Necessitas residentiæ in beneficiarijs ostenditur.
SVMMAE.

1 *Quodcumque beneficium residentiam requirit.*
2 *Etiamsi minimum sit.*
Simplex consuetudine eam non requirit.
Præsidibus Prouinciarum neque abnoctare permissum fuit.
3 *Curata beneficia omnino residentiam requirunt.*
An iure diuino.
Curatus debet suas oues agnoscere, aliaque obire munia, quæ assiduitatē requirunt.
4 *Qui emolumenta rei percipit, eius quoq; onera sentire debet.*
5 *Ratio efficax ex sacris literis desumpta.*
5 *Reditus beneficiorum, stipendia clericorum quarè censeantur.*
Prædia olim militibus statuta, beneficia, ac feuda appellabantur.
7 *Parochorum munus in opere consistit.*
Id quoad Episcopos probatur.
Episcopatus nomen est operis, non honoris.
Episcopus latinè superintendens *optimè appellatur.*
Episcopi à Christo Domino operarij vocantur.
8 *Munia Episcopis obeunda.*
Episcopi Pastores dicūtur: itē Custodes: Speculatores: Angeli: Præcones: Ministri, &c.
9 *Ea omnia ad cæteros parochos extendēda, qui pastores quoque appellantur.*
Debent hi omnes sui pecoris vultum cognoscere.
10 *Ecclesiæ prælatio magna indiget sapientia.*
11 *Canon Apostolorum ac de re.*
12 *Beneficiarij ecclesiæ chatedralis, vel collegiatæ ad residentiam obligantur.*
13 *Neque immemorabilis consuetudo excusat.*
Pœnis ad illam cogi possunt.
Episcopi beneficiarios ad residētiam cogere debent.
14 *Dignitates, & Canonici Ecclesiæ chatedralis fidei professionē emittere debent.*
Et quidem per semetipsos coram Episcopo, & in capitulo: aliqui cōtrasentiūt.

1 Certum omnino esse debet, beneficium quodcumque requirere residentiam, seu, si mauis cum Alex. 3. loqui in *cap. ad hæc, de præben.* assiduitatem: *eod. cap. ad hæc, & cap. quia in tantum, tit. cit. cap. quia nonnulli, cap. relatum, & tot. tit. de cler. non resid. cap. fin. de off. Vicar. cap. peruenit 2. de appell.* alijsque, quæ refert *Gloss. fin. in d. cap. ad hæc*: & Imperator Iustinianus in *l. generaliter sancimus C. de episcop. & cler.* immunitatem à curis, & tutelis ijs indulsit, dummodo in suis ecclesijs resideant.

2 Quæ sanè doctrina locum obtinet, etsi eiuscemodi beneficium minimū sit, vt idem Alexander 3. statuit in *cap. conquerente, de cler. non resid.* qua de re consulendus est *Petr. Greg. Thol. instit. benef. cap. 7. nu. 1. Franciscus Turrianus, & Catharinus, vterque in tract. de residentia. Sot. Caiet. Couarr. apud Valen. in 2. 2. disp. 10. q. 3. pūt. 5.* alijsque: quamuis de reliquo negandū non sit, ea beneficia, quæ *simplicia* nūcupamus, ex totius prorsus orbis more, seu consuetudine nequaquā exigere assiduitatem: de quo vide eumdem *Petr. Greg. de rescrip. cap. 24. n. 4. Mandos. in reg. 1. cancell. q. 14. num. 8. Fla-*

Flamin. Parif. de resign. benef. lib. 1. *qu.* 10. *n.* 66. *Lotter. de re benef. lib.* 1. *q.* 36. *nu.* 39. vbi *Rotas* allegat. Certè hanc assiduitatem in Magistratibus requisiuère prisci legumlatores, adeo vt neque abnoctare Prouinciarum Præsidibus permiserint *l. illud ff. de off. Præsid.* neque Tribuno plebis Roma abesse licuit; neque Senatoribus, neque Prætori vltrà decem dies, vt *Dio Cassius*, *Gellius*, *Liuius*, *ac Cicero* docent apud *Tholosanũ*, qui alijs quoq; rē aptè confirmat.

3 Id verò præcipua quadam ratione in ijs beneficijs locum sibi vendicat, quæ *maiora* passim appellantur; cuiusmodi sanè sunt, quibus cura imminet animarum: ea enim obtinentes iure diuino (quod tamen maximè est apud Doctores controuersum) ad assiduitatem obstringi, satis innuit *Conciliũ Trid. sess.* 23. *cap.* 1 *de reform. cum præcepto*, inquit, *diuino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oues suas agnoscere, pro his sacrificium offerre, verbique Dei prædicatione, sacramentorum administratione, ac bonorum operum exemplo pascere, pauperum, aliorumque miserabilium personarum curam paternam gerere, & in cetera munia pastoralia incumbere; quæ omnia nequaquam ab ijs præstari, & impleri possunt, qui gregi suo nõ inuigilant, neque assistunt; sed mercenariorum more deserunt; sacrosãcta Synodus eos admonet, & hortatur, vt diuinorum præceptorum memores, &c.*

4 Quibus sanè Cõcilij verbis apertè constat, illud Ioa. 21 *pasce oues meas*, non solùm ad Romanum pertinere Pontificem, proindeque illum dumtaxat ad residentiam diuino iure obligari, vt perperam nõnulli opinati sũt, quos retulit *Quintanaduegnas lib.* 4. *ecclesiast. n.* 50. *& Valentia loc. cit.* sed etiam ad alios quoscumq; beneficiarios, quibus animarum cura commissa est. Id quod præsensit quoque *Nauarr. in sum. cap.* 25. *nu.* 121. *Valen. loc. cit. Lessius lib.* 2. *de iust. & iure cap.* 34. *dub.* 29. *n.* 153. atque alij passim. cuius sanè rei rationem idẽ *Lessius* tetigit, quia scilicet iure diuino naturali ij obstringuntur ad illa præstanda, quæ sui officij existunt: & quidem per sesemetipsos: ipsa enim naturalis ratio admonet, vt ille idem, qui officij percipit emolumenta, illius quoque onera sentiat *cap. qui sentit de reg. iur. in* 6. *l. secundùm naturam ff. eod.* Atque id etiam inde colligitur, quòd beneficiarius sese obligat ad beneficij munia per semetipsum obeunda; idque tacitè promittit, eiusq; industria eligitur, atque ideo nequaquam poterit vicaria aliorum opera officij munera obire, *arg. l. inter artifices ff de solut.* Id ipsum plures probãt ex *Ioa.* 10. *Act.* 20. *cap. Ephesijs, dist.* 43. *cap. sicut* 7. *qu.* 1. *cap. qui episcopatum* 8. *qu.* 1. *cap. præcipuè* 11. *q.* 3. *cap. gloria Episcopi* 12. *q.* 2. *cap. cum in cunctis, de elect. & cap. licet canon. de elect. in* 6.

5 Sed, vt verum fatear, ius canonum subobscurè hac in re huic sententiæ suffragatur, si Concilium Tridentinũ excipias. Efficacior sanè ratio ex sacris literis elicitur hunc fermè in modum. omnis prorsus beneficiarius, cui cura imminet animarũ tenetur, sicuti & quilibet alius officiarius, iure ipso naturali, ea obire munia, ac subire onera, quę suo officio necessariò annectuntur, atque cohærent; atqui huiusmodi beneficiarius id minime præstare poterit, nisi in sua ecclesia assiduus sit, siue resideat: in ea igitur residere obligatur.

6 Atque huius quidem rationis, seu syllogismi maior propositio certissima est, & a nemine negari iure poterit; ideo. n. beneficiorũ reditus, ac prouẽtus percipit, quò scilicet suum officiũ diligentissimè exequatur; ideoque tales reditus stipendia clericorum à iure censentur *cap. fin.* 1. *quæst.* 2. *Conc. Trid. sess.* 21. *cap.* 3. *de reform.* etenim, sicuti olim quædam prædia militibus statuebantur, quò rempublicam totis viribus tuerentur, quæ & beneficia, & feu-

feuda sunt à veteribus appellata: de quibus post alios auctor damnatus *Hotoman. disp. de feud. cap. 1. & seq. & comment. de verbis feudalibus, verb. beneficium*; ità & Dei Ecclesia beneficia suis militibus constituit, quò intelligererur, illis esse assiduè in eadem ecclesia elaborandum: quod præsentiẽs *Dauid*, iuxtà multorum interpretationem, in *psal. 104 dedit Deus*, inquit, *illis*, putà sacerdotibus, *regiones gentiũ, & labores populorum possederũt, vt custodiant iustificationes eius, & legem illius requirant.*

7 Minor autem eiusdem rationis, in qua est maximè difficultas, ostenditur, quia horum, de quibus loquimur, beneficiariorum munus in opere consistit: id ꝙ ex sacris literis satis apertè colligitur. Et quidem, quoad Episcopos spectat, id habetur præsertim *Act. 20.* vbi: *Attendite*, inquit Sanctus Paulus, *vobis, & vniuerso gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos, regere Ecclesiam Dei.* idemque Diuus Paulus 1. ad Thimoth. 3. *Qui episcopatum*, inquit, *desiderat, bonum opus desiderat. Exponere voluit*, addit S. Aug. relatus in cap. qui episcopatum 8. q. 1. *quid sit Episcopatus, quia nomen est operis, non honoris: græcũ est enim, atque indè ductum vocabulũ, quod ille qui præficitur, eis quibus præficitur superintendit: curã eorum scilicet gerens, epi quippe super, scopos, verò intẽtio est. Ergo Episcopos, si velimus latinè superintendentes possumus dicere, vt intelligat non se esse Episcopum, qui præesse dilexerit, non prodesse.* Diuus quoque Hieronymus ad Oceanum: *qui episcopatum*, inquit, *desiderat, opus, non dignitatem, laborem, & non delicias desiderat.* Item sæpè Christus Dominus discipulos suos, proindèq; eorum successores Episcopos, operarios vocat, vt *Matth. 9. in fine, & 10. Luca 10. initio, 1. ad Timot. 5. post medium*, alibique sæpè.

8 Opus verò hoc, in quo Episcoporũ munus consistit, non qualecumque censendum est, sed hoc, illudue peculiare, quod laudatis modo locis, atque alibi sacræ Paginæ proponunr; vt scilicet commissum sibi gregem pascant, custodiant, eique inuigilent, nunciẽtque Dei consilium, ac voluntatem, populique scelera, ministrent, condianr subditorum mores sapientissimis institutis, præceptisque aliaque huiuscemodi obeant munera, quæ varijs, diuersisq; nominibus Scriptura significat: ideo enim eos *Ioa. 20. & 1. Petri 5.* vocat Pastores, *Isaiæ 61.* Custodes; *Ezech. 3. & 18.* Speculatores, & Vigiles, *Isa. 33. Malach. 2. Apocal. 2.* Angelos, pura nuncios, Præcones *Isaiæ 58.* iuncto *cap. si rector, dist. 43.* Sal. *Matt. 5. & 1. ad Corinth. 4.* ministros, ac dispensatores. consule *S. Greg. Nazian. in carmine ad Episcopos.*

9 Atque hæc quidem, vt quoad Episcopos verissimè censeri debent, ità & ad alios quoq; beneficiarios, ad quos curatio pertinet animarum, extendẽda sunt, ob eamdem prorsus, quam in ijs omnibus perspicimus rationem; ac præterea quia aliqua ex his, quæ modo retulimus, loca de pastoribus absolutè loquuntur, quales proculdubio ij omnes censentur, qui animorum curæ præficiuntur. Atqui ea munia exequi pastores nequibunt, nisi in ecclesijs, veluti in suis stationibus, assidui maneant, atque resideant: sunt enim ea omnia actiones, quas personales vocamus, quæ personæ, cuius industria eligitur, operã requirunr. Certè quomodo ij, à proprijs ecclesijs penitus absentes, pecoris sui vultũ cognoscere, gregesque suos diligenter considerare poterunt, vt ijsdẽ Dominus præcepit *Ioa. 10.* ? id quod & Sapiẽs edocuerat *Prouerb. 27.* Neque equidem video, quonam tandem pacto ij pastores verè nuncupentur, qui solum aliorum opera ad gregem pascẽdum vtũtur. 11

10 Denique ipsemet Christus Dominus *Ioa. 10.* acriter reprehẽdit pastorem illum, qui tamquam mercenarius deserit gregem suum: fauetque illud

Zacha-

Zachariæ 11. *O pastor, & Idolum, derelinquens gregem suum.* Atque illud Ioannis enarrans *Chrysostomus hom.* 59. ità loquitur: *Magnum quiddam*, ait, *dilectissimi, magnum*, inquam, *est Ecclesiæ prælatio, & quæ multa indiget sapientia, & fortitudine, qualem Christus proposuit, vt animam pro ouibus ponamus, & nunquam illas deseramus.* & infrà: *quod*, inquit, *superiori tempore Ezechiel his verbis insectatus est* (puta *cap.* 34. quod integrum legendum est) *Væ pastoribus Israel: nonnè pascebant semetipsos? nonnè greges pascuntur à pastoribus?* & infrà: *Iccirco neque quod abiectũ erat, reducebant, neque quod perierat, quærebant, neque confractum alligabãt, neque infirmum consolidabant, &c.*

11 Alijs quoque hanc eamdem sententiam laudati Doctores ostendunt, ac præsertim *Turrianus*, qui ex quodam Apostolorum canone (de Apostolicorum canonum auctoritate vide *dist.* 16. *& eumdem Turrian. lib.* hac de re ipsa) confirmat, in quo Christi communione ij priuantur, qui gregem suũ derelinquunt, illiq; plurimum Patres suffragantur, vt apud auctores citatos animaduertere licet: qui & *Catharini* rationes, contrariam sententiam profitentis, optimè refellunt. quamobrem superuacaneum existimaui, me hac in re diutiùs immorari. Eos consulas, ac præterea *Couarr. lib.* 3. *variar. cap.* 13. *n.* 9. *& Quarant. in bullario verb. residentia*, qui & alios recensent: omnesq; satis exponunt, quibus tandem euentibus beneficiarij huiusce assiduitatis veniam obtinere queant.

12 Atque id, quod generatim, ac vniuersè de quibuscumque beneficiarijs, ac deindè de ijs, quibus animarum curatio est commissa, præcipuo quodam iure edocuimus; nũc ad Ecclesiæ Cathedralis, seu Collegiatæ beneficiarios singulari etiam iure extendendũ erit, ob singulare Sacri *Concilij Tridẽtini* hac de re decretum, quod *sess.* 24. *cap.* 12. *§. præterea, de reform.* in hæc verba recitatur: *obtinentes beneficium in Ecclesijs Cathedralibus, aut Collegiatis, dignitates, canonicatus, præbendas, aut portiones, non licet vigore cuiuslibet statuti, aut consuetudinibus vltrà tres menses ab eisdem Ecclesijs quolibet anno abesse.*

13 Neque verò ab hac residentia immemorabilis consuetudo excusat, vt *Gregorius Papa XIII.* ex sententia cõgregationis Cõcilij declarauit, refertque *Marzilla in declaration. eiusd. Concil. lib.* 1. *de cler. non resid. tit.* 9. *cap.* 15. *verb. non liceat.* ad quam sanè assiduitatem Abbates quoque regulares obstringi, qui in eiuscemodi ecclesijs obtinent dignitates, eadem sacra congregatio declarauit, vt idem *Marzilla loc. cit. verb. in ecclesijs*, testatur. Atque hi omnes pęnis a Concilio statutis ad residendum cogi posse, voluit eadem sacra cõgregatio apud eumdẽ *Marzillam loc. cit. cap.* 4. *verb. tam dignitatum*: idque etiam locum obtinere docuit in dignitatibus, quæ iurispatronatus existunt ex *cap.* 3. *de refor. sess.* 21. refertque *Marzilla loc. cit. cap.* 5. *verb. omnium.* quin & eos ad residẽtiam ab ordinario cogendos, sanciuit *Concilium cap.* 2. *de reform. sess.* 6. *Episcopis*, inquit, *inferiores quæuis beneficia ecclesiastica, personalem residentiam de iure, siue consuetudine exigentia, in titulum, siue cõmendam obtinentes, ab eorũ ordinarijs, quemadmodum eis pro bono ecclesiarum regimine, & diuini cultus augumento, locorũ, ac personarum qualitate pensata, expediens videbitur, opportunis iuris remedijs residere cogantur; nullique priuilegia, seu indulta perpetua de non residendo, aut de fructibus in absentia percipiendis, suffragentur.*

14 Et quidem, quod attinet ad fructus in absentia minimè percipiendos, vt hoc obiter moneam, non solum omissio assiduitatis beneficij fructibus priuat beneficiarios, qui nunquam ad Cathedralem Ecclesiam accesserunt; verum etiam, quia prouisi de canonicatibus, & dignitatibus in ecclesijs

Ca-

Cathedralibus, non solùm coram Episcopo, seu eius Officiali, sed etiam in Capitulo fidei professionem emittere tenentur, alioqui suos fructus facere nequeunt; neque ijs possessio suffragatur, vt sanciuit idem *Concilium ijsd. sess. 24 cap. 12. §. prouisi.*

Neque dicas fidei professionē per procuratorē iure emitti posse: etenim Congregatio Concilij declarauit, eosdem per semetipsos id præstare debere, vt refert *Marzilla lib. 1. de at. & qual. tit. 2. cap. 14. verb. ad minus, & Gratian. discept. forens. cap. 166. nu. 22. alijque apud Barbos. de officio Episc. alleg. 61. n. 19.* qui tamen alios refert *n. 20.* contrarium opinantes: quorum sententia videtur vsu recepta.

§. II.

Ostenditur, Patronos curare debere beneficiariorum residentiam: quin & id videri Regum munus.

S V M M AE.

15 *Siculi pluries à Regibus Prælatorū assiduitatem petière.*

16 *Patronus curare debet beneficiariorum assiduitatem; & qua ratione.*

17 *Patronis qua onera imposita, præsertim in Ecclesiæ vtilitatem.*

18 *Eam defendere debent.*

Mala illatio est, potest; ergo tenetur.

19 *Item Patronus ecclesiæ tenetur Sacerdotem inuenire, consulere, ac prouidere.*

Prouidere omnia includit, quæ ad ecclesiæ spectant vtilitatem.

20 *Plurima mala ex absentia Prælatorum enascuntur.*

21 *Regum munus esse videtur, beneficiarios ad residentiam compellere.*

15 HOrum igitur beneficiariorum necessariam in suis ecclesijs assiduitatem accuratè Siculi perpendentes, sæpè à Regibus efflagitarunt, vt ij omnibus iuris remedijs ad illam compellerentur: ac primùm quidem à Ferdinādo, vt *in cap. 92.* refertur, vbi & incommoda, quæ ob beneficiariorum absentiam enascuntur, Regi proponunt, & eius esse muneris, vti Patroni, eamdem procurare, animaduertunt: id quod placuisse Regiæ Maiestati, ibidem refertur; ideoque Prælatis opportunas destinari literas decreuit. Quoniam verò Regijs præceptis parere Prælatorum plures noluerunt, repetitis precibus à Carolo Rege id ipsum Siculi postularunt, vti in *cap. 13.* eiusdem Regis, ac Imperatoris recensetur: id quod & eidem placuit, & opportunas ad Regni Prælatos mitti literas, ad Summum quoque Pontificem, Oratoremque in Vrbe, præcepit. Sed cum Regijs hisce iteratis præceptis Prælati, officij immemores, ac vocationis suæ, minimè obediuerint, iterum Siculi apud eamdem Cæsaream Maiestatem institère, vt Prælati omnes, Abbates, Priores, cæterique beneficiarij, beneficia quæcunque in eo Regno obtinētes, in suis Ecclesijs assidui forent: quibus sane Siculorum precibus in hæc verba Imperator respondit in *cap. 162. Su Magestad lo manderà proueer, como conuiene al seruiçio de Dios, y bien, y reparo de los deste Reyno, y de sus yglesias.*

16 Atq; ex his, quæ modo retulimus, satis innuitur, Regium esse munus modis omnibus curare, vt beneficiarij in suis Ecclesijs, quæ Regij sunt iurispatronatus, resideant. Id quod tamen satis dubium non indocto viro visum est: volebat enim ad ecclesiasticos dumtaxat superiores, non item ad ecclesiarum patronos id muneris pertinere: proindèque minimè Regē nostrum ad id obstringendum. A me quæsitum fuit, quid hac de re iure sentirem. Id scire cupiebat Regis non infimus administer. Respondi, mihi videri, etiam patronum curare debere beneficiariorum assiduitatem, putà, quantum commodè poterit, superioribus scilicet ecclesiasticis admonen-

dis, vt ad illam absentes beneficiarios compellant. quod si hi illud non exequantur, tutus omnino erit patronus, neque ad ampliùs abstringetur. Et quidē hoc vltimum facillimè ab omnibus concedetur; si tantum iurispatronatus iura perpendamus, puta; quæ nullum prorsus in beneficiarios tribuunt iurisdictionem, proindèque nullum ius illos ad residentiam compellendi. Quod verò eam teneantur, quoad fieri commodè potest, procurare, mihi certum videtur.

17 Etenim *Cōcilium Toletanum 9. cap. 1.* relatum in *cap. filijs 16. q. 7.* Ecclesiatum patronis onus imponit, Sacerdotem, aut ministrum ex collatis rebus quidpiam defraudantem, & post honestæ commonitionis conuentionē minimè resipiscentem, Episcopo, aut iudici denunciandi. quod si, addit Concilium, talia Episcopus agere tentet, Metropolitano eius hæc insinuare procurent: si autem Metropolitanus talia gerat, Regis hæc auribus intimare non differant.

18 Item patronis onus est impositum ecclesiæ tuendæ, ac defendendæ, vt ex *cit. cap. filijs* constat: colliguntque Doctores omnes post *Paulum de Citadinis tract. de iurep. 6. p. art. 5. num. 1. Lambertin. eod. tract. q. 2. princ. art. 1.* vbi alios antiquiores recēsent. & quāuis *Rocchus de Curte eod. tract. verb. onerosum q. 1.* moneat, hanc doctrinā, etsi communem, eius tamen capitis decisioni haud firmiter inniti, cū illud verbo, *licet*, vtatur, quod potestatem tribuit, non verò imponit necessitatē, malaque illatio hæc cēseatur: potest, ergo tenetur, *l. non quicquid ff. de iudicijs:* quamuis, inquam, id moneat laudatus auctor, nihilominus censendum est, scitè ab omnibus ex eo capite elici expositam doctrinam: quandoquidem, etsi eas voculas, *licitum sit*, Cōcilium vsurpet; tamen statim ijs alijs, *denuncient, procurent, non differant*, vtitur; quibus sanè patronis non potestas solùm tribuitur, sed onus quoq; ac necessitas imponitur. quarè ea doctrina satis eo capite fulcitur, minimèque indiget sequenti, ex quo *Lambertinus* illam probare conatur. quin nihil prorsus ei hoc sequēs caput suffragatur, cum in eo idem *Toletanum Concilium* vocem *permittantur*, vsurpet, quod potestatem indicat, non necessitatem: nisi fortè cum alijs, *curam habeat*, quod præceptum innuit, legere lubeat: quod monuit *Loaysa in collect. Concil. Hisp. eod. Conc. 9. Tolet. cap. 2.* Atq; de hoc patronorū debito Ecclesias defendendi, consule laudatos Doctores.

19 Iterum tenentur ijdem patroni nedum eas tueri, verū & illis sacerdotē inuenire, consulere, ac prouidere *§. hic autem, post cap. quicumque 16. q. 7.* quibus cętera onera, quæ ad patronos spectant, concludi, docuit *Paulus de Citad. loc. cit.* ac post eum *Lambertinus qu. 2. princ. art. 13.* Prouidere enim, inquiunt, est verbum generale, quod omnia per se videtur comprehendere, puta quæ ad ecclesiæ vtilitatem spectant.

20 Atqui quonam modo ecclesiam defendet Patronus, eidemque prouidebit, nisi beneficiarij assiduitatem procuret; ex qua plurimum ecclesiæ vtilitas dependet? Etenim, vt egregiè differit *Tholosanus loc. cit. de rescrip.* absentibus Prælatis, atque ecclesiarum præpositis, illarū commodis, honoribus, & priuilegijs maximè detrahitur; & carentes defensorum auxilio, in suis iuribus, ac libertatibus multipliciter collabuntur; ruinisque patent edificia nobilia, quæ magnificentia extruxerat prædecessorum. id quod desumpsit, licet eum nō laudet, ex *Ioā. 22. extrau. execrabilis, de preb. & dignit.* quam vide. Cum ergo patronorum sit munus, ecclesijs cōsulere, ac prouidere; vt id verè exequantur, omnibus curent viribus, vt in ijs assidui sint beneficiarij, ex quorū residentia præcipua earum prouisio dependet.

Quin

21 Quin & Regum esse munus, beneficiarios ad assiduitatem per semetipsos compellere, etsi beneficiorum nō forent patroni, satis innuit *Concilium Toletanum* superius laudatum, relatumque in *d.cap.filijs* 16.*q*.7. Id quod intelligendum videtur, vel, vt ibidē innuitur, si Ecclesiastici Præsides eadem, quæ corrigere deberent, facere non erubescerent: vel cum desides ij forent, vt in *cit.cap.filijs verb. Regis*, monet *Glossa ex cap. ex transmissa, de foro cōp.* quod, quicquid alius quispiā dicat, id benè probaret (quandoquidem statuit, vt iudex iurisdictionem ob negligentiam amittat, vt *ibid. Glossa finalis* docet, alijsque iuribus ostendit.) nisi hujc doctrinæ *cap. qualiter, de iud.* aduersaretur, vbi pro defectu iustitiæ clericos trahi à laicis ad iudicium seculare, penitus Innocētius tertius interdicit. id quod & in *Concilio Carthag. 3. cap. 9. ac Toletano 3. cap. 13. cap. placuit* 11.*q*.1. alibique reperies quoque sancitum: quamuis in re, de qua agimus, non rectè clericos ad seculare iudicium à laicis trahi dicerentur, qui solùm à Regibus ipsis absque iudiciorum solemnitatibus ad residenriam compellerentur. Vel denique id Reges præstare deberent, cum ab ecclesiastico Iudice beneficiarij ad illam cogi non possent, vt eadem *Glossa* docet ex *cap. petimus* 11.*q*.1. *cap. nec licuit dist.* 17. alijsque, quæ ibidem à *Glossa* laudantur. Certè Rex noster æquè pius, ac potens beneficiarios à suis ecclesijs, in regio dominatu constitutis, absentes, qui in ijs assidui esse deberent, vijs omnibus curat, ab ecclesiasticis superioribus ad illam necessariā assiduitatē cōpellendos.

(: § :)

§. III.

De venia residentię Regijs Cappellanis indulta.

SVMMAE.

22 *Cappellani Regij num à residentia excusentur.*
Horum priuilegium refertur.
23 *De quibus beneficijs illud priuilegium loquatur.*
24 *Pronomen*, Suus, *præsens tempus indicat.*
Quod non exprimitur, videtur omissū.
25 *Priuilegium ità interpretandum, vt minus corrigat ius commune.*
26 *Episcopus decimas condonans, etiam futuras condonare intelligitur.*
27 *Bonis publicatis, solum præsentia publicata intelliguntur.*
Rescriptum Principis ad lites futuras nō protrahitur.
Literæ de vacaturo, ad post eas erectū beneficium non extenduntur.
Priuilegia ciuitati, eiusque villis indulta, ad postea quæsitas non spectant.
28 *Priuilegium, concedenti solum præiudicans, ad futura extenditur.*
29 *Principis, beneficium latè interpretandum.*
30 *Dilutio obiectionis.*
31 *Priuilegium cessat, caussa priuilegij cessante, præsertim successiua.*
32 *Quænam fuit caussa priuilegij Cappellanis regijs indulti.*
Finalis caussa in proęmio ponitur, à quo dispositio regulatur.
Ea sublata, priuilegium etiam aufertur.
33 *Absens studij caussa à residentia excusatur: durante tamen studio.*
Scholarium priuilegia finito studio, finiuntur.
34 *Artis priuilegia ijs non fauent, qui artē non exercēt, etsi in artificum matricula sint descripti.*
35 *Idem est non facere, ac vitiosè facere.*
Quod fit contrà legem, pro infecto existimatur.
36 *Priuilegio vti non possumus contrà con-*

cedentis voluntatem.

37 *Dispositio à disponentis mente interpretatur.*

38 *Priuilegium Cappellanis indultum non est in vsu.*

22 VOlunt præterea quidam Aulici Sacerdotes, quos Cappellanos Regios appellamus, habere se veniam assiduitatis, eiusque legibus se solutos autumant Pōtificis indulgentia; etsi enim priuilegia, quę hanc veniam indulgent, sint prorsus abrogata à *Trid. sess. 6. ca. 2.* ac Pij IV. constitutione, quę passim circumfertur; ac proinde sit etiam antiquatum priuilegiū à Paulo Tertio Regijs Cappellanis ea de re concessum, vt rectè monuit *Garcia 3 p de benef. cap. 2. nu. 162.* id tamen denuò ijsdem Paulus V. indulsit, Philippi Tertij nostri Regis efflagitatu: in quo quidem Pontificis diplomate hæc inter cætera legūtur. *Quódque persona loco Archiepiscopi Compostellani, Cappellani maioris, vt infrà deputanda, necnon triginta ex Cappellanis prædictis, non tamen præbendas theologales, & pœnitentiales obtinentes, fructus, reditus, & prouentus quorumcumque beneficiorum suorum ecclesiasticorum, etiamsi canonicatus, præbendæ, dignitates, personatus, administrationes, vel officia fuerint, cum ea integritate (distributionibus quotidianis exceptis) percipere possint, cum qua illos perciperēt, si in eisdem ecclesijs personaliter residerent, nec ad residendum interim in eisdem teneantur, auctoritate, ac tenore similibus etiam concedimus.* Quod sanè Pontificium diploma in calce sui *Sacelli Regij*, vir de bonis artibus optimè meritus, *Vincentius Turturetus* excripsit.

23 Sed hæc Pontificis indulgentia non est ità amplè intelligenda, vt quorumcumque beneficiorum, assiduos beneficiarios exigentium, obtentorum scilicet, atque obtinendorum, assiduitatis veniam concedat: solùm enim loqui Pontificē de beneficijs ante Cappellæ Regiæ ingressum obtentis, non verò postea obtinendis, inde colligi potest, quòd huiusmodi priuilegium ex ijs censetur, quæ odiosa appellare consueuimus: iuri enim communi, in beneficiarijs omnibus residentiam exigenti, derogat: quam ob caussam iuris odia eius generis priuilegia nuncupantur. hinc autem fit, vt, quoad fieri potest, restringendum sit, ac minimè ampliandum *vulg. Reg. odia, de reg. iur. in 6. cum concord.* non erit igitur hoc priuilegium ità extēdendum, vt in beneficijs quoque obtinēdis locum obtineat; sed dumtaxat in obtentis: quandoquidem & ipse loquēdi modus, quo Pontifex vtitur, præsēs tempus indicat; vt scilicet quoad ea solùm beneficia Regij Cappellani illo priuilegio vtātur, quæ ijdem obtinēt, possidentque, cum in Cappellanorū munerum asciscuntur.

24 Id quod sanè probaret quispiam quia pronomen illum, *suorum*, quo Pontifex vsus est, cum sit demonstratiuum, in præsenti solùm tempore verificatur, vt ait *Abbas in cap. cum cappella n. 5. de priuileg. & Bart. in l. si ità ff. de aur. & arg. leg.* Vbi Paulus iurisconsultus: *si ita*, inquit, *legatum esset vestem meam, argentum meum dānas esto dare, id legatum videtur, quod testamenti tempore fuisset; quia præsens tempus semper intelligitur, si aliud comprahensum non sit: nam, cum dicit vestē meam, argentū meum, hac demonstratione*, meum *præsens, non futurum tempus ostendit.* Præterea, si Pontifex voluisset, vt Regis Cappellani eo priuilegio pro beneficijs quoque post cappellæ ingressum obtinendis fruerentur, id vtique expressisset, *arg. vulg. l. si stipulatus fuerim, & l. cum stipulamur ff. de verb. oblig.* quin cum id Pontifex non expresserit, idipsum noluisse censendum erit *arg. vulg. l. cum lex ff. de legib.*

25 Quibus demum addere licet, quòd quando priuilegium, aut constitutio aliqua vnum, duosuè effectus contrà

ius

ius cōmune operari poteſt, interpretari ità debet, vt vnū dumtaxat operetur, vt, quoad fieri poteſt, min' corrigat ius commune, *cap. cum dilectus, ibique Butr. alijque, de conſuetud. l. vti gradatim §. etſi lege ff. de mun. & honor. Gozad. conſ. 29. n. 5. Rota diuerſ. p. p. deciſ. 475. n. 6. & p. 2. deciſ. 161. num. 13.* Cum ergo eiuſmodi priuilegium locū dumtaxat habere queat in obtentis ante cappellaniam beneficijs, nullatenus ad poſtea obtinenda protrahi debet, vt minus ius commune corrigatur.

26 Sed inquies, Epiſcopum cuipiam eccleſiæ decimas epiſcopales remittentem indiſtinctè, nedum præteritas, præſenteſque, verum futuras quoq; condonaſſe, cenſendum eſt, *cap. quia circa, de priuileg.* Pontifex ergo aſſiduitatis veniam Cappellanis Regijs indulgens, non ſolùm pro obtentis, verum etiam pro obtinendis indulſiſſe, cenſendus erit.

27 Reſpondeo, *Abbatem in cap. cit. ex Gloſſa,* docere, indefinitam diſpoſitionem, quæ concernit rem, vt ipſius verbis vtar, aut eſt multum præiudicabilis, ad futura non extendi, vt in *l. ſi ità cit. ff. de aur & arg. leg. & in l. ſi mandauero §. is cuius ff. mandati,* vbi bonis cuiuſpiam publicatis, bona dumtaxat præſentia, non item futura publicata exiſtimantur: rurſus in *cap. fin. de reſcript.* vbi Principis reſcriptum ad lites futuras non protrahitur: præterea *in cap. literas, de reſcrip. in Clemen.* vbi literæ de conferendo beneficio vacaturo, ad beneficium poſt earumdem datam creatum, ſeu erectum, minimè extenduntur. Demum Ciuitati, eiuſque villis indulta priuilegia, ad villas poſtea quæſitas nequaquam ſpectare poſſunt, *Dyn. in l. vxori §. vxori ff. de leg. 3. Bald. tit. de pace Conſtan. §. nos Romanorum, Bart. in ſimili re in l. damni §. ſi is, qui ff. de damno infecto.* quando autem, inquit *Abbas,* diſpoſitio indefinita non eſt multum præiudicabilis, tunc ad futura protrahitur, vt in *l. fin. C. quæ res pign. ob. poſſ.* vbi, ſi quiſpiam ſua obliget bona, nedum præſentia, verum & futura obligare exiſtimatur; quia ſcilicet de modico præiudicio tractatur.

28 At vero quis non videt, maximum eſſe eccleſiarum præiudicium, iiſque maxima, ac plurima inferri damna per priuilegium, de quo loquimur, veniam aſſiduitatis indulgens? quorum ſanè aliqua nuper retulimus, alijque Doctores paſſim recenſent. Addiderim, quod attinet ad *cap. quia circa cit.* illud rectè ad futuras decimas extendi: vt enim ibidem inquit *Abbas,* cum indefinita diſpoſitio in priuilegio poſita concedenti ſolùm præiudicat, etſi graue ſit præiudicium; tamen ad futura protrahitur: id quod in laudato capite euenit: atqui priuilegium beneficiarios ſoluens lege aſſiduitatis, ipſiſmet eccleſijs plurimum nocet, ſiue præiudicat, ac nihil ferè Pontifici, qui illud indulget.

29 Sed iterum inquies, priuilegium, de quo loquimur, Principis eſt beneficium, proindeque amplè interpretādum *cap. odia de reg. iur. in 6. l. 3. ff. de conſtit. Princip. cum concord.* debet igitur illud ad futura quoque pertinere.

30 Reſpondeo, rectè monere *Leſſium lib. 2. de iuſtit. & iure cap. 42. dub. 12. n. 60.* facultatem in quorumdam particularium commodum, fauoremque conceſſam, vti iſtæc eſt, de qua loquimur, priuilegium cenſeri, iuriſque odium, atque ideo ſtrictè interpretādam: ſecus vero cum publico bono, in eiuſque fauorem indulgetur: tunc etenim fauor, ac Principis beneficiū cenſetur, ideoque ampliſſimè interpretatur, quantum verba patiuntur, vt *Abbas* edocuit *in cap. fin. de ſimonia, ibique Gloſſa,* atque alij paſſim. At vero facultas, de qua eſt nobis ſermo, nō in publicum, ſed priuatum prorſus fauorem indulta eſt.

31 Sed eſto Pontificis verba in laudato diplomate ad beneficia quoque, poſt Cappellæ ingreſſum à Cappellanis

lanis obtinenda, protrahantur; nihilominus ijs, quibus per modum, vt aiunt, prouisionis beneficia, residentiam exigentia, à Domino Rege nostro conferuntur, minimè illud suffragari, plusquam certissimum esse debet: etenim firmum est iuris vtriusque axioma, quòd, caussa præsertim successiua priuilegij cessante, & ipsum quoque priuilegium cessare, *cap. generaliter 16. q. 1. alijsque à Glossa ibidem verb. non diuagantes, relatis, l. Titia §. vsuras*, ibique Bart *ff. de leg. 2. l. ex facto ff. de vulg. & pupill. Abb. in cap. suggestum, de decim.* alijque.

32 Atqui certū esse debet, eiusce priuilegij caussam esse sacrum obsequiū à Cappellanis Regi Catholico impendendum: quo sanè cessante, & ipsum priuilegium cessare, censendum erit. Cessat autem Regis obsequium, quo tempore is Cappellanum ad aliquod beneficium per modum prouisionis, vt dicitur, præsentat: tunc enim Catholica Maiestas expressim iubere consueuit, vt Cappellanus, ità prouisus, statim è Curia discedat, suoque beneficio, vt par est, per semetipsum inseruiat: quin & eidem spem aliud beneficium obtinendi auferre solet, nisi ad Ecclesiam sibi collatam accedat. Id quod & sanctissimam Regis mentem ostendit, volentis, beneficiarios in suis ecclesijs residere; proindeque nolle sibi ab eo ampliùs illud obsequium impendi: quod sanè non ineptè quoque dici autumo illius priuilegij caussam, quam inductiuam, ac conseruatiuam appellamus; quin & finalem, quippe in proemio positam à quo dispositio regulatur *l. fin. ff. de hæred. instit.* vt rectè colligitur ex dictis *Castr. cons. 2. n. 6. lib. 1. Bald.* aliorūque apud *Rot. diuers. p. 2. decis. 298. n. 1. & 2.* nullus autem negabit, sublata priuilegij caussa inductiua, conseruatiua, finalique, ipsum etiam priuilegium auferri, vt docuit *Bald. in rep. l. 1. ff. de iureiur. Soci. cons. 241. nu. 7. in 2. Felin. in cap. quę in ecclesiarum, n. 19. de constit. Tiraqu. in tract. cess. caus. limit. 35.*

33 Hinc est, quòd priuilegium ratione alterius competens, si hoc tollatur, & illud tolli necesse sit, *Bart. in l. Gallus §. & quid si tantum ff. de lib. & posth. Socin. cons. 150. n. 17. in 1.* atque ità absens studij caussa à residentia excusatur, siue doceat, siue discat, *cap. eum ex eo, de elect. in 6. cap. tuæ, cap. relatum, de cler. non resid.* alijsque pluribus: quibus adde nouissimè *Concil. Trid. sess. 5. cap. 1. in fine, de reform.* studio tamen finito, statim illud priuilegium euanescit, *Clement. 1. §. cæterum, de statu monach. d. cap. cum ex eo*, innuitque Tridentinum. & vniuersè scholarium priuilegia, finito studio, finiuntur, *Bald. in l. omnia C. de Epis. & Cler.* eodemque pacto, cum Princeps quidpiam concedit alicuius qualitatis intuitu, eatenùs cōcedit, quatenus illa qualitas perseuerat, *Cuman. alijque in l. ex facto ff. de vulg. & pupill.*

34 Fuisse verò huiusce priuilegij caussam Regis obsequium, præter ea, quę retulimus, ostenditur, quia Papa nullam habebat notitiam personarum, puta Cappellanorum, quibus concedebatur, cum præsentibus, futurisque illud indulgeat, *arg. l. qui filiabus, ibiq; Doctores ff. de leg. 1. vt per Soci. in cons. 73. n. 20 lib. 4.* proindeque non personarum, sed officij, Regisque obsequij intuitu concessum est: quo sanè sublato, & priuilegium auferri oportet, vt non absimili modo in re simili arguit *Rota diuers. p. p. decis. 70. cit.* Atqj hinc est, quod officij, artisúe priuilegia ad eos minimè extenduntur, siue protrahuntur, qui autem, vel officium non exercent, etsi in artificū collegio, vel matricula sint descripti, *Bart. in l. semper §. fin. in 2. no ff. de iure immun.*

35 Et quāuis is Cappellanus ità prouisus actu exerceret Cappellani ministerium; quia tamen id præstaret contrà Regis voluntatem; censendum erit, illud iure non exercere: atqui idē

est

est non exercere, ac iure non exercere: seu idem est non facere, ac non iure, seu vitiosè facere *l. quoties ibique Gloss ff. qui satisdar. cog.* quamobrem quod fit cõtrà legem, pro infecto existimatur, *l. non dubium, atque ibi Bart. Bald. alijque C. de legib. l. iubemus, ibiq; Bart. C. de sacros. eccl.* Cum præsertim id obsequij, ac ministerij à Cappellano impendatur contrà Regis voluntatem, vt dixi: at verò à iurisconsultis Rex in Regno suo lex animata nuncupatur, *Bald. in auth. hoc amplius 2. col. ver. quæro an filij Regis C. de fideicõm. Felin. in cap. cum non licet, de præscript.*

36 Denique priuilegiarius priuilegio contrà concedẽtis voluntatem vti minimè potest, *Bald. in l. si cui C. de non num. pecun. ex l. amicissimos §. Lucius ff. de excus. tut.* Atqui certum esse debet, Pontificis mentem, ac voluntatem nequaquam fuisse, vt Regis Cappellani eo vterentur priuilegio contrà ipsiusmet Regis voluntatem, in cuius commodum, ac fauorẽ illud indulsit, quarè cum eiuscemodi Cappellanus, inuito Rege, in Curia commoretur, desinatque in suo beneficio assiduus esse; absq; dubio ea venia contrà Pótificis mentem vteretur.

37 Id quod vlteriùs firmatur, quia, quælibet hominis, legisuè dispositio à verosimili disponentis mente interpretationem recipit, adeo vt id sancire ea intelligatur, quod disponens interrogatus respondisset, vel, si cogitasset, ita verisimiliter sanciuisset, *l. tale pactum §. fin. ibique Gloss. cæterique ff. de pactis.* quis verò ambigat, Summum Pontificem interrogatum, num vellet, Cappellanos eo vti priuilegio contrà Regis voluntatem, id minimè velle, responsurum? Videant igitur hi Regij Sacellani, nè damnationis pœnam incurrant, Pontificis indulgentiæ nimium confidentes.

38 Postea verò quàm hæc omnia scripseram, testes fide digni, omnique exceptione maiores retulère, Capitula omnia Ecclesiarum huic Pótificio priuilegio reclamàsse sẽper, & ad ipsum quoque Pontificem prouocasse; neq; illud vnquam fuisse executioni mandatum, neque vllibi obseruari.

Hæc quidem omnia, togatu cuiusdam Præsulis amicissimi, quatuordecim ab hinc annis exarauimus: quibus sanè nixus ipse institit apud Supremum Italiæ Senatum, vt Cappellanus quidam ad residentiam cogeretur. Atque ità Sacrum Consilium illum, obtinentem primariam Agrigentinæ Ecclesiæ dignitatem, istoque Pontificio priuilegio se munitum nequicquam clamantem, vel eã dimittere, vel residere voluit: cumque secundũ præstare Cappellanus renuisset, primum præstitit, vel inuitus, atq; alteri ea dignitas collata fuit. Idemq; Cappellanus, cum postea primariam quoque Panormitanæ huiusce Metropoleos dignitatem obtinuisset, cũ ad residentiam venire noluisset; nihil prorsus illi ad percipiendos præbendæ fructus præfatum priuilegium suffragatum est.

CONSILIVM XVII.

Clericos iniuria ciuilem capere, ac gerere Magistratum.

Ad

Cap. 258. Regis Alphonsi.

§. I.

Ostẽditur assertio ex sacris literis, ac Pontificio iure.

SVMMAE.

1 *ID clericis omni iure est interdictũ.*
Canones Apostolorum hac de re.
2 *Diuino iure id clericis prohibetur.*
3 *Seruus non potest duobus dominis seruire, scilicet sibi contrarijs.*
4 *Clericorum munus quodnam sit.*
Eidem ciuile munus aduersatur.
5 *Clericorum vita à laicorum conuersatione discreta esse debet.*

Cur

6 *Cur clerici vocētur viri Dei cultui mācipati.*
Dominus pars clericorum est: qui ideo nihil extra eum habere debent.
7 *Clericis cur vitanda conuiuia secularīū.*
Christus dominus cibo vescebatur alieno ob paupertatem.
8 *Agricolæ ad extraordinaria munera, seu publica officia trahi non possunt: item nec clerici.*
9 *Clerici agricolis, & colonis rectè comparantur.*
Clericum eligens tutorem, grauissimè olim puniebatur.
10 *Nullus clericus in duabus ecclesijs conscribi debet.*
Vix vnus vnum officiū implere sufficit.
11 *Nemini duo committenda, & quam incongruum sit id fieri.*
12 *Fœlix ille censendus, qui suam ecclesiam rectè gubernat.*
13 *Nemini concedendum duobus magistratibus assidere.*
14 *Nemo duplici officio fungi debet.*
15 *Varia Conciliorum hac de re decreta.*
16 *Clerici, seculares dignitates obtinentes, hyppocentauris similes censendi.*
17 *Ecclesiæ ministri irreprehensibiles viuere debent, & mundanas curas abijcere.*
18 *Quid olim in Leuitis obseruatū, vt ij à diuino cultu non auocarentur.*
19 *Olim grauiter in clericos animaduersū, qui secularibus curis se immiscebant.*
Eximia Foroiuliensis Concilij hac in re ad clericos exhortatio.

1 ALphonsus Siciliæ Rex in *cap.* 258. inter cætera hoc decernit: *illo*, inquit, *tenaciter obseruando, in aliquo locorum nostri demanij clerici cuiuscumque ordinis Iudices, & notarij nullatenus statuantur*. De qua sanè regia constitutione quæsitum est, num æqua, validaque censenda sit. Equidem respondi, æquissimam videri. Certè, si vniuersè, ac generatim loquamur, clericos iniutia ciuilem, seu politicum capere magistratum, seu officia quælibet ciuilia, quæ secularia passim appellamus, certissimum omnino esse debet: etenim omni prorsus iure id illis reperitur interdictum. Atque ea quidem de re, quemdam Apostolorum canonem legi, qui *tom. 1. Conciliorum* continetur, estque *cap.* 82. atque ità se habet: *Episcopus, vel præsbiter, vel diaconus exercitui vacans, & vtraque obtinere volēs, Romanum scilicet magistratum, & Sacerdotalem administrationem, deponatur: quæ sūt enim Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo*. Et *Gratianus dist.* 88. *cap.* 3. alium refert, qui hæc habet: *Episcopus, aut præsbiter, aut diaconus nequaquam seculares curas assumat: sin aliter, deijciatur*. De quorum quidem canonum auctoritate consule eumd. *Gratianū dist.* 16. & *Franciscum Turrianum*, qui pro eorum defensione luculentum librum edidit.

2 Præterea hac de eadem re sunt in iure Pontificio aurea Pontificum, Cōciliorum, ac Patrum decreta, præcipuè quæ *tit. ne clerici, vel monachi secularibus negotijs se immisceāt*, concluduntur: vbi consulenda in primis sūt, quæ ex *Concilio Maguntino cap.* 1. referūtur, quæque *Alex. III.* in Concilio Lateranensi relatus in *cap. sed nec procurationes*, sanciuit: vtrobique enim satis innuitur, diuino quoque iure id clericis esse interdictum: quādoquidem Concilium, ac Pontifex, vt probent, non debere clericos, ac monachos secularibus negotijs sese immiscere, illud *Apostoli 2. ad Timoth.* 2. proferunt, puta: *nemo militans Deo implicet se secularibus negotijs*: innuentes, id diuino iure sanciti: qua, Pauli doctrina vsus est ad idem institutum *Cyprianus* in quadam Epistola, vt refertur in *cap. Cyprianus* 21. *qu.* 3. & *Cōcil. Carthag.* 3. relatum in *cap. placuit*, atq; illud secutus *Nicasius Papa cap. credo* 21. *q.* 3. *cit.*

3 Sanè ex diuinis literis, Pontificio iure adiutis, optimum in huius veritatis confirmationem, argumentum desumi posse arbitror hunc fermè in mo-

modum. Christus Dominus *Luca 16.* docet, seruum non posse duobus dominis seruire; aut enim vnum odio habebit, & alterum diliget, aut vnum sustinebit, & alterum contemnet. qua sanè Christi domini doctrina, septima Synodus vsa est, vt ostenderet, neminem in duabus ecclesijs conscribi debere, vti refertur in *cap.* 1. 21. *q.* 1. vbi *Glossa verbo dominis*, sibi, ait, cõtrarijs, alias benè potest, *l. duorum, ff. de oper. lib.*

4 Quam verò ecclesiastico muneri ciuile, seu seculare aduersetur, facilè intelligetur, si vtrumque rectè perpẽdatur: est enim clericorum munus nonnisi altari, & sacrificijs deseruire, precibus, orationibusque vacare; atq; in nullo a diuina administratione auocari debent, neque ab altari, ac sacrificijs recedere; quin die, nocteq; cęlestibus rebus, ac spiritualibus deseruire, vti monuit *Cyprianus loco nuper laudato, & cap. hi qui.* cui certè muneri exercendo maximè impedimento est, nedum reipublicæ administratio, quæ totum hominem requirit, abstrahitque à cęteris curis; verum & viduarum curatio, quæ sanctissima est, vt Apostoli innuũt *Act. 6.* ideo enim alijs probis viris eam demandauère, quò scilicet ipsi orationi, ac ministerio verbi instantes forent: quãto igitur magis à viris in ecclesiastico ministerio constitutis secularium rerum curam eliminandam existimarunt.

5 Cum præsertim clericorum vitam à laicorum conuersatione conueniat esse discretam, vt *Telesphorus Papa in quadam epistola decretali*, sanciuit, quæ 1. *tom. Concil.* continetur. vnde, & *Concilium Maldense* relatum in *cap. quicumque* 23 *q.* 8. ait, clericum non posse Deo, & seculo militare: quamobrẽ, vt septima Synodus modo laudata docet, vnusquisque secundum Apostoli vocẽ 1. *ad Corinth.* 7. in quo vocatus est, in eo permaneat. Certè *Cyprianus* sæpè laudatus, nè ab administratione diuina clerici auocarẽtur, eosdem molestijs, ac negocijs secularibus alligari prohibuit: quam etiam ob caussam & ab alijs id vetitum reperitur. negligere eum clericale officium censuit *Lateranense Concilium sub Alex. III.* celebratũ, qui fluctibus seculi, vt potestatibus placeat, se immergit: id quod refertur in *cap. sed nec procurationes cit. nec clerici, vel monachi*, vbi clericum ab ecclesiastico ministerio alienum fieri sancitur, qui seculares iurisdictiones sub aliquibus Principibus, & secularibus viris, vt iustitiarius eorum fiat, exercere præsumit. & *Concilium Chalcedonense*, clericos, ac monachos ad militiam, honoresque seculares venire, vetuit sub anathematis pęna, vt refertur in *cap. eos, qui* 20 *q.* 3.

6 Item *S. Hieronymus in Epistola ad Nepotianum de vita clericorum, & sacerdotum*, relatus *in cap. clericus* 12. *qu.* 1. propterea homines Dei cultui mancipatos clericos vocari docet, vel quia de sorte, inquit, sunt Domini; vel quia Dominus sors, idest pars clericorum est: indeque infert, eum, qui vel ipse pars Domini est, vel Dominũ partem habet, talem se exhibere debere, vt & ipse possideat Dominum, & à Domino possideatur. At is qui Dominum possidet, & cum Propheta dicit *psal.* 15. *pars mea Dominus*, nihil extra Dominum habere potest: quod si quidpiam aliud præter Dominum habuerit, eius pars Dominus non erit: verbi gratia, inquit *Hieronymus*, si aurum, si argentum, si possessiones, si variam suppellectilem; cum istis partibus Dominus fieri pars eius minimè dignatur.

7 Quid quæso idem *Hieronymus* asfereret, si clericos hodiè, ac Summos quoque Antistites, politicos, supremosque gerentes magistratus cerneret, & nõnunquam contrà ecclesiasticam, ac propriam iurisdictionem, quã tueri tenebantur, vti Regũ ministros, atque officiarios, sententiam ferre

ac sępè etiam satellitibus, alijsque animaduersionum administris stipatos incedere, versarique inter conciuium cruciatus, quos ex alienis miserijs molestiam capere oportebat? certè Sanctus Doctor in eadem *epistola ad Nepotianum*, ideo clericis vitanda monuit conuiuia secularium, maximèque eorũ, qui honoribus tumẽt; quod turpe censuit ante fores Sacerdotis Christi Crucifixi, & pauperis, & qui cibo quoq; vescebatur alieno, lictores consulum, & milites excubare. quid, si ipsos Ecclesiarum Præsides lictoribus, ac militibus septos, vallatosque animaduerteret, dicturum eumdem censeamus?

8 Clericorum genus ipsemet S. *Hieronymus* edocuit, diuino esse officio mancipatum, & contemplationi, atque orationi deditum, ideoque ab omni temporalium strepitu eos cessare præcepit, vt refertur in *cap. duo sunt genera* 12 *qu.* 1. Atque ità sationibus virtutum, earumdemque colligendis frugibus ij insistere debent, vt nullo prorsus modo ad extraordinaria munera, seu officia publica trahi queant; exemplo agricolarum, (quod tamen expressim clericis concessum est *l. omnes* §. *priuilegijs C. de Epis. & cler.*) de quibus id sanciuit Imp. Constan. in *l.* 1. *C. de agric. & censi. lib.* 11. & colonorum exemplo, ità glebæ, puta Ecclesiæ, eos inhærere oportet, vt nec puncto quidẽ temporis debeant amoueri *l. colonos, eod. tit.*

9 Agricolis verò, colonisque comparari non ineptè clericos, plures censent; quod Dei agro, seu vineæ excolendæ, puta ecclesiæ, præponuntur *Matth.* 20. vbi consule *D. Gregor. hom.* 19. atque hac de re vide omnino *S. Aug. in serm. de quarta feria, siue de agri Dominici cultura*. quod ita seuerè custodiendum præcepère prisci Antistites, & ipsiusmet Cypriani antecessores, (vti idem refert in *epist.* 9. *vel* 11. *ad clerum & plebem Furnitanorum*, quæ *tom.* 1. *Concil.* concluditur, ex eaque plura refertur 21. *q.* 3. *cap. Cyprianus, & sequentib. cap. neque, dist.* 89.) vt expressim sanciuerint, neminem decedentem ad tutelam, vel curam clericum nominare debere; atque, si id quisquam fecisset, pro eo minimè offerretur, nec sacrificium pro dormitione eius celebraretur; *neque enim*, inquit, *apud altare Dei meretur nominari in sacerdotum prece, qui ab altari sacerdotes, & ministros voluit auocare*. Atque ità ibid. *Cyprianus* seruari hoc decretum iussit contrà Victorem quẽdam, qui Geminium Faustinum præsbiterum tutorem constituere ausus fuit, vt, inquit, cæteris fratribus detur exemplum, nè quis sacerdotes, & ministros Dei, altari eius, ecclesię vacantes, ad seculares molestias denocet. Nonnè & idem statuisset Cyprianus, si quempiam videret clericos ad politicos magistratus aduocãtem, à Deique cultu auocantem?

10 Insuper ecclesiasticum ordinem peruerti, quando vnus plurimorum officia occupat clericorum, docuit *Tridentinum sess.* 24. *cap.* 17. *de reform.* proindeque sanctè Sacris Canonibus cautum esse, neminem oportere in duabus ecclesijs conscribi. cuius sanę rei rationem reddidit *Lateranense Cõcilium* relatum in *cap. quia nonnulli, de cler. non resid. cap. quia in tantum, de præb. & dignit.* & post illud *Ioan.* 22. *in extrauag. execrabilis, de præb. & Greg.* relatus in *cap. præsbiteros* 16. *qu.* 1. alijque Pontifices; quia scilicet, cũ quispiam vix vnum officium implere sufficiat, stipendia sibi vendicat plurimorum: satisque incongruum est, si, cum vnum ex his præ sui magnitudine diligenter quis non possit explere, ad vtrumque iudicetur idoneus, vt ait Gregorius modo laudatus: qui ob hanc eamdem rationem ibidem præcepit, vt ij, qui ecclesijs quoquo modo militant, Abbates monasteriorum minimè constituantur.

11 Idemque Gregorius eleganter sanè hac de re disserit in quadam episto-

sola, quam omnibus Episcopis scripsit, ac refertur in *cap. singula, dist. 89.* vbi singula ecclesiastici iuris officia singulis quibusque personis singulatim committi præcepit (quod etiam Bonifacius Octauus decreuit in *cap. cũ singula, de preb. in 6.* alijque) idq; humani corporis exemplo fieri debere ostendit: sicut enim in vno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eumdem actum habent, vt ait Apostolus ad *Rom. 12.* ita & in ecclesiæ corpore, secundùm veridicam hanc Pauli sententiam, in vno, eodemque spiritu alij hoc officium conferendum est, alij illud aliud committendum, neque vni *quantumlibet exercitatæ personæ*, inquit Gregorius, vno tempore duarum rerum officia committenda sunt: quia, si totum corpus est oculus, vbi auditus? sicut enim varietas membrorum per diuersa officia, & robur corporis seruat, & pulchritudinem repræsentat; ità varietas personarum, per diuersa nihilominus officia distributa, & fortitudinẽ, & venustatẽ sanctæ Dei ecclesiæ manifestat. & sicut indecorum est, vt in corpore humano alterum membrum alterius fungatur officio; ità nimirum noxium, simulque turpissimum, singula rerum ministeria personis totidẽ non fuerint distributa. quomodo ergo fiet, vt id m Episcopus, clericus, aliusque Dei obsequio mancipatus, quocumque tandem nomine nuncupetur, & ecclesiæ assiduè inseruiat, cui est addictus, & politicum gerat magistratum, sæpè ecclesiastico obsequio aduersantem? si plura etiam ecclesiastica officia idẽ suscipere prohibetur; quantò magis duo sibi aduersantia vetitum erit, ob maiorem, quam hic perspicimus rationem?

12 Iterum Sacrum *Trid. Conc. sess. 7. cap. 2. de reform.* statuit, neminem, quacumque dignitate, gradu, aut præeminentia præfulgentem, plures ecclesias retinere debere, cum, inquit, valdè felix sit ille censendus, cui vnã ecclesiam benè, ac fructuosè, & cum animarum sibi commissarum salute, regere contigerit: & nihilominus plures volunt, nedum suam ecclesiã, sed etiam rempublicam se posse commodè, ac fructuosè gubernare; cum tamen dum vni inuigilant, alteram deserant, necesse sit; & dum ad vtrũque festinant, neutrum benè peragere queunt, vt ait Iustinianus Imperator *in l. fin. C. de assess.* nam

Qui binos lepores vna sectabitur hora,
Vno quandoque, & quandoque carebit vtroque.

vt monuit ibidẽ *Glos. verb. ad vtrumq;*

13 Quamobrem eadem lege sancitum est generatim, nemini concedendum duobus magistratibus assidere, & vtriusque iudicij curam peragere: neque enim, inquit Imperator, credendum est, duabus necessarijs rebus vnum sufficere: nam cum vni iudicio adfuerit, alteri abstrahi necesse est, sicque nulli eorum idoneum in totum inueniri. quę sanè fuit ratio, qua motus idẽ Augustus decreuit in *l. his quidem C. qui milit. poss. lib. 12.* nemini dandam facultatem eodem tempore plusquã vnius ordinis, seu militiæ, vt *Glossa* interpretatur, nomen affectandi: interdicendis in commune cũctis binis, pluribusuè militijs, nec dignitates cõiungere cuilibet alij cingulo concedi. ac sæpè in iure Cęsareo ob eamdem rationem sancitum reperies, neminẽ duplici officio fungi oportere, vt *l. hac parte C. de prox. sacr. scrin. lib. 12.* alijsq; quæ *Glossa verb. duplici*, recẽset; & alia in *l. fin. cit. C. de assess.*

14 Hinc est (quod maximè spectat ad nostrum institutum) quòd *S. Ambrosius de fuga seculi cap. 2.* relatus in *cap. cui portio 12. q. 1.* docuit, eum, cui portio Deus est, nihil debere curare, nisi Deum, nè alterius impediatur necessitatis, seu sollicitudinis munere: quod enim ad alia officia, puta secularia, vt *Glossa* exponit, confertur, hoc religionis cultui, atque huic nostro officio

decerpitur; ideft fubtrahitur, fubdit eadem *Gloſſa vt 99. diſt. cap. ecce*. Atq; hinc quoq; Iethro Moyfi genero fuo *Exod*. 18. confilium dedit, vt ciuiles difceptationes decidẽdas alijs demãdaret; ipfe verò rebus ad Deum, populumque perficiendũ pertinentibus operam daret.

15 Atque hæc omnia perpendens Innocentius Papa Tertius in generali Concilio Lateranenfi ftatuit, clericos nulla officia, vel commercia fecularia exercere debere, vt refertur in *cap. clerici, de vita, & honeſt. cler.* quod & iuribus fuperius relatis, alibique fępè iure canonum fancitum eft: ac nouiffimè à Patribus *Concilij Tridentini ſeſſ.* 22. *cap.* 1. *de reform.* & ex *Iſidoro* idem ftatuit *Concilium Moguntiacum*, fub Carolo Magno celebratũ, ac *tom.* 3 *Cõcil.* conclufum: & *Synodus Mogũtina* fub Rabano Archiepifcopo, quæ *eod.* 3. *tom.* continetur: & Generalis *Octaua Synodus*, quæ *tomo* 4. *Cõcil.* cõcluditur *cap.* 13. vniuersè ftatuit, clericos, principum domorum curam habentes, vel fuburbanarum rerũ, inter clerum nullo pacto effe conftituẽdos: laudatque Apoftoli præceptũ fæpiùs recenfitum.

16 Item *Triburienſe Cõcilium* fub Arnulfo Imperatore habitum *cap.* 27. fequutum *Synodum Chalcedonenſem cap.* 7. quam ipfi retulimus, clericos, femel clero deputatos, neque ad militiam, neque ad aliam mũdanam venire dignitatem conftituit fub anathematis pęna, refertque *Sanctum Iſidorum* cẽfuiffe, huiufcemodi clericos hippocentauris effe fimillimos, qui neque homines funt, neque equi; fed veluti bruta animalia exiftimãtur, qui etiã S. Doctor *de eccleſ. off. lib.* 2. *cap.* 2. relatus in *c. his igitur diſt.* 23. clericis præcepit, vt fecularia officia, ac negotia penitus abijcerent.

17 Quibus addendum eft, Ecclefiæ miniftros irreprehenfibiliter viuere debere, fummoque ftudio niti, vt omnes huiufce vitæ occupationes abijciant: quæ funt verba deprompta ex quadam *D. Petri* epiftola, Sancto Clementi miffa, ac referuntur in *cap. te quidem* 11. *qu.* 1. neque enim, fubdit, iudicem, aut cognitorem fecularium negotiorum hodie te ordinare vult Chriftus, nè præfocatus præfentibus hominum curis, non poffis verbo Dei vacare: ifta namque opera, quæ tibi minus cõgruere fuperiùs expofuimus, exhibeant fibi inuicem vacãtes laici; & te nemo occupet ab his ftudijs, per quæ falus omnibus datur. & infra. Tibi, inquit, impietatis crimen eft, neglectis verbis Dei ftudijs, follicitudines fufcipere feculares, vt refertur in *cap ſicut enim* 11. *q.* 1. *cit.*

18 Atque huius ordinis, & religionis formam Leuitas in antiqua lege tenuiffe, *Cyprianus* docet in epiftola fępiùs laudata, vt cum terram diuiderẽt, ac poffeffiones vndecim tribubus partirentur, Leuitica Tribus, quæ templo, altari, diuinifque minifterijs vacabat, nihil de ea diuifionis portione perciperet; fed alijs terram colẽtibus, illa tantum Deum coleret, & ad victum, fuumque alimẽtum ab vndecim tribubus de fructibus, qui nafcebantur, decimas reciperet. quod totum Cyprianus ex diuina auctoritate, & difpofitione factum monet, vt qui operationibus diuinis infiftebãt, in nulla penitus rẽ auocarentur, nec cogitare, aut agere fecularia cogerentur. Vtinam & hanc Leuiticæ Tribus fanctitatẽ in nouæ legis miniftros transfufam videremus.

19 Hinc *Concilium Chalcedonẽſe cap.* 3. Clericos, fefe à facris officijs per defidiam feparantes, atque ad fecularis domos concurrentes, alijfque fecularibus curis fe immifcentes, fufpenfione corrigendos decreuit, vt refertur in *cap. peruenit diſt.* 86. quod fanè Concilij decretum amplexum eft *Cõcilium Pariſienſe* fub Greg. Papa IV. ac Ludouico, & Lothario Imperatoribus celebratum *cap.* 28. *tomoque tertio Concil.* continetur. Intueri clericos

sub-

subtiliùs, cuiusnam Regis se esse milites grarulantur, monuit *Concilium Foroiuliense eodem tom.* 3. conclusum; & quia in castris Domini militant, sollicitè pẽsare debere, quibus armis muniti cum tanto aduersario certaminis bella aggressi, pugnare valeant: quapropter secularia negotia eos iubet nõ exercere, illud Apostoli laudans, *nemo militans Deo*, &c. quo scilicet expediti ab omni præsentis seculi impedimento, intrepidi in prima acie persistentes, post palmã victoriæ, triũphatricis gloriæ coronam ab eo Rege, qui de antiquo hoste triumphauit, suscipere mereantur.

20 Nicolaus quoque Papa I. Michaeli Imperatori scribens, tantum docet debere quemlibet ex catalago Clericorum, Deoque militantium, nullis secularibus negotijs sese implicare, quantum debet à sacris omnis mundanarum rerum administrator esse remotus, vt refertur in ea epistola, quæ *tom. 3. Concil. cit.* concluditur. Atqui satis compertum habemus, ibique etiam satis Nicolaus ostendit, laicos omnino remotos à sacris censeri: cur ergo non item debere clericos à profanis penitus abesse, arbitremur? vide *cap. quoniam idem, dist.* 10. *& cap. cũ ad verum, dist.* 96. *& S. Greg. hom.* 17. *in Luc.* 10. *ante medium*, vbi in clericos, Dei caussas relinquentes, terrenisque negocijs vacantes, acriter inuehitur.

§. II.

Ostenditur assertio iure Cæsareo, ac rationibus.

SVMMAE.

21 *Assertio probatur iure Cæsareo. Compromissum soluitur, si arbiter Sacerdos fiat.*

22 *Feminæ à virilibus officijs arcenda. Cur clericis tutela, curæque munus interdicatur.*

23 *Miles neque coniuncta persona procurator esse potest.*

24 *Curiales procuratores esse nequeunt. Clericis opprobrium est, se peritos ostendere forensium disceptationum.*

25 *Ecclesia suos milites habet, vti respublica temporalis.*

26 *Milites ei militare debent, cuius milites existunt.*

27 *Olim etiam Sacerdotibus vetitum fuit capere magistratum.*

28 *Traditæ doctrinæ efficax ratio.*

29 *Diuersa à diuersis meliùs aguntur. Curæ seculi plurimum obsunt contemplationi.*

30 *Statutum, clericis officia secularia interdicens, validum est.*

21 NEque putes nobis hac in re deesse Cęsarei iuris parrocinium: etenim illud quoque traditæ doctrinæ plurimum suffragatur. Et quidem Vlpianus à publicis muneribus eos excusat, qui Sacerdotium nacti sunt: à quo, inquit, sine religione (violata addidit Glossa) discedere non possunt, vt refertur in *l. Prætor eos ff. de vacatione, & excus. mun.* vbi *Glossa verb. religione*, ad idem laudat *l. omnes qui* C. *de Episc. & cler.* aitque conferre *l. non distinguemus* S. *sacerdotio, ff. de recep. arbitr.* vbi Paulus solui compromissum docuit, si arbiter Sacerdos fiat; negarque eum cogi sentẽtiam ferre. Id enim, inquit, non tantum honori personarum, sed & Maiestati Dei indulgetur, cuius sacris vacare sacerdotes oportet: ibique *Glossa verb. oportet*, id esse sacerdotũ munus ostendit ex *d. l. omnes cit.* C. *de Episc. & cler. & ex* S. 1. *Auth. vt clerici apud prop. Episc. coll.* 6.

22 Generatim Honorius, & Theodosius Augusti sanciuère, vt nihil commune clerici cũ publicis actionibus, vel ad Curiam pertinentibus, cuius, inquiunt, corpori non sunt annexi, haberent, vt refertur in *l. placet* C. *de Episc. & cler* vbi *Glossa* innuit, hoc iure prohiberi, clericos esse iudices, aut aduocatos, aliaue publica munia exer-

exercere. iisdem rationibus, quibus femina à virilibus officijs arcetur, & clericos à secularibus auertendos, cēsuit *Glossa in l. 1. §. sexum verb. nè virilibus officijs ff. de postul* Imperator quoque Iustinianus in *Auth. de sanctiss. Epis. §. alium autem fieri, coll. 9.* expressim sanciuit, vt clerici à muneribus, personæ coherentibus, atque à negotijs secularibus se penitus abstinerēt; vt non per hanc, inquit, occasionem, & sanctis domibus damnum fiat, & sacra ministeria impediantur. quæ duo sanè incommoda quotidie ex hoc ipso cernimus enasci, quòd Episcopi, ac Sacerdotes, relictis ouibus sibi à Domino commissis, secularibus negotijs vacant, geruntque politicos magistratus: id quod summopere deplorandum est. Hanc ipsam ob caussam voluit idem Imperator, episcopis, ac clericis tutelæ, curæque officium interdici, vt in *ead. Auth. §. Deo autem amabiles*: quod & sācitum alibi suprà admonuimus.

23 Atque idem ius Cæsareum sæpe decernit, hominē vni militiæ adscriptum, alij se obstringere minimè debere: sicque militem vetat esse alterius, etsi coniunctæ personæ, procuratorē, vt in *l. militem C. de procur. & l. milites C. de loc. & conduc.* vbi ei quoque alia agere interdicuntur; ne, inquit Imperator, omisso armorum vsu, ad opus rurestre, aliuduè se conferant; prohibetque iterum, nè armis priuatis negotijs occupētur, vt numeris (qui sint numeri *Glossa finalis* exponit) signisq; suis iugiter inhærentes, rempublicā, à qua aluntur, ab omni bellorum necessitate defendant. Planè id ipsum de clericis est omnino statuendum, nè scilicet ecclesias sibi commissas deserant, & ad aliud opus sese conferant; sed potius eas, à quibus aluntur, regant, ac tueantur.

24 Iterum Curiales idem ius procuratores esse prohibuit, aliaque gerere, quæ in *l. curialis C. de loc. & cond.* interdicuntur: nè scilicet Curiæ damnū fiat, eiusque obsequium impediatur. Aliaque huiuscemodi sæpè in iure ciuili sancita reperire licet. Denique his omnibus addendum est id, quod scitè censuit Iustinus Imperator in *l. consulta C. de testamentis*, vbi absurdū esse arbitratus est, si promiscuis actibus rerum turbentur officia, & alij creditum alius subtrahat: ac præcipuè clericis, quibus opprobrium est, si peritos sese velint ostendere forensium disceptationum: quod sanè vltimum inuenies iterum sancitum, seu iteratum in *l. repetita C. de Epis. & clericis*.

25 Atque id ipsum, quod hùcusque probauimus, firmari vlterius poterit non incongrua ratione hunc fermè in modum. Habet respublica ciuilis, seu temporalis milites suos, qui die, noctuque contrà visibiles hostes excubant ad custodias ciuitatis: habet & spiritalis respublica, nempe ecclesia, etiā suos, qui contrà spiritales nequitias excubant, easque clamando exterrēt: vnde Dominus Isaiæ 26. *super muros tuos*, inquit, *Hierusalem constitui custodes, tota die, & nocte in perpetuum non tacebunt*. in quem sanè locum cōsule, quæ Diuus *Hieronym.* eloquitur. Certè in *cap. legi, & in cap. si quem, alijsq; ac præsertim cap præsbiteros 16. qu. 1.* alibique sæpè in iure Pontificio, & *Conc. Trid.* mentio fit militiæ clericalis: de qua consulenda sunt, quæ suprà ex Concilio Foroiuliensi edocuimus.

26 Confert illud *S. Martini apud Sulpicium*: hactenus, inquit Iulianum Imperatorem alloquens, tibi militaui; nunc miles Christi sum: ac *S. Ambr.* relatus in *cap. non pila 23. qu. 8.* sacerdotes Christi *milites* vocat; vt etiam Concilium Meldense, ac Nicolaus Papa, mox laudandi, alijque appellauere, lege *cap. 1. ibiq; Gloss. verb. militaret de cler. ægrot. & cap. quid proderit, dist. 61. cap. salutator §. quod si præfati milites 1. q. 3. & Ludouicum Chrisolium in suo Mixtagogo lib. 1. cap. 8.* vbi de militia clericorum. atq; ideo

illis

illis ecclesiam vti militibus beneficia constituisse diximus *cons. 16. n. 6.* sicuti ergo pessimè agerent milites illi reip. ciuilis, dignique maxima pęna forent, si deposito custodis officio, alio fungerentur, vt ex citatis modo iuribus colligi potest; ità & hi ecclesiæ milites, puta ecclesiasticæ personæ, iniquissimè agūt, si custodis munus paruipendentes, seculares iurisdictiones exerceant. Christi ergo milites Christo; seculi autem seculo deseruiant, vt ait Nicolaus Papa in *cap. reprehensibile 23. qu. 8.* neque enim ijdem Deo simul, & seculo militare queūt, vt monuit Cōcilium Meldēse relatum in *cap. quicumque 2. ijsdem causa, & qu.* proindeque Eugenius Papa in *cap. 2. nè Clerici, vel Monachi*, sanciuit, vt si occasione huiusce administrationis propter pecuniariam caussam clericus deprehendatur in fraude, ei ab ecclesia minimè subueniatur: per quem, inquit, constāt in ecclesia scādalum generari. Ex quo sanè decreto inferunt nonnulli, posse secularem Principem officio clericum, in eo delinquentem, priuare, ac prætereà de eodem corporalem sumere vltionem: qua quidem in re, sicuti primum negare non audeo, ità secundum penitus condēno. de qua tamen vide *Gloss. fin. in d. cap. 2. & Gul. Bened. in cap. Raynutius verb. & vxorem decis. 2. à n. 155. de testam.* vbi latissimè eam pertractat, exponitque officij priuationem tunc fieri, non quidem per modum contētiosæ potestatis, sed domesticæ, ac politicæ coertionis.

27 De hac tota quæstione cōsule *Marill. de magistr. lib. 1. cap. 6.* vbi eam ex instituto exagitat, & *Petr. Gregor. Tholos. syntag. iur. lib. 47. cap. 10. num. 18.* vbi id ipsum ex *Plutarcho problem. 108.* probat; priscisque etiam sacerdotibus lege nec magistratum capere, nec petere permissum, remque totam alijs ostendit. Consule quoque *Renat. Copp. de sacr. polit. lib. 2. tit. 1. num. 19. & Couarr. pract. quæst. cap. 33. nu. 6.* vbi Hispanorum legem, clericis officia secularia interdicentem, æquissimam vocat: idq; ex eo firmat, quòd absurdum, iniquumque censendum est, illos eiuscemodi officia nancisci, qui a iudicibus secularibus, si fortè in ijs deliquerint, puniri non possunt, vt ibidem ostendit. hi omnes traditam à nobis doctrinā pluribus rationibus confirmant; quas apud eos consulere licet. mihi ea huiusce rei aptior videtur, quòd scilicet naturali iure clericis interdicitur, politicum gerere magistratum, aliauè secularia negotia exercere: id quod equidem probo ratione, quam nunc subijcio.

28 Etenim id omne iure naturæ prohibitum censetur, quod, secundùm rectæ rationis iudicium, quamdā habet indecentiam, seu deformitatem, minimè homini congruentem, vt est ratione præditus, & prout hoc, illouè munere fungitur, vt latiùs Theologi exponunt, secuti *Sanctum Thomam 1. 2. q. 94.* Atqui, si clerici diuino obsequio mancipati, seculares, seu politicos gererent magistratus, alijsque seculi negotijs sese implicarent; planè ea in re eiuscemodi deformitas, & indecentia appareret, secundùm rectæ rationis iudicium, ijsdem personis vt ratione præditis, sacratisque minimè conueniens: iure igitur naturæ id illis prohibitum censeri debet. Cuius sanè syllogismi minor propositio euidens videtur: quis enim neget, deforme, ac indecens esse, hominem, Dei obsequio mancipatum, illud derelinquere, alijsque mundi, seculiuè curis sese addicere, & immiscere? & quamuis id ipsum per se quidem notum, nō æquè tamen omnibus notum existimetur; nihilominus notum est eruditioribus, qui terminorum, vt aiunt, rationes penetrant, atque cognoscūt; quique ea omnia, quæ hùcusque explicuimus, satis norunt, accuratèque perpendunt.

29 Idque vlteriùs ostenditur, & explicatur doctrina *D. Thomæ 2. 2. qu. 40. art.*

art. 2. in corp. quãdoquidem ad bonũ societatis humanæ plura requiruntur: diuersa autem à diuersis meliùs, & expeditiùs aguntur, quam ab vno, vt docet *Aristoteles* 1. *polit. cap.* 1. & quædã negotia, vt ait Sanctus Thomas, sunt adeo sibi repugnantia, vt conuenienter simul exerceri non possint; & ideo illis, qui maioribus deputantur, minora prohibẽtur: quod probat *S. Th.* exemplo legum humanarum, quibus, vt ipsi monuimus, militibus, qui ad bellica exercitia deputantur, negociationes interdicuntur. Quia ergo clerici maioribus negotijs deputantur, seu, vt ait ipsemet *D. Thomas* 2. 2. *qu.* 71. *ar.* 2. *in corp.* rebus maioribus obligantur, cum sint diuinis rebus astricti, minora eisdem, puta seculi curę, seu secularia negotia, vt est reipublicæ administratio, prohibetur: hæc enim maximas inquietudines, vt *D. Thomas* loquitur, habent: vndè multum, inquit, impediunt animum à contemplatione diuinorum, & laude Dei, & oratione pro populo, quæ ad officium pertinent clericorum; laudatque illud *D. Pauli* sæpiùs à nobis relatum: *nemo militans Deo, &c.* si ergo hæc, quæ diximus, clericorum officio maximè officiunt; intelligi certè minimè potest, quo tandem modo illa eadẽ ijsdẽ licere vllo pacto queãt.

60 Quibus sanè omnibus satis ostenditur, quid tandem statuendum sit de quæstione initio proposita, num scilicet validum sit, statutum Clericis officia secularia, seu, vt loquitur *Renat. Copp. loco cit.* negotia aulica, ciuica, publica, & profana, penitus interdicens: dicendum namque erit, id omnino firmum, atque æquissimum censeri: id quod præ cæteris docuit *Couarr. Copp. Mastrill.* locis superiùs relatis: quos consulere oportet: ac præsertim *Mastrillum*, qui huiusce doctrinæ plures ampliationes, ac restrictiones, recenset: quas hic transcribere superuacaneũ duxi, quãdo apud illum facilè consuli possunt.

CONSILIVM XVIII.

Siciliæ Regem licitè posse sibi indigentis decedentium Prælatorum spolijs, ac fructibus, vacante sede, obuenientibus prouidere: necnon, & Præsulibus testandi concedere facultatem.

Ad

Cap. 478. Alphonsi, cap. 16. & 244. Caroli V.

§. I.

Rex Siciliæ de Præsulum spolijs ac fructibus viduarum ecclesiarum disponere potest; in vsus tamen pios.

SVMMAE.

1 *Laici de bonis ecclesiasticis disponendi nullam obtinent facultatem.*
Nisi id priuilegio ei competat.

2 *Rex Siciliæ de spolijs Præsulum, ac viduarum ecclesiarum fructibus priuilegio disponit.*

3 *Ea in opera pia erogantur.*

4 *Siculi Reges hac in re longa quoque consuetudine tuti sunt.*
Legi humanæ rationabilis cõsuetudo derogare potest.
Quod priuilegio quæritur; etiam consuetudine quæri potest.

5 *Necessariò disponere debẽt in opera pia.*
Prohibitio disponendi de bonis ecclesiasticis in profanos vsus, est de iure diuino, & naturali.

6 *Fundatio, & dotatio ecclesiarum præsumitur libera, & absoluta.*

7 *Galliæ Rex de his rebus disponit in vsus pios.*

8 *Sensus quæstionis §. seq.*

1 Etsi verissimum sit, laicis quãuis religiosis, nullam de ecclesiasticis facultatibus aliquid

quid disponendi legi, attributam esse facultatem, vt *Eulalius* dixit Syracusanæ ecclesiæ antistes *in tertia Romana Synodo*, sub Symmacho Pontifice celebrata *cap.* 3. referturq; in *cap. benè quidem dist.* 96. *& cap. laicis*, 16. *qu.* 7. nihilominus posse eam speciali priuilegio cuipiã competere, docuit *Glossa in d. cap.* laicis, probatque ex *cap. in Synodo, dist.* 63. de qua re legendi *Molin. tom.* 1. *de iust. tract.* 2. *disp.* 148. *nu.* 33. *Sanch. in opusc. tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 2. *dub.* 51. *n.* 9. *Cordub. q.* 18. *lib.* 1.

2 Sanè eiuscemodi priuilegium hodie Rex Siciliæ obtinet, si de spolijs decedentium præsulum, aliorumque quorumdam beneficiariorum, ac de viduarum ecclesiarum fructibus loquamur: de ijs enim disponere permissum est Alphonso Regi à Martino Papa Quinto, ob eximia eius Principis in Romanam Ecclesiam merita: seu potiùs Alphonso, quod priùs hac de re priuilegium Siculi Reges obtinuerant, Martinus grati animi affectu confirmauit, vt rectè ex *Luca de Barbera in capibreuio* animaduertit eruditiss. D. D. *Rocchus Pirrus in notit. Sicil. Eccl. tom.* 1 *tit. de elect. nu.* 16. quamobrem, Siculis ab eodem Alphonso efflagitantibus in *cit. cap.* 478. vt de Præsulũ spolijs Regia Curia minimè disponeret; se absque Apostolica prouisione de ijs nullatenus disponere, respondit.

3 Certè Siculi Reges spolia, fructusq; viduatarum ecclesiarum nonnisi in pia opera, quæ eorum est, fuitque semper religio, erogare consueuerũt; proindeque petẽtibus iisdem Siculis à Carolo Imperatore in *cap.* 16. *cit.* vt fructus vacantium ecclesiarum in earumdem vtilitatem, & commodum conuerterentur; respondit Imperator, se ecclesiarum huiusmodi necessitatibus opportunè prouisurum.

4 Et quamuis nullũ prorsus extaret Pontificis priuilegium, id Siculis Regibus indulgens; satis nihilominus foret longa consuetudo, qua liquet, eos semper de spolijs, præfatisque fructibus disposuisse: etsi enim hanc cõsuetudinem improbet *Nauarrus Còmen. de spolijs Clericorum* §. 14. *à nu.* 4. si ea alij, quam Papæ, earum rerum dispositionem, veluti profanarũ absque pietatis intuitu, concedat; rectè tamen ostendit, eam validam fore, si ius tribuat, eas in pietatis opera erogandi; cum illa nullo prorsus modo naturali, diuinæque legi, sed humanæ solum aduersetur; cui tamen consuetudinem rationabilem, ac legitimè præscriptam, qualis hæc censenda est, derogare posse, satis constat ex *cap. fin. de consuet.* alijsque probat *Nauarrus nu.* 6. qui illud ipsum rectè ostendit, præsertim quia id omne, quod priuilegio quæri potest; speciali quoque, vel generali consuetudine, q̃ sit immemorialis, vel immemorialis temporis, quæri potest, *cap. catholica dist.* 11. *cap. super quibusdam, de verb. signif. l. hoc iure* §. *ductus aqua ff. de aqua quotid. & æst. Felin. in cap. accedentes, de præscrip.* alijsque: consule *Nauarrum* hac de re latiùs disserentẽ: neque enim ipsi hoc loci id probare instituimus; sed solum hæc breuiter præmisimus, vt intelligeretur, Siculum Regem ius obtinere spolia, fructusque, de quibus loquimur, in pia opera disponendi.

5 Dixi, *in pia opera disponendi*: etenim omnino displicet cuiusdam regij ministri, alioquin doctissimi, placitũ, volentis, posse D. Regem ad libitum in quoscumque vsus etiam profanos disponere de clericorum spolijs, ac fructibus vacantium ecclesiarum: hoc enim ius neque priuilegio, neque consuetudine quæri potest; vt *ex trad. per Nauarr. loc. cit.* liquidò cõstat: prohibitio enim disponendi de bonis ecclesiasticis in profanos vsus, est de iure diuino, & naturali, vt ostendit *Sanch. in opusc. tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 2. *dub.* 50. *nu.* 10. *Adamus Tanner. in* 2. 2. *S. Th. disp.* 4. *q.* 6. *dub.* 8. *nu.* 249. *& seqq. Molin. tõ.* 1. *de iust. tract.* 2. *disp.* 147.

n.27. Mayn. in consult. de spol. n.65. vide Michaelem Roussel. in histor. Pontific. iurisd. lib.5. cap.3. n.38. Mart. de iurisd. p.2. cap.41. n.29. Petr. à Soto instr. Sacerd. part.2. sect. 3. Et quamuis horum nonnulli velint, vti *Sanch. & Molin.* posse Papam ex graui causa eã liberam concedere facultatem; id tamen intelligunt in parua, non autem in notabili quantitate: & verè, cum causa grauis est, pia etiam censeri debet: quamobrem, dum hic regius administer Regi fauere nititur, ei penitus aduersatur. Deindè concors est, ac semper fuit omnium aliorum ministrorum sententia, id iuris Regi minimè competere, puta hæc bona expẽdendi etiam in profanos vsus: & optimo quidem iure: nam neque ipse Pontifex Sũmus id iuris obtinet: quo igitur modo illud Regi concedere potuit?

6 Neque verò recurras ad conditionem in ecclesiarum fundatione, seu dotatione appositam: de ea enim minimè constat, vt certè constare deberet, iuxtà communem omnium opinionem; & in dubio præsumendum est, dotationem, seu fundationem initio fuisse liberam, & absolutam, vt benè *Cochier. de lib. eccl. lib. 1. cap. 20. n.9.* & alij omnes, prætẽrquamquod, an hæc conditio valida sit, non minoria dubitari potest; & ad eam confugiens, recedit à priuilegio, & consuetudine supradictis: id quod tutum nõ est.

7 Nostræ sententiæ suffragatur nostrorum Regum mos, & consuetudo, qui semper in vsus pios prædicta bona erogarunt, vt diximus: & quo tẽpore aliter de ijs disponere necessitas coegit; à Summo Pontifice veniam postularunt. Exemplum etiam Galliæ Regum nobis fauet: quandoquidem illi in pios vsus eadem bona erogant, vt monuit *Rousell. lib.5. cit. cap.3. n.29. Choppin. de sacra politia lib.1. tit.7. nu. 15.*

Et quamuis aliquando Reges nostri in vsus profanos expendisse videantur; si tamen casus rectè perpendatur, apertè constabit, semper adfuisse aliquam pietatis causam: id quod hoc loci demonstrare omittimus, alibi fortassis latiùs præstituri.

8 Posito igitur, quòd D. Rex eam habeat facultatem, à me quæsitum regius & non infimi ordinis administer, num idem met Rex eisdem spolijs, ac fructibus sibi indigenti succurrere possit; & num beneficiatijs facultatem testandi de spolijs concedere queat, præsertim accepta ab ipsis beneficiarijs pecunia, veluti pretio indultæ facultatis.

§. II.

An Siciliæ Rex sibi indigenti subuenire possit spolijs, ac fructibus prædictis.

SVMMA.

9 *Potest Siciliæ Rex sibi indigenti, spolijs, fructibusque prædictis licitè subuenire.*

Nemo sibi ipsi propriè misericordiam impertitur: ac proinde neque eleemosinam.

Quonam modo id euenire potest varijs exemplis demonstratur, puta in eleemosinarum distributore.

10 *Item in executoribus testamentorum.*

In eo, qui incerta bona possidet.

Quid pauperum nomine intelligatur.

11 *In danda eleemosina qui præponi debet.*

Charitatis ordo requirit, vt magis nos ipsos, quoad bona quoque temporalia, quam alios diligamus.

12 *Ex Reip. capite publicũ bonũ præcipuè dependet.*

Remp plusquam nos ipsos amare debemus, & Reip. bono mors quoque appetenda.

13 *Rex hac in re suam qualitatem perpendere debet.*

In danda eleemosina, quæ perpendẽda?

Inter aduersitates infelicissima est fuisse felicem.

Vna

24 *Vna, eademque persona plurium vices subire potest.*
Qui indulgentiam concedit, eamdem lucrari potest.
Princeps proprios filios ligitimare potest.
25 *Patroni ecclesiarum, earum prouentibus ali debent, si pauperes existant.*
Quomodo id intelligendum.

9 EQuidem censeo, licitè sibi Siciliæ Regem spolijs, fructibusque prædictis prouidere, si verè indigens sit, spectata ipsius qualitate. Id verò probatur, quia Rex harum rerum in pia opera erogandarum distributor censetur, vt nuper monuimus: atqui, quamuis verissimũ sit, neminem propriè sibi ipsi misericordiam impertiri, vt docuit *S. Thom. 2.2.q.30.art.1.ad 2.* ac proinde nullũ quoque sibi ipsi eleemosinam tribuere, vt idem docet *q.32.ar.9.ad 3.* certissimum tamen est id ex alterius persona effici posse: puta cum aliquis, inquit idem Sanctus Doctor, distributor ponitur eleemosinarum, potest & ipse sibi accipere, si indigeat, eo tenore, quo & alijs ministrat.

10 *S. Thomam* sequuntur ibidẽ Theologi omnes; ac præsertim *Caietanus*, alijque, quos citat, sectaturque *Toletus lib.8.instruct cap. 31. n. 5.* eodẽque pacto plures edocent, testamentorum executores, si pauperes sint, posse sibi bonorum partem retinere, quæ in pauperes distribui debent. ità post alios plures *Menoch. de præsump. lib.4.præsump. 125.n.17.* idemque de eo docent, qui bona possidet, quorũ ignoratur dominus, atque incerta nũcupamus; puta quod possit ea sibi retinere, si verè sit pauper; cum minimè esse debeat peioris conditionis, quam cęteri pauperes existant, vt voluère *Caiet. Sot.* alijque, quos laudat, ac sequitur *Lessius lib. 2. de iust. & iure cap. 14. dub.6.n.41. vbi n 34. post Nauarr. in manuali cap. 17. nu 93.* aliosq; monet, pauperum nomine, nedum mendicos, verum & eos quoquẽ, quibus necessaria ad decẽtem statum desunt, aliaque pia opera, comprehendi.

11 Atque ità *Syluest. verb. eleemosina q.3.* in danda, inquit, eleemosina prę- poni debet primò ipsemet: deinde sui, & reliqua: quod idem post alios docuit *Cæsar Lamber. de iure patr. qu. 3. princ. art. 2. n. 11.* Id certè exigit ordo Charitatis: quandoquidem quoad bona quoque temporalia magis nos ipsos, quã cęteros diligere debemus, si nihil aliud obstet, vt rectè docent Theologi omnes post *S. Thom. 2.2.q. 26. art. 4* proindèque nobis primùm, deindè alijs succurrere tenemur: quiq; aliter ageret, non diligeret proximum sicut se ipsum, sed plusquam seipsum; quòd doctrinæ regulam excederet, vt optimè argumentatur *S. August. lib. de mendacio cap 6.* nisi fortè non amore alterius id ageret, sed potiùs virtutis cuiuspiam, & ad cęterorum exemplum, vt monet *Valen. 2.2. disp. 3. q. 4. punt. 3. vers. dixi autẽ.* 11

12 Atq; ex hoc eodem caritatis ordine sequitur, Principem, eleemosinarum distributorem, prius sibi, vti cõmunitatis, siue reipublicæ capiti, à quo præcipuè publicum bonum dependet, vt docuit *S. Th. loc. cit art. 2. in corp.* succurrere debere, quam cæteris, qui reipublicæ patres cẽsentur: certissimum enim est, quoad bona quoque temporalia, Charitatis ordinem exigere, vt quisque magis communitatem ipsam, cuius est pars, quã seipsum diligat: etenim commune bonum præstantius est, quam vniuscuiusque, ideoque reipublicæ bono mortem quoque oppetendam ipsimet ethnici Philosophi agnouère: vti enim pars naturalis plus amat commune bonum totiùs, quam suum, ac manifesto discrimini pro illius incolumitate sese exponit; ità & pars politica bonum totius politici magis, quam suũ propriũ diligere debet, vt rectè arguit *S. Thom. ead. 2.2.q.26. cit. art. 3.* semper tamen Princeps ille distributor se 12

considerare tenetur, vt rectè distribuat, ac si esset tertius, vt ait *Toletus loco superius laudato*; & quam faceret tertio indigenti eleemosinam, eamdē sibi elargiatur.

13 Perpendere verò debet suam, vt diximus, qualitatem: cum enim motiuum ad dandum eleemosinas, vt ait *S.Th.q.32.cit.art.1.in corp.* sit, vt necessitatem patienti subueniatur; hinc fit, vt quò maior est necessitas, eò magis eam patienti subueniri debeat: eò autem maior est necessitas, quò maior est qualitas indigentis; ac proindè huic magis, quam alij subueniendum erit. Atque hinc docuit *S.Ambr.lib.1. de officijs cap.*30. ac refertur in *cap.cōsideranda dist.*86.in largiēdo ætatem, debilitatem, verecundiam indigentis esse perpendendam; atque etiam, si quis ex diuitijs cecidit in egestatem: inter omnes enim fortunæ aduersitates infelicissimum genus infortunij est fuisse felicē, vt ex *Boetio* monuit *ibid. Gloss.verb.aduersitates*. quarè Principi indigenti, etsi reipublicæ caput minimè foret, plurimum subueniendū erit.

14 Neque sanè nouum censeri debet, vnam, eamdemque personam plurium vicem posse subire. Ità *S.Thomas in suppl.3.p.q.27.art.4.*docuit, Ecclesiæ præsulem, indulgentias concedētem, easdem posse lucrari; cum illæ per modum cuiusdam dispensationis concedantur; quam, inquit, homo potest facere ad se ipsum: sicque Pōtifex Summus hac in re duplicem personam gerere intelligitur; alteram sanè, quatenus thesauri ecclesiæ militantis, cui præest, distributor est; alteram, quatenus huiusce corporis mystici est membrum, indigens aliorum meritis; secundùm quam huiusmodi thesauro vti minimè prohibetur, vt nos alibi, Deo fauente, fusiùs edocebimus: eodemque pacto, vt ibi *D. Thomas* animaduertit, Sacerdos sibi Eucharistiam sumit, quam alijs administrat. Item simplex Sacerdos, ad confessiones fidelium exaudiendas approbatus ab Episcopo superiore, hunc à peccatis absoluit, vti sibi inferiorem, vt docuit idem *S.Th. in supp. 3.p.q.*20.*art.*3.*ad.*1. Secundùm ergò vnam rationem Episcopus erit Sacerdote superior; secundùm verò aliam inferior reperitur. Denique Princeps proprios filios natalibus restituit; non quidem vti pater, sed sicuti Princeps, *cap. per venerabilem qui fil. sint legit.* ibique *Abbas n.* 13. id quod de Comite Palatino censuit *Bald. in l. si consul. q.4. ff. de adopt. & Io. de Anan cons.* 1 & contrarium quoad Regē quoque, innuat *Gloss. in cap. cit. verbi Regi gratiam*. hæc autem omnia, aliaque huiusce modi ideo euenire censuit *Abbas* modo laudatus; quia in vno, eodemque homine diuersæ qualitates concurrere possunt, quæ sanè efficiunt, vt plurium is vices sustinere queat: ac generatim id fieri posse, pluribus ostendit *Gloss. in l.* 2. *ff. de off. Præt. in l. si plures verb. difficile ff. de pactis, in l. nam tertium ff. de hered. instit.* alibique sæpè.

15 His omnibus adderem, quod spectat ad nostrum institutum, Doctores omnes arbitrari, ecclesiarum patronum indigentem, illarum fructibus, ac prouentibus alendum, eidemque, quantum commodè poterit, subueniendum: qua de re latè egit *Cæsar. Lambertinus de iurepatr. qu. 3. princip.* vbi *art.* 11. probat, alimenta esse præstanda secundùm patroni dignitatem, & qualitatem, nedum sibi, sed eius quoque familiæ, vt probat *art.* 6. atque ex ijs, quæ clerico beneficiario supersunt, ac patrono desunt, quæ alioqui ab eodemmet beneficiario in pia opera erogari deberent. omnibus autem patronum præferendum esse, docuit *art.* 2. alibique. si ergo beneficiarius cęteris indigentibus patronum anteponere tenetur; cur non ipsemet patronus ea in re seipsum alijs præferre queat? Rex enim Siciliæ patronus existit beneficiorum omnium, quæ in eo

Re-

Regno reperiuntur, & quorum vacātium spolia, fructusque ad ipsum spectant, ad eumdemque pertinet horū omnium distributio, vt probatum est.

§. III.

An Rex Præsulibus testandi facultatem impertiri possit.

S V M M A E.

16 Rex licitè Præsulibus testandi facultatem impertitur.

17 Clerici de intuitu ecclesiæ perceptis testari non possunt.

Cur olim Episcopis Oeconomi adessent.

18 Is, ad quem spolia clericorum spectant, de eis potest testandi concedere facultatem.

Ea ad Papam generatim pertinent.

Beneficiarius, qui eam habet veniam, nonnisi in pios vsus testari potest.

19 Hæc testandi facultas semper in pios vsus concessa intelligitur quacunque verborum forma concipiatur.

Nemo præsumitur delicta mandare.

20 Quonam modo Rex hac in re Præsules canonibus soluere queat.

21 Alia expositio.

22 Huiusce rei probabilior expositio.

23 Consuetudo testandi facultatem Præsulibus tribuere potest.

24 Non videri illicitum, accepta à beneficiarijs pecunia, ijs testandi facultatem indulgere.

25 Probatur id auctoritate Supremi Italiæ Senatus.

Pecunia, quæ hac de caussa accipitur, in pios vsus erogari oportet.

De quibus clerici libere disponere queūt.

26 Doctrina quædam notanda.

27 Molestiæ, quæ Præsulibus morientibus inferuntur, si testandi non habeant facultatem.

28 Melius videtur malis Præsulibus testādi concedere, quam negare facultatem.

16 IAm verò, quod attinet ad secūdū, quod antea quæsitum fuit; num scilicet idem Siciliæ Rex beneficiarijs, quorum spolia ipse in pios vsus distribuenda sumpturus foret, de ijs testandi facultatem, præsertim accepta ab ijs pecunia, indulgere licitè queat; aio primùm, licitè eam facultatē Regem impertiri, & aliquoties impertitum, vti refert D. Rocchus Pirrus in notit. Sicil. Eccl. tit. de elect. nu. 16. in 1. & in not. Panor. Eccl. ad ann. 1502. 1561. & 1594. quin Carolus V. Imperator in cit. cap. 244. vniuersis Siciliæ Præsulibus indulsit, vt de quarta spolij parte, in certos tamen vsus, ab eodem ibidem recensitos, testari possent.

17 Hæc autem assertio ostēditur, quia, etsi verissimum sit, clericos quoscumque de ijs, quæ consideratione ecclesiæ perceperunt, nullum de iure posse facere testamentum, vt ait Alex. 3. relatus in cap. quia nos, de testam. atque in cap. relatum 2. eod. tit. quod sancitum etiam est in Concil. Lateran. sub eodem Pontifice celebrato, refertur que in cap. cum in officijs eod. tit. atque in his ijsdem capitibus Glossa, alijs quoque iuribus ostēdit, ac fusiùs explicat, probatque Couarr. tract. de testam. eadem capita exponens, Nauarr. tract. de redit. eccl. q. 3. Less. lib. 2. de iust. & iur. cap. 19. dub. 4. n. 42. qui ideo iure id statutum docent, vt clerici accumulandis opibus minimè studerent; sed eas in vita liberaliter in pios vsus expenderent: quam etiam ob caussam Chalcedonensi Cōcilio olim constitutum legimus, vt Episcopis adessent œconomi, qui res ecclesiæ gubernarent, nè dispergerentur, ac sacerdotali dignitati obtrectatio gigneretur, vt refertur in cap. quia in quibusdam dist. 89.

18 Etsi, inquam, id verissimum sit; nihilominus certum quoque censeri debet, posse eum, ad quem spolia clericorum spectant, eam testandi concedere facultatem; vt de Papa probat

Na-

Nauarr. loc. cit. mon. 6. ad quem ea spolia generatim pertinere probauerat *Comment. de spol. cler. §. 9. & seq.* quod intelligendum est, nisi in alios id iuris consuetudo, seu priuilegium transtulerit; vti initio ipsi monuimus. Tunc verò beneficiarius, eo priuilegio munitus, nonnisi in pios vsus testari debet; nam in profanos id facere diuino iure prohibetur, vt idem *Nauarrus* ostendit, præsertim *tract. de reddit. Eccl. monito 213. & 5.* alibique, ac diximus *sup. n. 5.* quod neque consuetudo vlla, vllumuè priuilegium tollere potest. consule *Nauarrum*, qui hac de re latiùs agit. Testari verò beneficiarios in pios vsus humano tantum iure prohibitum reperitur, vt idem auctor monet; quod sanè consuetudo, ac priuilegium tollere potest. Itaque hoc priuilegium, testandi facultatem indulgens, solùm aufert impedimentũ ex humana lege promanãs; atque exinde ortam non testandi obligationẽ; eam verò, quæ ex diuina prouenit, in pia opera testandi, minimè condonat; nec quidem condonare potest.

19 Hinc optimè *Nauarrus eod. mon. 6. num. 3.* infert post *Barbat. de præstan. Card. par. 1. q. 4. col. 3.* hanc testãdi facultatem in dubio intelligendam esse ad vsus pios, non etiam ad profanos concessam. id quod satis est, vt non futilis, inanisque iudicetur; quando contrà ius commune aliquid operatur, *cap. in his, de priuileg. l. 1. ff. ad municip.* ideoque in alijs coarctanda est, *cap. porrò, de priuileg. l. si quando C. de inoff. testam.* alijsque apud *Nauarrum*, qui etiam probat, eamdem testamẽti facultatem, absolutè concessam, puta vsus non exprimentem, aut etiam generatim, puta in quoslibet vsus, intelligẽdam quoque in pios vsus indultam: atque etiam quia is, qui generalem aliquam impertitur facultatem, quæ ex vi, ac proprietate verborum comprehendere queat & ea, quæ delicta sunt, & ea, quæ delicta minimè censentur; præsumi nequaquam debet, velle delinquere, aut mandare delictum, vt ait idem *Nauarrus*, probatque ex *l. si procurator ff. de condit. indeb. cap. 2. de reg. iur. l. merito ff. pro socio.* In vsus verò profanos absque iustissima caussa eiusmodi facultatem, à Summo Pontifice concessam, nemini prodesse, ibidem ostendit.

20 Ex his verò colligendum est, iure optimo posse Siciliæ Regem eam scribendi testamenti beneficiarijs, de quibus loquimur, concedere facultatem; cum id nil aliud conferat, quã eos legibus soluere, quibus obstringebantur, ne testarentur, at de reliquo obstricti maneant bona disponẽda in pietatis opera testamẽto erogare. Et quamuis, si generatim, atque vniuersè loquamur, canonum venia à solis summis Pontificibus concedatur; nihilominus in re, qua de agimus, posse Siculum Regem illã indulgere, ostendi posse videtur, quia hac in re, veluti Pontificis minister, idem Siciliæ Rex eam facultatem impertitur: sicuti enim Papa eidem Præsulum decedentium spolia concessit, quo in pietatis opera erogaret; ita & indulsisse videtur potestatem, vt eosdem Præsules Canonibus solueret, quibus testari vetabantur: id namque maximè pertinet ad spoliorum dispositionem, quæ Regi competit; vt scilicet eamdẽ Præsulibus impertiri possit: eodem enim pacto idem Pontifex Summus, quoniam ad ipsum spectat generatim omnimoda spoliorum dispositio, licitè, valideque testandi facultatem beneficiarijs concedit. hoc igitur iure in alium translato, id totum is præstare poterit, quod ille, cui antea competebat: cum enim Princeps quidpiã concedit, in dubio ea omnia iura cõcedit, quæ ad illud pertinere noscũtur, vti ipsi ostendimus *cons. 3. num. 112.*

21 Posset quoque non ineptè asseri, id Regi licere, quia ideo beneficiarijs prohibita est spoliorum dispositio, seu testamenti factio; quia scilicet ea ad Pa-

Papam pertinent: quarè, cum in Sicilia hęc ratio locum minimè obtineat, neque illa canonum dispositio locum obtinere potest, vt vulgatis iuribus ostenditur. vndè inibi libera remanet beneficiarijs testandi facultas, ac solum iure quodam naturali impeditur, quo scilicet quilibet tenetur de alienis rebus, inuito domino, non disponere: spolia autem Siculorum beneficiariorum ad Siculum Regem spectant, ac proindè, eo inuito, nemo de ijs disponere potest: quod si ille in id consentiat, cessabit sanè illud impedimentum; atque ideo poterit beneficiarius, à Rege obtenta venia, & consensu, de ijs disponere, prout libuerit, modo in pios vsus expendat.

22 Quoniam autem ideo testamenti scribendi facultatem beneficiarijs interdictam nuper post alios docuimus, nè scilicet ij accumulandis opibus studerent; hęc verò ratio in casu quoque, de quo agimus, militet, & canonum veniam à nemine iure concedi, quispiam dicere queat, nisi expresso Apostolicæ sedis priuilegio muniatur; ideo probabiliùs aio, si propriè loquamur, à Siculo Rege in eiuscemodi casibus, non tam canonum veniam indulgeri, quam facultatem, sibi ab Apostolica sede, & à consuetudine concessam, in beneficiarios decedentes transferri, quò scilicet ij, tamquam ipsiusmet Regis administri, spolia, quæ ipse post eorumdem obitum pijs operibus distribuere teneretur, ipsi distribuant, quippequi meliùs callēt suorum subditorum necessitates, quibus maximè ea eroganda forent: qua in re ipsos constituit veluti subdistributores spoliorum, cū ipsemet præcipuus distributor existat: atque ità illi de spolijs disponunt, non tamquam de rebus proprijs, seu quorum dispositio, aut distributio ad illos pertineat; (id quod solum prohiberi censendum est ijs canonibus, quibus illis testandi libertas, seu facultas adimitur, vt ex canonibus ipsis, hac de re loquentibus, quisque facillimè deprehendet) sed veluti de rebus alienis, quorum distributio, ac dispositio, ad Regem pertinens, ipsis, veluti ipsius vicarijs, cōmittitur, ideóque non proprio, sed regio nomine illa distribuunt, atque in pia opera erogant: quod non videtur illis Canonibus interdictum.

23 Demum addi his omnibus posset, in Siciliæ Regno iam moribus esse receptum, vt beneficarij testari in pietatis opera queant, obtenta à Rege venia: ac consuetudinem legitimè præscriptam hoc ius tribuere posse, rectè probat *Nauarr. comment. de spol. cler.* §. 13. nosque suprà monuimus. Consulerem tamen, vt si quando Regi luberet, hanc cōcedere facultatem, quò tutiùs ageret, quæ sua est religio, à Summo Pontifice veniam obtineret hanc eamdem facultatem Præsulibus indulgēdi: id enim & alijs principibus exemplo foret maximæ pietatis, & Sacræ Regiæ conscientiæ tutius cōsuleretur.

24 Quod vero spectat ad aliam dubitationis partem, in quo fateor maximam reperiri difficultatem, num scilicet Siciliæ Rex hanc testandi facultatem beneficiarijs, accepta ab ipsis pecunia, concedere queat; aio, id non videri illicitum: certè 14. die Octobris anni 1626. Rex noster potentissimus Philippus quartus, præhabito consilio supremorum Italiæ Senatorum, Tauaræ Marchioni, tunc Siciliæ Proregi, imperauit, vt Præsulibus omnibus regio nomine offerret spoliorum, vt aiunt, compositionem, idest, vt, si vellent testandi facultatem obtinere, Regi integrorum fructuum, seu redituum, quos vnumquodque illorum beneficiorum singulis annis tribueret, medietatem refunderet. id quod, quia tūc temporis minimè fuit executioni mandatum; 22. die Iulij sequentis anni 1627. Duci de Alburquerque, qui Marchioni, in eodem Sicilię Regno vita functo, successit, iterū pręcepit, vt illud ipsū exequeretur.

Hinc

25 Hinc autē validum elici potest argumentum, quod ab auctoritate nūcupamus: cum enim in supremum Italiæ Senatum nonnisi viri pijssimi, ac iuris vtriusque consultissimi semper asciscantur; hique Regi consuluerint, vt id, quod modo retulimus, præciperet; sanè fit, vt id ipsum tutè fieri censendum sit. Huius autem rei rationem veluti à priori, vt aiunt Philosophi, reperire, difficile puto: vt autem eam reddere enitamur, præmittendum est, Siciliæ Regem hanc eādem pecuniam, quam pro spoliorum condonatione accepit, in pios vsus, piauè opera erogare oportere: id q; nemo iure inficiari potest: etenim eā pecuniam, vel hoc loco supponimus, ex beneficiorum prouētibus congruenti beneficiariorum sustentationi superesse; atque ideo in pia opera expendi debet, vt ex ijs constat, quæ hac de re docent laudati à nobis Doctores, alijque passim: vel eam supponimus, Regi a beneficiarijs tribui ex bonis, quæ patrimonialia appellamus; aut de alijs, quæ suo labore, atque industria sibi eiusmodi Clerici congregarunt; aut demum de ijs, quæ ex eorumdem beneficiorum prouentibus suæ congruenti sustentationi subtraxerunt; de quibus sanè omnibus licitè ad quoscumque tandem, profanos quoq; vsus disponere clerici queunt, vt post *Nauarr. tract. de red. Eccl q. 3.* aliosque, docuit *Lessius lib. 2. cit. cap. 19. dub. 4. n. 41.* Ac tunc quidem eam Rex in pia quoque opera erogare tenetur: est. n. veluti quædā compensatio eorum spoliorum, quæ post clerici obitum obuenirent pauperibus distribuenda, quibus profectò, cum illi priuentur; rationi consentaneum est, vt ijsdem ea compēsatio distribuatur.

26 Sed hoc quidem casu, vt hoc obiter moneam, censeo, beneficiarium, qui alioquin, præhabita quoque ea spoliorum compositione, obstrictus etiam manet obligatione, eadem in pia opera testamento elargiendi, ratione sępiùs exposita, atque à sępè laudatis auctoribus vberiùs confirmata; beneficiarium, inquam, qui proprijs nummis, putà prouenientibus, vel ex bonis patrimonialibus, vel industria quæsitis, vel congruæ sustentationi subtractis, testandi veniam, ac spoliorum compositionem à Rege obtinuit, licitè posse, æqualem ei, quam Regi dedit pecuniam, in vsus quoscumque etiam profanos testari; quæ quidem loco compensationis cedat: hanc enim nummorum quantitatem veluti anticipata solutione pauperibus persoluit, atque in semetipsum illorum ius transfudit, vt eorum nomine solutæ æqualem quantitatem de bonis spoliorum exigere queat: quod tamen cautè agendum erit, nè proximo obmurmurandi occasio præbeatur.

27 Atque his sanè hunc in modum præmissis, eius rei non incongrua ratio reddi potest: etenim Rex eam pecuniam, de qua loquimur, in vsus pios erogare obstringitur, vt modò probauimus: eam igitur licitè accipere potest: nam illud ipsum, quod beneficiarij præstare obligantur; eorumdē consensu, ac voluntate Rex exequitur, qui in huius liberalis donationis premium ijs indulget, vt de spolijs ipsi disponant; quod ipsemet Rex alioquin esset pręstiturus; eosdemque ab ijs molestijs liberat, quas præsulibus, animam agentibus, Regum administri inferre consueuerunt; annotando, etiam ante quam moriantur, vt *Nauarri* verbis vtar, *tract. cit. q. 3. mon. 6. in fine*, bona, quæ habent vndecumque quæsita, nè morientibus illis cognati, hæredes, & famuli abscondant, vel amoueant à domibus eorum ea spolia, quæ Regiæ Curiæ sunt inferenda. vide *Nauarr. ibid. & comment. de spol. cleric. §. 11. n. 3.* vtrobique enim docet, Summos quosdā Pontifices ad istiusmodi tollendas Præsulibus, in Romana Curia cōmorantibus, molestias, sanxisse, vt ijs facultas esset testandi, vt apud eumdem

dem animaduertere licet.

28 Neque hinc sanè putes, pauperibus quidpiã defraudari; vt enim monui, semper Præsules spolia in pietatis opera, etiam post obtentam testãdi veniam, erogare oportet, & solum distributor immutatur: vti enim Rex esse deberet, in eius locum ipsi Præsules veluti substituuntur. sicque si bonis, ac Deum timentibus ea facultas tribuatur; nihil inde pauperibus sequitur detrimenti. Quin putauerim, tributa etiam malis præsulibus testandi venia, eisdem pauperibus consultiùs prouideri: quãdoquidem, etsi hi mali antistites, eam veniam obtinentes, congregandis pecunijs studeant; cum tamen de ijs tunc disponere debeant, cum se administrationis rationem Deo reddituros intelligunt; optimo iure speratur, eos, saltem æternæ metu damnationis, in pauperes erogaturos, prout oportet. Quod si eam facultatem minimè obtineant, cùm animaduertant sibi prohibitum de ijs testamento disponere; tunc sanè id exequentur, cum nullũ prorsus sibi videtur mortis periculum imminere, ac proinde nullo gehennæ timore perterriti: quo certè tempore iustè vereri debemus, nè consanguineis, alijsuè; non verò pauperibus illas elargiantur.

CONSILIVM XIX.

Mistrettam, aliasque Sicilia Ciuitates Demaniales, iure alienari nõ posse: & alienatas, si se redimere velint, esse audiendas, & ad redemptionem admittendas, nihil obstante, quòd ius luendi venditum quoque fuerit.

Ad Cap. 16. Ferdinandi Regis, cap. 9. Iacobi, cap. 1. & 2. Martini, cap. 357. & 423. Alphonsi, & cap. 19. Ioannis.

QVoniam ea omnia, quæ hoc loci sumus dicturi, ansam tractandi præbuit Mistrettę Ciuitatis venditio, de eaq; apertè loquitur *cap. 16. cit.* Regis Ferdinandi; ideo eam præ cęteris expressimus, eamque solam in tota hac disputatione nominabimus; monentes, ea prorsus omnia, quæ de ipsa expressim dicentur, de alijs quoque dici omnino oportere; modò quæ eidem sunt peculiaria excipiantur. Tractaturis igitur nobis primùm num illius venditio, atque alienatio iure fuerit celebrata; præmittere necessarium est, quibus tandem iuribus, aut priuilegijs innitatur, quò minus vendi, alienarique iure queat.

§. I.

Priuilegia ac iura tum propria, tum communia, quibus hæc Ciuitas contra alienationem communitur: & difficultates pertractandæ.

SVMMAE.

1 *IVra omnibus Ciuitatibus communia recensentur.*

2 *Iura propria Ciuitatis Mistrettæ.*

3 *Quæ colligantur ex* cap. 16. *Ferdinandi*
4 *Priuilegia eiusdem Ciuitatis.*
Primum.
Quid Casalium nomine apud Siculos intelligatur.
5 *Secundum priuilegium.*
6 *Tertium priuilegium.*
7 *Quartum priuilegium, quod amplissimum est.*
8 *Quæ ex hoc priuilegio colligantur.*
9 *Difficultates hic tractandæ.*

1 SAnè iura, alijs quoque Siciliæ ciuitatibus communia, quibus hac in re ea Ciuitas fulciri potest, ea sunt, quæ modò innuimus; puta primùm *cap.* 9. Regis Iacobi; vbi: *circa donationes*, inquit, *diligenti consideratione pensantes, quam Regiæ dignitati expediat, ac sit fructuosum, & vtile, absque fidelium nostrorum grauamine, curiæ nostræ demania alienari aliquatenus non debere; præsentis prouisionis edicto mandamus, & tam nos, quàm hæredes, & successores nostros ab ipsorũ demaniorum donatione volumus abstinere: nam quanto ipsa demania seruabuntur, ipsorum concessione prohibita; tantò prouentus fisci nostri vberiores fieri poterunt; & per copiam, & vbertatem ipsorum, qualibet extorsione sopita, status pacificus, & conseruatio nostrorum fidelium reflorebit.* Martinus Rex, Iacobum sequutus, idem fermè sanciuit in *cap.* 1. & 2. *cit.* Item Alphonso placuit, neque id, exigente vrgentissima necessitate, fieri oportere, vt refertur in *cap.* 357. Quod sanè capitulum idemmet Rex confirmauit in *cap.* 423. Demum Ioãnes idem sanciuit in *cap.* 19. addiditque, eiusmodi alienationem, si qua fieret, ipso iure nullam, irritãque censeri; posseque impunè, & manu armata resisti, sine pœna, & infamiæ nota.

2 Iam verò iura, quæ propria sunt relatæ Ciuitatis, plurima sunt, maximique ponderis, ac momenti: primũ quidem habetur in *cap.* 16. Regis Ferdinandi, vbi Siculi omnes in comitijs anni 1481. id ipsum speciatim pro duabus solum ciuitatibus, scilicet Mistrecta, & Capicci à Catholico Rege efflagitarunt vernacula lingua in hæc verba. *Item perche le Terre di Mistretta, & Capicci con gran fatica, & dispisi in tempo della Maestà del Signore Rè Don Alfonso diui recordij foro redutte al Sacro Regio demanio con priuilegij fortissimi de cetero non potiri essiri in tutto, ne in parte alienate; quin immò deuere perpetuo persistere in lo ditto Sacro Regio Demanio, & etiam per li capitoli del Regno dette Terre demaniali non si ponno alienare: contra la forma delli quali priuilegij, & Capituli sonò stati alienate, & occupate certe cose pertinenti al detto Regio demanio: supplica lo detto Regno per parte delle dette Terre plaza à Sua Maestà prouidere, siano le dette cose reintegrate al sacro Regio Demanio, secondo la forma delli detti priuilegij, & capituli.* Regis verò nomine ità responsum est. *Placet Regiæ Maiestati, quòd dicta terra, & eorum casalia, & membra secretiarum perstistant perpetuò in Regio demanio, nec possint in totum, vel in partem alienari, aut in alium trãsferri.* Quod sanè capitulum eodem anno iuramenti religione Alphonsus obfirmauit.

3 Atque ex eo primũ quidem liquet, quas diximus ciuitates, suis expensis, proprijsque nummis se se ad Regis demanium reduxisse: deindè priuilegia fortissima, vt vocant Siculi, obtinere, quibus cautum est, nè vllo prorsus modo alienentur, vtque perpetuò in Regio demanio perseuerent, vti mox edocebimus: præterea id quoque Regni Capitulis præcaueri, vt modò monuimus: rursus tunc temporis nescioquid ad eas pertinens, contrà quæ retulimus capitula, fuisse alienatum: retulimusque priuilegia, demum Regem volentem eadem capitula, iuraque custodiri, præcepisse, vt eædem ciuitates, omneque ad illas spectans, in Regio demanio perpetuò persisterent.

Porrò,

4 Porrò, iura, seu priuilegia quæ *Capitulum 16*. Ferdinandi modo relatũ innuit, quibusq; ea Ciuitas innititur, nè alienetur, neque iustè alienari queat, plurima sunt, atque in supremo Italiæ Senatu fuerunt exhibita, & ab eodẽ vti certissima aprobata: primum sanè ei concessum fuit à Rege Martino 18. Martij anno 1405. vbi refertur, olim eam Ciuitatẽ, eiusque Casalia (sic appellant Siculi paganos quosque vicos, seu etiam Castella, quæ ciuitatibus proxima, earumdem iurisdictioni subijciuntur) fuisse primùm de Regio, vt aiunt, demanio; inde eam possedisse Hugonem la Balba; cuius quidem dominio nè vlteriùs ciues subijcerentur, Regi obtulère pretium, ac re ipsa præstitère, quo illam Martinus redemit, Regioque demanio adiunxit, statuitque, vt de cetero nullo vnquam tempore vendi, alienariuè licitè queat, hisce prorsus verbis: *omni salubriori iure, omnique meliori via seu modo, quibus possumus, Castrũ, & Terram, & Casalia ipsa, & ipsorum iura, & homines Terræ, & Casalium prædictorum, tam præsentes, quam futuros, per nos, successores, & hęredes nostros, quos ad hoc obligamus, & volumus obligari fauoribus, & libertati sacri nostri demanij, cui cuncti populi nostri Regni subesse cupiunt, ac vnioni, & numero, & aggregationi ipsius sacri demanij, & prædicto demanio; de certa nostra scientia, & cum deliberatione nostri Consilij prædicti vnimus, iungimus, & aggregamus*. & infrà. *decernentes, & volentes ab eodem nostro sacro demanio nulla necessitate cogente, nec aliqua ratione, vel caussa separari.*

5 Secundum priuilegium prædictæ Ciuitati concessit Alphonsus Rex 1. Februarij anno 1448. cum enim, Martini priuilegio nihil obstante, vendita alienataque fuerit Vicecomiti Gallani; ciues iterum Regi redemptionis pretium obtulerunt, quo Rex illam redemit; illisque efflagitantibus inter alia iureiurando promisit, proprio, atque hęredum nomine, sese quacumque vrgente necessitate, quacumque via, iure, seu modo, sub quocumque titulo, vel vocabulo venditionis, donationis, &c. prædictam Ciuitatem, eiusque Casalia nullo vnquam tẽpore à sacro Regio demanio separaturum: quod si contrarium ipse, eiusuè successores exequerentur; ciuibus, & eorũ cuilibet indulsit facultatem, sese hac in re defendendi, atque offendendi lethaliter alios, pro tuenda sibi libertate, absque pęnæ cuiuspiam metu, etsi ipsemet Prorex adesset: idque in fine priuilegij hisce fermè verbis iuramento obfirmauit: *necnon de cætero nostra scientia, & cõsultè iuramus per dominũ Deum, & eius sancta Euangelia, manibus nostris tactis scripturis, prædicta capitula* (quorum sanè quartum est id, quod modò retulimus) *& omnia, & singula in eis contenta, secundùm decretationes, & respõsiones prædictas, perpetuò, inuiolabiliter seruare, & tenere per nos, & successores nostros quoscumque, ac per officiales, & subditos nostros, &c.*

6 Tertium priuilegium eidem indulsit ipsemet Alphonsus 10. Iunij anno 1449. in cuius quidem priuilegij præfatione, caussam finalem exprimens. *sanè*, inquit, *attendentes ad grata, grãdia, fructuosa, & accepta seruitia Maiestati nostræ, prædecessoribusque nostris multipliciter præstita in vtroque fortunæ successu, per vniuersitatem, & homines terræ nostræ Mistrectæ, eiusq; Casallum de Regno nostro Siciliæ vltrà farum, & quæ de præsenti præstare non cessant; ipsosque speramus de cætero de bono in melius continuatione laudabili præstituros, quæ mentem nostram non immeritò excitant, & inducunt ad munificam seruitiorum remunerationem: quibus, & alijs considerationibus dignè moti, adiectis insuper supplicationibus vniuersitatis prædictæ, Maiestati nostræ porrectis; eidem vniuersitati, & hominibus dictæ terræ Mistrectæ, & Casalium prædictorum seruitia ipsorũ,*

quæ maiori digna sunt gratia, aliquo rependiorum munere compẽsantes, omnia, & singula infrà nominata priuilegia, prouisiones, &c. confirmamus. Tum expressim Martini, ac suum de re, qua de agimus, priuilegium confirmat, atque etiam alia, quæ ibi recẽset; additque, ea nulla quauis ratione, aut vrgentissima caussa posse, aut debere in totum, vel in partem infringi, violari, seu rescindi, sub quouis colore, seu modo aliquo, directo, vel indirecto interrũpi: & infra: *Ad maioris,* inquit, *gratiæ cumulum eidem vniuersitati, & hominibus dictæ Terræ Mistrectæ, & Casalium præsenti priuilegio omni tempore valituro promittimus, & pollicemur, eidem vniuersitati, & hominibus sub nostris verbo, & fide regalibus, iureiurando ad sacrosancta Dei quatuor Euangelia per nos præstito, quod omnia, & singula suprà nominata priuilegia, & rescripta, ac capitula, exemptiones, & libertates, & quæ continentur in illis, iuxtà ipsorum tenores firmiter tenebimus, & obseruabimus efficaciter; & ab alijs teneri, & obseruari faciemus, & potissimè dictam Terram Mistrectæ, Casalia, & homines, & iura quæcumque in dicto sacro nostro demanio perpetuò retinebimus, conseruabimus, & manutenebimus: & quòd nulla ratione, vel caussa, quantumuis necessaria, vel vrgente, à dicto nostro demanio segregabimus: quod si fieri, & segregari continget, pro infecto ex nunc haberi volumus, decernimus, & iubemus.*

7 Quartum denique priuilegium illi concessit Ferdinandus Rex 10. Maij, anno 1506 vbi Alphonsi priuilegium *n.* 5. & capitulum *n.* 3. relatum recenset, aitque contrà illorum dispositionem fuisse nescio quid ad illam pertinens alienatum: & nè id futuris temporibus exemplo esset, quo eiusce modi priuilegia læderentur, ea expressim confirmauit, attendens maximè, vt ipse ait, ad eiusdem ciuitatis fidelitatem, qua semper Reges prosequuta fuerat: additque insuper: *necnon ad vberiorem cautelam de nouo cõcedimus, quod dicta Terra, & eius Casalia, & membra secretia ipsius, perpetuò persistant, & remaneant in dicto Regio demanio, & patrimonio, & quod nulla caussa, seu necessitate, etiam vrgentissima, de cætero possint in totum, nec in partem etiam minimam per nos, & successores nostros, nec officiales quoscumque vendi, donari, alienari, necnon in alium quouis modo trãsferri; &c.* & infrà: *immo casu,* inquit, *quo per Maiestatẽ nostram, seu successores, & officiales nostros fieret aliqua vẽditio, donatio, &c. de dicta Terra, & eius Casalibus, & membris secretiæ, vel aliqua eorum parte, etiam minima, censeatur nulla & inualida, illamque irritam, & inanem, tamquam si facta non esset, nunc pro tunc, & è conuerso decernimus, & declaramus; nec dicta vniuersitas, & officiales, & singulares personæ ipsius præsentes, & futuri teneãtur exequi, & obseruare: immo possint, & valeant eidem contradicere, & expressè resistere, sine alicuius pęnæ incursu, à qua, casu, quo fieret, nunc pro tunc eodem tenore absoluimus, & liberamus dictã vniuersitatẽ, & eius officiales, ac singulares personas; sic quod nullo modo possint, ratione dictę contradictionis, & resistentiæ, capi, detineri, seu aliter quomodolibet in personis, neque in bonis vexari, neque molestari.*

8 Atque hinc constat primùm, prædictam Ciuitatem nulla prorsus caussa, nullaque necessitate etiam vrgentissima alienari licitè posse: deinde huiusmodi alienationem, si quo modo fieret, fore inualidam, nulliusque momenti: rursus eam obseruare nullo pacto dictam ciuitatem, eiusuè officiarios obstringi: demum eosdem licitè posse illi cõtradicere, ac resistere, absque pęnæ cuiuspiam metu.

9 Atque hæc omnia fusiùs recensere operepretium duxi, vt intelligeretur, quibus tandem iuribus istæc ciuitas sese tueatur, quòminus alienetur, aut alienari iustè queat; ijs enim non obstan-

ſtatibus, ſuperiori anno 1630. vẽdita, atque alienata fuit, ac proindè in ſupremo Italicarum rerum Senatu diù fuit altercatum, num iuſtè fuerit vẽdita; numque ad redemptionem ſaltẽ ſint ciues admittendi; num denique illis ſeſe redimendi facultas adimi à Rege, atque emptori vendi potuerit. Quoniam verò hę omnes difficultates alias quoque ſecum trahunt, quæ omnino hoc loci ſunt enodandæ; ideo altiùs rem repetere oportuit, quam ſequentibus aſſertionibus exponam.

§. II.

Quonam modo ſupremi Principes legibus à ſe latis obſtringantur: & an liceat de eorum poteſtate diſputare.

S V M M AE.

10 *Supremus Princeps, ac legiſlator legibus à ſe latis quoad vim directiuam ſubijcitur.*
Hæc propoſitio eſt Sancti Thomæ, & omnium fermè Theologorum, atque etiam plurium Iuriſconſultorum.
11 *Quomodo eam explicat Sanctus Thomas.*
Princeps quo ſenſu à lege ſolutus dicatur.
Nullus propriè à ſe ipſo cogitur.
Princeps, quantum ad Dei iudicium, à lege ſolutus non eſt.
Quonam modo ſupra legẽ eſſe dicatur.
12 *Ea propoſitio diuino iure probatur.*
13 *Item Pontificio.*
Princeps ſucceſſoribus legem imponere poteſt.
14 *Item iure Cæſareo probatur.*
15 *Demum naturali ratione.*
Lex omnis ſecundùm naturalem rationem eſſe debet.
16 *Lex omnis inuentio, & donum Dei eſt. & omnes legum Conditores legum inuentionem in Deum retulerunt. & n. 17. & 18.*
19 *Facultatem legiſpoſitiuã Deus immediatè populo conceſſit.*
Populus eam in Principem tranſtulit.
20 *Dei intentio in facultate illa tribuenda.*
21 *Item populi intentio.*
22 *Poteſt quiſpiam ſe ipſum cogere, ſi moraliter, non verè, & phyſicè loquamur.*
Voti obligatio.
23 *Licitum eſt de ſupremi Principis poteſtate diſputare.*
L. ſacrilegij C. de diuerſ. reſcript. & l. diſputare C. de crim. ſacril. *exponitur.*
Licitum eſt de Epiſcopi electione diſputare, etſi à Summo Principe facta.

10 PRima igitur aſſertio ſit, quemlibet ſupremum Principem, ſupremumuè legiſlatorem, legibus à ſe latis ſubijci quoad Deũ, peccareque, ſicuti cæteri, ſi eas minimè cuſtodiat, cum res legibus ſubiectæ, ſeu, vt aiunt, legum materia ipſi ſupremo legiſlatori, ipſiuſque ſubditis communis reperitur. Hanc concluſionem vti veriſſimam omnes fermè Theologi amplectuntur, præſertim *1. 2. q. 96. ar. 5.* ſecuti *S. Thomã* ibidẽ, vbi eam docet in *reſp. ad 3. & lib. 3. Polit. lect. 9. in fine*, vt etiam ipſi *conſ. 1. à n. 15.* animaduertimus. eamdem quoque profitentur iuris vtriuſque periti, præcipuè in *l. Princeps ff. de legib. & in cap. cum omnes, de conſtit.* quorum aliquos laudat, ſectaturque *Suarez lib. 3. de legib. cap. 35. n. 4.*

11 Eam verò hiſce verbis explicat *S. Thomas:* Princeps dicitur eſſe ſolutus à lege, quantum ad vim coactiuam legis; nullus enim propriè cogitur à ſe ipſo: lex autem non habet vim coactiuam, niſi ex principis poteſtate: ſic igitur princeps dicitur eſſe ſolutus à lege: quia nullus in ipſum poteſt iudicium condemnationis ferre, ſi contrà legem agat: vnde ſuper illud *pſal. 50. Tibi ſoli peccaui, &c.* dicit *Gloſſa*, quòd Rex non habet hominem, qui ſua facta dijudicet. Sed, quantum ad vim directiuam legis, Princeps ſubditur legi propria voluntate, ſecundũ quod dicitur *extrà de conſt. cap. cum omnes*, quod quiſque iuris in alterum ſtatuit, ipſe

ipse eodem iure vti debet (quod est desumptũ ex Prætoris edicto *ff. quod quisque iuris,&c.*idque ibidem *Vlpianus l.*1.ait,summam habere æquitatẽ: quis enim,inquit, aspernabitur idem ius sibi dici,quod ipse alijs dixit?) & Sapientis(putà Catonis) patere legẽ, quam ipse tuleris. improperatur etiã his à Domino,qui dicunt, & non faciunt, & qui alijs onera grauia imponũt,& ipsi nec digito volunt ea mouere,vt dicitur *Matth.* 23. vndè quantũ ad Dei iudicium Princeps non est solutus à lege,quantum ad vim directiuam eius; sed debet voluntarius, non coactus legem implere. Est etiam Princeps supra legem, in quantum, si expediens fuerit, potest legem mutare,& in ea dispensare pro loco,& tempore.Hæc ex *Sancto Thoma*. Atque hoc vltimum vberiùs explicauit *ead.* 1.2.*q.*97.*art.*4.cuius sanè doctrinam totidem verbis retulimus, quòd nostram assertionem planè explicat,& cõfirmatque humano, diuinoque iure, ac ratione quoq;naturali, vt mox videbimus.

12 Et quidem,quod spectat ad ius diuinum, addit rectè *Suarez* illud Prouerb.20.*Pondus,& pondus, mensura, & mensura abominabile est Domino*, & illud Micheæ 6. *Numquid iustificabo stateram impij?* Et *Anastasius Germonius lib.*1.*animaduersionum cap.*1. addit illud D.Pauli ad Roman.cap.2. vbi:*propter quod*, inquit, *inexcusabilis es,ò homo omnis,qui iudicas: in quo enĩ alterum iudicas,te ipsum cõdemnas: eadem enim agis, quæ iudicas: existimas autem hoc,ò homo,qui iudicas eos, qui talia agunt,& facis ea, quia tu effugies iudicium Dei?*

13 Quod verò attinet ad ius canonũ, addere licet *cap.iustum est dist.* 9. vbi Sanctus Isidorus: *iustum est*, inquit, *Principem legibus obtemperare suis: tũc enim iura sua ab omnibus custodienda existimet,quando,& ipse illis reuerentiã præbet.Principes legibus teneri suis, nec in se conuenit posse damnare.* (seu mauis frustrare) *iura, quæ in subiectis constituunt: iusta est enim vocis eorum. auctoritas,si quod populis prohibent,sibi licere non patiantur.*Refert *Suarez* aurea *S. Ambrosij* verba ad Valentinianum scribentis: *quod præscripsisti*, inquit,*alijs,præscripsisti etiam tibi: leges enim Imperator fert, quas primus ipse custodiat*. Hinc & Imperatores Carolus,& Ludouicus suis quoque successoribus legem imposuère, vt benè elicitur ex *cap.quia iusta* 16 *q.*1.monetque *Glossa in cap.non licet Papæ* 12.*qu.* 2.vbi Symmachum Papam legem tulisse refertur,quę expressim ipsum Põtificem Summum comprehendit, vt ibidem *Glossa* quoque animaduertit: etsi legem illam non humanam, sed diuinam naturalem esse innuat *Nauarr.comment.de spol.cler.initio.*

14 Denique,quoad ius ciuile,addi debet *vulg.l.digna vox C. de legib.l. ex imperfecto C. de testam.l.ex imperfecto ff.de leg.3 §.fin.in fine,instit.quib.mod. testam.infirm.*aliaque recenset *Gloss. in d.l. Princeps cit.ff de legib.* Refert *Ianus Langlæus in suis semestribus: lib.*7. *cap.*17.plures Principes summos, qui legibus suum submisère principatum.

15 Rationem verò naturalem huiusce primæ assertionis quidam ab extrinsecis principijs aucupantur; præsertim, quia lex omnis esse debet secundùm naturalem rationem *cap erit autem dist.*4.*cum similib.* docetque *Sanctus Thomas* 1.2.*qu.* 97.*art.*3.*in corp.*alij verò eam ex ipsa legis vi, atque efficacia illi intrinseca venãtur, vt scitè explicuit *Suarez n.*6.*& seq.loc.cit.* qua de re consulendi sunt præcipuè idem *Suarez,& Germonius locis superius allegatis,Valen.*1.2.*disp.*7.*q.*5.*punt.*4.*à vers.restat autẽ hoc loco*,alijq; apud ipsos.

16 Equidem eamità cõmodè proferrem. quæcumque legum ferendarum facultas, quam supremi Principes obtinẽt, à duobus veluti causis,seu principijs ortum trahit; vnum, quod remotum,ac mediatum; alterum, quod pro-

proximũ, atque immediatum appellare non incongruè possumus: primũ quidem est ipsemet Deus, nedum vt auctor supernaturalis; verum quoque vt naturalis: quãobrem ipsimet Ethnici leges *Donum Dei* appellauère, vt adhibita Demosthenis auctoritate, Martianus iurisconsultus legem definiuit in *l. 2. ff. de legib.* lex est, inquit, cui omnes homines debent obedire, tum propter multa, & varia, tum maximè, quia omnis lex inuentio quędã, & *donum Dei* est. & *Cicero Philippica* 11. lex, inquit, nihil aliud est, nisi recta, & à numine Deorum tracta ratio, imperans honesta, prohibensque contraria: monetque ex multis iuribus *Glossa in l. fin. verbo diuino C. de præscrip. long temp.* leges omnes diuinitus hominibus tributas.

17 Id quod scitè, vt assolet, ostendit *S. Thomas 1.2. q. 93. art. 3. in arg. sed cõtra.* ex illo Prouerb. 8. *per me Reges regnant, & legum conditores iusta decernunt.* & in *corp. art.* id ipsum probat naturali ratione ex principio Philosophorum, ac Theologorum omnium communi desumpta: puta in omnibus viuentibus ordinatis secundi mouentis virtutem oportere à primi mouentis virtute deriuari. atque ità in omnibus gubernantibus gubernationis rõnẽ à primo gubernante, puta Deo, ad secundos, puta Principes debere deriuari. Quod iterum confirmat ex *Augustino lib. 1. de lib. arb. cap. 5. & 6.* qui docet, in temporali lege nihil esse iustum, ac legitimum, quod non ex lege æterna homines sibi deriuauerint. quibus addendum est, quod ait idem *S. Augustinus trac. 6. in Ioan.* idest iura humana per Imperatores, & Reges Deus distribuit generi humano: atq; alia quoque *S. Augustini* loca laudat *Suarez lib. 2. de legib. cap. 4. n. 4.*

18 Consulenda sunt, quæ Nicolaus Papa Michaeli Imperatori scripsit, vt refertur in *cap. cum ad verum, dist. 96.* præcipuè ibi: idem mediator Dei, & hominum homo Christus Iesus sic actibus proprijs, & dignitatibus distinctis, officia potestatis vtriusque (ecclesiasticæ, & secularis) discreuit. & quæ, eleganter sanè, Ino. III. Constantinop. Imper. scripsit, ac recensentur in *cap. solitæ, de maior. & obed.* præsertim ibi: præterea nosse debueras, quod fecit Deus duo magna luminaria in firmamento cęli; luminare maius, vt præesset diei, & luminare minus, vt præesset nocti: vtrumque magnum, sed alterum maius. Ad firmamentum igitur cęli, hoc est vniuersalis ecclesiæ, fecit Deus duo magna luminaria, idest duas instituit dignitates, quæ sunt Pontificalis auctoritas, & regalis potestas: sed illa, quæ præest diebus, idest spiritualibus, maior est: quę verò carnalibus, minor, vt quanta est inter Solem, & Lunam, tanta inter Pontifices, & Reges differentia cognoscatur: & cætera. Id quod & Iustinianus Imperator agnoscens in *Auth. quomod oport. Episc §. 1. coll. 1.* maxima quidem, inquit, in omnibus sunt dona Dei, a superna collata clemẽtia, Sacerdotium, & imperium ex vno, eodemque principio vtraque procedentia. Confert plurimum id; quod edocuit Apostolus *Rom. 13.* vbi, non esse ait potestatem, nisi à Deo: atque hinc infert, Dei ordinationi eum resistere, qui potestati resistit. quam quidem veritatem probat *Suarez lib. 3. de legib. cap. 3.* Atque hinc factum arbitror, vt omnes prorsus legum conditores suarum legum inuentionem in Deum referrent, vt pluribus exemplis ostendit *Tiraquel. in præfat. de retract. ling. nu.* 12. apud quem alios reperies, hac ipsa de re latius disserentes.

19 Porrò eam ferẽdarũ legum facultatem, quã *legislatiuam* DD. vocãt, & *Aristoteles in Ethicorum libris*, quem laudat *S. Thomas 2. 2. q. 50. art. 1. in 3. arg.* vocat *legispositiuam*, Deus immediatè populo, seu communitati cõcessit, si de ciuili, seu politica, non verò de ecclesiastica loquamur, vt certè hic loquimur: atque illud probat *Suarez*

rez loc. cit. cap. 3. S. Thomam, aliosque sequutus, docuitque Pomponius iurisconsultus in *l.* 2. §. *nouissimè ff. de orig. iuris*, & Vlpianus *in l.* 1. *ff. de const. Princip.* & populũ ipsum in Principem eamdẽ facultatem transfudisse, ex modo laudatis legibus satis elici potest.

20 Est itaque principium remotum, ac mediatũ illius facultatis ipsemet Deus; proximum, atq; immediatum populus ipse, siue communitas. Atque hinc fit, debere Principẽ ea vti facultate secundùm ipsius Dei principalis legislatoris intentionem, atque etiã communitatis, suamque intentioni vtriusque conformem reddere, quæ quoad effectum, seu obiectum, eadem prorsus censeri debet, neque eius limites, ac terminos excedere potest, *arg. l. diligenter ff. mandati*. Atqui Dei voluntas, atque intentio, in facultate populo, ac Principibus tribuenda, directa, & ordinata fuit ad bonũ totius reipublicæ, prout hæc ex capite, cęterisque membris conflatur: quemadmodum autem in corporibus, quæ materialia nuncupamus, id, quod ad totius bonũ dirigitur, ad caput quoq; spectat; ita & in mystico reipublicæ corpore id, quod ad totius bonum ordinatur, caput quoque, puta Supremũ Principem concludere oportet. Generalis itaque legis obligatio ipsum etiã vti caput obstringit, cęteros verò veluti membra; seu, quod idem censendum est in re, qua de agimus, Principẽ quoad vim directiuam, vt loquitur doctè *Sanctus Thomas*, cęteros autem quoad vim coactiuam: & contrarium esset contrà Dei intentionem, rationisque dictamen. Hinc rectè *S. August. lib. 3. confess. cap.* 8. turpis est, inquit, omnis pars suo vniuerso non congruens: id quod refertur in *cap. quæ contrà dist.* 8.

21 Neque verò ambigendum est, Populi quoque, seu communitatis intentionem esse eam ipsam, quam Dei esse asseruimus, à quo proximè, atque immediatè eam facultatem recepit, & ad cuius intentionem conformare suã oportuit: quarè, si populus aliam habuisset, nequaquam ea satis fuisset, vt Principem à legis obligatione liberaret. præterquamquod neque populus in Principem maiorem potuit trãsferre facultatẽ, quam ipse à Deo obtineret, vulg. *l. nemo ff. de reg. iur.* atqui certum omnino est, facultatem hanc legispositiuam ipsum etiam populum obligandi vim obtinuisse. Hinc deniq; puto, antiquos quoque Cęsares plurium quarumdam legum veniam efflagitasse, vt *Germonius* loco superius laudato refert.

22 Neque sanè impossibile censendũ est, posse quempiam se ipsum præcepto aliquo, lege uè à se lata, quoad vim directiuam, obligare; quin etiam quoad vim coactiuam, si moralem perpẽdamus, non verò physicam, quæ propriè subiectorum distinctionem, puta cogẽtis, & coacti requirit. Id quod nõ incongruè ostenditur voti exemplo, quod vouentem ipsum obstringit, & quidem ad modum legis cuiuspiam: quam ob causam *S. Thom.* 2. 2. *qu.* 88. *art.* 10. *in corp.* docet, eum, qui vouet, quodam modò sibi statuere legem, ipsummet obligantem: & tamen adeo solutio necessaria est post votũ emissum, vt sine proprio salutis dispendio alicui non liceat resilire, *cap. licet. de voto*; ità sanè, vt etiam cogi dicatur illud persoluere, quod Deo vouendo promisit; non quidem à vi extrinseca, quæ physicam coactionem exerceat; sed ab ipsamet vi, atque efficacia legis, seu voti, morali quodam modo: sicuti omnes cogi dicimur ad quidpiã faciendum, cum id ipsũ præstare à lege quapiam iubemur. sed hac de re satis: legendi sunt auctores sæpiùs laudati, & *Rebuff. in l.* 1. *nu.* 4. *ff. de constit. Princip. Coras. lib.* 2. *Miscellan cap.* 25. *à n.* 1. *vsque ad* 6. *Menchaca lib.* 1. *controu. Ill. cap.* 1. *à n.* 14. *vsque ad finem*, vbi rem prosequitur copiosè: & *cap.* 45. vbi iterũ rẽ vberrimè pertractauit.

Se-

23 Secunda assertio est, licitum esse de supremi Principis potestate disputare. Hæc propositio ineptam quorumdam doctrinã euertit, qui plus æquo, quin & noxiè Principibus blandiẽtes, eorum potestatem neque rationis viribus attingendam, aut limitibus finiendam putant. quare de ea disputãdi omnibus ademptam esse facultatẽ improbè arbitrantur. Nostra verò assertio inter Catholicos certissima esse debet. qua de re *cons. 1. n. 38.* egimus, vbi eam ex *Alexandri* doctrina probauimus; atque ex aliorum quoque sẽtentia. Explicuimus ibidem *l. sacrilegij C. de diuers. rescrip. & l. disputare* C. *de crim. sacrileg* hìc autem addẽdum est, primam harũ legem de ijs loqui, qui diuinis audent obuiare beneficijs; secundam verò de ijs, qui de principali iudicio disputant, dubitantque, an is dignus sit, quem elegerit Imperator; & vtramque de ijs, qui non de Principis potestate instituunt quæstionem, sed ab eo factam electionẽ, aut aliud concessum priuilegium, dijudicant, improbantque: quod etiam intelligẽdum, cum ea facit ex certa scientia; sed non in Episcoporum electione, vt monet rectè *Gloss. in l. disputare cit.* atque etiam alia in *cap. eam te, de ætat. & qualit. verb. literarum*. Atque hinc est, quod omnes fermè Doctores de Principis potestate liberè agunt, quæruntque, num id, illudue licitè facere queat; ac nemo eos sacrilegos vocat. Et sanè, quod attinet ad Regem nostrum æquè pium, ac summè potentẽ, omnis prorsus cessat difficultas: is .n. cuilibet permittit de eius disputare potestate: quin sępè expressim iubet, suos Consiliarios in hac, illaue quæstione decernere, num iure quidpiam ipse facere queat; & quandoque illud omittit, quod ab illis intelligat, illud licitè fieri non posse; & quandoque etiam ob hanc ipsam rationem aliqua reuocat, vt experimento pluries comperimus. quarè ineptè prorsus in re, de qua hoc loci principaliter agimus, quidam nobis obiectant, malè omnino quæri, num Ciuitates demaniales à Rege iure alienari queant: id enim, vt dixim⁹, iure optimo indagatur. Sed nũc addo omnino vid. *D. D. Mar. Cutelli de don. tract. 1. disc. 2. p. 6. n. 36. & seq.* cuius quidẽ auctoritas, quippe viri doctissimi, plurimum apud me valet.

§. III.

Princeps priuilegium à se concessum, etsi simplex, absque caussa reuocare nequit, quamuis subdito fuerit indultum.

SVMMAE.

24 *Ratio assertionis, & num. seqq.*
25 *Veniale peccatum omnino euitandum.*
26 *Malè à quibusdam* P. Franciscus Suarez *pro contraria sentẽtia laudatur.* *Plures doctores quomodo hac in re exponendi sunt.*
27 *Aduersariorũ doctrina ex ipsis iuribus, quibus innituntur, euertitur.* Glossa in cap. decet de reg. iur. *nobis fauet.* *Auctorum doctrina intelligenda iuxtà iura, quibus innituntur.*
28 Cap. quia sæpè. de elect. *nihil aduersarijs fauet; nobis verò plurimum suffragatur.*
29 *Nec* c. clericis, de immunit. eccles. in 6. *Clericis, humano, diuinoque iure immunitas competit.*
30 *Nec illis fauet* cap. fin. de sent. excõm.
31 *Nec* cap. nè aliqui, de priuileg. *Priuilegiũ, vt quis excommunicari nequeat, ad ordinarij sententias nõ extenditur.* *Ius ordinariæ iurisdictioni plurimum fauet.*
32 Clement. dudum, de sepult. *neque aduersarijs suffragatur.*
33 *Nec demum nobis obstat* cap. suggestũ de decimis, *quin maximè patrocinatur.*
34 *Alia iura, quæ aduersarij proferunt, explicantur.*
35 L. qui fundos C. de omn. agr. deser. lib. 11. *nihil obstat.*

Inconstantia in Principe reprobatur.

86 *Et in omnibus hominibus reprehensibilis est & repellenda.*

Princeps philosophia plenus esse debet.

Philosophus constans.

Inconstantia vitium est prudentiæ oppositum.

Consilium mutari non potest in alterius detrimentum.

87 *Nostræ assertionis efficax ratio redditur.*

88 *Nostra assertio, quo casu ab omnibus fermè defenditur.*

Princeps nequit absque caussa res subditis auferre.

89 *Alius casus, in quo nostra assertio ab omnibus defenditur.*

84 TErtia assertio est, Principē supremum minimè posse absq; caussa licitè reuocare priuilegium à se, etiam subdito, concessum, quāuis simplex sit, ac prorsus gratuitum. Hæc sanè assertio est contra plures, quos citat *Ant.Gabr. concl.7.n.1. de iure quæsito non tollendo*, qui iuribus, quæ mox referemus, innītūtur. & postea quam hæc scripseram, in libellum quemdam incidi, cuius inscriptio est, *de Principis potestate circa reuocationē priuilegiorū*, cōscriptū à doctiss. *Fabio Capycio* inrecōsulto Neapolitano, qui contrariam nostræ assertioni doctrinā amplectitur, speciatim etiam loquens de priuilegijs demanialium Ciuitatū, vt inferiùs quoque dicemus. Certa tamen apud omnes esse deberet, qui Christiano nomine gloriantur. Ratio autem est, quia indecens omnino est, Principem à se concessum priuilegiū absque caussa reuocare *cap. decet, de reg. iur. Auth. constitutio, quæ de dignit. ante finem coll.6.* ac passim in vtroque iure decernitur: cuius legibus obstringi Principem à *n.10.* probatum est: illud ergo illicitum erit.

85 Et quamuis verissimum sit, posse quidpiam esse licitum, quod non deceat, iuxta regulam, non omne quod licet, honestum est *ff. de reg. iur.* vt fusiùs *conf.1.n.29.* explicuimus; id tamē intelligi debet quoad forum exterius, ac politicam rationem; non verò quoad interius, Deique iudicium, apud quem id, quod indecens est, illicitum quoque censetur: ac proindè saltem erit leue peccatum, quod veniale nūcupamus: quod ità Christianis euitādum censent Theologi, vt etiam pro spirituali salute totius vniuersi minimè sit patrandum, etsi leuissimum foret: quin pęnas inferorum potiùs subeundas volunt, nedum sensus, sed etiam damni, vt ipsi loquuntur: quapropter docent, Beatos ipsos libenter potiùs visionem beatificam amissuros, si fieri id posset, quā minimum veniale peccatum patraturos: cuius rei ratio euidens est: etenim visionis beatificæ amissio pęna est, seu pęnæ malum, at peccatum veniale est malum culpæ, vt fusiùs Theologi explicant, hac de re consulendi: neque enim quęstio est huius loci.

86 Hinc miror plurimum, quosdam, qui se Theologos profitentur, sæpè Principibus consuluisse, vt concessa à se priuilegia absque caussa reuocarēt, docentes, id licitè fieri, atque id ipsū peccatum esse veniale censentes. Et quamuis illorum aliqui auctoritati *Francisci Suarez lib.8. de legib. cap. 37. n.10.* innitantur, qui docet, posse eū, qui concessit priuilegia, eadem reuocare; nihilominus ibi doctissimus *Suarez* nonnisi de valore reuocationis agit, de quo tamen ipsi minimè tractamus, atque eam validam fore, vt alij quoque opinantur, atque inferiùs dicemus: num verò ea sit licita, in fine *n. 10.* docet, si caussa subsit, fore licitam; sin minus, saltem futuram culpā venialem: quæ sanè duo, cum plurimi iuris vtriusque periti à se inuicem minimè seiungant; eorumdem plures loqui intelligi commodè possunt de valore reuocationis, non verò an ea licita censeatur: nisi forte ij expressim autument, eam esse nedum firmam, validamque, verum etiam licitam, ho-

ne-

nestam, atque decentem.

27 Atque id ipsum, quod asseruimus, facili negotio elicitur ex ijs ipsis iuribus, quibus contrariæ sententiæ patroni vnicè innituntur. Ea verò sunt, quæ laudat *Glossa in cap. decet cit. de reg. iur.* cuius doctrinam sequi se profitentur; etsi malè ab ijs intelligatur, vt mox ostendemus: aç præterea *l. qui fundos C. de omn. agr. deser. lib.* 11. Sed quod attinet ad *Glossam*, aio, ipsius doctrinam nobis potiùs fauere, quam aduersari: etenim ea in *verb. mansurum: nota*, inquit, *quod hoc verbum, decet, quod ponitur in hac regula, quantū ad ipsos subditos, necessitatē importat, & quantum ad ipsum* Principem, *potestatem: ipse enim priuilegium, per se concessum, diminuere, vel moderari, & etiam in totum tollere potest.* & infrà: *secundum*, inquit, (putà hoc Ipsū, quod modò retulimus) *probatur suprà eodē lib. de elect. quia sæpè; de immunit. eccles. clericis; de sentent. excomm. cap. vlt. in fine.* Glossæ igitur doctrinam intelligamus oportet secundùm iura, quibus ipsamet innititur, vt generatim post *Bart. in l. nō solum §. si liberationis verba ff. de libert. leg Salic. in l. ex cautione col.* 10. *C. de non num. pecun. Ioa. And. in cap. cum nūtius de testi.* docet *Iason in l. si quis in conscribendo n.* 18. *C. de pactis, Menoch. consf.* 247. *nu.* 26. *lib.* 3. alijque.

28 Atqui euidēs est, ea, quæ recenset, caussam requirere, vt priuilegia licitè reuocari queant: nam *cap. quia sæpè, de elect.* de ijs loquitur, qui Prælatorum decedentium spolia, ac viduatarum ecclesiarum fructus, & prouētus occupant, inter se diuidunt, subripiunt, dilapidant, dissipant, & consumunt, in earumdem Ecclesiarum graue dispendium, & iacturam. Decernit igitur ibi Bonifacius Octauus, vt hi, qui præmissa de cætero præsūpserint, eo ipso sint, & tandiù maneāt ab officio, & beneficijs quibuscumque suspensi, donec plenè restituerint quicquid de ijs bonis perceperint, nō obstantibus quibuslibet priuilegijs, vel indulgentijs, aut contrarijs consuetudinibus, constitutionibus, vel statutis iuramento, confirmatione sedis Apostolicæ, aut alia quacumque firmitate vallatis; quæ omnia reuocat, nulliusque statuit esse firmitatis. Liquet igitur satis in *cit. cap.* priuilegia reuocari ob caussam prorsus necessariam, ac maximè conuenientem: inde namque graue ecclesijs dispendium, futurisuè Præsulibus sequebatur: vel enim ea bona in eorumdem ecclesiarum vtilitatem expendi, vel futuris debebant successoribus reseruari, vt ibidem Pontifex monet.

29 Deindè idem Bonifacius Octauus in *cap. clericis, de immun. eccles. in* 6. vetat grauia onera à laicis, clericis imponi, reuocatque omnia prorsus priuilegia, quæ fortè hac in re Imperatoribus, Regibus, alijsuè fuissent improbè concessa. Atque ex hoc eodem *cap.* satis apparet, causam requiri, vt iustè priuilegia reuocentur: quis enim neget, caussam esse sūmè iustam, ac congruentem quorumlibet priuilegiorum reuocandorum ecclesiasticam libertatem, quæ exigit, vt ecclesiarū ministri, diuinisque rebus mancipati, ab hisce oneribus sint immunes: id quod nedum humano iure, sed etiam diuino sanciri docuit sæpè laudatus Bonifacius Octauus in *cap. quamquā, de censib. in* 6. innuiturque alibi, præsertim in *Conc. Trid. sess.* 25. *cap.* 20. *de reform.* ibi: *personarum ecclesiasticarum immunitatem Dei ordinatione, & canonicis sanctionibus constitutam esse.* qua de re vide *Less. lib.* 2. *de iust. & iur. cap.* 33. *dub.* 4. ac proindè ipsum Bonifaciū in *cap. cit.* ea onera imponere clericis appellauit iniquum actum.

30 Denique idem *Bonif. in cap. fin. de senten. excom.* de interdicto loquitur, indulgetque, vt possit sacrosanctum missæ sacrificium, diuinaque officia, eo nihil obstante, certis quibusdam festis diebus celebrari; modo ea seruetur forma, quam ibi præscribit: tum ea

Mm 2 om-

omnia reuocat priuilegia, quæ contrà illius capitis diſpoſitionem reperirentur. quod factum eſt, nè eccleſiaſticæ cenſuræ omnino vileſcerent; quæ fuit iuſtiſſima cauſſa illa priuilegia reuocandi. Quibus ſanè omnibus conſtat ſatis, illius *Gloſſulæ* doctrinam noſtræ omnino ſuffragari: dicimus enim, ſi iuſta cauſſa ſubſit, poſſe Principem licitè gratuita priuilegia reuocare; ſin verò cauſſa abſit; id licitè, honeſteque fieri nequaquam poſſe.

31 Iam verò alia *Gloſſa in d. cap. clericis verb. non obſtantibus*, in contrariæ ſententiæ fauorem laudat *cap. nè aliqui, de priuileg. eod. lib. 6.* quod tamen nihil prorſus traditæ doctrinæ obſtare videtur: etenim ibi Clemens quartus omnes indulgentias, & priuilegia quibuſcumque ſingularibus perſonis eccleſiaſticis, vel ſecularibus, cuiuſcumque ſint præeminentiæ, dignitatis, conditionis, aut ſtatus, quod interdici à quocumque, vel excommunicari non poſſint, nec terræ, vel eccleſiæ ipſorum eccleſiaſtico interdicto ſupponi, ſub quacumque forma verborũ conceſſa, ad ordinariorum ſententias, & proceſſus edicto perpetuo prohibuit extendi. Id vero ſanciuit: nè, inquit, aliqui, de indultis Apoſtolicis confidentes, alios confidentiùs in ſuo iure moleſtent, & ordinariorum iuriſdictionem contemnant pariter, & eludãt: quæ ſanè fuit ſufficiens, immo neceſſaria ratio illud decernendi: quam quidem meliùs explicuit in idem fermè inſtitutum *Conc. Trid. ſeſſ. 24. cap. 11. de reform.* Quoniam, inquit, priuilegia, & exemptiones, quæ varijs titulis plerique cõcedunt, hodiè perturbationem in Epiſcoporum iuriſdictione excitare, & exemptis occaſionem laxioris vitæ præbere dignoſcuntur, & reliqua. Aliaque huiuſcemodi in iure Pontificio ordinariæ iuriſdictionis fauore decernuntur, vt in *cap. cũ & plantare, de priuileg. cap. venerabili de verb. ſign.* alibique.

32 Porrò *Add. Io. And. in Gloſſ. cit. cap. decet*, ad contrariam opinionem roborandam laudat *Clement. dudum, de ſepult. initio*: quæ tamen minus etiam obſtar: quandoquidem ibidem Clemens quintus rationem refert, qua motus reuocauit Benedict. XI. decretalem, quæ aliam Bonifacij Octaui reuocabat; quia ſcilicet ea Benedicti decretalis, vt probauit, inquit Clemens, effectus, nedum pacis, ab auctore ipſius (putà Benedicto) ſperatæ, fructum non attulit; quin immo diſcordiæ, pro qua ſedanda proceſſerat, fomentum non modicum miniſtrauit; nos eam omnino caſſantes: & cętera, quæ ſequũtur: quæ ſanè fuit ratio ſufficiens, ac neceſſaria illius decretalis reuocandæ.

33 Demum aliqui addũt *cap. ſugeſtũ, de decimis*, vbi Alex. III. priuilegium de decimis percipiendis, quibuſdam conceſſum, reuocauit. id quod tamen minus nobis aduerſatur; quandoquidem factum eſt ob peculiarem rationem, quam Pontifex explicuit in hęc verba: nam, inquit, quando Romana eccleſia ordini veſtro (Abbatem, ac fratres Dolon. alloquitur) priuilegia de decimis dederat, ità erant rarę Abbatiæ veſtri ordinis, quod inde nulli poterat de iure ſcandalum ſuboriri: ſed nunc in tantum augmentatæ ſunt, ac poſſeſſionibus ditatæ, quòd multi viri eccleſiaſtici de vobis apud nos querelam ſæpè proponunt. Cum ergo illud priuilegium ex poſt facto inceperit enormiter eſſe nociuũ, omnino reuocandum fuit, ſecundùm doctrinam *Gloſſæ ibid. verb. querelam ſæpè proponunt*, atque etiam aliorum. quin immo ex hoc ipſo *cap.* plurimum roboratur id, quod ipſi aſſerimus: etenim ibidem innuitur, quòd neutiquã priuilegium illud reuocatum fuiſſet, niſi cauſſa, quæ ibi exprimitur, adfuiſſet. quamobrem monet *Gloſſa verb. priuilegia*, varianda ea eſſe ſecundùm diuerſitatem temporum, rerumque varietatem; cum de cętero perpetua firmitate conſtare debeãt, 25. q. 2. c. 1.

Alia

34 Alia quoque iura ab aduersæ partis patronis proferri solent, veluti *cap. veniens, de præscrip. cap. in nostra de iniur. cap. 1. de constit. in 6.* aliaque: quæ sanè omnia vel de priuilegijs minimè loquuntur, vel saltem caussa adfuit illa penitus reuocandi, aut aliquatenus minuendi: neque enim reperire potui in iure canonum exemplũ aliquod priuilegij, etiam gratuiti, absque caussa reuocati.

35 Et nec quidē in iure Cęsareo illud inuenies: nam *l. qui fundos C. de omn. agr. deser. lib. 11.* cui vnicè contrariæ sententię Auctores innituntur, de priuilegio minimè loquitur, sed dè contractu emphyteutico, vt animaduertit *Molina lib. 4. de primog. cap. 3. num. 16. post Glossam ibidē verb. iure priuato* atque alios omnes: & hic etiam contractus neque nouis cōditionibus alteratur, sed ea tantum, inquit *Molina*, quæ inerat à principio ex natura contractus; quod nedum Princeps, sed quilibet priuatus facere potest: atque alios quoque laudat, qui in hunc fermè modum legem illam interpretantur. & sanè, vt ille modus contractui apponeretur, vt scilicet, qui fundos fertiles accipit, steriles quoque sumat, caussa sufficiens, ac necessaria minimè defuit: incongruũ enim erat, vt vnus fertilibus, sterilibus verò cæteri vterentur. consule *Molinam*, cuius ipsi doctrinam *cons. 1. à num. 18.* transcripsimus, vbi latè ostendimus cum eodem, nihil magis esse Regia Maiestate indignum, quam, vt ipse ait, quod Princeps absque caussa possit propria priuilegia reuocare, cum inconstantia, ac variatio in Principe, præsertim in beneficijs à se concessis, reprobetur, qui debet esse immobilis sicuti polus, & sicut lapis angularis, & habere vnam linguam, & vnum calamum, vt dixit *Baldus* alijque à *Molina loco cit.* laudati.

36 Quibus nunc addo, inconstantiam in omnibus prorsus hominibus esse reprehensibilem *l. in caussæ ff. de pro-curat. ibique Glossa verb. recusabit*: atq; in omnibus quoque reprehenoã, *Glossa in l. si impubes §. quoties verb. totam ff. de Carbon. edict.* iterũ *in l. filio, verb. ex momentarijs C. de inoffic. testam.* maximèque in Principibus esse vituperandam *l. 1. & 2. C. Ne fisc. rem. quã vend. euin. lib. 10.* & Imperator Iustinianus in *l. si quis iusiurandum C. de reb. cred.* inconstātiam, & varietatem vocat iniquitatē, vt monuit *Glossa verb. iniquitates*, quam singularem appellat *Ludou. Roman sing. 42.* & donationis reuocationem animi leuitatem nuncupat Imperator in *l. si repetenti C. de condit. ob causs* Cumq; Philosophiæ plenum esse Principem iura decernant *l. cum Syllanianũ C. ad senatuscōs. Syllan.* atque Philosopho exacta cōstātia exigatur *l. si quod venditor ff. de Aedilit. edict.* eiuscemodi varietas vti in omnibus *l. fin. §. fin. C. de mod mulct.* ità maximè in Summo Principe erit erubescenda *vide Luc. de Pen. in l. prędia C. de locat. præd. ciuil lib. 11.* & vniuersè, ac generatim omnem prorsus inconstantiam esse vitium prudentiæ oppositum, rectè probat *S. Th. 2. 2. q. 53. art. 5.* & pręsertim *Iacob. 1.* dicitur: *vir duplex animo, inconstans est in omnibus vijs suis*. Aque hinc, ni fallor, originem traxit ea iuris regula, quod semel placuit ampliùs displicere non potest, *de reg. iur. in 6.* & præsertim cum inde sequitur alterius detrimentum *cap. mutare consilium quis non potest in alterius detrimentum, de reg. iur. eod. lib. 6 & l. nemo potest ff. eod.* recolenda omnino sunt ea, quæ latiùs *cons. 1. cit.* ipsi hac de re disseruimus.

37 Monuerim hoc loco id, quod obiter nuper animaduerti, nimirum plures auctorum, qui contrariam doctrinam amplectuntur, solùm de valore reuocationis loqui; non verò agere, an ea licita, honestaque sit, de quo nos hìc disputamus: ac proindè eorũ doctrina nostræ nequaquam aduersatur. sed quamuis ità foret, apertè falsitatis conuincitur, nedum expositis

tis hùcusque rationibus, verum quia omnino ex vna parte concedendum est, Principem, cum priuilegium, etsi gratuitum, indulsit, fuisse aliqua iusta caussa motum, vt illud cōcederet; nè illum sine ratione operari arbitremur; ideoque illa concessio bona, decensque fuit, si ad mores referatur: ex alia verò parte, cum eadem in ijsdem prorsus circumstantijs perseuerer, vti modo supponimus; erit proculdubio bona, conueniensque: malè igitur reuocabitur; atque inde reuocans imprudētiæ iustè arguetur, vt ex doctrina S. *Thomæ* loco superius laudato manifestè colligitur. Quibus adiungitur, eiusmodi concessionem, seu donationem esse contractum quemdam, vt docet *Suarez loco cit. nu.* 8. qui post quam consummatus est, gentium iure, ac naturali obligat, quo minus violetur: quā ob caussam putauerim in *l. fin. C. de vsucap. pro dō.* ab Imperatoribus sancirum, nemini licere irritā facere perfectam donationē: id quod alibi etiam reperies decretum: quibus sanè legibus Principem quoq; supremum alligatum, prima assertione demonstrauimus.

38 Porrò huiusce tertię assertionis doctrinam omnes penitus amplectūtur, cum ex eiusmodi donatione, aut priuilegio, in priuilegiarium cuiuspiam rei dominium, aliudué ius deriuatum siue translatum est, vt post alios plures ostendit *Suarez n. 7. & Ant. Gabr, n. 3. & 5. D. Cutell. d. p. 6. a n.* 33. Cuius sanè rei ratio euidēs est, quia nullo prorsus modo potest Princeps iustè, ac licitè subditis absque caussa res auferre, quas legitimè possident, quarumque legitimum ius obtinent, vt omnes prorsus docent: neque igitur licitè ea priuilegia reuocare poterit, ex quorum reuocatione earum rerum ablatio sequeretur, vt sanè in casu, de quo modo loquimur, eueniret.

39 Iterum eiusdem tertiæ assertionis doctrinam omnes profitentur, cum priuilegia illa ex eorum numero existunt, quæ remuneratoria, & ex caussa onerosa obsequiorum præstitorum concessa, appellare consueuimus. eamdem ipsi amplexi sumus, atque latiùs ostendimus *cons.* 1. ibique consulenda sunt, quæ hoc loci non sine stomacho repeterentur. Addo plures apud *D. Cutell. d. p. 6. n.* 104. 193. *& seq.* Solùm ea hic diluere oportet, quæ cōtrà traditam doctrinam *Capycius* obiectat.

§. IV.

Improbatur doctrina *Fabij Capycij*, & aliorum, requirentium æquiualentiam inter rē à Principe concessam, & merita; & meritorū specificā mētionem.

SVMMAE.

40 D*Octrina* Capycij, *& aliorum refertur.*

41 *Quid sit æquiualentia Arithmetica.*

42 *Quid Geometrica.*

43 *Nobiles liberales, vt plurimum.*

Supremi Principis donationes insinuatione non indigent, quia nunquam modum excedunt: & n. 44.

45 *In dono præsertim donātis affectus perpendi debet.*

46 *In gratia non requiritur æqualitas, quæ in iustitia.*

47 *Donantis qualitas consideranda.*

48 *Donum non excedit merita, si vltrà dimidium non excedat.*

49 *Priuilegium excedens merita, in sententia quoque aduersariorum, in quo reuocari posset.*

50 *Probabilius est, nullo modo reuocari posse.*

Quomodo gratiæ antiquitùs depingerētur.

51 *In referenda gratia plus dare debemus, quam acceperimus.*

52 *Vilius uendere non est donare.*

53 *Meritum aliud est congruum, aliud cōdignum.*

In congruo æqualitas non requiritur.

Ho-

Homo iustus peccatori ex congruo primã gratiam meretur.

54 *In merito condigno, neque æqualitas requiritur.*

55 *Vitæ æternę retributio non solum in operum bonitate, sed maximè in diuina promissione fundatur.*

56 *Vlterius ostenditur nostra doctrina.*

57 *Exemplo explicatur: & n. seq.*

59 L. si vnquam, *locum non habet in donatione remuneratoria, meritis haud plurimum excellente.*

Quod modicum est, non consideratur.

60 *Aduersariorum doctrina, requirentium specificam meritorum mẽtionem, refertur.*

61 *Euertitur: & nn. seqq.*

Donatio in dubio remuneratoria præsumitur.

62 *Etiam in personis prohibitis.*

63 *Opinio non requirens specificam mentionem probatur.*

64 *Principi merita referenti credendũ est.*

40 AIt igitur *Capycius* primùm, veriſſimã eſſe doctrinã poſitam §. *anteced.* cum cauſſa, inquit, eſt commenſurabilis, atque æquiualens rei conceſſæ; falſam verò, cum id non accidit: tunc enim putat priuilegium reuocabile exiſtimandũ; citatque præcipuè *Felin. in cap nouit, verſ. nunc transeo n.* 10. *de iudic.* qui tamen, ſi attentè legatur, nihil prorſus docet, quod nobis aduerſetur: expreſſiùs id docere videtur *Ruyn. conſ.* 173. *n.* 10. *lib.* 1. aliique, quos idemmet *Capycius* allegat. ſed quicquid ſit de huiuſce opinionis auctoribus; ea improbabilis videtur, ſi generatim, atque vniuersè loquamur.

41 Etenim, vt hinc exordiar, vel ij æquiualentiam Arithmeticam in re, qua de agimus, requiri volunt, puta vt nè minimum quidem res, ſiue priuilegium conceſſum excedat cauſſam, ſeu, quod idem eſt in re præſenti, merita, quibus priuilegiarius illud pro meritus eſt: atque hanc æquiualentiam exigi, impoſſibile eſt: quandoquidem hominis intellectus de huiuſcemodi indiuiſibilibus dijudicare minimè poteſt.

42 Vel ij æquiualentiam Geometricã requirunt, puta vt merita proportionem quamdam habeant ad rem conceſſam: hinc verò fit, vt non ſolùm earum rerum intrinſecus valor perpẽdi debeat, verum quoque cauſſæ extrinſecæ, à quibus ea omnia producuntur. id quod in hunc fermè modũ probatur, & explicatur. Vt rectè intelligatur, num res conceſſa, aut priuilegium æquale ſit donatarij, aut priuilegiarij meritis, an verò eadem excedat, non ſolùm hæc duo conſiderare oportet, quoad valorem intrinſecum, & prout in ſe ipſis ab omnibus æſtimãtur, abſque eo, quod ad principium producens extrinſecum referantur; verum, ea quidem neceſſe eſt perpendantur, ſed ad hoc principium relata, ratione cuius plurimum valoris accipiunt, vel etiam deperdunt.

43 Hinc eſt, quòd ſi is, qui acceptam gratiam alia rependit, diues eſt, nobiliſque, quia hanc ſibi quodammodo nobilitas legem imponit, vt debere ſe, quod ſpontè tribuit, exiſtimet, & niſi in beneficijs ſuis creuerit, nihil ſe præſtitiſſe putet, vt ait Greg. relatus in *c.* 1. *de donationibus*; hoc quidẽ caſu, etſi donatio meritum, in ſe ipſo conſideratum, excedat; abſolutè tamen illud excedere minimè dicetur, ſi illa remuneratio morem haud tranſgrediatur eorum, qui diuites, nobileſque ſimile meritum remunerantur, vt poſt *Corn. Barb.* alioſque animaduertit *Tiraq. in l. ſi vnquam, verb. donatione largitus n.* 84. *C. de reuoc. donation.* ac præſertim, ſi is, qui beneficio beneficium rependit, Supremus fuerit Princeps, cuius donationes inſinuatione non indigere, quippe quæ nunquam modum excedunt, monuit poſt alios idẽ *Tiraq. cap.* 38. *de nobilit. n* 47.

44 Res igitur, quæ in ſe ipſis magnæ ſunt, atque etiam magnæ æſtimãtur; ſi ad eum, qui illas donat, comparẽtur,

tur, paruæ sæpè cēseri possunt, vt monuit *Accursius in l.sed et si suscepit verb. modica ff. de iudic.* vbi docet, modicū quidpiam dici respectu personarum; sicut, subdit idem Accursius, ait Comitissa Matilda, aliquantulum terræ concedo illi Ecclesiæ, quæ tamen in xx. milliaria extendebatur. Quamobrem, vt refert *Tiraq.n.* 84.*cit.* rectè *Barb.in cap.sedes, de rescrip.* ait, se sustinuisse quamdam donationem à Principe ob merita factam, quæ ob id impugnabatur, quòd merita tantæ donationi non responderent: *nam satis est*, inquit, *ea respondere liberalitati Principis, quæ maior esse debet, quam alterius priuati, & inopis. Barbatiam* aliosque, idem arbitrantes, citat, sequiturque *Menoch.cons.*1003.*nu.* 63. *lib.*11.

45 In re igitur, de qua agimus, Geometricam illam æquiualentiam, quam diximus ab ijs auctoribus posse requiri, constat, ni fallor, satis, esse quoque petēdam ex conditione remunerantis, non verò tantum ex rebus ipsis, atque in se ipsis consideratis. Iterum ex parte donatarij, aut priuilegiarij perpendendæ sunt circumstantiæ, quæ meritum ipsum, siue præstitum obsequium comitatæ sunt; puta tempus, quo illud exhibitum est, si scilicet fuit opportunum: difficultas, quæ in eodem exhibendo adfuit: locus, in quo fuit præstitum: merentis nobilitas, aliaque huiusmodi: ac præsertim eiusdem affectus, quo illud præstitit, quem præcipuè considerandum docuit *S.Thom.*2.2.*q.*106. *art.* 5. atque ideo *Seneca lib.* 1. *de benef. cap.* 7. quē idem *S.Thomas in arg. sed contra* laudat: *nonnunquam*, ait, *magis nos obligat, qui dedit parua magnificè, & qui exiguum tribuit, sed libenter*. ideoque optimè concludit *D. Thomas in fin. corp.* gratiæ recompensationem attendere magis affectum dantis, quam effectum. & in *resp.ad* 1. docet, beneficium, secundùm quod est laudabile, & prout ei gratiæ recompensatio debetur, materialiter quidem consistere in effectu, sed formaliter, & principaliter in voluntate: vndè *Seneca dicit lib.* 1. *de benef.cap.*6. beneficium non in eo, quod fit, aut datur, consistit, sed in ipso dantis, aut faciētis animo.

46 Hinc idem Sanctus Doctor in *resp.* ad 2. vult, non requiri in gratia eam æqualitatem, quæ ad Iustitiam exigitur: & in *resp.ad* 3. ait, quòd licet affectum hominis per se solus Deus videat; tamen secundùm quod per aliqua signa manifestatur, potest etiam ipsū homo cognoscere, & hoc modo affectus benefacientis cognoscitur ex ipso modo, quo beneficium tribuitur, puta quia gaudenter, & promptè aliquis beneficium impendit.

47 Adderem id inde etiā colligi posse, quòd quis, considerata ipsius conditione, seu qualitate, plus sæpè tribuere dicitur, quam alius, considerata etiam huius conditione. Ità legimus *Marci* 12. *in fine, & Lucæ* 21. *initio*, Christum dominum, cum eos vidisset, qui sua munera in Gozophylacium mittebant diuites, vidisset autem & quamdam viduam pauperculam mittentem æra minuta duo, discipulis dixisse: *verè dico vobis, quia vidua hæc pauper plusquam omnes misit; nam omnes hi ex abundanti sibi miserunt in munera Dei, hæc autem ex eo, quod deest illi, omnem victum suum, quem habuit, misit*, Atque hinc fit, vt duæ operationes quoad perfectionem intrinsecam prorsus eædem, seu mauis æquales, maximè differant, si ad eas, quas diximus, circumstantias referātur, atque vna suprà aliam perfectior censeatur. Sicque, si magnus quispiā Princeps beneficium, vel obsequium paruum, ipsi tamen magno affectu exhibitum, magno quoque beneficio rependat, erit sanè hic æqualitas meriti, ac præmij, ob rationem hùcusque satis explicatam, quam etiam postmodum exponemus.

48 His verò hūc in modum præmissis, in re, de qua agimus, philosophandū

erit,

erit, vt in donatione remuneratoria plures ratiocinantur, secuti *Baldum in Auth. ex testamento col. 2. vers. sed contrà hoc facit C. de collat.* quos laudat *Tiraq. in d. l. si vnquam nu.* 81. Docet igitur *Baldus*, quòd, ad hoc vt merita, seu, vt ipse ait, seruitia dicãtur æquiualentia rei donatæ, sufficit, quod nõ sint infrà dimidium ipsius rei donatæ, iuxta *l. 2. Cod. de rescind. vend.* quam sanè *Baldi* opinionem vlteriùs corroborat, atque explicat quomodo sint intelligẽda, idem *Tiraq. n.* 83. in cuius fine: quemadmodum, subdit, venditio minori pretio facta, si pretiũ non sit infrà dimidiam partem, non reuocatur ex lege nostra; (puta *l. si vnquam cit.*) nec huiusmodi etiam donatio, si merita non sunt infrà dimidiam: nihil enim inter vtrumque interest, scilicet inter id, quod excedit pretium, & inter id, quod similiter excedit merita: immò hæc donatio remuneratoria omnium, ni fallor, iudicio reputabitur multò fauorabilior, quã venditio minori pretio facta. atque eædem prorsus rationes, quæ in venditione, quoad id, militant, in donatione quoque, qua de loquimur, perspiciuntur.

49 Atque hinc sanè fit, vt difficillimũ sit, priuilegium reperiri, quod merita, aut obsequia vltrà dimidium excedat: etenim, si Princeps supremus est, qui illud in obsequiorum premiũ indulget, cuius liberalitati maximè congruit ea, à subditis quoque recepta, maioribus beneficijs rependere; quam ob causam eiusdem dona, etsi eximia, parua tamen ab omnibus cẽsentur, si ad illius liberalitatem referantur; is verò, qui priuilegium meruit, illius est subditus, seu, vt feudorum periti loquuntur, Vassallus, quẽ proindè maximo animi affectu, atque opportunè suo Principi obsequutum existimare oportet, & id, quod præcipuè remuneratur, affectus sit, iuxta *D. Thomæ* doctrinam; sanè fit hinc cõsequens, vt impossibile penè sit, priuilegium reperiri, quod merita vltrà dimidium excedat, atque ità reuocari queat; non quidem integrum, vt falsò quidam opinari videntur; sed in eo, in quo vltrà dimidiam partem meritis excellit, vt plures in remuneratoria donatione rectè ratiocinantur, quos *Tiraquellus n.* 79. recenset.

50 Verum enimuero, etsi priuilegium merita remunerans reperiretur, quod ipsismet meritis vltrà dimidium partem antecelleret; nihilominus equidẽ puto, minimè illud reuocari licitè posse, neque in eo, quo meritis excellit. Moueor ad id asserẽdum, quia, cum de remuneratione agimus, non arctioribus iustitiæ regulis ratiocinari debemus, quæ perfectissimam rerum æqualitatem vt plurimum requirunt; etsi de cętero in contractibus, vt nuper monui, quæ vltrà dimidium non excedit, læsio minimè censeatur. Verum in remuneratione, quibus vtimur regulis, amplissimæ sunt, obligantque remunerantem ea obligatione, quam *Antidoralem* appellamus, vt remunerationem largiore, cumulatioreque mensura rependat, nec ad calculos expensorum, & acceptorum reuocet: id, quod ex *Seruio in 1. Aened. Tiraquellus n.* 85. monet, aiente, maiores nostros scienter tres illas gratias ità depinxisse, vt vna auersa, duæ nos respicerent, sic docentes, profectam à nobis gratiam, duplicem reuerti debere.

51 Et *Hesiodus* poeta: *eadem*, inquit, *mensura, & meliùs, si possis*: vt certè Supremus Princeps potest. *Tullius quoq; lib. 1. off.* idem *ex Hesiodo* docet, monetque ex eodem, in referenda gratia imitari nos debere fertiles agros, qui multò plus afferunt, quam acceperũt, vti postea dixère *Dec. & Lancell. in l. quæ dotis ff sol. matrim.* quos refert *Sãchez lib. 6. de matrim. disp. 6. n.* 7. atque hoc idem ostendit *S. Thomas 2. 2. qu. 106. cit. art. 6.* vbi in *arg. sed contrà*, refert *Aristotelis* enunciatum in *lib. 5. Eth. cap. 5.* putà: *refamulari oportet ei, qui*

qui gratiam fecit, & rursum ipsum recipere: quod quidem, inquit Sanctus Doctor, fit dum aliquid maius retribuitur. atque in *corp. art.* rem validã ratione demonstrat; concluditque in hæc verba: *Et ideo gratiæ recompensatio semper tendit, vt pro suo posse aliquid maius retribuat.* & in *resp. ad secundũ arg.* debitum, inquit, gratitudinis ex charitate deriuatur, quæ quantò plus soluitur, tantò magis debetur, *ad Roman.* 13.

52 Leges igitur remunerationis omnino exigunt, vt præmium meritis antecellat: non ergo horum æqualitas requiritur: quin eò perfectiùs quis gratiam gratiã rependit, quò plus merentis beneficio, remunerantis beneficium excellit; quia, vt *S. Thomas* loquitur, quantò plus soluitur, plus debetur. Præterquamquod in re nostra dici non incongruè posset, id totum, quo priuilegiũ meritis præstat, remunerationis nomine censeri, vt *Baldus in rub. C. de contrah emp. in* 12. *q.* prout illum retulit *Tiraq. nu. 7. loco cit.* in venditione philosophatur; puta, quòd viliùs vendere non sit donare, etiãsi apponatur clausula donationis, quia est actus consecutiuus naturæ venditionis; atque ita remanet titulo venditionis. Ità in re nostra gratiam rependere excedentem etiam notabiliter obsequia recepta, actus est consequens remunerationis, & quidem perfectissimæ, naturam.

53 Iam vero id ipsum, quod asseruimus, vlteriùs probari, explanarique non ineptè potest analogia, seu similitudine meriti, quod Theologi, post suum præceptorem *D. Th.* 1.2 *q.* 114. *art.* 1. 3. *& 6.* alibique, in *congruum*, & *condignum* partiuntur. Etenim Auctores illi, aut volunt obsequia ex cõgruo mereri priuilegium, puta quia cõgruũ est, vt Princeps, obsequia recipiens, priuilegium concedat; id tamen non iustitiæ legibus debetur: aut volunt ex condigno obsequia ipsa priuilegiũ mereri; puta quia iustitiæ legibus id ipsum debetur: si primum eligant; asserere quoque vel inuiti cogũtur, nullo modo inter meritum, ac priuilegiũ exigi æqualitatem: certissimum enim est, illam in merito congruo minimè requiri; vt in eo satis cõstat, quo homo quispiam iustus, qui sit purus homo, peccatori primam gratiam mereatur, vt docet *S. Thom. art. 6. cit.* qui *art. 3. cit. in corp.* loquens de opere hominis meritorio vitæ æternæ: si, inquit, consideretur secundùm substãtiam operis, & secundùm quod procedit ex libero arbitrio; sic non potest esse ibi condignitas, propter maximã inæqualitatem; sed est ibi congruitas, propter quamdam æqualitatem proportionis: videtur enim congruum, vt homini operanti secundùm suam virtutem, Deus recompenset secundùm excellentiam suæ virtutis. vide *D. Thomam* in merito de congruo cõsiderare proportionis æqualitatem, vt scilicet meritorum recompensatio referatur, tum ad virtutem operatiuã, vt aiunt, hominis seruientis, tum etiã ad excellentiam virtutis compensãtis. non igitur inter meritum congruum, ac præmium illi correspondens, necesse est æqualitas intercedat. Atque ità neque in re nostra illa exigitur, si meritum dumtaxat congruum esse oporteat.

54 Quod si ij Doctores velint, hoc meritum debere esse condignum; iam nõ erit amplius remuneratio, quæ iure gratitudinis, sed quæ iustitiæ legibus debeatur, vt scitè Theologi, cum agunt de merito, docent. sed neque in hoc merito necessaria est æqualitas ipsiusmet meriti, & præmij, seu coronæ, vt euidenter constat in merito bonorum operum, quæ à gratia sanctificante proficiscuntur, si ad æternam vitam, siue gloriam referantur, quibus hanc cõdignè homines meremur, vt doctè ostendit *S. Th.* 1. 2. *q.* 114. *cit. art.* 3. quem omnes Doctores Catholici iure sequuntur: cum tamen æterna gloria nostris operibus, etsi gratia,

& charitate prӕditis, longè antecellat, vt monuit quoque *S. Tho. in resp. ad 3. loc. cit.* atque apertè docuit etiam S. Paulus ad Rom. 8. ibi: *non sunt condigna passiones huius temporis ad futurā gloriam, quӕ reuelabitur in nobis*, & 2. ad Corinth. 4. *quod momentaneum est, & leue tribulationis nostrӕ, suprà modū in sublimitate ӕternum gloriӕ pondus operatur in nobis*. quā de re consule luculentam *Sancti Fulgentij* ratiocinationem *lib. 1. ad Monimum ante med.*

55 Quamuis re vera hӕc vitӕ ӕternӕ retributio, non solum ob ipsorū operum bonitatem, sed prӕcipuè ob ipsiusmet Dei retribuētis ordinationē, ac promissionem, de ea benè operantibus retribuenda, à Deo ipso debeatur, vt docuit *S. Thom. qu. 114. cit. art. 1. ad tertium, & art. 4. in corp. & S. August. in psal. 83.* hac de re agens: *debitorem*, inquit, *Deus ipse se fecit, non accipiendo, sed promittendo: non ei dicitur redde, quod accepisti; sed redde, quod promisisti*. idemque docent cӕteri Patres; ac prӕsertim *Concilij Trid. sess. 6. cap. 16.* vbi: *benè*, inquiunt, *operātibus vsque in finem, & in Deo sperantibus proponenda est vita ӕterna, & tāquam gratia filij Dei per Christum Iesum misericorditer promissa; & tanquā merces ex ipsius Dei promissione bonis ipsorum operibus, & meritis fideliter reddenda.*

56 Atq; ex doctrina hoc postremo loco tradita, quӕ fide catholica certissima est, vlteriùs explicatur, probaturque id, quod ipsi intendimus; atq; ità arguere licebit. Diuina ordinatio, & promissio efficit, vt vita ӕterna, bonum infinitum, sit condignū prӕmium bonorum operum, ex gratia procedentium, quӕ finita sunt, ac limitatӕ omnino perfectionis: actualis igitur retributio, & remuneratio, quā obsequia sibi impensa supremus Princeps prҿmio aliquo rependit, efficere quoque potest, vt illud sit condignū prҿmium prҿstitorum obsequiorum, etsi de cҿtero ijsdē penitus antecellat.

Huius sanè Enthymematis antecedēs certissimum est, vt diximus: illatio verò euidens quoque videtur, quia ipsa promissio remunerandi, aut retribuendi ab ipsamet actuali remuneratione, aut retributione, ad quam dirigitur, & qua perficitur, non aliter distinguitur, quam vt via à termino; seu vt motus à producenda qualitate; seu vt res imperfecta à se ipsa iam perfecta; seu denique, vt res quando est in fieri à se ipsa, quando est in facto esse.

57 Id vero totum vltrà nō inepto exēplo confirmatur, quo in re Theologica nuper exposita vtitur *Valent. t. 2. disp. 8. q. 6. punt. 4. vers. ac possumus*: est autem huiuscemodi. Si pecunia Principis iussu ex vili aliqua materia cuderetur, quӕ suapte natura non tanti ӕstimetur, aut valeat, quanti res pro illa commutandӕ penduntur; tunc sanè, si ea pecunia absolutè consideretur, & absque eo, quod ad Principis constitutionem referatur, certum est omnino, eam secundùm commutatricis iustitiӕ regulas, ac rationem, ijs rebus, quas ea quis consequi potest, ӕqualem minimè censeri: ӕqualis verò iure existimabitur, si, vt legi Principis subsٍtat, perpendatur, quā decretum est, vt quisque res sibi necessarias, ea exhibita, iuxtà valorem illi à lege tributum, comparare queat: ità enim fit, vt tanti meritò ea habeatur, quanti res ipsӕ per eam comparandӕ.

58 Eodem igitur modo se res habet in nostro casu: etenim, etsi obsequium, à subdito suo Principi exhibitum, prҿmio, quo illud Princeps rependit, ӕquale minimè foret, si absolutè, ac prӕcisè perpendatur; attamen, si ad actualem eiusdem Principis remunerationem referatur, &, prout ei substat, consideretur, quā illud scienter ӕquale prҿmio fecit; tanti quanti ipsum prҿmium ӕstimari meritò potest: sicuti quoque eueniret, si Deus nullā de retribuenda gloria benè operanti-

bus promissionem præmisisset; eà tamen actu bona opera remuneraretur; hæc enim duo æqualia iure optimo cēserentur. Cum præsertim in re nostra prudenter à Principe tanti ea obsequia æstimari potuerint, quanti & ipsum prẹmium, quo illa remunerauit; puta ob maximum affectum, quo à subdito ea fuerunt impensa: quem profectò, post factam remuneratione͂, impossibile est dignè ab alijs æstimari, quo scilicet gradu, seu intensione fuerit, vt certè potuit Princeps ipse remunerans nullo negotio pendere, reque ipsa pependisse censendum est; nè alioquin eum hac in re imprudenter se gessisse opinemur.

59 Demũ his omnibus, quæ diximus, addere quispiam potest id, quod in remuneratoria donatione plures edocent eo euentu, quo *l. si vnquam sæpè citata*, vrgeret: etenim, si quidem priuilegiũ remuneratorium præstitis obsequijs haud plurimum excelleret; tunc reuocari nullo modo potest, vt in donatione monuit rectè *Tiraq. loc. cit. n. 76. & 113.* probaturque ex *l. ex annuo ff de donation. int. vir. & vxor.* ibi: *tunc, quod superest, reuocabitur, si satis immodicum est*. ac sẽper quod modicum est, in parua fuit consideratione apud iuris vtriusque peritos, vt ostendit idem *Tiraquell. n. 123. cit.* Ex quibus sanè omnibus satis, ni fallor, constat quam habeat veritatem eorum Auctorum doctrina; & quam confusè ijdem hac in re loquuti sint, absolutè, ac indiscriminatim docentes, quodlibet priuilegium, meritis antecellens, posse penitus reuocari: quod omnino absurdissimum est.

60 Ait insuper post alios *Capycius* suprà laudatus, vt priuilegia penitus euertat, ea licitè à Principe posse reuocari, si in ijs non speciatim merita recenseantur; seu, quod est idem, si nulla expressa, ac specifica meritorum mentio fiat; neque generalem eorũdem mentionem sufficere, autumat. Huius verò doctrinæ ratio ab ijs redditur ex ea, quam nuper improbauimus, puta quia alioquin intelligi minimè potest, num merita priuilegio coæquentur. id verò apertiùs docent *Ruyn. consf. 173. cit. n. 12. lib. 1.* in donatione remuneratoria pro casu *l. si vnquam C. de reu. don.* & quidã alij, quos citat *Tiraq. n. 89 & 91.*

61 Verum istæc doctrina, quippequæ præcedenti innititur, ijsdem prorsus rationibus improbatur. Vltrà tamen euertitur aliorum auctoritate, qui, de eadem remuneratoria donatione agẽtes, aiunt, sufficere, vt irreuocabilis censeatur, quòd merita præcesserint, etsi de cętero ea ob merita fieri minimè dicatur. Ità censuisse *Socin. consf. 147. lib. 1. arg. l. si vero non remunerandi §. idem Papinianus ff. mand.* refert *Tiraq. n. 70.* ex qua quidem lege docet *Corasius in l. qui liberos nu. 38. ff. de rit. nup.* donationem in dubio remuneratoriam præsumi.

62 Hoc vltimũ post alios plures, quos laudat, voluit *Tiraq n. 71.* in prohibitis quoque personis locum obtinere, modò in illis merita aliundè probentur: & simile quid *n. 50.* post innumeros alios edocuerat: *& n. 77. post Baldum ex l. nec adiecit ff. pro socio, & l. 1. C. de ann. ciuil. lib. 11.* probat, in qualibet prorsus donatione merita interuenisse præsumi: tamquam scilicet, inquit, non esset quis donaturus, nisi primùm inuitatus, ac prouocatus meritis præcedentibus, iuribus modo recensitis; quod tamen *Tiraq. num. 78.* intelligit, & rectè, si de illis aliàs appareat; alioqui donationes, quas simplices vocamus, minimè reperirentur, si in omnibus merita præsumi deberẽt. enucleatiùs verò, fusiùsque hac de re agit *Tiraq. à n. 87. vsque ad 106. & n. 93.* loquens, vti nos loquimur, de personis minimè prohibitis, refert opinionem *Barthol. Socini consf. 295. lib. 2.* aliorumque, qui illum sequuntur, ac specificam meritorum mentionem exigunt, (fortassis *Socinus* aliter exponi potest: loquitur enim de ea dona-

donatione; quæ, etsi meritorum generalem mentionem faciat; tamen eamdem esse puram, ac simplicem donationem, alijs verbis innuitur) quo dictæ *legis si vnquam*, dispositio locum non obtineat: & *num*.97.hanc quoque doctrinam amplectitur, motus præcipuè tum ratione, quam retulimus, puta quia aliter constare non potest, num ea detur æqualitas, quã superiùs improbauimus; tum etiam, quia generalis mentio meritorum fit potius stylo, seu consuetudine notariorum, & ad colorem, & veluti quẽdam honorem, vt loquitur *Tiraquellus*.

63 Contrariam tamen opinionem cõtrà *Socinum* tuetur *Decius cons*. 10.vbi refert, diluitque *Socini* argumenta; quicquid alibi idem *Decius* innuere videatur. Atque idem quoque ostendit *Iason.cons*.154.*lib*.2.*& Franc.Rip. de reuoc.donatiõ.resp*.9.*& in d. l. si vnquam q*.15 *quos citat Tiraq n*. 94. eãdemque doctrinam *n*.95.*&* 96.non ineptè firmat, etsi aliam sequatur, vti monuimus. Verum rationes ipsius, aliorumque, qui idem præsenserunt, nullius videntur ponderis, ac momẽti: etenim, præterquãquòd illa æqualitas minimè necessaria est, vt superiùs demonstrauimus; si id tamen omnino gratis daretur, nihilominus minimè hæc specifica mentio ad illam æqualitatem cognoscẽdam satis foret: quod enim præcipuè Princeps, alijque remunerant, non sunt obsequia ipsa, vel merita, sed affectus, quo illa exhibita fuerunt, vt sæpè post *S. Thomã* antea edocuimus: qui tamẽ quo gradu, quauè intensione fuerit, intelligi nequaquam potest ex mẽtione specifica meritorum, vt quisque, rem vel leuiter perpendens, deprehendere potest.

64 Quod verò ad stylum spectat, quo *Tiraquellus* vtitur, in re, qua de agimus, nihil penitus vrget: quoties enim Principes priuilegia indulgent, id meritorum contemplatione præstant, quę ideo in illis saltem generaliter referuntur: & cum ipsemet Princeps eadem referat, illi fides est omnino adhibenda, neque aliundè id probari necesse est, vt post alios plures docuit *Io. Garcia de nobilit.glos*.2. *nu*. 20. vbi monuit quoque id, quod in remuneratoria donatione à plerisque, circa hanc meritorum mentionem, asseritur, locum in cęteris, non in Summo Principe obtinere. Demũ nulla prorsus hac in re remanet difficultas, cum aliundè etiam cõiecturis, eadem merita probari queunt, vt ipsemet *Tiraq. n*.100.*& seq*.animaduertit. certum autem esse debet, nullum reperiri Principis priuilegium, quod alicuius sit momenti, sitque in meritorum pręmium concessum, pro cuius firmitate probari nequeãt ipsa merita, quæ eo priuilegio Princeps rependere voluit. & hac de re consuli potest *Menoch.cõs*. 1003.*à n*.78.*lib*. 11.*Tap.decis*.6.*Cutel. disc*.2.*p*.13.*à n*.36.

§. V.

Ostenditur, obsequia, à subditis Principi exhibita, esse, censerique merita, contrà *Capycium*, & alios.

SVMMAE.

65 *Aliorum doctrina refertur.*
66 *Impugnatur, & num.seqq.*
A Deo cõgruè mereri possumus.
67 *Homo in quantum propria voluntate facit id, quod debet, meretur.*
Filius à patre, à domino seruus, & vxor à marito aliquid mereri potest.
68 *Gratuitum quot modis dicatur.*
Obedire est opus meritorium.
69 *Necessitas coactionis facit inuoluntarium.*
Quæ ex obedientia fiunt, sunt Deo magis accepta.
70 *Locus Senecæ enucleatur.*
71 *Inter Dominum, & seruum merita ius agnoscit.*
72 *Item inter parentes, & liberos.*
Obligatio antidoralis in his reperitur.

In-

73 *Inter eosdem valet remuneratoria donatio.*

74 *Notandum pro solutione obiectorum.*

Necessitas coactionis tollit meriti rationem.

Non verò necessitas ex obligatione præcepti.

75 *Gratuitum ex parte operis quodnā sit: & quodnam ex parte operantis.*

76 *Plures leges exponuntur: & nu.* 77. 78. 79.

Ob debitam viliori pretio facta venditio non rescinditur.

65 ADdit præterea *Capycius*, vt priuilegia remuneratoria omnino destruat, non dari, neq; cognosci merita subditi ad suum Principem relata, quæ præmio aliquo ab eodem Principe rependenda censeantur: quæcumque enim obsequia subiectus Principi præstat, ea omnia eidē debet: idque firmat doctrina *S.Th.* 1. 2.*q.*7.*art.*5. quem auctor ille ait, asserere, meritum omnino cessare, vbi quis ex debito operatur. atque hinc infert *Capycius*, filium de parentibus non mereri, neque de viro vxorem, citatque *Franch.decis.*428.*nu.*5, de quibus consulenda sunt, quæ latè, sed minus rectè, differit *Pinellus in l.* 1.*p.* 3.*à num.*59.*& deinceps, C.de bon.mat.* contrà quem aptè, & copiosè scripsit *Ioannes Garsia tract. de donatione remuneratoria*, vbi huius priuilegia firmissimè contra *Arium* defendit.

66 Sed hæc quoque doctrina ex dictis satis diluitur: Etenim, vel auctor iste inter recensitas personas negat meritum condignum, conceditque congruum; vel vtrumque inficiatur: si primum eligat; nobis sanè satis est, vt ex dictis colligitur: si verò eligat secūdum, apertè euertitur istæc doctrina, quia etiam homines congruè à Deo quidpiam meremur; cui tamen omnia quæcumque habemus, aut efficimus, accepta referre debemus: *in ipso*, enim *viuimus, mouemur, & sumus*, vt Apostolus docet *Act.*17.& ipsemet Christus Dominus: *sine me*, inquit, *nihil potestis facere: Ioan.*15. aliaq; plurima eiuscemodi in sacris literis animaduertere licet.

67 Et nihilominus Theologi omnes docent, post *S.Tho.q.*114.*cit. art.* 3. *in corp.* opus hominis meritoriū, (quę verba sunt Sancti Doctoris) si consideretur secundùm substantiam, & secundùm quod procedit ex libero arbitrio, licet nō habeat cum vita æterna condignitatem, propter maximam horum inæqualitatem; tamen habere congruitatem, propter quamdam proportionis æqualitatem: videtur enim congruum, vt homini operanti secundùm suam virtutem, Deus recōpenset secundùm excellentiam suæ virtutis, vt suprà etiam ipsi monuimus. & *art.*1.*eiusd.quæst.* quærens, nū homo possit aliquid mereri à Deo, primum sibi objicit argumētum, quod ex eodem S. Doctore auctor ille falsò nobis obiectat; ait enim: nullus videtur mercedem mereri ex hoc, quod reddit alteri, quod debet; sed per omnia bona, quæ facimus, non possumus sufficienter recompēsare Deo, quod debemus, quin semper amplius debeamus, vt etiam Philosophus dicit *in* 8.*Eth.* (puta *cap.vlt.post mediū*) vndè & *Luc.*17. dicitur: *cum omnia, quæ præcepta sunt, feceritis, dicite serui inutiles sumus; quod debuimus facere, fecimus*. ergo homo nō potest aliquid mereri à Deo: respondet *D.Thō.* hominem in quantum *propria voluntate*, facit illud, quod debet, mereri: id quod *art.*3.*cit.* ijs verbis explicarat: *secundùm quod procedit ex libero arbitrio*: atque id ipsum innuerat 1.2.*qu.* 71.*art.*5.*ad* 1. vbi docet, meritum esse non posse, nisi aliquis faciat *voluntariè*, quod debet. vnde etiam *in corp.art.*1.*cit.* ait, filium posse aliquid à patre mereri, & à Domino seruum. atque idem doceret Sanctus Doctor de vxore ad virum relata.

68 Cuius quidem rei ratio ea est, quæ ex illius doctrina elici potest: Quamuis

uis enim filius patri, vxor viro, seruus domino, obsequi teneantur; quia tamẽ re ipsa possunt id nõ exequi, quin & contrarium præstare, cum ad id habeant physicam libertatem, tum quoad exercitium, tum etiam quoad specificationem; sequitur hinc omnino, eos mereri, cum re ipsa illis obsequũtur. Atq; illud ipsum magis explicat idemmet Sanctus Doctor 2.2.*q.* 104. *art.*1. vbi in *resp. ad tertium* id exponens, quod sibimet ipse obiecerat; putà quia id, ꝙ homo ex debito facit, non est gratuitum; docet, dupliciter aliquid gratuitum iudicari posse; vno, inquit, modo ex parte ipsius operis, quia scilicet homo ad id non obligatur; alio modo ex parte operãtis, quia scilicet *libera voluntate* hoc facit: opus autem, subdit, redditur virtuosum, & laudabile, & meritoriũ præcipuè secundùm quod ex voluntate procedit: & ideo, quamuis obedire sit debitum; si prompta voluntate aliquis obediat, non propter hoc minuitur eius meritum, *maximè* apud Deum, qui non solum exteriora opera, verum etiam interiorem voluntatẽ videt. Vbi præcipuè illud animaduerti debet ex ea vocula, *maximè*, satis inferri, D. Thomam censere, etiam apud homines dari opus gratuitum, laudabile, & meritorium; etsi aliundè illud debitum existat; ea scilicet ratione, quod libera voluntate patratur.

69 Et iterum *S. Thom. ead* 2.2.*q.* 186. *art.*5. vbi quærens, num obedientia pertineat ad religionis perfectionem, *in* 5.*arg.* ità contra se ipsum arguit: illa seruitia sunt Deo maximè accepta, quæ liberaliter, & non ex necessitate fiunt, secundùm illud. 2.*ad Corinth.* 9.*non. ex tristitia, aut ex necessitate*: sed illa quæ fiunt ex obebientia, fiunt ex necessitate præcepti: ergo, &c. Hác verò rationem diluens Sanctus Doctor: necessitas, inquit, coactionis facit inuoluntarium; & ideo excludit rationem laudis, & meriti: sed necessitas, cõsequens obedientiam, non est necessitas coactionis, sed liberæ volũtatis, in quantum homo vult obedire, licèt fortè non vellet id, quod mandatur, secundùm se consideratum, implere, & ideo, quia necessitati aliqua faciendi, quæ secundùm se non placent, per votum obedientiæ homo se subijcit propter Deum; ex hoc ipso ea, quæ facit, sunt Deo magis accepta, etiamsi sint minora: quia nihil maius potest homo Deo dare, quã quòd propriam voluntatem propter ipsum voluntati alterius subijciat.

70 Atque ex hac postrema *Sãcti Thomæ* doctrina id soluitur, quod nobis ex *Seneca lib.*6.*de benef. Tiraquellus n.* 106.*in fine* obiectat, puta: *si quis coactus aliquid boni fecit, quin nos non obliget, manifestiùs est, quam vt vlla in hoc verba impendenda sint*: loquitur enim *Seneca* de necessitate coactionis, quæ facit inuoluntarium. Idem edocuit *Sanctus Thomas* alibi sæpè, præsertim 2.2.*q.*58.*art.*3.*ad* 2.*& qu.* 81. *art.* 6. *ad* 3. Integram *Sancti Thomæ* doctrinam retuli libenter, tum quia ex ea præcipuam nostræ sententiæ rationem collegimus; tum etiam, vt indè apertè constaret, Sanctum Doctorem nobis fauere, non aduersari, vt auctor ille falsò existimauit: neque apud illum 1.2.*q.*7.*art* 5. id, quod auctor idem nobis obijcit, reperitur.

71 Atque hinc sanè ius merita inter recensitas personas recognoscit, ac præcipuè inter seruum, ac dominum, quod difficiliùs videbatur, vt in *l. etiã* §.1.*ff. de manumis. vind.* vbi Paulus: *ex præterito*, inquit, *tẽpore plures causæ esse possunt, veluti quod dominum in prælio adiuuerit; contrà latrones tuitus sit; quòd eum sanauerit; quòd insidias detexerit: & longum est, si exequi voluerimus; quia multa* merita *incidere possunt, quibus honestum sit, libertatem cum decreto præstare*. Et tamen ad illa præstanda domino officia seruus obstringebatur.

72 Et Iustinian' Imperator in *Aut. de nõ*

elig.

elig.sec.nub.§.1. de matre loquẽs, q̃ filij obsequia remuneraauit: *plurimum*, inquit, *à filio experta fauorem*, *existimauit oportere*, *nè relinqueret eum sine remuneratione;&c.* vbi *Glos.verb.oportere*: *nota*, inquit, *nos astringi iure naturali ijs*, *qui benefaciunt nobis*: quasi verò filij in matrem obsequium, beneficium quoque censeatur. atque ideo *Ang.ibid.ex tex.* monet, inter patrem, & filium antidoralem obligationem reperiri, contrà *Lancellotum Politum in l. filium quem C.fam ercisc.* & *Pinellum* superiùs relatum, vtrumq; de meritis pessimè meritum; quos retulit *Garf.loc.cit.n.*43. qui post *Tiraq. n.*21. addit quoque *l. de emãcipatis C. de legit.hæred.* ibi: *à suis genitoribus meruerunt*; & *l cum pater* §. *rogo ff. de leg.* 2. ibi; *rogo filia, vt bona tua quandoque distribuas filijs*, *vt quisque de te meruerit*; *l.* 1. §. *toties ff. de collat. bon.* ibi: *si etiam iudicium patris meruerit*, *l. femina C.de secun.nupt.* ibi: *contemplatione meritorum*.

73 Vndè idemmet *Garsia nu.* 44. post alios innumeros docet, valere remuneratoriam donationem à patre filio benemerito factam: & *n.*2. probarat, antidoralem obligationem inter super recensitas personas reperiri: quandoquidem ea naturalis est, proindèque apud omnes reperiatur, necesse est §. *sed naturalia, instit. de iur. nat. gen. & ciui. l. ex hoc iure ff. eod.* quomodo autẽ vassallus de domino benemereri queat, etiam cũ ipsum in bello comitatur, explicuit *Menoc.cõs.*1003.*à n.* 68. *lib.* 11. de his latè *Cutel.trac.*1.*disc.*2.*p.*13.

74 Sed contrà doctrinam hoc §. traditam plures leges obijci possunt. quò autem ea facillimè ita interpretentur, vt nobis nihil penitùs obsint; moneo, duplicem perpendi posse necessitatem iuxtà *Sancti Thomæ* doctrinam nuper relatam, puta 2.2.*q.*58.*art.* 3. *ad* 3. alibique; vna, quæ ab eo appellatur *necessitas coactionis*: & hæc, inquit, quia repugnat voluntati, tollit rationem meriti: alia autem est *necessitas ex obligatione præcepti, siue ex necessitate finis*; quando scilicet aliquis non potest consequi finem virtutis, nisi hoc faciat: & talis necessitas non excludit rationem meriti; in quantum aliquis hoc, quod sic est necessarium, voluntariè agit.

75 Item ex doctrina eiusdem *Sancti Thomæ ead.* 2.2.*q.*104 *art.* 1.*cit.ad* 3. animaduertendũ est, dupliciter quidpiam posse gratuitum iudicari; primò quidem ex parte operis, puta quia ad illud homo operãs non obligatur: alio autem modo ex parte operantis; quia scilicet libera voluntate illud exercet. Ità Marcellus *in l. Titius ff. de obseq. à lib. & libert. præst.* vbi loquens de domino seruum manumittente, ab eodem pretio accepto: *ille*, inquit, *etiamsi non gratuitum*, (putà ex parte operis) *beneficium tamen præstitit*: putà ex parte operantis, quia scilicet poterat non manumittere, vt ibidem *Glossa* animaduertit. Illæ ergo leges de opere loquuntur, quod necessarium est necessitate coactionis, & quod neque ratione liberæ voluntatis gratuitum erat.

76 Ità quod ait *Modestinus in l. rem legatam ff. de adim leg.* neminem esse in necessitatibus liberalem, quod repetit ex *eod.tex.Glos.*1. *in cap. sedes*, *de rescrip.* exponendum est, in necessitatibus coactionis; qualis proculdubio est necessitas rei familiaris; cum scilicet sumptus necessarij, vel debitum vrget: quæ sanè necessitas adeo cogit, vt venditionem, viliori pretio factã, minimè rescindat *l. non idcirco C. de rescind.vend.* præterquamquod in ea donatione necessaria, de qua *l. rem legatam* loquitur, donator suum dumtaxat commodum, non donatarij respiciebat.

77 Item *l. si seruo ff. de hæred.instit.* & *l. proximè ff. de ritu nupt.* de necessitate coactionis loquuntur, qua hæredes seruis fideicommissariam libertatem præstare obstringuntur; ad quam, etiã seposito hæredis beneficio, proprio

iure

iure serui peruenire queunt, ex constitutione Diui Marci, & Cõmodi ad Aufidium Victorinum, vt in *l. 2. C. si man. ità fue. alie. & in ead. l. si seruo*, refertur: vbi tamen id ipsum aliquo tãdem modo, licet non magnum, *beneficium* appellatur: quod tamen neque ratione liberæ voluntatis gratuitum dici posse, satis elicitur ex verbis Marcelli in *l. proximè cit.* vbi docet, eum hæredem ex necessitate, non *suo arbitrio* manumittere; ità vt in hoc prorsus necessario opere etiam liberum arbitrium excludat.

78 Item Papinianus in *l. vnum ex familia §. si falcidia ff. de leg.* 2. cum ait, facultatem necessariæ electionis non esse beneficium propriæ liberalitatis; illud ex parte ipsius operis perpendit, non verò operantis. id quod ex ipsiusmet verbis satis colligitur; quãdoquidem subdit: *quid enim est, quod de suo videtur reliquisse, qui, quod reliquit, omnino reddere debuit?* en quomodo ipsum opus considerat necessitate coactionis prorsus necessarium, cum, nisi eligat, omnes de familia vocentur *l. cum quidẽ ff. eod.* alijsque à *Gloss. verb. necessaria*, relatis: nã de reliquo, quis certè negabit, hæredis esse beneficiũ, si vnum præ cæteris eligat? eodemque pacto similem obiectionẽ soluit *Glos. in cap. relatum verb. liberaliter de praeben.* liberalitas, inquit, est, vt ei prouideat sine coactione: & licet necesse habeat conferre beneficium; non tamen habet necesse conferre isti, vel illi: & ità, si conferat tibi, gratiam facit; cum eam tibi non teneatur conferre: & sic liberalitas, & necessitas circa diuersa referuntur.

79 Atque in hunc modum aliæ eiuscemodi leges explicãdæ sunt, quas breuitatis studio hoc loci recensere non licet. Quando autem obsequia præstita excedunt ea, quæ debentur, omnes prorsus remuneratione, ac præmio ea digna fore profitentur. qua de re legi potest *Tiraq. nu.* 107. & *Tapia decis.* 6. Demũ in re nostra omnis cessare videtur difficultas: siquidem Rex noster suorum subditorum obsequia sibi exhibita, etsi alioquin debita, vti maxima merita remuneratur: sicuti olim quoque præstitère prisci Imperatores, vt clarè constat ex *l. Nauarchorum C. de nauicul. lib.* 11. *l. fin. C. de præpos. agen. in reb. lib.* 12. & *l. 1. C. de priuileg. eor. qui in sacr. pal. mil. eod. lib.* 12. alijsque. Et quamuis ea obsequia haud forent merita, si in semetipsis considerentur; merita tamen essent ob valorem illum, quẽ illis veluti extrinsecè Principis remuneratio impertitur, vti superiùs ex *Sancti Thomę* doctrina explicuimus copiosè.

§. VI.

Prima ratio, cui Ciuitas Mistrectæ innititur, vt nequeat alienari.

SVMMAE.

80 *Ponitur hæc prima ratio.*
81 *Quorumdam responsio.*
82 *Euertitur.*
Ciues à Principe summo alienati, maxima patiuntur detrimenta: & n. 84. 85. 86.
83 *Episcopi exempti in Concilio generali in meliori loco sedere debent.*
Abbates exempti in Prouincialibus, & Episcopalibus Synodis, mitris aurifriatis vti queunt.
87 *Alia responsio.*
88 *Diluitur.*
Necessitas plura habet priuilegia.
Ei, si publica sit, non à paucis, sed ab omnibus succurrendum.
Vectigalium forma conueniens quænam sit.
89 *Qui commodum sentit, & onus sentire debet.*
90 *Quod omnes tangit, ab omnibus approbari debet.*
91 *Ecclesia instructionibus, ac refectionibus itinerum, ac pontium conferunt.*
92 *In Rep. administranda duo Platonis præcepta.*

93 *Damna ciuitati, ob publicum bonum vēditæ, ab alijs quoque ciuitatibus resarcienda sunt.*
Repetitio nobis competit contra eum, qui damno nostro locupletatus est.
94 *Sicilia pars est Italiæ.*
Dominus à vassallis auxilium petere potest.
Princeps subditos cogere potest, vt sibi, verè indigenti, mutuo dent, modo ijs damna resarciantur.
95 *Aliorum responsio.*
96 *Impugnatur.*

80 ATque, vt, longiùs euagati, ad institutū sermonem reuertamur, ex doctrina tertiæ assertionis positæ §. 3. præcipua ratio elicitur, cui firmiter Mistrectæ Ciuitas innititur, vt vendi iustè, alienariuè nequear: nam quoad hoc fortissimis sanè priuilegijs communitur: cum præsertim iterum, atque iterum suis expensis sese redemerit. quæ quidem priuilegia, cum sint remuneratoria, iuramento obfirmata, atque ex caussa onerosa obsequiorum præstitorum concessa, proindèque vim contractus obtineāt, reuocari nullo pacto queūt, neque ex plenitudine, vt aiunt, potestatis, vt præ cæteris edocuit *Menchac. lib. 1. contr. Ill. cap. 5. num.* 14. vbi ait, quosdam asserere, quod si Rex cū suis subditis talem conuentionem fecerit, quod si proprijs pecunijs se à suis dominis redemerint, eos in suos Princeps recipiet, & nunquam à Regio Patrimonio eos alienabit; non obstante tali conuentione, de plenitudine potestatis, eos Principem licitè alienare posse; *sed hæc opinio*, inquit, auctor laudatus, *tam à veritate longè abest, vt impia iniuria, & perfidia sit, & contrà ius diuinum, naturale, & gētium, & palam egrediatur angustissimos terminos simplicis Principatus, vt ex dictis constat.*

81 Hanc vero firmissimam rationem quidam indè conuellere enituntur, quod Ciuitatum demanialium venditio, seu alienatio, nihil prorsus detrimenti ciuibus ipsis affert: qui enim antea Regi subiecerant, nunc alij subduntur: atqui cum priuilegij etiam remuneratorij reuocatio priuilegiario nihil, aut parum obest, tunc doctrina à nobis tradita locum obtinere non potest, vt omnes fatentur; atque ipsi quoque superiùs innuimus: paruum namque detrimentum à iure nihili fit, vt animaduertere licet in *l. debitori ff. de iudic.*

82 At occurrendum est, videri magnū, quod ciues ità alienari damnum patiuntur: etenim primùm, vt rectè perpendit *Mench. lib. 1. contr. cit. cap. 3. n.* 8. communis hominū æstimatio eos dedecore affectos censet, qui supremo Principi immediatè subiecti, alij postea inferioris notæ homini, & quandoque ex infima plebe, si natales inspicias, subijciuntur. atque eadem quoque hominum opinio, quæ hisce in rebus, similibusque plurimi facienda est, eos honoratiores arbitratur, qui subsunt Regibus, Imperatoribus, supremisque alijs Principibus, quam eos, qui inferioribus Dynastis subdūtur.

83 Id quod ostendit quoque *Mench. post Boerium in præfat. lib. 1. cit. n.* 26. *ex cap. per tuas, de maiorit. & obed. iuxta Gloss. verb. subdiaconatus* vbi ait, Episcopos, quos exemptos nuncupamus, puta, qui immediatè Summo Pontifici subijciuntur, in Generali Concilio in meliori loco sedere debere; & in *cap. vt apostolicæ, de priuileg. in 6.* statuitur, Abbates quoque exēptos in Prouincialibus Cōcilijs, & Episcopalibus synodis mitris aurifrisiatis vti posse; non exemptos verò simplicibus, albis, planisque; vide *l. vlt. ff. de alb. scrib.* Quamobrem ciues ità alienati huiusmodi alienationes ità ęgrè ferunt, vt proprijs expensis sese redimant, nè eo dedecore afficiantur.

84 Item Ciuibus plurimùm nocet ea alienatio, quòd ità alienati pluribus priuilegijs, ac iuribus vti, ac frui mi-

ni-

nimè possunt, cum eorum pleraque ad Supremum Principem referantur. Præterea, quia emptores, nedum cōteti sunt huiusmodi ciues tributis Regiæ Maiestati persoluendis grauari; sed eis denuò aliorum soluendorum onus imponunt: quod ferri non potest ab ijs præsertim, qui ea onera ferre non assueuerunt. quod idem monent omnes ferè, quos inferiùs recensebo, præcipuè *Frāch.decis.*17.*n.*2. vbi Vassallorum demanialium, à Rege alienatorum, conditionem docet fieri deteriorem; *ex quo*, inquit, *secundùm And. quòd præstabunt Baroni collectam in aliis quinque casibus vltrà eas, quæ ordinariè præstantur* Regi; *& sequitur Afflict. &c.* idem edocuere *Ripa in l.* 2.*n.*46 *ff.sol.matr.& Rolan. à Valle omnino legendus conf.*1. *nu.* 36. *&* 37. *vol.* 1. *Aym.Crauet.cōs.*241.*vol.*5. quibus adde, quod habetur *in cap.* 9. Regis Iacobi, nosque initiò retulimus.

85 Insuper plurimum interest Demanialium subditorum duos dominos, seu superiores non habere: quam ob caussam adest decisio *Cappellæ Tholosanæ q.*486 quæ hæc habet: Dominus alicuius Castri, vel Ciuitatis non potest illam, vel illud alteri subijcere, & quod homines illius Castri, vel Ciuitatis possunt se opponere, quia eorum interest, vt non habeant plures dominos: ità tenēt *Hostien. &c.* Ciuitates verò demaniales, cum alteri venduntur, ipsi emptori subduntur veluti immediatè, Regique eas vendenti mediatè subijci, necesse est: huius enim suprema iurisdictio nunquam extingui potest. quare eæ ità venditæ duos dominos prorsus habebunt. vide *Addition.ad Capell.Tholosan.cit.* quæ alia quoque subiungit, quæ plurimū traditæ à nobis doctrinæ conducere queunt, eaque ferè omnia transcripsit ex *Felin.in cap. dilecti verb. hominibus inuitis, & Abbat.ibidem n.*1. *de maioritate, & obedientia*, quos omnino consulere oportet.

86 Demum subditorum interest, dominum non mutare, vt docuit *Inn. in cap.auditis n.*2.*de præscrip.Butr.in cap. cum super n.*14.*ibique Abb. n.* 17.*de re iud.idem Abb.in cap.dilecti cit. Mādel. Alben.con.*64.*n.*3.*Deci.conf.*689. *Crauet.conf.*963.*n.*1.*vol.* 5. *alijque.vide Bald.conf.*327.*vol.*1.*Ioa.Ign. in repet. l.donationes, quas Diuus C. de donat. int. vir. & vxor. Penn. in l.*1.*C.capit. ciuil.exim.lib.*11.*Neniz.conf.*12.*inter consilia feud.Bruni, præsertim à n.*100. ex hac enim domini mutatione, non minimam ciues status mutationē patiuntur, vt doctè, & eleganter explicuit *D. Cutell. in Codice legum Sicul. ad leges Martini cap.*5.*nota* 2.*n.*6.

87 Eamdem primam rationem quidā euertere conantur, aientes, eam quidem verissimam esse, ac plurimū vrgere, nisi aliqua subsit caussa priuilegij reuocandi; tunc enim illud iure optimo reuocari potest, vt omnes cū Theologi, tum Iurisconsulti profitentur: ac præsertim cum ea caussa publica est, ad communemque omnibus pertinens vtilitatem; cui vt prospiciatur, ea priuilegia reuocentur, necesse est: reuocari verò priuilegia demanialium ciuitatum, vt scilicet, ijs nihil obstantibus, nihilominus vendi queant, quò Regis necessitatibus subueniatur, maximè spectat ad communem vtilitatem, quæ à Regio patrocinio penè vnicè dependet, si illud viribus non destituatur. quam sanè publicam vtilitatem, quin & necessitatē Rex in suis literis exarauit, cum vendi Siciliæ ciuitates præcepit.

88 Sed reuera, quamuis publicæ, communique omnibus vtilitati, publicæq; necessitati plurimum iuris iure tribuamus; certissimum tamen esse debet, ei ab omnibus, non ab vno solum, pacisuè esse prospiciendum: vti enim cōmunis est necessitas, ità commune sit quoque remedium, necesse est: id ꝙ iustitiæ distributiuę regulis metiri debemus; vt omnes certè ratiocinantur, cum de vectigalibus agunt, post *Caiet. in sum.verb.vectigalia iniqua*, docen-

tes, eorum formam, vt vocant, conuenientem in eo sitam, vt communia sint omnibus, & referantur ad vniuscuiusque bona, gerendaque negotia; nè scilicet alter plus altero iniuria grauetur.

89 Etenim contrà ius naturale est, relatum in *l. secundum naturam ff. de reg. iur. & cap. qui sentit. eod. tit. lib. 6.* vnius, aut paucorum esse damnum, cum plurium, omniumuè esse queat; lucrum verò, seu emolumentum sit omnibus commune, qui aliorum iactura locupletarentur, contrà ipsum ius naturale, quod refertur in *l. iure naturæ ff. de reg. iur. cap. locupletari eod. tit. cum concord. detrahere*; inquit Cicero lib. 3. off. *aliquid alteri, & hominem hominis incommodo suum augere commodum, magis est contrà naturam, quam mors, quam paupertas, quam dolor, quam cætera, quæ possunt, aut corpori accidere, aut rebus externis, &c.* æquū est enim, vt qui lucrum participat, & damnum quoque participet *l. si igitur in fine ff. pro socio*: neque ferendus est is, qui lucrum quidem amplectitur, onus aurē ei annexum contemnit, ait Iustinianus in *l. vnica §. pro secundo C. de Caduc. Tollen.*

90 Certè, sicuti quod omnes tangit, debet ab omnibus approbari, *Reg. quod omnes de reg. iur. in 6.* ita & communi indigentiæ, seu necessitati, quæ omnes tangit, ab omnibus quoque succurrendum est, ob easdem prorsus, quę in vtroq; casu, alijsque similibus rationes perspiciuntur: vide *Gloss. in cap. accedentes, verb. ab omnibus de præscr.*

91 Atque huic quoque iuri naturali, quod modo retulimus, inniti mihi videtur decisio *l. ad instructiones C. de sacros. eccl.* vbi Honor. ac Theod. Augusti, sacrosanctas ecclesias ad instructiones itinerum, pontiumque libenter adscribunt, atque ibidem *Paul. Castr.* alijque docent, eas ad eorum quoque refectionem debere conferre; quin & ad bellorum expensas: referatque regulam satis vulgatam,

Commoda qui sentis iungas onus emolumentis.

de qua tamē re cōsulendi sunt Theologi, ac Canonistæ.

92 His omnibus adderem verba Innocentij Papæ, quæ referuntur in *cap. accedentes*, ibi: volentes autem, vt, quod omnibus imminet, ab omnibus comportetur, *de præscrip.* contrarium enim apertè iustitiæ distributiuæ regulis aduersatur, quæ medium ponit, nedum in bonis communibus, verum quoque in oneribus distribuēdis: quāobrem scire: *& qui reipublicæ præsūt*, ait Cicero lib. 1. offic. *duo Platonis præcepta tenere debent; vnum, vt vtilitatem Ciuium sic tueantur, vt quicquid agant, ad eam referant; alterum, vt totum corpus reipublicæ curent, nè, cum partem aliquam tuentur, reliquas deserant: qui enim parti ciuium consulunt,* inquit idem Cicero in ijsdem libris, *partem negligunt, rem perniciosissimā in ciuitatem inducunt.*

93 Certè quisque, modò sanæ sit mētis, assereret, acturum pessimè medicum, si, vt multis morbo laborantibus medearur, eorum vnum, vel alterum interimat: si enim morbus cōmunis est omnibus, cur non item medicina communis existat? Longè igitur, vt *Menchaca* verbis vtar, iustius foret, vt quæ ad vniuersæ regionis vtilitatem comparandam, aut necessitatem subleuandam necessaria forent, cum vniuersorum quoque damno, & iactura, vt sic singuli leuiùs onerarētur, compararentur; quandoquidem perindignum est cum quorumdā dūtaxat iactura plures, vel omnes lætificari, aut tueri. Quod si necessitas ità vrgebat, vt ei minimè posset aliūdè commodè, atque extemplo subueniri: iustissimum quoque foret, vt, post quam illi subuentum est maxima Ciuitatis iactura, huic damna, omniū Ciuitatum auxilio, resarcirentur, vt monuit etiā *Menchaca* locis superiùs allegatis. & *cap.* 5. docuit, id esse peni-

nitus obseruandum, cum publica aliqua caussa cuipiam, quod suum est, aufertur: nè scilicet cęteri huius, illiusuè damno locupletentur. quæ sanè fuit ratio, cur ius nobis contrà eum repetitionem impertiatur, qui damno nostro locupletior effectus est, *l. cum ij §. si eid. ff. de transf.*

94 Quod si minus congruè dicas, necessitatem in casu, de quo agimus, nō Siculos vrgere, sed alia premere Regna: aio, id falsum videri: tum quia totius Italiæ pax, & tranquillitas, proindèque Siciliæ, quæ Italiæ pars censetur *l. insulę ff. de iud.* ex bono Insubrico, cui conseruando Rex noster gerit bellum, penitus dependet: tum quia, si necessitas Siculos minimè premit, atque ideo non est suum ei ferre remedium; hinc quoque fit, vt neque ad Ciues, de quibus loquimur, spectet ei vllo modo mederi; præsertim tanto ipsorum incommodo, ac iactura; cum omnibus prorsus par, eademque ratio suffragetur: tum denique quia, etsi aliorum foret Regnorum necessitas; nihilominus Siculi, sicuti & cæteri Regis subditi, obstricti videntur suo Regi, Dominoque opem ferre, vt huic necessitati Rex subuenire queat: habet enim dominus ius petendi auxilium à sibi subiectis, seu vassallis, cum eo verè indiget; ac proindè hi illud præstare obstringuntur. qua de re consule *Afflict. decis. 265. nu. 50. & seq* quin & illos posse Principem compellere, vt sibi indigenti mutuò dent eam pecuniæ quantitatem, quam commodè poterunt; modò ijsdem lucrum indè cessans, emergensuè damnum resarciatur, docuit sæpè laudatus *Mencha. cap. 6. n. 7.*

95 Iterum eamdem primam rationem alij diluere enituntur, quia iam in more positum est, vt passim à Regibus vendantur Ciuitates: qua quidem cōsuetudine, cum Regni Capitulis, tum Mistrectæ priuilegijs videtur derogatum.

96 Verùm, quod spectat ad Regni Capitula, huiuscè obiectionis dilutionē suprà *cons. 3. à n. 177.* tradidimus: quare quæ inibi diximus copiosè, hùc transferantur, necesse est. Quod verò ad priuilegia spectat; præterquamquòd ea penè omnia, quæ de Capitulis edocuimus, priuilegiorū firmitati maximè suffragantur; aio, nullum reperiri morem, quo eiusmodi priuilegia iure dicantur conuelli: ex quo enim ea Ciuitas semel, aut iterum Alphonsi tempore, aut antea vendita fuit, nunquam postea à Regio demanio fuit abstracta, vt ex ijs, quæ initio retulimus, satis colligi potest. Omitto, semper eamdem Ciuitatem, Siculosque omnes hisce venditionibus intercessisse, seu sese illis opposuisse. id quod efficit, vt mos, etsi longæuus, nihil tamen firmitatis obtineat, vt *d. cons. 3. à n. 177.* edocuimus. Consule *Neuiz. cons. 12. inter cons. Bruni*, qui consuetudinem vendendarum Ciuitatum generatim improbat.

§. VII.

Nonnullæ aliæ solutiones primæ nostræ rationis euertūtur; & explicatur, an possit Princeps iurisdictionalia priuilegia ad libitum reuocare.

SVMMAE.

97 *Quorumdam doctrina de hac quæst.*

98 *Euertitur.*

99 *Priuilegium remuneratoriū, concedens iurisdictionem, reuocari non potest.*

100 *Princeps sibi ius superioritatis tollere nequit.*

101 *Iurisdictio est alienabilis.*

102 *Exemptio irreuocabilis est, si ex caussa onerosa concedatur; quamuis ingratitudo superueniret.*

103 *Officiario officium absque caussa auferri non potest.*

De;

97 IAm verò illam, quam primo loco §. *ant.* posuimus rationem; idē *Capycius* euertere se satis, putat quorumdam doctrina, qui aiunt, Principis priuilegia, quæ iurisdictionem alijs indulgent, semper iure posse reuocari; etsi de cętero ex caussa onerosa fuerint concessa, vimque cōtractus obtineant: laudat *Bald. in l. qui se patris n. 14. ver. sed Nicolaus, C. de bon. possess. vnde liberi, Felin. in cap. nouit n. 8. de iud. Gabr. de iur. quæs. non tolle: cōclus. 7. n. 7. aliosque.*

98 Sed id quoque nihil penitus obstat allatæ à nobis rationis firmitati. Et sanè, quod attinet ad auctores, quos *Capycius* citat, ij profectò intelligi exponique ità commodè possunt, vt nobis non aduersentur, cum eorum plures de simplici priuilegio, ac gratuito, non de remuneratorio loquantur, ac de iurisdictione precario concessa, vt plures loquuntur apud *D. Cutell. in Cod. leg. Sicul. ad leges Martini cap. 4. n. 49. & seq.* Et quamuis nōnulli apud eumdem *loc. cit. controu. 1. n. 18.* loquantur de iurisdictione perpetuò in dominium concessa, quam volunt, reuocari, ac modificari posse; ad id tamen causam requirunt; *si iniquum,* inquit *Cutellius, ex ea oriatur, vel publici regiminis turbatio.*

99 Sed, quicquid sit de horum auctorum opinione, contrariam, si de remuneratorio sit sermo, ac de concessa pretio, meritisuè, non autem precario, plures, grauesque Doctores amplectuntur, quorum aliquos recēset *Pinel. in l. 1. p. 3. n. 62. vers. infertur 16. C. de bon. matern. & in rub. C. de rescind. vend. cap. 2. nu. 31. ante finem,* quos inter refert *Baldum, & Felinum:* & *Ant. Gabr.* nuper laudatus, qui plures enumerare consueuit, pro ea opinione, solum citat *Gramm. decis. 46. n. 2.* statimque subdit: *contrarium Grā. consil. ciuil. 100.* quem *Pinellus* quoque pro contraria opinione recenset.

100 Cuius sanè rei rationem breuiter, sed doctè, vt assolet, reddidit *Suarez lib. 8. de legib. cap. 37. cit. num. 8.* quam equidem hunc in modum formarem: vel ij Doctores de suprema iurisdictione loquuntur, quam Princeps subdito concedat, sibi ipsi eam auferendo: vel de inferiori loquuntur iurisdictione, quæ, etsi in subditum translata, semper tamen supremæ Principis subsſtet, ab eaque dependeat. Si de prima loquantur, vt certè eorum plures loqui videntur, non erit eadem nostra, quæ eorum disceptatio; quippe nobis de inferiori est sermo; atque ipsorum doctrina, si ità intelligatur, verissima existimari debet; quandoquidem Supremus Princeps nullo prorsus modo eam supremam iurisdictionem ità alijs indulgere potest, vt à se ipso eam penitus abdicat. Quo sanè euentu potius dicendum est, iurisdictionem alijs committi, aut delegari, quam à Principe indulgeri: quam ob caussam semper reuocari potest: quia, inquit *Felin. post Aret.* nisi posset reuocari, sequeretur, quod superior sibi ipsi per indirectum posset tollere ius superioritatis, & obedientiæ, quod nullo modo fieri potest. quæ sanè ratio nihil prorsus vrget, si de inferiori iurisdictione loquamur; semper enim Princeps, eam alijs concedens, sibi reti-

retinet supremam, ac nunquam omnino ius, vt vocant, superioritatis amittit. Atque hinc infertur *Felin. Aret.* aliosque, de suprema fuisse iurisdictione loquutos, vti etiam *Baldū* aientem, supremam hanc potestatem in Principe inseparabiliter residere.

101 Quod si illi doctores de inferiori iurisdictione loquuntur, apertè falli videntur; quia nemo iure negabit, eā gratis posse à Principe concedi, atque alijs quoque contractibus, vt feudo, venditione, (id an iure fiat, non hìc statuo: dicam tamen infrà *conf.* 23.) alijsque similibus: ac passim cernimus merum, ac mixtum imperium vendi: idque ex consuetudine fieri posse, voluit *Camil. Saler. in proœm. consuet. Abb. in cap. auditis, de præscrip* aliosque citat *Mastrill. lib. 1. de magistr. cap.* 12. *n.* 3. atqui tunc reuocari eam minimè posse, certissimum est: neque igitur in casu, de quo ipsi disputamus: habet enim donatio, aut concessio remuneratoria vim contractus, vti suprà innuimus, probauimusque *conf.* 1. posse verò donationem iurisdictionis reuocari, minimè ex ipsius iurisdictionis natura oritur, quia scilicet alienari non potest: iā enim satis liquet, eam præfatis contractibus vendi, alienarique validè posse. Cum igitur iurisdictionis concessio non sit sua pte natura reuocabilis; ineptè addidit auctor laudatus, neminem in actibus, vt ait, natura sua reuocabilibus sibi auferre posse reuocandi facultatem. & quamuis in iurisdictione, vt idemmet doctor ait, non dominium, sed solum exercitium daretur; hinc dumtaxat sequeretur, quod si fortè eam Princeps suspenderet, is, qui obtinet, eamdem exercere nequiret; non verò hinc congruè inferretur, id licitè Principem exequuturum.

102 Quibus omnibus addiderim id, quod plurimi docent de exemptione, quam aiunt irreuocabilem esse, si ex caussa onerosa concedatur, vt monuit *Felin. post Bald. & Cyn. num.* 8. *cit. vers. aut vero*, alijque plures, quos recensuit *Tiraq. loc. cit. n.* 14. etsi ingratitudo superueniret.

103 Cuius sanè rei ratio ea mihi esse videtur, quia scilicet, etsi Princeps subdito iurisdictionis exercitium concedat; tamen ipse est, qui eam principaliter, seu vt caussa prīcipalis exercet; subditus autem vti eius minister, instrumentum, seu veluti caussa, quā secundariam nuncupamus: neque quicquam interest, quod per hunc, vel illum sibi subditum eam exerceat, cum ipse semper supremam retineat potestatem, illam per semetipsum immediatè exercendi. hinc sanè fit, vt quando eam irreuocabiliter cōcedit, nequaquam ei absolutè facultas aufertur eam exercendi per suos subditos, veluti per suos administros, seu instrumenta; sed solùm illi necessariū est, eamdem per hunc subditum, seu determinatum administrum exercere. quod idem in cæteris quoque temporarijs officialibus euenire animaduertimus: eo enim determinato tempore Princeps suam iurisdictionem non nisi per hunc determinatum subditum, seu ministrum, quem præ cæteris elegit, exercere potest, cui absque caussa officium auferre nequit, vt post alios ostendit *Pinel. in rub. C. de rescind. vend. p.* 1. *cap.* 2. præsertim *n.* 31. legiq; potest *Gul. Bened. in ca. Rainutius de testam. ver. duas habens filias à num.* 36. *Mastrill. lib.* 1. *de magistr. cap.* 27. alijque ab eo laudati *& per D. Cutell. in Cod. leg. Sicul. ad ll. Martini cap.* 4. *nu.* 50. & *Rebuff. de consuet. in præf nu.* 35. qua de re ipsi quoque aliquid tetigimus *conf.* 10. *à n.* 26.

104 Sed quamuis gratis omnino *Capycio* daretur, eorum Auctorum doctrinam veram esse eo prorsus modo, quo ei libet; nihilominus aio, rem esse omnino differentem, quam ij tractāt, ab ea, de qua ipsi disputamus: etenim illi eo euentu loquuntur, quo Princeps iurisdictionem concedit, quam directam, & affirmatiuam commodè appel-

appellare possumus; quæ sanè concessio hanc ipsam ob caussam non incongruè *affirmatiua* nuncupari potest: atqui nos de priuilegijs agimus, quæ iurisdictionem nullo pacto concedunt; imo per ea Princeps eamdem sibi retinet, seu denuò acquirit: id quod potiùs iurisdictionis extensio, seu ampliatio, quam restrictio, aut concessio dici debet.

105 Quare minus rectè auctor laudatus suam opinionem probare quoque nititur, quòd scilicet, vt ipse ait, Regalium concessio reuocabilis semper existit, citatque *cap. intellecto, de iureiur.* Nam, etsi verum id esset generatim, vt ille loquitur; tamen nihil nobis obstaret; esset enim id verum, quia eiuscemodi concessiones, vt plurimum, maximum Regiæ Coronæ inferre solent detrimentum: quamobrem in *cit. cap. intellecto*, Pontifex Regi Hungariæ præcepit, vt quas fecerat alienationes in præiudicium Regni sui, & contrà Regis honorem, omnino reuocaret; cum præsertim Rex ipse in sua coronatione iurauerit, iura Regni sui, & honorem coronæ illibata seruare. Verum in re nostra Rex, aliusq; Princeps, Ciuitates demaniales sibi retinens, vel denuò acquirens, Regiæ Coronæ honorem auget potiùs, quã diminuat; atque extẽditur potius eius iurisdictio, quam restringatur. Omitto Regalium quoque concessiones à pluribus irreuocabiles censeri, cum caussa meritorum fiunt; quorum aliquos citat, sectaturque *Mastrill. lib. 1. de magistr. cap. 18. nu. 64. 65. 66. & seq.* vbi rem exagitat copiosè, laudatq; plurimos, aientes, hanc eamdem doctrinam in successore etiam locum obtinere, etiãsi ad absolutam potestatem, quam quidam malè admittunt, referatur.

106 Demum etsi verum esset, quod de Regalijs *Capycius* docet; moneo, illud nullo prorsus modo locum obtinere, cum eorum concessio non fieret de per se, & principaliter, vt post alios loquitur *Mastrill. loc. cit. cap. 12. n. 38. & 39.* sed in consequentiam alterius infeudationis, quæ fieret principaliter, vt in re, qua de agimus, eueniret: multa enim, inquit, accessoriè permittuntur, quæ principaliter deneganrur *l. quoties C. de iud. & l. 1. ff. de auct. tut.* quibus addenda sunt, quæ docuit ipsemet *Mastrill. cap. 18. cit. à n. 53. vsque ad 61.* quæ apud illum cõsulenda sunt.

107 Denique minus quoque id nobis aduersatur, quod auctor ille ex absoluta Summi Pontificis potestate, quã cum in beneficijs ait obtinere *cap. 2. de præb. in 6. Clemen. 1. in fine, vt lit. penden.* sibi assumit, vt indè inferat, eamdem absolutam potestatem habere Principem supremum in iurisdictionibus à se concessis penitus reuocandis, prout ipsi libuerit. Minus, inquã, id obstat: quin nobis omnino suffragatur: ita enim arguere contrà *Capycium* licet: Pontifex Summus, etsi absoluram in beneficijs obtineat potestatem, tamen absque caussa ea beneficiarijs auferre licitè minimè potest: neque igitur Supremus Princeps cõcessam à se iurisdictionem absque caussa licitè auferre poterit, quamuis in ea absolutã potestatem obtineret. quæ sanè illatio auctori præfato euidens esse debet: ambo enim arguimus à paritate rationis respectu eorumdẽ subiectorum. Assumptum verò certissimum quoque esse debet, illudque probat satis *Pinel. in rub. C. de rescind. vend p. p. à n. 29. vsque ad 31.* omnino hac in re consulendus, nosque aliquid tetigimus *cons. 10. à n. 26.*

108 Sed quamuis illud ità verum foret, vti auctor ille arbitratur, nihilominus nihil prorsus ei faueret; quandoquidem Summus Pontifex beneficium beneficiario posset auferre potestate absoluta, non etiam ordinaria, vt omnes docent, qui eam sententiam profitentur: atqui *Capycius* vult, Supremum Principem potestate ordinaria posse iurisdictionem, & regalia à se

con-

conceſſa reuocare, etſi ex regalium conceſſiones vim cōtractus obtinerēt, vt ipſemet expreſſim docuit in 2. *concluſ. princip.* quod eſt contrà probabiliorem aliorum opinionem, quorum aliquos citat, ac ſequitur *Maſtrill. cap. 18. cit. nu. 64.* vbi ait, id Principi neque ex poteſtatis plenitudine licere.

109 Demum etſi Princeps iuriſdictionē à ſe conceſſam, ac Pontifex beneficia beneficiarijs licitè auferre poſſent; id tamen in re noſtra locum minimè obtineret, in qua nulla conceſſa fuit iuriſdictio, ſed potiùs, priùs habita, retenta eſt: ſeu mauis iuriſdictionem in ſubditos veluti immediatam Rex denuò acquirit, cum Ciuitates Baronum ſuo Regio demanio aggregat, atque vnit: ſicque, quo tempore iſtæc priuilegia reuocat, ciuitates illas alienando, alijs eam iuriſdictionem, ac cętera Regalia concedit, atque ſuam, quam actu poſſidet, diminuit: ideoq; has potius regalium conceſſiones reuocare poterit, ſi vera eſt illius auctoris doctrina, vt ex ſe manifeſtum eſt.

110 Poſtremo loco illam primam noſtrę doctrinæ rationem quiſpiam ex eo euerti poſſe putaret, quòd Principum contractus, etſi ex cauſa onerosa, receptaque pecuniæ initi, ſemper tamē beneficia appellantur; liberè enim eos Princeps init, *arg. l. Titius puerum ff. de obſeq. à lib. & libert.* vbi manumiſſio, quāuis accepta pecunia, facta ſit, beneficium tamen, etſi non gratuitū, appellatur; proindèque reuocari poſſe ibidem Marcellus ſanciuit.

111 Sed neque huiuſmodi dilutio quicquam validè concludit: etenim, vt ea manumiſſio reuocetur, ſufficiens omnino cauſſa, & quidem ingratitudinis, ſubeſſe debet, vt ex ipſamet lege ſatis apertè colligi poteſt; & quod regulariter reuocari nequeat, clarè ſtatuitur in *l. licet C. de lib. cauſ. cum concord.* atque idem in re noſtra ſeruandum foret. Deindè, tametſi omnes penitus contractus quarumcumque perſonarum initiò ſpontanei, liberique ſint; nihilominus, poſteaquam initi ſunt, neceſſariò contrahentes obſtringunt. Et quamuis diuinę quoque promiſſiones gratuitæ omnino exiſtant; res tamen, quæ promittuntur, neceſſariò debentur. Præterea officiorum venditiones gratuitæ ſunt ex parte vendentis, quia ſcilicet abſque debito vendendi ſpontè, ac liberè vendit; quæ verò venduntur officia, officiarijs auferri minimè queunt. feudum quoque, etſi venditum, beneficium tamen appellatur, quia huic poteſt nō vendi, *Hoſt. in ſumm. de feud.* & nihilominus vaſſallo auferri nequaquam poteſt, vti ipſi quoque monuimus *conſ. 3. n. 149.* Idem in votis cernimus; libera enim ſunt, cum emittuntur: poſtea verò quam emiſſa ſunt, neceſſariò vouentes adſtringunt: ſicque in cæteris ſimilibus animaduertere licet.

112 Horum autem omnium ratio, me iudice, eſſe poteſt, quia hiſce rerum euentibus, actus ipſi ſpontanei, liberique ſunt, non verò neceſſarij ea neceſſitate, quā Theologi, ac Philoſophi omnes antecedentem appellant; quā ob cauſſam beneficia iure optimo nūcupantur: at poſteaquā producti sūt, neceſſarij cēſentur ea neceſſitate, quæ conſequens dicitur, & ex hypotheſi, quod eliciti fuerint: & quicquid ex illis enaſcitur, neceſſarium hac neceſſitate conſequente exiſtimatur. quod idem in omnibus liberis actibus cōtingit. Atque hic finem impono primę rationi, cui Ciuitas prædicta firmiter inniti poteſt.

(: § :)

§. VIII.
Secunda, ac tertia ratio Ciuitatis.

S V M M AE.

113 *Secunda ratio proponitur.*
Initio omnia erant communia.
Bella ex rerum diuisione originem ducunt.
Inde quoque Imperium, ac dominatus.
114 *Damna vassallorum alienatorum.*
115 *Tutor pupillum defendere, non spoliare debet.*
Hominum liberorum nullum commercium est.
116 *Tertia ratio proponitur.*
Iusiurandum seruari debet: ac præsertim de non alienandis bonis coronæ: & n.117.
Quæ iurantem iuramenti obligatione soluere queant.
118 *Iurata promissionis obligatio ad hæredes transit, etsi non periurij reatus.*
119 *Quomodo Regum proprium sit infeudare: & n.120.*
121 *Potentia qualibet, etsi ad actum quandoque reduci non possit, nihil tamen indè intrinsecę perfectionis amittit.*
122 *Necessitas, quę nobis à nostra voluntate prouenit, non arguit in potentia imperfectionem.*
123 *Instantia quædam diluitur, & n. 124.*

113 IAm verò secunda Ciuitatis ratio, quæ valida quoque censeri debet, exponitur a *Menchaca lib. 1.controu illustr. cap.4.* estque huiusmodi in compendium redacta. Initio hominum genus absque legibus, Regibusque viuebat, erantque omnia omnibus communia, *cap. ius naturale dist.1. Macrob.1. Saturn.* quamobrem neque bellorum, neque discordiarum occasio tunc dabatur, quæ ex rerum diuisione originem traxerunt, atque ex illis voculis *meum*, & *tuum*, quas *S. Ioa. Chrisost. in orat. de S. Philogonio tō. 3.* vocat frigidum verbum, & quicquid est malorum in vitam nostram inuehens, innumeraque gignens bella. hisce itaque bellis, dissidijsque sedandis, curandæque populorum paci, tranquillitati, atque vtilitati, imperium, ac dominatus in orbem introducta sunt. Et Siculi quidē Aragoniæ Regum fidei initiò sese spontè, liberèq; commisère, quò scilicet eos, præsertim contrà Gallos, tuerentur, curarentque eorumdem commodum, atque vtilitatem. cui sanè, quia plurimum obest eorum alienatio, distractioque à Regio demanio, hanc eamdem ob caussam illicita, atque incōueniens ea videtur.

114 Quòd autem illis ea distractio nimium obsit, præter id, quod superiùs *n.82.* diximus, addidit *Mench.* id videri omnino certum ex eo præsertim, quia experimento comperimus, antiqui domini amorem in antiquos subditos maiorem esse amore recētis domini in subditos quoque recentes: quod malum est maximi ponderis, ac momenti. Præterquamquòd eius Ciuitatis Ciues, sicuti & cæteri Siculi, ipsorum Regum industriam elegerūt, quò ab ipsis, & non ab alijs regerentur: id quod nequaquam videtur posse licitè immutari *arg.l. inter artifices ff. de solut.* præsertim ob peculiare Siculorum veluti mandatum Regibus datum *arg.l.diligenter ff. mand. cum similib.* consule *Mench.* qui hac de re latiùs disserit, concluditque id, quod superiùs ipsi quoque retulimus; quod nimirum nec prætextu publicæ vtilitatis, aut necessitatis fieri fas sit; nè scilicet iactura, ac lęsione quorumdā, vniuersorum vtilitas comparetur, cū iustiùs foret, omnium impensa, damno, iactura, aut periculo id fieri.

115 Sit, inquit *Mench.* firma, indubitataque regula, Principem Ciues suæ ditionis irreuocabiliter alienare non posse, non magis vsque quam res omnino alienas. & *cap.5.n.9.* ait, contrà aliquos volentes, sicuti libertos à dominis, ità & ciues à Principe suo ex caus-

caussa necessitatis posse alienari, id suspectum esse non minus, quam si affirmarent, pupillum à tutore ex caussa necessitatis ipsius tutoris alienari fas esse, cum Principum in subditos, tutelaque in pupillos exequentur. Id quod vlterius firmat *Quintanaduegnas lib. 2. de iurisd. & imper. tit. de iurisdictione n.* 48. vbi Regem reip. curatorem, illiusque administratorem, tutotemque populorum esse, iute arbitratur: tum infert, ei ius nequam esse suas ditiones alienandi, quod reipublicæ curatoribus publicum mutare ius suis pactionibus non liceat *l. 2. §. ius reip. ff. de admin. rer. ad cur. pert.* neque administratori facultas est alienādi *l. contrà ff. de pactis*: demum tutor pupilli vtilitatibus prospicere, eumq; tueri, non verò spoliare debet *l. tutor, qui tutelam ff. de admin. tut. l. qui fundum §. si tutor ff. pro empt.* tum addit, subditos Regū ingenuos esse, liberosque, non seruos, non coactos, & à quibus ad ipsos reges ius, regiaque potestas emanauit, non dominatus, sed clientelæ lege: hominum autem liberotum nullum commercium est, *l. liber homo ff. de verb. oblig. l. si emptione §. 1. ff. de cõtrah. empt.* Atqui, regno alienato, non agri, inquit, & prædia, sed incolæ potius alienantur; subditque alia, quæ maximè instituto sermoni conducere queunt.

116 Tertia verò ratio, cui quoque ea ciuitas inniti potest, est præteritorū Regum iusiurandum, quo eidem promisère, nullo vnquam tempore, nullaque caussa, etsi foret vrgentissima, se illam distracturos, cęteraque eiusdem priuilegia illibatè seruaturos. Atqui tutum non est, quemlibet contrà iuramentum suum venire, nisi tale sit, quod seruatum vergat in interitum salutis æternæ, inquit Alex. III. relatus in *cap. si vero de iureiur.* aut redundet in alterius detrimentum, vt addidit Bonif. VIII. teferturque in *cap. quamuis pactum, de pactis in 6.* in re uetò nostra seruari optimè potest iusiurandum absque æternæ salutis dispendio, neque inde sequitur alterius detrimētum: quin, nisi setuetur, ei Ciuitati maximum infertur, vt iam probatum est. Neque necessitas, quæ proferri potest, satis est, vt illud non obseruetur; quandoquidem ei ab omnibus, non ab vna sola Ciuitate succurrendum est, vti sæpè monuimus. præterquamquòd hoc idem Reges iurarunt, puta ea Ciuitatis priuilegia, quacumque protsus caussa, etsi *vrgētissima*, se nunquam reuocaturos: quæ sanè verba omnes prorsus casus apta sunt comprehēdere, qui alioqui non includerenrut, vt post *Surd. decis.* 283. *dixit Mastrill. lib. 1. de Magistr. cap. 22. n.* 50. & ex laudatis modò iuribus apertè docemur, æternæ salutis iacturam, alteriusque damnum dumtaxat posse iurantem iuramenti obligatione soluere: quibus addunt cęteri rei promissæ impossibilitatem, puta quia iuramenti tempore res possibilis erat, deindè impossibilis efficitur, vt omnes animaduertunt.

117 Quamobrem in *cap. intellecto, de iureiur.* Honotius III. vri suprà etiam retulimus, ptæcepit Regi Hungariæ, vt alienationes, quas fecerat in præiudicium Regni sui, & contra Regis honorem, non obstante iuramento, si quod fecisset de non teuocādis eisdē, reuocare studeret. tum subdit: *quia cum teneatur, & in sua coronatione iurauerit, iura Regni sui, & honorem coronæ illibata seruare, illicitum profectò fuit, si præstitit de non reuocandis alienationibus huiusmodi iuramentum, & propterea penitus non seruandum.* Atq; in re nostra Regum iusiurandum, maximumque Ciuitatis detrimentum concurrunt, quæ fide regia decipetetur: quicquid sit, an etiam regiæ coronæ, honorique damnum inferatur, de quo nunc minimè disputamus: de quo vide *Fab. Capyc. tract. cit. de Princip. potestat. consil.* 6. aliosque plures apud ipsum, quæque nos mox afferemus.

118 Neque sanè oberit, quod hac in re iurans nequaquam fuit Rex noster Philippus Quartus, qui nunc feliciter regnat, sed eius prædecessores: nam iuratæ promissionis obligatio ad hęredes, ac successores transit, licet non periurij reatus, vt Doctores exponũt in *cap. veritatis, de iureiur.* & plures, qui referuntur in *decis. Pedamon.* 40. *n.* 15. *& Ludou. decis. Perus.* 15. *nu.* 12. *Ant. Gabr. comm. opin. lib.* 2. *tit. de iureiur. conclus.* 6. vbi innumeros recenset; *Seraphin. tract. de priuil. iur. priuil.* 57. *n.* 19. atq; alij sæpè alijs in locis. Omitto, ipsam Catholicam Maiestatẽ, nunc regnantem, initio dominatus iurasse, se suorum Regnorum iura, ac priuilegia seruaturam: & Siciliæ quidem capitula, nedum generatim, sed speciatim quoque sæpè confirmauit, iurauitque: ac proindè iuramenti quoque religio eam ad illorum custodiã constringere videtur.

119 Sed iterum *Capycius* insurgit, sequutus *Socinum*, vt ipse dicit, *cons.* 4. *nu.* 7. *lib.* 3. aitque, Regum promissiones, de Ciuitatibus demanialibus in suo Regio demanio perpetuò retinendis, inualidas esse, nulliusque momenti: nã, inquit, infeudationem prohibent, quæ propria est Principis *cap.* 1. *de ijs, qui feud. dar. poss.* §. *illud, Auth. quæ de dign.* quare erunt contrà Principis dignitatem, laudatque *Baldum in l. digna vox C. de legib.* quem tamen, si accuratè legas, nihil prorsus docere cõperies, quod *Capycio* faueat.

120 Aio igitur, etsi proprium sit Regũ infeudare; (id quod nõ admodum rectè ex citatis ab eo iuribus probatur, vti ea perpendenti patebit.) id tamen intelligendum est in casu possibili, & præsuppositis terminis habilibus *l.* 4. §. *condemnatum ff. de re iud.* & cum licitè illud exequi queunt: vti certè nõ possunt, cum ijdem promiserunt, ac iurauerunt, se id minimè præstituros: imo quidam non ineptè arbitrantur, eiuscemodi infeudationes, seu alienationes, quæ contrà realem promissionem de non infeudando, seu alienando, fierent, inualidas fore, quorum aliquos citat *Frãch. decis.* 17. *n.* 4. *&* 6. ac præsertim id tuetur *Ripa*, qui hanc opinionem verissimã appellat. Saltem plures Principem hac in re ità obstrictum volunt, vt Regni sui Ciuitates alienare nullo modo queat; eorũ quosdam nos infrà *n.* 125. recensemus. Quare eiusmodi de non alienandis Ciuitatibus promissiones fauorabiles agnoscunt, quippequæ cõmuni iuri maximè congruunt.

121 His adde, quod attinet ad Regem nostrum, ideo eius proprium dici infeudare; quòd ei veluti priuatiuè cõueniat; puta quia ei soli, non itẽ alijs id competere potest. Neque hinc eius dignitas, supremaque potestas vllo pacto minuitur: commune est namque cuicumquè potentiæ, vt nihil prorsus intrinsecę perfectionis amittat, si quãdoque ob has, illasuè circumstantias ad actum reduci non possit: satis enim est, vt aliquoties illud exequi queat. Quin & ipsa diuina omnipotentia, cuius proprijssimum est, quæcumque facere posse, quæ possibilia sunt; nihil omnino suæ excellentissimæ perfectionis inde deperdit, quod aliquando id efficere nequeat, cuius contrarium se effecturam diuina Maiestas promisit, iurauitque.

122 Cuius sanè rei ratio mihi videtur, quia hisce rerum euentibus non posse id fieri, originem duxit à propria promittentis, seu iurantis voluntate; necessitas autem, quæ ex ea dimanat, quam *S. Th.* 2. 2. *q.* 186. *art.* 5. *ad* 5. liberæ voluntatis necessitatem appellauit, vt suprà quoque docuimus, nullam prorsus imperfectionẽ, defectũue in potentia arguit; cum ea libere ad id sese determinet, vti euenit in votis, de quibus loquens idem Sanctus Doctor 2. 2. *q.* 88. *art.* 4. *ad* 1. sicut, inquit, non posse peccare, non diminuit libertatem; ità etiam necessitas firmatæ voluntatis in bonum non diminuit libertatem, vt patet in Deo, & in beatis;

atis; & talis est necessitas voti, similitudinem quamdam habens cum confirmatione beatorum. Vnde Aug. dicit (puta epist.45. ad Armentarium, & Paulinam) quod felix necessitas est, quæ meliora compellit. Neque hinc summam Regis auctoritatem offendi, minuiuè eiusdem dignitatem, satis ex ijs ostenditur, quæ ipsi *cons.* 1. *nu.* 35. *& seqq.* edocuimus.

123 Demum minus rectè auctor ille, vt traditam à nobis doctrinam penitus euertat, ac vim iuramenti, ac regiæ promissionis eludat, addit *num.* 364. maximum ex ea sequi Regibus detrimentum; quia, inquit, nisi sit Vassallus, & feudi administrator, omnino cessat spes deuolutionis, & Regis obsequium, seu, vt ipse loquitur, seruitium, quod à Baronibus præstari solet: minus, inquam, rectè id addit, neq; enim perpendit, vt perpendere certè debuit, id quod ipsa naturalis ratio nos apertè docet, puta melius esse, nos retinere id, quod re ipsa possidemus, quam id ipsum alijs tribuere, vt iterū illud acquiramus. sanè si Rex hodie vtrumque feudi dominium obtinet, directum scilicet, vtileque; equidem non video, cur eidem præter vtile alteri indulgere, vt denuò illud sibi vēdicare queat. imprudenter profectò is ageret, qui bonum præsens omnino desereret, vt illius spem adipisceretur. quo tempore bonum, quod speratur, obtinetur, illius spes penitus euanescit.

124 Omitto hasce feudorum deuolutiones rarissimè euenire, vt experientia comperimus: &, si quando is casus obtingat, statim lites enascuntur. quis enim censeat, consanguineum defuncti vassalli defuturum, qui feudum sibi deberi, darique petat? Neque verum est illud aliud, quod *Capycius* docet, cessare Regis obsequium, nisi feudum alienetur: etenim experimētò quoque compertum habemus, plus Ciuitates Demaniales Regibus obsequi, quam Barones: ac præsertim eā, qua de agimus, quæ viginti duo millia aureorum, viginti annorum plus minusuè spatio, extrà ordinem, seu voluntaria præstatione Regi nostro largita est. Moneo denique in re nostra, eius auctoris doctrinam penitus euanescere: quandoquidem illius Ciuitatis vtrumque dominium venditum fuit; atque emptoris relinquitur voluntati, velitnè illam vt rem allodialē, an verò vti feudalem possidere, vt ex ipso contractu liquidò constat.

§. IX.

Vltima ratio Ciuitatis, & explicatur *cap. intellecto, de iureiur.*

SVMMAE.

125 *Vltima ratio proponitur.*
Plurimorum opinio, quæ ciuitati suffragatur.
126 *Quo casu res coronæ alienari queunt.*
Ratio eius opinionis ex cap. intellecto, de iureiur.
127 *Aduersariorum responsio.*
128 *Impugnatur.*
Alienationes vtilis dominij regiæ coronæ detrimentum inferunt, & *n.* 129.
130 *Feudum est seruitus.*
Seruitutis impositio est detrimentum manifestum; & quædam species alienationis.
Dominij alienatio strictè alienatio nuncupatur.
131 *Emphyteusis solum vtile dominiū transfert: quæ, licet alienationis nomine strictè sumpto non comprehendatur; venit tamen hac appellatione:* & n. 132. & 133.
134 *Reges Reip. sunt administratores.*
135 *Euertitur quorumdam doctrina.*

125 Vltima demum ratio, cui Ciuitas innititur, est doctrina plurimorum Doctorum, qui negant, Regibus ius esse suos subditos demaniales inuitos, Regnique Ciuitates, ac loca alienandi. pro qua sanè sententia, quam communem ap-

pel-

pellat, innumeros recenset *Ant.Gabr. de iure quaes.non tollendo concl.* 8. *lib.* 3. quibus adde *Couarr. in cap. quamuis pactum p.*2.§.2.*n.*4.*Ripam,resp.*10. *de diuers.rescrip.Anton.Sol.in constit. Sabaud.de pact.int.emp & vend. nu.* 65. & 66.*Afflict. in cap.* 1. §. *nec dominus in* 3.*notab.n.*59.& 60. *de probib.feud. alien.per Frid.Marsil.in l.*1.§.*cum quidam n.*3.*de quaest.Fab.de Mõt.de emp. & vend.par.*3.*q.*11.*nu.* 17. *Masul.in add.ad Capic.decis.*162. *Franch. decis.* 17. *Cot. in suo memor. vers. vassallus, Tiraq.de retract.lign.*§.26.*Glos.* 1. *nu.* 75.& *loc.cit.à Gabr.puta de primog. q.* 35.*Curt.in diuers.fol.*7.*n.*35.*Mencha. lib.*1.*controu. ill.cap.*4.*Mastrill.lib.* 1. *de magistr. cap.* 12. *Molin. de primog. lib.*1.*cap.*3.*n.* 17. & 18. *Menoch. de arbitr.Iud.cent.*6.*casu* 559. (quicquid dixerit *in cons.*1003.*à n.*1 *lib.*11. vbi loquitur de alienatione rei parui momenti) *Alciat.cons.*7.*lib.*3.*Rolan.cons.* 1.*lib.* 1. *Crauett. cons.* 45. & 242.& 963.*Bursat cons.*60.*lib.*1.& 350. *lib.* 4.*Ottodet.inter cons.Morot.*45.& 46. *iterũ Menoch cons.*279.*lib.* 3. & 426. *lib.*5.*Osasch.cons.*49.*Socin.iun.cons.*78. *lib.*1.*Raud cons.*1.*lib.* 2. *Nattam cons.* 367.*lib.*2.*Purp.cons.*548.*Pancirol.cõs.* 119.*Surd.cons.*323.*lib.*3.*Lancell. Gall. cons.*46.*Ann.alleg.*27.& 69.*And. de Gerg.alleg.*15.pluresq;apud *Barbos. in coll. ad d. c.intellect.* qui variè eãdẽ cõclusionem ampliant, ac restringunt.

126 Sed præcipue consulenda sunt quę *loc.cit.docet Mench.& cap.*3.*n.*8. quibus sanè locis, alibique hanc opinionem pluribus rationibus confirmat, quas breuitatis studio hic transcribe- superuacaneum duxi, quandoquidẽ apud illum facillimè consuli queunt, ijsque auctor, omissis aliorum restrictionibus, solum Regi ius esse rerum regiæ coronæ alienandarum docet, cum regni, imperijuè consensus expressus, aut interpretatiuus accedit; vel publica vrgeat necessitas, aut vtilitas subsit; vel denique nisi tam modicæ res sint, quæ alienantur, vt verosimile sit, ciuium voluntati id minimè aduersari. Omnes verò hanc opinionem ostendunt ex *d.cap.intellecto, de iureiur.* vbi expressim reuocantur alienationes à Rege Hungariæ factæ in præiudicium regni sui, & contrà Regis honorẽ; quamuis iuramento ab eo fuerint obsirmatæ, vt superiùs ipsi quoque animaduertimus.

127 Sed hic iterum *Capycius* insurgit, aitque, laudatum caput de vtriusque dominij alienatione fuisse loquutum, totiusque iurisdictionis; non verò de vtilis dumtaxat dominij alienatione, vt in feudi concessione euenit; quæ, etsi plurimæ sint, nullum tamen, iuxtà illius auctoris doctrinam, Regno inferunt detrimentum: tũ laudat quosdam; quos, si attentè perlegas, nihil prorsus eos docere reperies, quod *Capycio* suffragetur. lege præsertim *Bald.in l.*1.*C.vnde cognati, & Innoc. in cap.grandi, de suppl. negl. prael.* quos pro se refert; ipsi verò hac de re nè verbum quidem attingunt.

128 Sed, quicquid sit de huius sententiæ patronis, falsum mihi videtur, citatum capitulum solùm loqui de vtriusque dominij alienatione, totiusque iurisdictionis, non autem de solùm vtilis alienatione: siquidẽ illud apertè de ijs loquitur alienationibus, quæ Regno detrimentum inferunt, regiæque coronæ, nihil de cætero quoad vtramque alienationem distinguens: & quamuis ea, quæ solius vtilis dominij existit, non ità Regno obest, ac si vtriusque dominij foret; nihilominus quis profectò negabit, illam quoque Regno, regiæque coronæ maximum afferre detrimentum? Id quod apertè ex eo constare poterit, quod si Rex omnes prorsus Regni cuiuspiam ciuitates, locaque in feudum concederet, vt certè in illius auctoris sententia exequi posset, licet directus earum rerũ Dominus nihilominus persisteret; nemo illum illius regni Regem iure appellaret: & reuera solùm Rex nomine tenus, non verò re ipsa censere-

retur. quemadmodum, etsi Papa dominus sit quorumdam Regnorum directus, vt Apuliæ esse voluit *Bald. in l. 1. C. vnde cognati*, alijque; tamen nemo eorum Regnorum eum Regem appellat; quia inibi nullam prorsus Ciuitatẽ possidere animaduertimus.

129 Adde, Regibus ea omnia obsequia auferri, quæ à vassallis, ac Ciuitatibus demanialibus illis impenduntur, qui, cum Baronibus subijciuntur, nonnisi inuiti Regibus obsequuntur, vt nos experientia docet. quod sanè detrimentum est, minimè contemnẽdum. id quod præcipuè ex eo euenire censendum est, quod maxima demaniales molestia afficiuntur, cum suum dominum, ac Principem animaduertunt, cui totis uiribus, ac vita ipsa seruire percupiunt, vt re ipsa, cum occasio sese offert, exequuntur, ac persæpè Siculi exequuti sũt: animaduertunt, inquam, eum pluris aliorum merita facere, vel proprium commodum æstimare, quam ipsorum demanialium bonum, commodum, & honorem.

130 Profectò, si syncerè loqui velimus, quis inficiabitur, infeudationem regiæ coronæ maximum esse detrimentum? quis iterum censeat, paruũ dãnum eidem inferre vel vnius dumtaxat feudi concessionem? quid si plurium fiat, vt certè fieri posse, auctor ille opinatur? Vocant Doctores omnes feudum ipsum seruitutem, vti *Alex. consf. 129. lib. 1. Deci. consf. 468.* alijque, quos laudat *Mant. lib. 9. de coniect. men. def. tit. 6. n. 7.* ipsiq; retulimus *consf. 3. n. 147.* atqui seruitutis impositio à pluribus detrimentum manifestum nuncupatur, vt à *Rota diuers. p. 1. decis. 717. n. 15. ex l. stipulatio ista habere §. si quis forte ff. de verb. oblig.* estque quædam alienationis species, *l. fin. C. de reb. ali. non alien.* vbi Iustinianus Augustus: *sancimus*, inquit, *siue lex alienationem inhibuerit, &c. non solum dominij alienationem* (quæ strictè alienatio appellatur, vt *l. 1. ibique Gloss. verb. est autem C. de fundo dotali, alijsque à Glossa relatis in cap. nulli de Reb. eccl. ali.*) *sed vsusfructus dationem, vel hypothecam, vel pignoris nexum penitus prohiberi: similique modo & seruitutes minimè imponi, nec emphyteuseos contractus.*

131 Quod sanè vltimum plurimùm traditæ a nobis doctrinæ suffragatur: per hunc enim contractum vtile dumtaxat dominium in emphyteutam transferri, apud omnes certissimum est: & nihilominus alienationis appellatione concludi, Iustinianus decernit, eumdemque contractum in *§. alienationis, Auth. de non alien. reb. eccl. coll. 2.* non procul ab alienatione consistere asseuerat, ac solum certo modo emphyteusim in ijs rebus constitui posse, sanciuit in *§. emphyteusim Auth. cit.* licet de cætero, si strictè loqui velimus, eam alienationis vocabulo non comprehendi, satis eliciatur ex *l. 1. ibique Glos. verb. alienationis C. de iur. emphyt.*

132 Adde *cap. nulli cit. de reb. eccl. ali. vel non*, vbi postquam statuitur, non posse res ecclesiæ alienari, subditur, alienationis verbum continere quoque emphyteusis perpetuum contractum, puta quia id vergeret in maximũ ecclesiæ detrimentum. quamobrem Sanctissimus Pontifex Pius V. in *extrauag. Admonet nos. 35.* in eos tulit excommunicationem, ipsimet Papæ reseruatam, qui eidem Pontifici Summo per se, vel per alios suadent, vt oppida, ac loca, ad Romanam ecclesiam pertinentia, alienet, vel infeudet. Certè in *cap. intellecto*, apertè innuitur, Regem sui iura regni debere illibata seruare: qui verò id fiet si iura vtilia alienet?

133 Atque id ipsum optimè agnoscens, accuratèque perpendens Rex Iacobus in *cap. 9.* vtramque à nobis sæpiùs repetitam rationẽ tetigit in hæc verba, quæ initio quoque retulimus, & hic inculcare iterum visum est. ait igitur: *circa donationes diligenti consideratione pensantes, quam Regiæ dignitati expediat,*

pediat, ac sit fructuosum, & vtile, absq; fidelium nostrorum grauamine cuius nostra demania alienari aliquatenus non debere; præsentis prouisionis edicto mandamus, & tam nos, quam hæredes, & successores nostros ab ipsorum demaniorum donatione volumus abstinere: nam quantum ipsa demania seruabuntur, ipsorum concessione prohibita, tanto prouentus fisci nostri vberiores fieri poterunt, & per copiam, & vbertatem ipsorum, qualibet extorsione sopita, status pacificus, & conseruatio nostrorum fidelium reflorebit. Et nihilominus tunc temporis nonnisi vtile demaniorum dominium donabatur: quod tamen & Regni detrimento, & regiæ coronæ damno fieri, Rex disertis verbis edocuit.

134 Atque huiusce rei vlterior ratio esse potest, quam suprà ex *Quintanaduegnas* tetigimus, puta quia Rex reipublicæ administrator existimatur: atqui eis, quibus rerum commissa est administratio, earumdem quæcumq; alienatio prohibetur *l. contrà ff. de Pactis.* Hinc docuisse arbitror *Panormitanum in cit. cap. intellecto, Seraph. de priuil. iuram. priuil. 75. n. 45.* iura Regni, quæ ad regiam pertinent dignitatem, potius Regni esse, quam regis, vti quoque refert *Mastrill. lib. 1. de magistr. cap. 1 1. cit.*

135 Hinc quoque sequitur, non benè eos arbitrari, qui censent, tunc alienationē verè dici in Regni præiudiciū fieri cū de eius quota fieri cōtigit: vel tūc tē demanialē putari alienatā, cum directū, vtileque dominium in alium transfertur. Hinc denique inferas, falli eos, qui putant Reges inde fieri miserrimæ conditionis, quod sui Regni Ciuitates donare nequeant; cum tamē ipsorum proprium sit donare *arg. cap. 1. de donation.* falluntur, inquam, vt monuit quoque *Vazquius loc. cit. n. 8.* quia ex regalium bonorum fructibus, suisuè proprijs bonis, abūdè quas libuerit donationes facere poterunt: &, si verum loqui liceat, rarissimè ij donationes ex regalibus bonis efficiunt. Quod verò addidit ille auctor, minus fortassis accuratè, nullum esse Regi ex demanio lucrum; quia, inquit, prouentus nunquam in Regis beneficium applicantur, sed lucro gubernantium cedūt: id, in quā, omnibus innotescit, esse falsissimum, cum omnia, quæ Regi obueniūt emolumenta, ex demanio deriuentur: neque gubernantium famæ, atque integritati is auctor benè cōsuluit, vt patet: quin & eis, qui gubernantes eligunt, nescioquid delicti impingit, cum eos minus integros ministros seligere, saltem implicitè, asseuerat.

§. X.

Ciuitates Demaniales alienatæ, si se redimere velint, esse audiendas, & ad redemptionem admittendas, nihil obstante iuris laudendi venditione.

SVMMAE.

136 *Ciuitas in emptione iurium ad eam pertinentiū cuilibet præferenda est: & n. 137.*

138 *Saltem ei ius congrui competit.*

139 *Quædam leges conciliantur.*

Libertas pacto impediri non potest: & n. 140.

141 *Ex alieno quoque cōtractu ius nobis acquiri potest.*

Ius acquisitum neque à Supremo Principe auferri potest.

142 *Ius prothomiseos locum habet etiam in feudis.*

143 *Filius à Patre ob egestatem venditus habet ius se redimendi: & aliæ rationes assertionis, & n. 144. 145. 146.*

Princeps publicus est parens.

147 *Facultas se redimendi ciuitatibus adimi nequit, nec alij vendi:* & n. 148.

Nemo de rebus alienis disponere potest.

149 *Decisio supremi Consilij.*

At-

136 ATque ex his omnibus, quæ hactenus fusè exposuimus, satis, ni fallor, apparet, Mistrectam Ciuitatem vendi, alienariq; minimè posse; sed semper debere in regio demanio perseuerare. Quoniã verò, vt initiò dictum est, superiori anno vendita est, vt ea suo Regi, ac Domino, vt consueuit, obsequeretur; his omnibus, hùcusque expositis rationibus, omnino prætermissis, venditionis pretium Regi Ciues optimi obtulère, quo redimerentur: quarè quæsitum fuit, num ij ad hanc redẽptionem essent necessariò admittendi; ità vt nequiuerit iure (quod tamen præstitit) Siciliæ Prorex, ijs hanc se se redimendi adimere facultatem, eique illam vendere, qui emerat Ciuitatẽ. Et quamuis ex dictis facillimè harum quæstionum enodatio elici queat; tamen alijs quoque rationibus hìc ostẽdere conabor, & Ciuitati ius esse se ipsam redimẽdi, & hanc ei nullo modo adimi posse facultatem: quod vna, eademque opera exequi commodè possumus, vt iam ostendam.

137 Et sanè pręferendam initio Ciuitatem cuicumque licitatori in iurium emptione, ad eam pertinentiũ, si idẽ, quod quilibet alius licitator, pretium obtulisset, vt certè obtulit; vel ex eo videtur satis probari, quòd commune, ac publicum bonum, cuiuscumq; alterius proprio pręferendum est, iuxtà doctrinam *Glossæ in l. actione §. diximus verb. verum ff. pro socio*, vbi pluribus iuribus ostendit ea, quæ multis prosunt, ijs, quæ paucioribus, esse anteponenda: id quod passim cæteri quoque Doctores profitentur. Atqui iam superiùs probauimus, summum esse eius ciuitatis bonum sese in Regio demanio conseruare, ab eoque seiungi, maximum detrimẽtum. quod idem ius prælationis eidem competere, probari posset *arg. l. fin. C. de iur. emphyt. l. 1. ff. de priuileg. credit.* alijsque similibus.

138 Sed hisce penitus omissis, aio, saltẽ Ciuitati competere ius, quod *Congrui* vocamus, siue retractus, seu seipsam eodem pretio redimendi: primùm quidem, quia à Prorege ipso, qui eã vendiderat, illi hoc ius in ipso venditionis cõtractu expressim reseruatum est: quarè non potuit idem Prorex in Ciuitatis præiudicium hanc voluntatem, seu pactionem mutare, & contrarium omnino pacisci; cum præsertim de danda, seu acquirenda libertate agatur, *arg. l. quæsitum ff. de seru. export. & l. 1. in fine ff. qui sine manumiss. ad libert. peruen.* vbi statuitur, quòd si seruus venditus sit, vt intrà certum tempus manumittatur; etsi venditor mutauerit voluntatem; nihilominus seruo competere libertatem.

139 Et quamuis leges, quæ oppositum innuunt, reperiantur, vt *l. fin. C. si mãcip. ità fue. alien. vt manumitt. l. si hominem ff. mand. l. si quis ff. de seru. export.* alijsque citatis à *Glossa in l. 1. verb. voluntatis C. cit.* attamen ex intelligendæ sunt, cum voluntas in alicuius pęnam delicti mutatur, quod ipsemet seruus contrà priorem dominum, qui ea lege illum vendiderat, perpetrauit. qui sanè legum intellectus, seu declaratio, omissis alijs *Glossæ*, ac Doctorum, probari potest ex doctrina *Baldi in l. ea quidem n. 2. C. si mancip. ità fue. ali. vt man.* vbi monet, libertatem pacto impediri non posse: quia, inquit, talia pacta non apponũtur, nisi propter malitias seruorum, & præsumitur offensa, vbi talis apponitur clausula, *ff. de manum. testam. l. testamento centurio: de leg. 2. l. Lucius Titius §. Lucius Titius Damnam.*

140 Atque iterum id ipsum ostendcit ex *l. si hominem cit. ff. mandat.* vbi expressim delictũ requiritur contrà priorem dominum perpetratum, vt manũmissio impediatur. atque ex *l. fin. C. qui non poss. ad libert. peru.* vbi dicitur: id, quod pęnæ caussa in seruos statutum est, vt scilicet perpetuæ seruituti subijciantur, necessarium esse vires obtinere: à contrario igitur sen-

su, quando id non pœnæ caussa decretum fuit, necessarium minimè erit, vires obtinere. Verum, hoc omisso, ob difficultatem, quæ in hisce conciliandis legibus subest; videtur omninò certissimum, minimè Proregem potuisse Ciuitati sese redimendi adimere facultatem, ob hoc ipsum, quòd antea ipsemet illi eamdem facultatē expressa pactione reseruarat: quo quidem pacto Ciuitati ius enatum est, se ipsam redimendi. (licet alioquin ei aliundè illud etiam competeret, vt mox ostendam.) ad eum planè modū quo, si quis seruus ea lege venūdetur, vt, oblato pretio, manumittatur, ei ius acquiritur petendi etiam in iudicio libertatem, *l. si quis suis §. si ab ignoto, ibique Glossa verb. debet ff. de manumiss. & l. vix certis, in fine, ff. de iudic.*

141 Huius rei ratio est: quia alieno quoque cōtractu ius nobis acquiri potest; ac præsertim, si à nobis acceptatur: ita aiunt Doctores penè omnes, quorum aliquos laudat, ac sectatur *Lessius* loquēs de donatione *lib. 2. de iust. & iure cap. 18. dub. 9. n. 64.* qua de re consule quoque *Tiraq. de retract. conuent. §. 1. glos. 7. n. 19. 20. 21. & 22.* Atqui ea Ciuitas nedum pactum illud, iusque sibi ex illo exortū acceptauit, sed statim obtulit quoque pretium, quo redimeretur: etsi neque illius acceptatio necessaria fuisset ob id ipsū, quòd Ciuitas est, vt probat post *Couarr.* idē: *Less. loc. cit. n. 67. ex l. vt inter C. de sacros. eccl.* ius verò iam acquisitū tāti est roboris, ac firmitatis, vt neque ipsemet Supremus Princeps illud auferre queat, vt post *Gloss. Inn. I. And.* aliosque plurimos ostendit *Alex. cons. 216. cit. n. 10. vol. 2.* estque communior doctorum sententia, vt ait *Menoch. lib. 1. de arbitr. iud. q. 48. n. 6.* neque ex plenitudine potestatis, vti plures arbitrantur apud eumdem *Menoch. num. 7.*

142 Deindè habere Ciuitatem illud ius congrui, vel retractus, probaret quispiam non ineptè ex *constit. Regni sancimus, de iure Prothomiseos*, quām etiā in feudis locum obtinere, voluit *Bald. tract. de iure Prothom. n. 12. in fine, ex §. sed & res, per quos fiet inuest.* pluresque alij apud *Tiraquel. de retract. ligna. §. 1. glos. 3. nu. 10. & seq.* saltem ratione sanguinis, vt loquitur *Afflict. in principio legis de iur. Prothom. nu. 7.* nemo autem sibimet ipsi se ipso proximior est, vt pluribus probat *Tiraq. de retract. lign. §. 1. glos. 9. n. 30.* cum præsertim eam constitutionem fauorabilem esse, proindeque extendendam, plures censeant apud *Tiraq. loc. cit. in præf. n. 21. & 56. 57. & 58.*

143 Præterea habere eamdem Ciuitatem ius semetipsam redimendi, apprimè ostendit ratio, seu argumentū, quod desumitur ex *l. 2. C. de patr. qui fil. distrax.* vbi expressim sācitur, quod si pater ob nimiam egestatem filium vendiderit; quamuis filius seruus efficiatur; oblato tamen emptori pretio, ad pristinam libertatem peruenire potest; Atqui Princeps publicus parens iure optimo censetur, vt se professus est *Theod. apud Cassiod. lib. 4. var. cap. 4.* quarè, cum vassallos alienat, verè filios distrahere dicendus erit; qui propterea, si pretium offerant, erunt ad libertatem perducendi.

144 Neque dicas in *Leis* illud indulgeri fauorē pristinæ libertatis: at Vassallos alienatione minimè fieri seruos, proindèque eius legis dispositionem in nostro casu locum nequaquam obtinere: nè, inquam, id dicas; nam primò non incōgruè serui nuncupantur, sicuti à Diuo Paulo ad *Gala. 4.* hæres quanto tempore paruulus est, nihil à seruo differre dicitur, cum sit dominus omnium, eò quòd sub tutoribus, & actoribus reperitur: quod sanè minus est, quam Baronibus subijci, ab eisque gubernari. ac de re simili vide, quæ tradidimus *cons. 14. nu. 24.* Deinde, etsi verum sit, eos non fieri verè, propriéque seruos; tamen nemo inficiabitur, mutare, & quidem in deterius

rius conditionem, plurimaque mala inde in illos deriuari, vt superius edocuimus; quod profectò solum erit satis, vt lex illa habeat locum in re, de qua disputamus: neque enim contendimus, eam legem de vassallis à Domino alienatis expressim loqui; sed solum indè pro ijsdem sumi validum argumentum; vt etiam non inepte desumitur ex *l.2.ff. si libert. ingen. esse dicatur*: quam sanè loqui etiam de emptore inuito, elici non incongruè videtur ex verbo, *Contendo*, in ea apposito: etsi alij aliter illam loqui arbitrentur. eodemque argumentandi modo ex seruis ad vassallos vtitur quoque *Glossa 1. in l. inuitus ff. de fideico. libert.* alijque, quos mox recensebo.

145 Insuper plurimum etiam confert argumentum, quod sumi potest ex §. *Dominus instit. de noxal. action.* vbi Imperator decernit, quod si seruus damnum ei, cui deditus est, resarcierit, quæsita pecunia auxilio prætoris, inuito domino, manumittetur: cur ergo non idem in re nostra seruetur, cum ciues pretium offerunt, quo redimantur, dominoque Regi damna sponte, ac libenter resarciunt? Denique videtur iam moribus receptum, vt Ciuitates, vrgente necessitate, alienatæ ad redemptionem admittantur, vt pluribus exemplis ostenditur, quorum aliqua retulit *Franch. decis. 17. n. 2.* vbi *n. 3.* rationem reddit, quia, inquit, vniuersitatum interest liberari à seruitijs, ad quæ vtili domino tenētur, &c. & *n. 12.* de hac consuetudine apertè testatur. quod sanè ius consuetudinarium satis omnino est ad ius illud retractus, aut redemptionis Ciuitatibus impertiendum, *vulg. iurib.*

146 Atque ideo ità censent plures, quorum aliquos citat, ac sequitur *Couarr. in cap. quamuis pactum p. 2. §. 2. n. 4. de pactis in 6.* etsi, inquit, dominus ex caussa necessitatis velit eā (Ciuitatē) alienare, admittendi sunt homines hi ad emptionem libertatis, si tantundem domino dare velint, quantum ab alio emptore pollicitum fuerit. Itē *Franch. loc. cit. n. 12.* in Ciuitatibus demanialibus alienatis ait, eum morem locum obtinere, vt scilicet sese redimere queant; licet in alijs casibus illū negare videatur. consulendi sunt *Camill. de Curt. diuers. feudali à n. 39. & deinceps, Camil. Salern. in Addit. ad cōsuet. Neapoli: Loffred. & Camerar. in §. præterea de probib. feud. alien. per Frider. Bambacar. de feud. cap. beneficium q. 2. n. 170. Andr. de Geor. alleg. 7. Ann. alleg. 27. nu. 19. Capiblanch. de Baron. prag. 8. nu. 25. Did. Perez l. 14. tit. 11. lib. 4. ordinam. Montalb. in l. 2. tit. 24. p. 4. Faber. in §. dominus instit. de Noxal. action. Ioseph. S esse. decis. 36.* vbi præcipuè *n. 18.* ait, sic quotidiè fieri, & practicari quoad demaniales: quem citat *Ricci collect. 599 part. 3.* & nouissimè *D. Cutel. in Cod. leg. Sicul. ad ll. Iacobi cap. 9 & ad ll. Martini cap. 5. nota secunda.*

147 Atque ex his omnibus constat, hāc se redimendi facultatem, quæ propria est Ciuitatum, minimè earum emptoribus vendi posse (quod Siculi vendere *ius luendi* vocant) vt ità huiusce redemptionis aditus illis omnino præcludatur: cum enim id iuris proprium sit ipsarum Ciuitatum, vt ostendimus hùcusque; equidem non intelligo, quo tandem pacto alijs vendatur; quin, quod attinet ad Mistrectam Ciuitatem, venditum sit: nam in alienis rebus cōtrà domini voluntatem aliquid fieri, vel pacisci, secta temporum nostrorum non patitur, inquit Imperator in *l. fin. in fine C. de pactis.* & quamuis rem alienam distrahere quispiam queat; attamen ea emptori auferri potest *l. rem alienam ff. de contrab. empt.* nobis enim inuitis nō debet alius res nostras retinere, inquit *ibid. Gloss. fin.*

148 Idem ex eo firmatur, quod in re simili docuit *Afflict. de iur. Prothom. §. 3. n. 21.* quod scilicet nequit quispiam rem ea lege emere, quod vicinus ius congrui non habeat; vt multis quoq;

demonstrat *Tiraq. de retract. conuent. gloss. 7. n. 21.* vbi *n. 19.* probat, me nequire alium priuare iure ei quæsito ex meo contractu, quamuis id iuris solum sit in spe vt *n. 20.* vel quæsitum legis, statutiuè dispositione *n. 21.* vel denique per me tibi quæsitū, & quod spe tantum competat: neque enim id tibi inuito auferre possum, vt latè cōprobat *nu. 22. vt nuper quoque monuimus*. Atque ita post hæc scripta vidi animaduersum à *D. Cutelli in Cod. cit. ad ll. Iacobi cap. 9. n. 6.* vbi *n. 7.* ostēdit, vicinos à vicinis retrahi posse. idemq; doctè probat ad *ll. Martini cap. 5. not. 2.*

149 In causa prædictæ Ciuitatis, cuius equidem partes defendi in Supremo Italiæ Senatu, obtinui: quin imo & hac occasione decretum fuit generatim, vt omnes cæteræ, quæ venditæ fuerant, sese redimere possent: nihil penitus obstante pacto illo, quo illis se redimendi facultas ablata videbatur: pretium autem iuris luendi à Regia Curia emptori in nostro casu restitutum fuit.

CONSILIVM XX.

An violator virginis volentis tanquam stuprator puniri debeat.
Ad
Cap. 166. Regis Alphonsi.

§. I.

Facti species, constitutio Sicula hac de re, ac variæ stupri acceptiones.

SVMMAE.

1 *Facti species refertur.*
2 *Lex Sicula hac de re.*
3 *Quid sit stuprum generatim.*
4 *Quid non generatim sumptum:*
Quid strictè, ac propriè.
Quid demum strictissimè.
Est illicita virginis defloratio.
5 *Ita in lege Sicula accipiendum est.*
6 *Pœna legum interpretatione mollienda sunt.*

1 Titius violauit virginem, volentem quidem, sed sub patris potestate constitutam. Instabat pater apud ecclesiasticum iudicē, cuius fori erat Titius, vt hunc seuerissimè puniret. Intercedebat Titius, se minimè puniendum asseuerans, quippe qui volentem stuprauerat. Equidē fisci partes agebam, ob absentiam fisci patroni; ac Titium plectēdum quidem ostendebam, at non rigorosè, vti propriè stupratorem. exemplum proponebam Siculæ constitutionis, huius criminis reum quinquennali relegatione plectentis: quam proinde explicare operepretium fuit. plura autem, quæ hac occasione exposuimus, hoc, ac sequentibus consilijs afferemus. Constitutio autem Sicula, quæ est *Alphonsi cap. 166.* ità decernit.

2 *Item, si committitur stuprum sine raptu, & violentia, punitur maleficus ad relegationem in quinquennium: qui per passam voluntariè non possit accusari, sed per alios, quorum interest; scilicet per parentes, & collaterales vsque ad septimum gradum, secundùm formā iuris ciuilis.* Atque hæc quidem est prima pars constitutionis: secunda vero est huiusmodi. *Si verò committatur cum raptu, & violentia, punitur pœna vltimi supplicij.*

3 Sed ante omnia premittendum est, quid tādem stupri nomine in hoc statuto, seu constitutione intelligendum sit. & sanè, si generatim loqui velimus, stuprum genus quoddam est, plures concubitus, lege vetiti, species complectens. quamobrem Marcellus Iureconsultus censuit, stuprum intelligi etiam in his mulieribus esse, quæ turpiter viuunt, ac vulgò quæstum faciunt, etiamsi non palam, vt refertur in *l. stuprum ff. de rit. nupt.* lex item Iulia de adulterijs eo verbo promiscuè vtitur, vt monuit Modestinus re-

la-

latus in *l. inter stuprũ ff. de verb. oblig.* & Papinianus in *l. inter liberas §. 1. ff. ad l. Iul. de adul.* stuprumque à nupta patrari, innuit *Quintilian. relatus à Valla lib. eleg. 6. cap.* 45. & apertè colligitur ex *Num.* 5. ibi: *latet adulterium, & testibus argui non potest, quia non est inuenta in stupro.* vnde dixit *S. Ambros.* omne stuprum adulterium esse, vt refertur in *cap. nemo 32. q. 4.* quo loco Sanctus Ambrosius stuprum sumit, vt communiter accipitur, pro omni peccato luxuriæ, inquit *S. Thom. 2. 2. qu. 154. art. 6. ad* 2. sed stupri appellatione omnem prorsus lege vetitam libidinem comprehendi, apertè colligitur ex pluribus *Ciceronis* locis, quæ consulere licet apud *Marium Nizoliũ in suo thesauro verb. stuprũ.* vide quoq; *Rebuff. in l. inter stuprum cit. de verb. signif.* aliosque, quos hic auctor recenset.

4 Quod si nõ ita generatim loqui velimus, stuprum in virgine, vel vidua, vel puero committitur *l. inter liberas §. 1. & l. stuprum ff. ad l. Iul. de adult. l. 1. §. qui puero stuprum persuasit ff. de extraord. crim. cum cõcord.* ita *Rebuff. loc. cit. §. quas ego.* Quod si strictè, ac propriè stuprum accipiatur, in virginem, viduamuè committitur, inquit Papinianus relatus in *l. inter liberas §. 1. cit.* Si denique strictissimè, ac proprijssimè loquamur, stuprũ est illicita virginum defloratio, vt illud definiuit Gratianus in *§. cum ergo post cap. 2. 36. qu. 1.* ità *Valen. 2. 2. disp. 9. qu. 3. pun. 3. ver. stuprum accipiendo, Less. lib. 2. de iust. & iure c. 10. dub. 1. n. 6.* qui, vt proprijssimè ea virginis defloratio stuprum dicatur, exigit, vt vis à stupratore virgini inferatur. de quo tamen ipsi infrà loquemur. Illud ipsũ innuit Põponius, vt refertur in *l. 2. §. initiũ, ff. de orig. iur.* ibi: *& castitatẽ filiæ, vit æquoq; eius præferendã putaret* (Virginius pater) *arrepto cultro de taberna Lanionis, filiam interfecit, in hoc scilicet, vt morte virginis contumeliam stupri arceret.*

5 Existimo autem in prima relatæ à nobis constitutionis parte stupri nomine intelligi solum virginis illicitam deflorationem, absque vi patratã. de ea enim, quæ per vim committitur, in fine expressim statuitur, mortis pęna puniri, *vt seq. cons.* ipsi vberius exponemus. Et quidem in ea constitutionis parte, quin & in tota stupri appellatione non omnem lege vetitam libidinem comprehendi, certissimum esse debet, cum Rex in ea lege, statutouè, nonnisi libidinis speciem, non genus coercere voluerit, vt ex ipsius inspectione, atque ex ijs, quæ mox dicemus, cuilibet manifestum erit. Quod verò neque inibi stuprum pro pueri violatione sumatur, patet etiã, quia hoc nefandissimum scelus, etsi absque vi commissum, grauissima tamen pęna, non quinquennali relegatione punitur.

6 Porrò quod neque cum vidua concubitus ibidem concludatur, euidẽs videtur; siquidem, si is per vim inferatur, altera statuti parte vindicatur: si vero absque vi, sed vidua omnino volente, perpetretur, stuprum neque materialiter existimatur, neque vlla prorsus pęna plecti debet; (pro eiusmodi stupro nunquam aliquem puniri vidit *Clar.* vt ipse ait *lib. 5. recep. sẽt. §. stuprum n.* 4. quem vide.) cum ratio omnino deficiat, cur postmodum dicemus, virginis etiam volentis deflorationem non iniuria lege vindicari: quam solam proindè aio, ea constitutionis parte puniri. Id quod, etsi ex ijs, quæ modò recensuimus, satis liqueat, vlteriùs, & quidem efficacissimè ostenditur, quia ea constitutio, quippe pęnalis, odiosa ab omnibus iurisperitis existimatur, proindèque, quoad fieri potest, restringenda, vt vulgatis iuribus probatur. idque sanè præstat interpretatio, quã retulimus: cùm præsertim interpretatione legum pęnæ molliendæ, ac restringendæ sint potius, quam asperandæ, inquit Hermogenianus relatus in *l. pen. ff. de pœnis.*

§. II.

§. II.

An defloratio virginis volentis sit stuprum, alicui iniuriosum, ac proinde punibile.

SVMMAE.

7 *Difficultas soluenda.*
8 *Sententia docens, stuprum à simplici fornicatione non distingui, si volens id patiatur, probabilis est.*
Contraria opinia etiam probabilis.
9 *Est Sancti Thomæ.*
10 *Opinio distinguens, cum virgo est sub patria potestate, vel non.*
11 *Est probabilis.*
12 *Scienti, & consentienti non fit iniuria.*
13 *Natura læditur in virginis defloratione:* & n. 12.
14 *Concubitus coniugis illicitus adulterium est, etsi alter coniux consentiat, vt ille fornicetur.*
15 *Quid sit, aliquem actum esse solùm materialiter iniustum, & non formaliter.*
16 *Qualibet iniusta operatio, vel consideratur, vt actio, vel vt passio.*
Quid sit passio latè sumpta; quid strictè.
In homine principium agendi est voluntas.
17 *Homo volens iniustum formaliter pati non potest.*
18 *Occidens seruum volentem, non ipsi, sed domino iniuriam infert.*
19 *Iniuria est, alium scienter, ac sponte lædere, præter ipsius læsi voluntatem.*
20 *Se ipsum occidens grauiter plectitur.*
21 *Sibi iniuriam non infert, & quarè.*
Ciuitati est iniurius, cuius est membrū: & Deo, cuius est creatura, & imago.
22 *Olim veniā se ipsum interficiendi petebatur.*
Id est probibitum quinto Decalogi præcepto.
23 *Num volenti iniuria formaliter inferatur. prima opinio.*
24 *Alia opinio; secundùm quā præsens difficultas dissoluitur:* & n. 25.
26 *Quid sit simplex fornicatio.*
27 *S. Thomas negat, stuprum esse simplicē fornicationem.*

7 Constituto autem hoc, quod *S. ant.* præmisimus, atque etiam probauimus, suboritur continuò non leuis difficultas: etenim, si volens quæpiam ab alio defloretur, eiusmodi defloratio nonnisi simplex fornicatio à Theologis quāplurimis, ac iureconsultis censetur, quæ legibus puniri non solet: iniuria igitur Alphonsus eam quinquennali relegatione vlciscitur. Qua quidem in re plura dici queunt, quibus difficultas penitus dissoluatur. ego vero afferam hoc loci, quæ probabiliora visa sunt.

8 Aio igitur primùm; etsi verissimum sit, plures doctissimos viros post *Sotū in 4. dist. 18. q. 2. art. 4. post. 7. concl. & de simplici verò stupro*, censere, virginis deflorationem illicitam, vt hic eā semper accipimus, à simplici fornicatione minimè distingui, si in eam virgo liberè omnino consentiat, neque ab ea diuersam luxuriæ speciem constituere; quos laudat, ac sequitur *Sāchez lib. 7. de matrim. q. 14. n. 5. in fine, Less. de iust. & iur lib. 1. cap. 10. dub. 11. nu. 2. Vazquez 1. 2. qu. 74. art. 8. disp. 112. n. 1. & 3.* alijque: quam sententiam probabilem vocat *Suarez tom. 4. in 3. p. de confessione disp. 22. sect. 4. nu. 6.* etsi, inquam, id verissimum sit; nihilominus alij plures, ac doctissimi viri contrariam opinionem profitentur, quorum penè innumeros cū antiquiores, tum neotericos recenset *Sanch. loc. cit. nu. 3.* quamobrem hic idem auctor eam communem, ac probabilem appellat, eamque expressim sequitur *Azor. tom. 3 summ. lib. 3. cap. 11. qu. 5. & 6. & Sayrus lib. 4. Clau. cap. 4. nu. 9. Filliucius tom. 2. tract. 30. in sext. præcep. cap. 3. à n 62. Bonacina tō. 2. tract. de matrim. q. 4. punt. 17. Henriq. lib. 5. de pœnit. cap. 6. n. 3. lit. I. & cap. 8. Valent. 2. 2. disp. 9. q. 3. punt. 3.*

Hos

9 Hos inter cõnumerare licet *S. Thomam 2.2.q.154.art.7.in fine corp.* vbi: *ſtuprum verò*, ait, *ſine raptu inuenitur, quando aliquis abſque violentiæ illatione virginem illicitè deflorat*: item in *4. diſt.41.q.vnica, art.4.q.2.in corp.* eãdem quoque ſententiam approbaſſe videtur *Gratian.in cit.§.cum ergo, poſt cap.2.36 q.1.* dum edocet, ſtuprum propriè eſſe illicitam virginum deflorationem; quando videlicet, inquit, non præcedente coniugali pactione, *vtriuſque voluntate*, virgo corrumpitur, patre iniuriam ad animum ſtatim poſt cognitionem non reuocante.

10 Ex quibus equidem verbis elicio, *Gratianum* de ea virgine loqui, quæ ſub poteſtate parentum reperitur: vti etiam Sanctus Thomas *q.154.cit.art.6.* quærens, num ſtuprum poni debeat vna luxuriæ ſpecies ab alijs diſtincta, in fine corp. *& ideo*, ait, *manifeſtum eſt, quòd ſtuprum, quod importat illicitam virginum deflorationem ſub cura parentum exiſtentium, eſt determinata luxuriæ ſpecies*: quamobrem ſunt, qui docent, tunc virginis deflorationem eſſe propriè ſtuprum à ſimplici fornicatione diſtinctum, cum ea ſub parentum poteſtate conſtituta eſt; ob nimirum iniuriam, quam tunc inferri parentibus volunt, aliaſque rationes, quas conſulere licet apud *Sanch. loc. cit. nu.* 4. vbi & huiuſce opinionis patronos reperies, quæ proculdubio videtur *S. Thomæ* loco nuper laudato.

11 Iure igitur noſtra, ſi hanc poſtremam ſequi velimus ſententiam, quæ profectò ſatis firma cenſeri debet, cũ ob Sancti Doctoris auctoritatem, tum etiam quia validiſſimis innititur rationibus; nulla prorſus ſupererit difficultas; quandoquidem certiſſimum eſt, atque in more poſitum, vt ciuiles leges, atque etiam Pontificiæ iniurias alij illatas vlciſcantur. ad eam reſpexiſſe Alphonſum, cum eam legem ſãciuit, haud obſcurè innuunt ea verba: *qui per paſſam voluntariè non poſſit accuſari, ſed per alios, quorum intereſt, ſcilicet per parentes, &c.* ac ſi his iniuria inferatur.

12 Quod ſi aliam, quæ verè hodiè cõmunior eſt, ſententiam ſequamur, quæ generatim docet, ſemper ſtuprũ propriè committi, quoties feminæ integritas corrumpitur, ſiue ſit ſub parentum cura, ſiue non ſit; ſiue puella, ſiue prouectæ ſit ætatis, ſiue nuptura ſit, ſiue innupta permanſura, ſiue deflorationi conſentiat, ſiue renitatur: ſi hanc, inquam, ſententiam ſequamur, ceſſat quoque difficultas: etenim hìc quoque iniuriam, quæ legibus plecti queat, eius opinionis fautores agnoſcunt; non quidem ipſi virgini illatam: ſcienti enim, & conſentienti non fit iniuria, neque dolus, *vulg. Reg. ſcienti de reg. iur. lib. 6. & l. nemo ff. eod. tit.* ſed naturæ, quæ virgineum clauſtrum feminæ conceſſit, nõ vt illius domina abſolutè foret, ſed veluti cuſtos, quò ſcilicet habilior matrimonio ineundo ſeruaretur; ac metu illius ſignaculi deperdendi à venereis actibus abſtineret.

13 Quarè, etſi virgo deflorationi liberè omnino conſentiat, quin & eiuſdem quoque parentes; natura tamen renititur, quæ illud ſignaculum ad alios fines, quos modo innuimus, virginibus conceſſit: quemadmodum ſi quiſpiam ſibi manum abſcindi ab alio permittat, atque etiam roget; nihilominus eiuſmodi conſenſus abſcindentem ab iniuſtitiæ delicto minimè excuſat, quin vt iniurius plectatur: etſi enim hoc ſcelus contrà voluntatem hominis, quam rationalem vocant, minimè cenſeatur; attamen eſt, cenſerique debet contrà voluntatem hominis naturalem, qua per modum, vt aiunt, naturæ, homo vult eſſe, viuere, beatèque viuere, ſuiſque membris ad vſum ab ipſamet natura inſtitutũ, & non aliter vti.

14 Siue ergo ſignaculum virgineum membrana quædam ſit carnea, quæ virili coitu lacerata aboleatur, vt nõnulli cenſent, quos laudat *Sanch. loc.*

cit.

cit.n.1. siue quid aliud à natura tributum ad illos fines, quos nuper explicuimus; verum erit, virginem pro libito illius dominium non habere, sed solum ad certum vsum à natura institutum. Id, quod vlteriùs confirmant exemplo coniugis consentientis, vt alter adulterium committat: neque enim ideo concubitus ille ab adulterij specie eximetur, quin etiam legibus, adulteria plectentibus, puniatur, eius quidem rei ratio est, quia coniuges dominium in corpus ad illum vsũ non obtinent, sed solum ad coniugalem: qua de re consule laudatos Doctores, de ea latius differentes.

15 Nobis satis est, eos non incongruè arbitrari, in stupro iniuriam reperiri, etsi de cętero ei virgo liberè consentiat: inde enim rectissimè inferri potest, eiusmodi stuprum iure à nostra constitutione puniri, ob iniuriam alteri illatam, quam semper legum latores vlcisci consueuerunt, quamuis solùm materialiter, non verò formaliter ea operatio, neque vt actio, neq; vt passio iniuriosa patienti censeretur: plerumque enim legum conditores hominum actus plectunt, qui reipsa à medio iustitiæ declinant, quod est esse solùm materialiter iniustos; licet de reliquo nequaquam sint contrà patientis voluntatem; id quod efficit, vt non sint formaliter iniusti, prout in ipso patiente reperiuntur, & passiones nuncupantur; quin neque vt actiones, prout scilicet à lædente procedunt.

16 Id quod, vt facilius intelligatur, moneo, quamlibet hominis operationem iniustam habere duplicem considerationem: primam quidem, prout est quædam actio, effectusque quidã agentis, à quo producitur; alteram verò, prout est passio quædam, quæ in alio recipitur, illumque quodammodo afficit: eo penè modo, quo in rebus naturalibus, ac physicis eadem agentis operatio, quatenus ab ipso procedit, dicitur *actio*; quatenus verò in patiente recipitur, *passio* nuncupatur: & quidem latè omnem prorsus actionem, prout in alio receptam, *passionem Aristoteles*, cęterique philosophi vocant, siue ea patiens destruat, siue perficiat: strictè verò, ac propriè eam dumtaxat passionem vocant, quã patiens destruit, à suoque statu deijcit, aut ei, vt aiunt, contrariatur: & huic similis iniusta operatio censetur: quemadmodum igitur principium proprium agendi, vt ait *S. Thomas 2.2.q.59.art.3. in corp.* in hominibus est voluntas, & ideo illud propriè, & per se homo facit, quod volens facit; ità illud propriè homo patitur, quod præter voluntatem suam patitur.

17 Quamuis itaque possit quispiam volens aliquam pati operationem materialiter solùm, & per accidens iniustam, vt *S. Thomas loc. cit. & Aristoteles 5. eth. cap. 9.* loquuntur; quoties nimirum, præhabita quoque eiusmodi patientis voluntate, atque consensu, adhùc ea operatio à medio iustitię declinat; nunquam tamen pati potest volens formaliter iniustum: si enim patiens consentiat, velitque omnino scienter, absque metu, spontè, ac libere, eam pati operationem iniustam; iam illa eadem operatio, vt passio est, minimè censetur contrà voluntatem, saltem rationalem, patientis, secundùm quam ad homines iustitia, vel iniustitia consideratur; non enim ad eos refertur secundùm naturalem voluntatem, seu potius inclinationem, quæ omnibus prorsus rebus, etiam sensu expertibus, communis est; ad quas tamen iustitia, vel iniustitia à nemine, nisi fortè valdè metaphoricè, agnoscitur; quas proinde ad homines dumtaxat, prout ratione præditos, dari omnes asseuerant; etsi de reliquo nihil vetet, quominus quandoque operatio illa materialiter solùm iniusta, vt passio, sit, censerique possit formaliter iniusta, si vti actio perpendatur; cum scilicet, vt actio, omnino est cõtrà rationalem patientis voluntatem, atque penitus inuoluntaria; licet vt pas-

passio ob aliquem finē honestum volita sit: vti euenit Christo Domino, cęterisque Martyribus, qui suas passiones, vti passiones voluerunt, licet nō vt actiones, & quatenus agentium scelera, quæ illis penitus displicebāt.

18 Quod si ea iniusta operatio, etiam vt actio à patiente scienter, spontè, ac liberè volita sit; tunc eadem operatio, neque quatenus actio iniusta formaliter existimanda erit, si ad ipsum volentem dumtaxat comparetur; licet quandoque contra alios iniustitia cōmitti queat: veluti si quis seruum omnino volentem occidat; ipsimet quidem seruo iniurius non censetur; at domino nolenti proculdubio iniuriā infert, vt benè explicant *Sot. lib. 3. de iust. qu. 3 artic. 3. Molin. de iust. & iur. tract. 1. disp. 1. & tract 3 disp 1. Less. lib. 2. cap. 7 dub. 3. Azor. lib. 3. sum. cap. 1. q. 3.* aliiq; Theologi *2. 2. q. 59. art 3.*

19 Atque hoc etiam verum erit, nullo prorsus habito bonorum discrimine, vt contra *Bannez, Saloniū, & Aragoniam loc. cit. 2. 2. & Caiet. ead. 2. 2. q. 154. art. 6. dub. 1.* cęteri ostendunt: illudque satis apertè innuit *Aristoteles 5. Eth. cap. 9. cit.* quem ibidem *S. Thomas* secutus est *lect. 14. lit. M.* vbi de oībus prorsus bonis loquēs, etiā vitę, ac membrorum, iniuriam definit, esse alium scienter, ac sponte lædere, pręter ipsius lęsi voluntatem: si enim is lęsioni consentiat, iuri suo penitus cedit, proindèque ita se habet, ac si nullum prorsus ius obtineret: non igitur ius alterius læditur, quatenus humano modo ipsius est, cui ipse cedit, saltem quoad vsum, quando non potest à se illud omnino abdicare: etsi in huiusmodi euentibus possit lędens, Deo, naturæ, reip. ecclesiæ, statui coniugali, vel clericali iniuriam inferre; quā etiam ob caussam iustè legibus puniri poterit, atque etiam ad restitutionem cogi, in pęnam eiuscemodi delictorū.

20 Ità illi, qui alios, etiam volentes, occidūnt, mutilant, aliuduè simile malum alii inferunt, à republica grauiter plectuntur: quin & seipsos interficientes iustissimè puniri, nemo inficiatur: *Bald. in l. 2. C. qui test. fac. pos. Paris. de Puteo in tract. Synd. in part. mortuus, Gomez. tom. 3. var. cap. 1. nu. 79. Iul. Clar. recept. lib. 5. § fin. q. 68. n. 37. tot. tit. ff. & C. de bon. eor. qui sibi mort. consciue. cap. si non licet, & cap. placuit 23. q. 5. vide Less. lib. 2. cit. cap. 9. dub. 6. Mandos. in Gloss. facult. §. ac etiam, vers. absque, & tract. de ingratitudine cap. 132.* vbi de ingratitudine sui ipsius contrà seipsum; apud quem plura consule.

21 Et nihilominus seipsum interficiēs sibi iniuriam non infert, non solùm, quia, vt ait *S. Tho. art. 3. cit. q. 59. ad 2.* sicut iustitia semper est ad alterum, ità & iniustitia; verùm etiam quia, vt docet *Aristoteles 5. Eth. cap. 11. atque ibid. S. Thom. lect. 17.* volens patitur, cum idem prorsus sit agens, ac patiēs: volenti autem fieri iniustitiam, impossibile Philosophus putat; quamuis se ipsum occidens iniuriam Ciuitati inferat, cuius est membrum. Eamdem doctrinam repetit *Aristot. 1. magn. moral. cap. 31. circa finem:* Deo etiam iniuriam illum inferre, docuit *S. Thom. ad 2. cit.* in quantum, inquit, est aliquid Dei, scilicet creatura, & imago; & ideo punitur tam secundùm legem diuinam, quam secundùm legem humanam. atque etiam hac de re lege *Menoch. lib. 2. de arb. iud. cent. 3. casu 284.* vbi rem eruditè, latèque prosequitur, *Alciat. Tiraquel.* aliosque ab eo recensitos.

22 Etsi, vt hoc obiter moneam, cum apud Romanos, tum apud Græcos, ac præsertim Athenienses, antiquitùs veniā à Iudicibus seipsū interficiendi petere indulgebatur, vt plures rerum antiquarum scriptores animaduertūt. legenda est integra *Libanij Graci doctoris septima declamatio,* vbi morosus nescioquis, vxorem nimium loquacem exhorrescens, seipsum interimendi cicutæ haustu veniam in Areopago petebat, quo à quotidiana mulieris lo-

quacitate eximeretur. Sed id olim apud Gentes, fidei lumine destitutas: hodie illud penitus interdictum, puta quinto Decalogi præcepto, vt scitè edocuit *Sāctus Aug. lib. 1. de ciuit. Dei*, præsertim *cap. 20.* refertur que in *cap. si non licet cit. 23. qu. 5.* idem legendus *loc. cit. cap. 17. 18. & plurib. seq.*

23 His ità præmonitis, aio, quosdam ex buiusce sententiæ patronis generatim opinari, scienti, & volenti iniuriã formaliter non inferri, si in ijs bonis lædatur, quorum perfectum dominiũ habet; formaliter verò lædi, si in ijs bonis læsio contingat, quorum perfectum dominium non obtinet, sed solã custodiam, ac veluti vsumfructum, ità vt arbitrio suo de ijs disponere nequeat; cuiusmodi ab illis censentur vita, membra, ius coniugis supra alterius corpus, iusque parentum, ac ipsius virginis custodiendi signaculi virginalis; ac proindè censent, quòd, quantumcumque volens femina defloretur, iniustitia tamen contrà ipsam quoque à defloratore committatur. Ità arbitrari vidētur *Caiet. Ban. Salon. & Arag.* antea laudati. Iuxtà quam sanè doctrinam in re nostra nulla erit penitus difficultas: quandoquidem stuprator ille, quippe eidem virgini iniurius, iustissimè plecti potest.

24 Quoniam verò ex dictis satis cōstat, in ijs etiam bonis, quorum homo perfectum dominium non habet, nemini scienti, & volenti iniuriam formaliter inferri; ideo secundùm hanc quoque doctrinam ea difficultas enodari oportet: facillimè vero dissoluitur, si dicatur, scienti, ac volenti, etsi non formaliter, fieri tamen materialiter iniuriam; eo scilicet euentu, quo homo, quantumuis volens, quibusdam iuribus propria voluntate seipsum abdicare nequit; siquidem tunc ea læsio, licet ipsi scienti, ac volenti iniuriosa formaliter minimè censeatur; erit tamen materialiter iniusta, quia nimirum re ipsa à medio iustitiæ, quod est rei medium, declinat: huiuscemodi verò læsiones, materialiter solùm iniustas, iura, ac leges plectere consueuerunt: vt in occidente volentem, eũuè mutilante, alijsque similibus animaduertere licet.

25 Etsi, vt verum fatear, atque etiam superius innui, in hisce casibus penè semper alij iniuria afficiuntur, puta natura, seu Deus naturæ auctor, status coniugalis, vel cler calis, &c. Atque id ipsum in re, qua de agimus, eueniet; cum enim virgo suæ integritatis perfectum dominium nō habeat, quandoquidem ea naturale donum censetur, à Deo naturæ auctore, vna cum ipsa corporis natura, tributum, carnisque integritas inter naturalia bona numeretur; fit sanè consequens, vt, quamuis feminæ volēti virgineum claustrum aperiatur, nihilominus ea apertio iniuriosa, etsi non formaliter ipsi virgini, materialiter tamen censeatur: sitque etiam iniuria naturæ, quæ illam carnis integritatem ad alij prorsus vsum, finesque concessit, vt supra explicatum est.

26 Addo, integritatem illam, entitatiuè, vt aiunt, consideratam, esse quādam corporis læsionem, etsi non magnam, tamen alicuius momenti; læditur enim substantialis mulieris integritas, cuius quidem læsionem nonnisi in matrimonio licitè, iustèque fieri natura concessit: quod si extra illud fiat, naturam offendi, censendum erit. Atque id ipsum haud obscurè innuit *S. Thomas 2. 2. qu. 154. art. 6. cit. ad 1.* vbi: *habet etiam*, inquit, *speciale impedimentum fornicarij concubitus virginitatis signum, quod non debet, nisi per matrimonium auferri; vndè stuprū non est fornicatio simplex; sed fornicatio est concubitus, qui fit cum meretricibus, idest mulieribus iam corruptis, vt patet per Gloss. 2. ad Corin. 12. &c.*

27 Hinc satis constat, *Sanctum Thomã* stuprum esse simplicem fornicationẽ inficiari, nedum quia iniuria virginis parentibus irrogatur, vt in *corp. art.* probarat; verum etiam quia non est con-

concubitus cum corrupta, qualem vult esse simplicem fornicationem, sed cum integra, ratione cuius integritatis, quæ corrumpitur, innuit, stuprũ specialem malitiam obtinere: atque itá etiam *S. Thomam* intelligit *Valen. tad. 2. 2. disp. 9. q. 3. punt. 3. vers. stuprũ accipiendo.* Atque hæc quidem omnia dixerim, vt intelligatur, iuxtà hanc sententiam, quæ communior est, ac probabilissima censeri debet, nullam prorsus in re nostra remanere difficultatem: ex ea enim apertè sequitur, eã pęnam à nostra constitutione stupratori, etsi virginis volentis, iustissimè irrogari.

§. III.

An defloratio virginis volentis, quãuis non esset stuprum alicui iniuriosum, punibilis sit.

SVMMAE.

28 *Opinio docens, nemini stuprum esse iniuriosum, neque parentibus si in volentem committatur, probabilissima est: & n. 31.*

29 *Valida ipsius ratio explicatur.*

30 *Abscindens manum alterius volentis, peccat contrà iustitiam legalem.*

32 *Iuxtà hanc opinionem præsens quæstio explicatur.*

33 *Octauius Augustus auctor legis Iuliæ de adulterijs.*

Quam pœnam Iustinianus irrogauerit stupratoribus.

34 *Mulierum genus auarum.*

35 *Iura quædam, quæ sibi aduersari videntur, conciliantur.*

36 *Quis mulieris pudicitiam solicitare dicitur.*

Mulier, acceptis muneribus, consentiẽs, inuita dicenda est.

37 *Nisi fuerit impudica, vel aliud consuetudini suadenet.*

28 NVnc verò, vt nullus omnino dubitationi locus reliquatur, breuiter, quoad fieri potest, inquirendum erit, num prima illa opinio docens, stuprum, de quo loquimur, nemini prorsus esse iniuriosum, præfatæ constitutioni, ob rationem sæpè expositam, aduersetur. Et quidem ea probabilis admodum censeri debet, cum propter eorum auctoritatem, qui illam tuentur, tum etiã quia rationes, quibus innititur, validissimæ sunt, & contrariæ opinionis fundamenta à neotericis non ineptè euertuntur, vt animaduertere licet apud *Sanch. Less. Vazquez*; aliosque, qui volunt, nemini prorsus iniuriam inferri in stupro itá perpetrato.

29 Non quidem virgini consentienti, aut naturæ, virgineum claustrum ordinanti, vt ea matrimonio aptior fiat, caueatque venereos actus: quia femina est domina vsus illius membri, eo penitus modo, quo aliorum membrorum vsus dominium habet: eo verò vti absque corruptione nequit: quare nulla erit iniustitia, si extrà matrimonium virginitatem amittat: erit quidẽ indebitus vsus, non tamen iniustus; naturã enim inde minimè offenditur, neque renititur, quæ ad illum eumdẽ vsum membrum illud ordinauit: ad eũ planè modum, quo oculos ad videndum, aures ad audiendum, aliasque corporis partes ad certos vsus concessit; itá ut homo eius vsus omnino dominus maneret: quamobrem, etsi delinquat, si ijs abutatur; non tamen contrà iustitiam; eritque indebitus eorũ membrorum vsus, non autem iniustus.

30 At verò, quamuis homo abscindi sibi manum liberè, ac voluntariè permittat; quia tamen natura dissentit, quę manum ad illum vsum nullo modo concessit: & homo non est dominus suorum membrorum; in ea abscissione Doctores iniuriam agnoscũt, etsi non propriè ipsi volenti, sibi manum abscindi, illatam, sed reip. Deoque, peccatque abscindens contrà iustitiam legalem, vt monet *Less. loc. cit. n. 3.* ac latiùs explicat *cap. 7. dub. 3.* eo-

 dem-

demque pacto adulterium, etsi, vtroque coniuge consentiente, patretur; nihilominus aiunt, esse contrà iustitiam, quia indissolubile illius vinculum violatur, & coniux alterius corporis ad eum abusum dominium non habet, neque illi iuri cedere potest.

31 Ex quibus etiam consequitur, neq; parentibus, quamuis inuitis, iniuriã irrogari, cum virgo domina vsus eius membri censeatur: nec quia minus apta matrimonio remanet, alicui iniuriã infert, cum absque iniustitia perpetuo innupta permanere queat. quæ sanè omnia vberrimè explicat *Sanchez loc. cit.* omnino videndus; neque enim illa eadem hoc loci vlterius perpendere vacat. Quoniam igitur hæc opinio admodum probabilis hodiè censetur, eamque recentiores plurimi amplectuntur: videndũ hîc erit, quonam tandem pacto stuprum hoc, nemini iniuriosum, quinquennali relegatione à nostra constitutione iustè vindicetur.

32 Et sanè, vt constitutionis iustitiam tueamur, nobis foret satis, sententiã præcedentem ab innumeris viris doctissimis defendi; cuius profectò doctrinam in ea lege sancienda Alphonsus, qui eam condidit, sequi tutè potuit, cum præsertim tunc temporis ea, quam modò retulimus, à nemine fermè agnosceretur; quando illam omniũ primus *Dominicus Sotus*, qui post Alphonsum floruit, loco antea laudato, & quidem subdubius edocuisse videtur; atque illum cæteri postea sequuti.

33 Sed præter eorum auctorum doctrinam, præuium habuit Alphonsus Imperatorem Iustinianum, qui, Octauiũ Augustum (quem legis Iuliæ de adulterijs auctorem agnoscunt *Tranquillus in eius vita cap. 34. Tacitus lib. 2. Hotomanus auct. damn. in indice legum Roman. lit. I.* qua de re cõsule iuriscõsultos *in l. 1. ff. ad l. Iuliam de adult. ibique Gloss. verb. Augusto, & Alex. ab Alex. lib. 4. Geni. dier. cap. 1.*) secutus, in §. *item lex Iulia instit. de public. Iud. sed eadem*, inquit, *lege Iulia etiam stupri flagitium punitur, cum quis sine vi, vel virginem, vel viduam honestè viuentem stuprauerit. pœnam autem eadem lex irrogat stupratoribus, si honesti sunt, publicationem partis dimidia bonorum: si humiles* (puta turpes, vt ibidem Hotom *post Gloss. interpretatur ob l. humilem C. de incest. nupt.*) *corporis coercitionem cum relegatione.*

34 Seueriùs sanè, quam Rex noster, coercet Imperator stupri scelus, etsi absque violentia patratum. quin & Paulus eximius iurisconsultus *lib. 2. sent.* vt refertur in *l. 1. ff. de extraor. crim.* eum, qui mulierem, puellamuè de stupro interpellauerit, vel quid impudicitię gratia fecerit, donum (ità legendum, non verò domum monet *Anton. August. lib. emend. 3. cap. 9.* etsi vtraque lectura sustineri commodè queat) præbuerit, pretiumuè, quo id persuaderet, dederit, (animaduerte hîc mulierem ob sexus auaritiam dici à pluribus inuitam ab eo stuprari, qui, vt eius consensum extorqueret, aurum, aliudùe pretiosum munus illi præbuit, eumque subijci statuti pęnis, quod inuitæ stupratorem plectit, plurimi quoque docent, quorum aliquos laudat *Mascard. de probation. conclus. 1081. n. 3. & concl. 1416. n. 28.* vbi plures recēset, & *Menoch. lib. 2. de arbitr. iud. cēt. 4. cas. 360. n. 51.*) perfecto flagitio, punitur capite; imperfecto, in insulam deportatur.

35 Quo autem modo Iustinianus Paulo non aduersetur, explicare nititur *Cotta in memorab. verb. stuprum, Io. Bapt. Pius in annot. ad d. l. 1. Alciat. lib. 5. Paradox. cap. 10. & in l. transigere n. 10. in fin. C. de transact.* quem sequitur *Menoch. lib. 2. de arb. Iud. cent. 3. cas. 288. n. 10.* apud quem vide laudatorum doctorum hac in re interpretationes.

36 Equidem assererem, *Iustinianum* quidem de eo virginis stupratore loqui, qui eam omnino scientem, & volen-

lentem absque vlla prorsus vi, aut solicitatione deflorauit: *Paulum* verò iurecconsultum de eo, qui virginis nedum stuprator, sed etiam solicitator fuit; is enim feminæ pudicitiam solicitare dicitur, qui eam muneribus allicit, ac tentat, vt ex *Valla lib. 5. elegant. cap. 75.* admonet *Menoch. casu 360. cit. num. 50.* qui addit post *Gloss.* (quā equidem reperire non potui) *in d.l. in princ ff. de extraord. crim.* illum dici solicitare, qui mulierem alloquitur, illiq; suadet, vt suis votis annuat: sic fortiùs, inquit, solicitare dicitur is, qui verè munera dedit: nam mulier, si acceptis muneribus, cōsentiat, inuita potius, quam volens peccare dicitur; vt ipsi quoque nuper monuimus. Cum ergo *Paulus* de stupratore loquatur, qui feminam de stupro interpellat, donum præbet, prætiumuè, quo id persuadeat; hinc sanè liquet satis, eum de viro nedum stupratore, verum etiam solicitatore loqui, qui iustè grauissima pena plectitur, ac si inuitam omnino corrumperet.

37 Moneo tamen id esse intelligendū, nisi aliàs ea mulier pudicitiam prostitutam habuisset: siquidem tunc non vi, sed omnino sponte, ac voluntariè corrupta præsumitur, vt censent plerique apud *Mascard. concl. 1081. cit. n. 35.* et nisi aliud cōsuetudine obseruaretur, vt aiunt quidam relati ab eodem *Mascard. n. 36.*

§. IV.

Ostenditur iustitia Siculæ constitutionis.

S V M M AE.

38 Mulier à viris facilè decepta præsumitur, & n. 41.
Eas olim in tutorum potestate esse Romani voluerunt.
Ijsdem ius pluries succurrit.
Ijs potius, quam maribus subueniēdum.
39 *Quo casu vir debitum reddere, etsi non requisitus, tenetur.*
40 *Virgines verecundæ.*
41 *Ius Cæsareum meretrices tolerat.*
Adulterij nomine quandoque omnis illicitus concubitus comprehenditur.
Quin ecclesia quoque meretricium sub dissimulatione pertransit.
43 *Quidam tamen putant, simplicem fornicationem iudicis arbitrio puniri.*
44 *Iura Cæsarum stuprum vlciscuntur etiā in feminis.*
45 *Quæ incommoda ex stupris sequantur.*
46 *Olim Romæ coercita feminarum libido.*
Exercentes meretricium peccant.
Cur illud permittatur.
47 *Minora crimina permittuntur, vt maiora caueantur.*
Id ipsemet Deus præstat.
Infideles sunt in suis ritibus tolerandi.
48 *Solon omnium primus meretricium permisit, & quare.*
Idemque primus ex capturis meretricū Veneri struxit templum.
49 *Olim Corinthi plurimæ meretrices.*
Meretrices Sentinæ, & Cloacæ à Sancto Augustino *comparatæ:* & n. 50.
51 *Ibi pœna non inuenitur, vbi delictum non reperitur.*
Id censetur delictum, quod lex tale esse decernit: & n. 52.

38 ATq; ex dictis hucusq; collegerim primam rationem, cur iustissima censeri debeat pena à nostra lege in Virginum defloratores constituta: etenim feminæ, ob muliebris naturæ infirmitatem, facillimè à viris circūueniri præsumūtur, vt innuit Imperator in *Auth. de æqualit. dotis §. his consequens*, alijsque probat *Mascard. de prob. cōcl. 1081. cit. n. 1.* quamobrem plerumque etiam aduersus commoda propria earum laborare consilium inuenitur, vt aiunt Hon. & Theod. Augusti relati in *l. 4. in fin. C. de sponsal.* vndè rectissimè olim Romani, eas in tutorum potestate esse voluerūt, vt *Cicero in orat. pro Murena* testatus est. Hinc demum iura ijs ob sexus fragilitatem pluribus in rebus subuenire solent: quæ penè omnia

nla enumerat *Glossa in l. fin. verb. auctoritas C. de iur. & fact. ignoran. & in l. regula* §. 1. *verb. quibusdam ff. de iur. & fact. ign.* ac generatim ijsdem potiùs, quam maribus subueniendum, statuit idem Imper. Iustinian. *in l. cum multæ C. de donation. ante nup.*

39 Etsi verò fęminas ad coitum natura sua procliuiores esse, Doctores fateãtur, quod ipsi *conf.* 21. ostendemus; ijdem tamen ea in re maribus illas verecundiores agnoscunt; proindèq; plures, ac fermè omnes, quos laudat, sectaturque *Sanchez lib. 9. de matrim. disp. 2. n. 4.* virum ad reddendum vxori debitum obstringunt, cum is aliquibus signis in ea petendi voluntatẽ percipit, ac præ verecundia, ac pudore à petitione omnino abstinere.

40 Quę sanè verecundia in virginibus præsertim reperitur, quibus natura virgineum claustrum tribuit, quo à venereis actibus retraherentur, nè signaculum virginitatis amitterent, vt docuit *S. Thomas 2. 2. q. 154. art. 6. sępè cit.* nosque superius admonuimus. quam ob causam eæ, si se deflorãdas alteri tradant, optimo iure præsumi possunt deceptæ, aut circumuentæ; præsertim ob maximam, quam ea in re læsionem patiuntur *arg. eorum*, quæ passim omnes edocent, ac referũtur à *Mascard. concl. 1081. cit. n. 6. & seqq.* aut falsum eius in coitum consensus precibus, muneribus, pretiouè à stupratore extortus præsumi non iniuria potest, ex ijs, quæ tradidimus.

41 Seduci hac in re à viris feminas, ius ipsum diuinum supponere videtur *Exod. 22. si quis*, inquit, *seduxerit virginem nondum desponsatam, dormieritque cum ea, &c.* id quod refertur in *cap. 1. de adult.* & Imperator Iustinianus id ipsum innuit in *l. vnica: C. de rap. virg. paulo antè finem*, ibi: *quia hoc ipsum velle mulierum ab insidijs nequissimi hominis inducitur*, confert *l. 3. §. si quis volentem, quæque ibid. affert Gloss. ff. de lib. hom. exhib.*

42 Iterum iusta lex nostra redditur, quia, etsi iura Cæsarum meretrices tolerent, atque permittant, *l. si ea, & l. quæ adulteriũ C. de adult.* vbi stuprum in ea minimè agnoscunt, quæ passim venalem formam exhibet, ac prostituta meretricio more vulgò se præbet; in eaque adulterij (hic te monitum velim, adulterij nomine stuprum, seu illicitum quemlibet cõcubitum coerceri, vt vtrobique *Glossa* animaduertit: id quod etiam docuit *Lancellot. instit. canon. tit. de adult. initio*; vt fortassis ità quoque sumitur in *cap. nemo 32. q. 8.*) crimen cessare decernãt, vt passim Doctores animaduertunt: imò ipsa ecclesia hoc meretricij crimen sub dissimulatione pertranseat, vt ait *Glossa in cap. inter opera, verb. reuocare, de sponsalibus.*

43 Etsi, inquam, hæc ita se habeant; tamen sunt, qui censent, simplicem quoque fornicationem arbitrio iudicis vindicari: *si quis*, inquit *Lancell. loc. cit. §. 1. cum muliere soluta, & impudica simpliciter fornicatus fuerit, tam pœnitentiæ modus, quam etiam alia pęna in iudicijs potissimum reponetur arbitrio, qui ex qualitatibus varijs minorem, vel maiorem pęnam statuet.* vide *Alex. cõs. 157. n. 3. lib. 5. & Paulum Grillandum tract. de pœnis omnifariam coitus q. 9. nu. 3. vbi post Abb. in cap. vt clericorum n. 7. de vit. & hon. cler.* ait, in foro contentioso iuris canonici huius sceleris pęnam, tam contrà clericũ, quam contrà laicum, esse Iudici arbitrariam. Ità quoque censuit *Bernard. Diaz in pract. canon. cap. 72.* quos, aliosque recenset *Menoch. lib. 2. de Arb. iud. cent. 3. casu 289. & Farinac p. 4. prac. & Theor. crim. lib. 5. de delict. car. q. 137. n. 36.*

44 Quod si hi simplicem quoque fornicationem omnino plectendam asseuerant; sanè potiori iure stuprum grauiter vindicandum censebimus; quod ipsamet Cæsarum iura, quæ illam quoquomodo permittunt, hoc non immeritò etiam in femina vlciscũtur: *fędissimi*, inquiũt Imperatores Diod.

&

& Maxim. relati in l.fœdissimam C. ad l.Iul.de Adul.& stup. *eorum nequitiā, quæ pudorem suum alienis libidinibus prosternunt, non etiam earum, quæ per vim stupro compressæ sunt, irreprehensa voluntate, leges vlciscuntur*: loquitur, inquit *Glossa in princ.* quando mulier spontè committit stuprum cū aliquo. de pœnis autem, quibus stupratores coercēdi sunt, rectè *Menoch. loc.cit.cas.* 288. *Iulius Clarus lib. 5. recep.sentent.§.Stuprum; Carer. in pract. crim.§.Homicid.6.n.* 307. *& seqq. Baiard.de Clar. Less. aliique suprà sæpiùs laudati, & Farin.4.p.pract. & Theor. crim.lib. 5.tit. 16. de delictis carnis q.* 157.

45 Præterea nemo profectò negabit, instissimè posse à republica ea crimina coerceri, quæ, licet alijs propriè iniuriosa minimè censeantur; ex ijs tamen incommoda quædam sequuntur, quæ contemni nullo pacto debent. certè, cum virgo aliqua, etsi volens fortè, defloratur, ingens indè parentibus, alijsque consanguineis mæror, ob dedecoratam familiam, spesque frustratas, obuenire solet. Adde plerumque, indè quoque grauissima mala, vti inimicitias, cędesque oboriri, reipublicæ malo. quæ sanè incommoda, quò omnino præcidantur, timoreque pęnę homines à tanto facinore cohibeantur, stuprum respublica vindicare optimo iure potest.

46 Rectè quidem olim, ob dedecus, quod ex meretricio quæstu familiæ obuenit, Romæ, stationem imperij tenente Tiberio, vt ait *Cęlius Rhodiginus lib.* 14. *lect.antiq.cap.* 4. grauiore senatus decreto feminarum coercitā libidinem, cautumque, nè quęstum corpore fecisse vellet, cui auus, aut pater, aut maritus Eques Romanus fuisset. Sanè eadem respublica ideo meretricium (quod exercentes peccare apud Catholicos non ambigitur, *cap.meretrices* 32.*qu.* 4.) patitur, quò grauiora, ac detestabiliora libidinum facinora euitentur, vt post aliòs docuit *Mascard.concl.* 1067.*num.* 2.

47 Sapientis namque legislatoris est, minores transgressiones permittere, vt maiores caueantur, ait *S.Tho.* 1.2. *q.* 101. *art.* 3. *ad* 2. ac Deum ipsum hac in re imitari debet, qui, vt ait, idem *S.Doctor* 2.2.*q.* 10. *art.* 11. *in corp.* quāuis sit omnipotens, & summè bonus; permittit tamen aliqua mala fieri in vniuerso, quæ prohibere posset, nè, eis sublatis, maiora bona tollerentur, vel etiam peiora mala sequerentur. sic ergo in regimine humano illi, qui præsunt, rectè aliqua mala tolerant, nè aliqua bona impediantur, vel etiā nè aliqua mala peiora incurrantur: tū id confirmat exemplo meretricum, vt mox ipsi dicemus; indèque concludit, infideles esse in suis ritibus tolerādos; vel scilicet propter bonum, quod inde sequitur, vel ob malum, quod inde vitatur. Duo enim mala, licet sint omnino cautissimè præcauenda, tamē, si periculi necessitas ex his vnum perpetrare compulerit, id debemus resoluere, quod minori nexu noscitur obligare, inquit *Concilium Toletanum* 8. relatum in *cap* 1. *dist.* 14. adde *cap. seq. ead.dist.* & plura quæ in *ca.* 2. illius Concilij referuntur.

48 Hæc sanè fuit ratio, & origo toletandarum in republica meretricum, quò nimirum peiora flagitia homines declinarent: siquidem Solon, quem, adhibita Philemonis auctoritate, refert *Cælius,* omnium primum emptas iuuentuti meretriculas comparasse; id profectò pręstitit, vt effuso illic, egestoque libidinis impetu, quid turpius cogitare desisterent: idem primus Veneris, quam Pandemum vocant, Nicandro auctore sustruxisse templum memoratur ex prostitutarum captuis, vt idem *Rhodiginus* animaduertit. Idem ferme reperies apud *Alex. ab Alex.lib.4.Gen.dier.cap.* 1. *post medium*, vbi, posteaquam apud Indos, Aethiopas, Messagetas, barbarasq; nationes impunita fuisse adulteria; neq; Lacedæmonios ea nouisse, proindeque

deque nec Lycurgi lege in adulteros pęnam fuisse receſsuit: *Solon verò*, ſubdit, *vt ab adulterijs cohiberetur iuuentus, coemptas meretriculas Athenis proſtituit primus, obuiaſque in Venerem eſſe voluit, nè matronarum contagio pollueretur.*

49 *Alexandrum* conſule, alia hac in re eruditè differentem: apud quem etiã *lib. 6. cap. vlt. ante fin.* comperies, Corinthi ſuprà mille proſtitutas olim in templo Veneris aſſiduè degiſſe, & inflammata libidine, quęſtui meretricio dediſſe operam, ac veluti ſacrorum miniſtras Deæ fuiſſe famulatas. Addo *S. Thomã loco* 2. 2. nuper laudato, vbi refert *Aug. tom. 1. lib. 2. de ordine cap. 4. ante med.* ibi: *Aufer meretrices de rebus humanis, turbaueris omnia libidinibus.* Sed meliùs, quam alibi, rem hãc proſequitur *S. Thomas in opuſc. 20. lib. 4. cap. 14.* vbi Ariſtotelem refert arbitrantem, hanc ipſam ob cauſam meretricium in rep. tolerandum: ac præterea *S. Auguſtinum* aientem, id facere meretricem in mundo, quod ſentina in naui, vel cloaca in palatio: *ea namque*, inquit, *ſi tollantur, fætore omnia replebuntur: ita, ſi tollas meretrices, mundus replebitur ſodomia.* Vide *S. Tho. opuſc. cit. & Rebuff. in l. Maſſurius ff. de verb. ſignif.*

50 Atqui nulla prorſus neceſſitas cogit, vt ſtuprum permittatur, quo grauiora facinora præcaueantur; ea enim ſatis præcauta, permiſſo meretricio, exiſtimantur. cur ergo illud reſpublica patiatur, quod plurimorum originẽ malorum agnoſcit, neque grauioribus præcidendis neceſſarium animaduertir? Hinc & *Vlpianus*, etſi concubinas habere permiſerit; cum Attilicino tamen ſenticns, putauit, ſolas eas in concubinatu haberi poſſe ſine metu criminis, in qua ſtuprum non committitur, vt refertur in *l. 1. ff. de concub.* ſtuprum enim impunitum trãſire noluit iureconſultus, præſertim ob damna, quæ inde obueniunt parentibus præcipuè, ac conſanguineis ſtupratæ, ad quæ ſanè noſter legiſlator reſpexiſſe viſus eſt, cum ijs dumtaxat ius accuſandi ſtupratorem indulſerit, vt ſuprà etiam monuimus.

51 Demum, ſicuti apud iuriſconſultos certiſſimum eſt, ibi pęnam non inueniri, vbi delictum minimè reperitur, vt poſt innumeros tradidit *Farinac. lib. 1. pract. & theor. crim. tit. 3. de delict. & pœn. q. 17. n. 1.* ità quoque veriſſimum cenſeri debet, ibi delictum à iuriſperitis non agnoſci, vbi lex illud aliqua tandem pęna expreſſim non plectit; etſi de cetero illud ipſum illicitum quoddam ſit, atque inhoneſtũ: ſic etiam contrà, id cenſeri delictum, quod lex ſtatuit eſſe delictum, ab eaq; vindicatur. lege *Farinac. loc. cit. q. 18. n. 6. & 7. Menoch. de arbitr. iud. lib. 2. cent. 3. caſu 276.*

52 Hinc autem fit, vt ſtuprum effectũ ſit delictum, cum illud, nedum lex noſtra quinquennali relegatione, verum & ius commune grauiſſimis pęnis vlciſcatur, vt nuper oſtendimus: meretricium autem id minimè exiſtimetur, quando nulla lege vindicatur. Atque ità ſtuprum vbique locorum aliquo tãdem modo plectitur, vt apud Auctores ſæpius laudatos animaduertere licet. Quoniam verò in caſu noſtro ſtuprator ille nonnulla allegabat, quibꝰ ſe tueri enitebatur; ideo *ſeq. conſ.* ea perpendere operępretium duxi: quæ etiam ſpectant ad rectũ Siculæ conſtitutionis intellectum. ſit igitur.

CON-

CONSILIVM XXI.

De stupro virginis volentis quæstiones selectiores.

Ad

idem cap. 166. Alphonsi.

§. I.

Quanto tempore stupri delictum præscribatur.

S V M M AE.

1 *Statuta à iure communi interpretationem recipiunt.*

2 *Stupri crimen, vtroque volente commissum, quinquēnio præscribitur.*

Hoc quinquennium continuum esse debet, etsi non vtile.

Quando incipiat, desinatque.

3 *Violentus stuprator absque præfinitione temporis accusari potest.*

Is post quinquennium non lege Iulia de adulterijs, sed de vi publica accusari potest,& n. 4.

5 *Stuprum, incesto coniunctum, quinquennio non præscribitur.*

Delictum perpetuum trahit ad sui perpetuitatem non perpetuum.

1 Aiebat igitur primùm stuprator ille, se saltem esse tutũ quinquennali præscriptione. Ego tamen aiebam primò, ab ipso non rectè probari, quinquennium elapsũ. Deindè, quamuis id ostenderetur, ei tamen nihil prodesse: nam accusatio in prima instantia (nos in secunda versabamur) ante quinquenniũ elapsum proposita fuerat. Vt autem hæc, aliaque similia rectè perciperentur, ac nostræ constitutionis explicationi aptari possent, præmittendum omnino fuit, statuta, aliasque quascumque dispositiones à iure communi suam recipere interpretationẽ, vt ex *Gloss. & DD. in l. 2. C. de noxal. & in l. fin. §. in computatione C. de iur. delib. & in l. 1. §. lex Falcidia ff. ad l. Falcid.* omnes ostendunt, quorum aliquos laudant, ac sequuntur, *Cephal. consil.* 140. *n.* 22. *lib.* 1. *Farin. lib.* 1. *pract. & theor. crim. tit.* 3. *q.* 17. *n.* 14. *& q.* 19. *n.* 5. *alibique.*

2 Hoc igitur ità præmisso, aiebam, hoc stupri genus, puta, *vtroque volente*, commissũ, quinquennio præscribi; nè scilicet crimen quinquennio continuo sopitum, excitetur, inquit *Vlpianus* relatus in *l mariti §. preterea ff. ad l. Iul. de adult. & stup.* vbi omnes prorsus Doctores ità profitentur, ibique docuit *Glossa verb commisi criminis*; *& in instit. de publ. iudic. §. item lex Iulia, verb. cum relegatione.* alios laudat *Farinac. lib.* 1. *pract. & theor. crim. tit.* 1. *de inquisit. q.* 10. *num.* 15. quod sanè quinquēnium continuum esse debet, licet non vtile *l. quinquennium eod. tit.* quoad processum, sed est vtile quoad initium, vt post *Gloss.* docuit *Bart. ibid.* atque ex eo die accipiendum est, ex quo stuprum perpetratum est: & ad eum vsque diem, quo quis postulatus, postulataue est; non autem ad eum, quo iudicio de adulterijs exercetur, vt ibidem statuit *Vlpianus*: idest sufficiet, quod accusatio ante elapsum quinquennium proponatur; etsi intrà id tẽporis minimè perficiatur, vt monuit *Glossa in l. cit. verb. & non ad eum,* vbi ad id affert *l. mora, C. de rei vendic & l. 2. §. quinquēnium ff. de coll. deteg.* Hinc autem apertè refellebatur hæc prima exceptio præscriptionis; cũ certissimum esset, accusationem intrà quinquennium fuisse propositam. Ad vberiorem tamen doctrinam alia addebamus.

3 Dixi igitur, *si vtroque volente* stuprum cõmittatur: eum enim, qui per vim stuprum intulerit, sine præfinitione huius temporis accusari posse, dubium non est, cum eum publicam vim committere, nulla dubitatio sit, inquit idem iureconsultus in *§. fin. laudatę legis.* Ex cuius sanè postremis verbis elici videtur, Vlpianum censere, violentum stupratorem post quinquẽnium posse accusari, non quidem legẽ

Iulia, quæ adulteros, virginumque defloratores punit; sed lege Iulia de vi publica, quā vim cōmisisse eiusmodi stupratorem, certissimum arbitratus est. Id quod etiam præsensit *Glossa fin. d. leg.* licet de cætero innuat quoque cum lege Iulia de adulterijs accusari posse: vt etiam docuit *Bartolus ibidē*, ob dictionem aduersatiuam, *autem*, quæ ijs aduersatur, quæ eiusdem generis existunt.

4 Sed primam, quam ex Vlpiani doctrina elicuimus, opinionem non obscurè innuit *Martianus* vt refertur in *l. qui cœtu § fin. ff. ad l. Iul. de vi publ.* vbi raptus crimen absque quinquennij præscriptione accusari posse decreuit; redditque rationem: *quia scilicet illud legis*, inquit, *Iuliæ de adulterijs potestatem excedit*, idest subdit *ibid. Glos. fin.* non finitur quinquennio, vt adulterij crimen: violentum verò stupratorem, etsi virginem paterna domo minimè abducat, raptori quoad pœnas penitus æquiparari *cōs.* 23. ostēdemus. Atque id, quod diximus, stupri scelus, vi commissum, nullo temporis spatio præscribi, omnes prorsus profitentur, quos laudat *Farinac. loc. cit. n.* 18 *& Baiard. ad Clar. verb. Adulterium n.* 127.

5 Quod si stuprum incesto coniungatur, existimo quinque annorum præscriptione minimè excludi, exemplo eius, quod de incesto, quod adulterio coniungitur, Papinianus respondit, vt refertur in *l. vim passam §. præscriptione ff. ad l. Iul. de adult. vide Glos. ibid. verb. coniunctum adulterio, & Farin. loc. cit. n.* 19 *Boer. decis.* 26. *nu.* 12. vbi ait, *Angelum in d. §. præscriptione*, opinari, incestum etiam simplicem, ac nulli alteri delicto coniunctum, quinquennij tempore non præscribi: & sic, subdit *Boerius*, incestus crimen per se est perpetuum vsque ad xx. annos, & simplex adulterium vsque ad annos quinque: sed mixtum cum incestu est perpetuum vsque ad xx. annos: quia quando duo delicta sunt inuicem permixta, illud, quod est magis perpetuum, reducit ad se perpetuitatem minus perpetuum, vt dicunt *Bald. & Salicet. in l. adulter ff. cit.* id quod probari docet *Boer. ex l. mariti §. fin. cit.* vbi adulterium, per vim commissum, non tollitur quinquennio, ratione vnionis; licet contrarium velit *Io. Barberij cō sulendus* quoque *Alex. conf.* 116. *nu.* 9. *lib.* 2. vbi ostendit, statutum loquēs in casu simplici, ad mixtum non extēdi: neque omittenda ea, quæ tradidit *Bart. in d. l. vim passam, & in l. si ità ff. de lib. & posth. & in l. 2. num. 2. ff. de verb. oblig. vbi in add. lit. E.* plures alij recensentur, qui hac in re consulendi sunt. vide quoque *l. si adulterium §. 1. & 2. ff. ad l. Iul. de adult.*

§. II.

Cui competat actio accusandi stupratorem; & an virginitas præsumatur.

SVMMAE.

6 *Proximior cōsanguineus, remotiore excluso, ad stupratoris accusationem admittendus.*

In adulteræ accusatione maritus patri præponitur.

7 *In occisoris accusatione proximior occisi alijs præfertur.*

Idem in iniuria remissione.

8 *Pater præfertur sposo in stupratoris accusatione.*

9 *Virginitas à iure præsumitur.*

Virginis assertioni de virginitate standum est.

Nisi stuprator contrarium ostendat.

10 *Virginitas à quonam allegari debeat.*

6 Alebat iterū stuprator ille, virginis patrem esse penitus repellendum, cum sponsus virginis adesset, qui sponsalia cum ea contraxerat: sed hæc exceptio inanis visa est: nec mariti exemplum prodest, vt iam subijcio. Et sanè, si generatim loquamur, si plures stupratæ con-

consanguinei existant, qui eumdem virginis stupratorem accusare velint, proximiorem consanguineum remotiore à iudice anteponendum, assero, motus doctrina *Vlpiani in l. 2. §. si simul ff. ad l. Iul. de adult.* vbi id ipsum in adulteræ accusatione tradidit, probauitque: cuius equidem sententiam totidem verbis referam, quòd quæstionem propositam apertè decidit: *si simul*, inquit, *ad accusationem veniant maritus, & pater mulieris*, (adulteræ) *quem præferri oporteat, quæritur; & magis est, vt maritus præferatur: nam & propensiore iure, & maiore dolore exequuturum eum accusationem, creddum est.*

7 Hæc sanè ratio eodem penitus modo in propinquioribus consanguineis, ad remotiores comparatis, locum habet, vt cuilibet rem consideranti deprehendere licebit. *In tantum vt, et si pater*, subdit iurisconsultus, *prauenerit, & libellos inscriptionum deposuerit, marito non negligente, nec retardante, sed accusationem parante, & probationibus instruente, neque muniente, vt faciliùs iudicantibus de adulterio probetur, idem fit dicendum.* vide *Gloss. ibid. verb. magis est.* confert plurimum. *l. si plures, iuncta Glossa verb. de caussa ff. de accusa. & inscrip.* atque hinc etiã plurimi docent, ius accusandi de defuncti nece, proximioribus cõsanguineis competere, exclusis remotioribus, vt post alios multos tradidit *Farinac. lib. 1. pract. & theor. crim. tit. 2. q. 13. n. 2.* ex qua quidem doctrina inferũt quoque, eos in remittenda iniuria, vel super ea transigendo, aliis anteponi, qui in malefici accusatione iisdem præferuntur, vt ibidem post alios monuit *Farinac. n. 1. & 2. & quæst. 14.* quibus sanè locis plurima sunt consulẽda, quę ad hanc rem pertinere queunt.

8 Ex his autem explosa prorsus remanet hæc secunda illius stupratoris exceptio: nam quis asserat, sponsum, & propensiore iure, & maiore dolore exequuturum accusationem, quam patrem? quid enim iuris ex sponsalibus acquisiuit sponsus, si illius violatio, non solùm non est adulterium, sed neque circumstantia in confessione explicanda, iuxtà plurium opinionẽ à quorum aliquos retulit *Sanchez lib. 1. de matrim. disp. 2.* Certè ob sequutã alterius coniugis fornicationem, spõsalia dissoluuntur, si innocens dissoluere velit, *cap. quemadmodum, de iureiur.* quamobrem in re nostra sponsus stupratam sponsam relinquere poterat: de quo *Sanch. disput. 55. lib. 1. cit.* vndè non est ad rem mariti exemplũ.

9 Tertiò negabat stuprator ille, stupratam fuisse integram; hæc verò se integram ante coitũ asseuerabat. Sed hãc etiam exceptionem facillimè dissolui ostendebam: aiebam enim, virginitatem qualitatem esse à natura tributam, quæque ipsamet natura inesse dicitur, proindèque à iure pręsumitur, quamuis aliter non probetur, vt post alios tradidit *Mascard. conclus. 1417 n. 1.* atque ideo in hoc casu virginis assertioni standum esse, omnes passim opinantur, quorum aliquos laudant, ac sequũtur *Mascard. loc. cit. n. 2. & Baiard. ad Clar. d. §. stuprum n. 41.* quod intelligendum est, nisi stuprator contrarium ostendat, vt iidem animaduertunt. Quod si aliquam ob causam dubitetur, num deflorata ante concubitum fuerit virgo, ipsius iuramento se virginem asserentis standum esse, post plures monuit idem *Mascard. concl. 1343. n. 6.* neutrum in nostro casu aderat: neque enim contrarium stuprator probauerat; neque de præcedente virginitate dubium erat.

10 Quoniã verò, vt præsumatur, allegari virginitas debet, vt *Mascard.* post alios affirmat *d. concl. 1417. nu. 9.* q̃res hic haud inopportunè à quonã allegari ea oporteat. Et sanè *Crauett. cõs. 166. n. 5.* vt eum refert *Mascard. n. 10 & Baiard. n. 42.* censet, ab ipsamet muliere allegari, & non à tertio debere. sed *Mascard. nu. 11.* non ineptè de

hoc Crauettæ enucleato dubitat: nam si virginitatis præsumptio est naturalis, cum sit circa qualitatem insitam à natura, debet leuare ab onere probandi eum, pro quo stat, & transferre illud in asserentem contrarium; l. omnimodo C. de inoff. testam. Gloss. ibid. & in d. l. si quis testamento. Cipai testam. Facer. pass. & in l. vlt. C. ad l. Iul. de vi. cap. quin. dixit. 50. Decian. resp. 8. n. 15. vol. 3. etsi de cætero ingenuè fateatur Mascard. non esse parem rationem præsumendi virginitatem, à tertio, ac ab ipsamet muliere allegatam; siquidē hæc de facto proprio censuntē: & absque vlla prorsus dubitatione testatur; allegatio autem tertij, inquit, remanebit in puris terminis præsumptionis,

Tādem stuprator cū patre virginis stupratæ trāsegit. Ad maiorem autem huius materiæ, ac nostræ constitutionis explicationem, nonnulla alia hoc loco explicare visum est.

§. III.

Nōnulla alia circa stuprorum cursim expediuntur.

S V M M A R.

11 Violentia crimen est personale. Stuprum violentum tunc est, cum vis personæ irrogatur.

12 Plura stupra committens, qua pœna plecti debet.

13 Plura delicta pluribus pœnis punienda. Quando pœna ob delinquendi consuetudinem augeatur.

14 Stuprata honesta esse debet, vt pœna locus sit.

Sponsus stuprans sponsam non punitur penis stupratoris.

15 Tutor pupillam stuprans, qua pena plectendus; & n. 16.

17 Vassallus, domini vxorem viduam cognoscens, feudo priuatur.

Idem, si adulterium cum ea committat.

Non ita, si secundò ea nupserit.

18 Qui nondum viripotentem corrumpit, qua pena puniendus.

Quæ viripotens dicatur.

19 Quomodo plectendus dominus suam ancillam deflorans.

20 Item carcerum custos carceratam cognoscens.

Quomodo stuprum probetur.

Qua pena seruus dominam virginem deflorans puniatur.

11 ET primo quidem inquirere quispiam potest, si nulla prorsus vis personæ stupratæ inferatur; stuprator tamen, quo domum intraret, ostium fregit, ac violenter eam ingressus est, cum virgine tamen omnino volente concubuit; num is quinquennali relegatione; an verò vti violentus stuprator plectendus sit. Respondeo, violentiæ crimen ab omnibus dici crimen personale; post Bart. in l. liceat io §. quod illicitè ff. de publica. quem laudat, sectaturque Baiard. ad Clar. §. stuprum n. 36. qui proinde docet, stuprum tunc violentum censeri debere, cum violentia personæ irrogatur; atque ita is, qui in domus ingressu violentiam commisit, si femina stupro nihil penitus renixa est; vel simplex, & non violentus stuprator puniendus est, vt post Castr. Decian. aliosque ipsemet Baiardus edocuit: etsi de cætero putem, eum ob vim in ingressu illatam fore acriter castigandū, vt etiā præsensit Farinac. lib. 1. pract. & theoric. crim. quæst. 3. p. 2. n. 25.

12 Sed quid, inquies, dicendum erit, si quispiam plura stupra absque violentia committat, num quinquennali solum relegatione plecti debeat. Baiardus eodem loco laudato num. 120. post Gramm. voto. 17. ait, vilem personam plura stupra committentem, pena mortis puniri: ac plura dici autumat, si sint duo, vel tria; post eundem Gramm. quem dixisse refert, ità fuisse decisum, atque executioni mandatū.

13 Ego vero id nimis rigidum censeo: quare, etsi delictum ob aliud delictū non minuat penam, vt Vlpianus edocuit, refferturque. in l. 2. ff. de priuat. de-

delict. ac proindè plura delicta, tum diuerſi generis, ſiue ex interuallo, ſiue ſimul, & incontinenti commiſſa; tum eiuſdem generis, ex interuallo tamen perpetrata, licet ea ad eumdẽ effectum committantur, pluribus pęnis punienda à Doctoribus cẽſeantur, vt benè poſt eorum plures explicuit *Farinac. lib. 1. cit. pract. & theor. crim. tit. 3. de delict. & pęn. q. 22.* apud quem plura hac de re conſulenda ſunt, qui *Clar. Couarr.* alioſque etiam conſulendos recenſet. Nihilominus opinor, plura ſtupra committentem nonniſi pluribus quinquennalibus relegationibus, pro ſtuprorum numero, eſſe puniendum, cum noſtræ conſtitutionis pęna iterari commodè queat. vide *Farinac. loc. cit. præcipuè nu. 30. & 31.* quando autem, & quomodo ob delinquendi conſuetudinem pęna augẽda ſit; docuit *Clar. q. 84. num. 6. ibique Baiardus, & latius Farinac. loc. cit. qu. 23. poſt alios.*

14 Monuerim tamen duo, primum quidem, ſtupratam, de qua loquuti ſumus, vt lex noſtra locum obtineat, debere eſſe honeſtam, ſeu honeſtæ vitæ; ſi enim inhoneſtè vixiſſet, tũc nullo prorſus modo ſtuprator puniendus foret: vt rectè, latèque oſtendit *Paris. cõſ. 160. lib. 4.* quem ſequitur *Clar. d. §. ſtuprum n. 3. verſ. hæc autẽ omnia, ibique Baiard.* vide etiam *Maſcard. de probation. concl. 1254. n. 21. 22. 23. & 24.* alioſque apud illos. Secundum monitum eſt, ſponſum, qui ſponſam ſeduxerit, & ſtuprauerit, non poſſe puniri pęna cõtrà ſtuprantem à ſacris canonibus inflicta, prætextu, quod hodie ex decreto Concilij ſponſalia poſt copulam ſubſequutã in vim matrimonij minimè tranſeunt, vt ante Concilium erat; ſed puniri grauiter arbitrio ordinarij. Ità declarauit congregatio Concilij, vti refert *Marzilla lib. 3. tit. 15. cap. 2. lit. E.*

15 Denique inquires, num conſtitutio noſtra in omnibus volentium ſtupratoribus locum obtineat. Ego quidem exiſtimo primùm, minimè ea cõcludi tutorem, qui pupillam quondã ſuam ſtuprauerit: is enim, ſi ius commune ſpectemus, deportatione puniendus eſt, atque vniuerſæ eius facultates fiſci iuribus vendicantur, vt ſtatuitur in *l. vnica C. ſi quis eam, cuius tutor fuerit, corruperit:* quoniam, ſubdit Imperator, eam pęnam debuerit ſuſtinere, quam raptori leges imponunt, puta vltimi ſupplicij, vt *Gloſſa* interpretatur.

16 Neque ambigendum reſtat, quia hæc lex de femina ſtupro conſentiente loquatur; ſiquidem, ſi nolens violaretur, capite plectendum tutorem pupillæ ſtupratorem, nemo negabit; ea enim pęna ſtuprum violentum à legibus vindicari *ſeq. cõſ.* probaturi ſumus. Illud ipſum colligitur ex *l. qui pupillã §. 1. iuncta gloſſa verb. adulterij ff. ad l. Iul. de adult.* atque ità præſenſit *Baiard. ad Clar. § ſtuprum nu. 18 poſt Girland. de pœn. omnif. coit. cap. 9. n. 7.*

17 Præterea puto, vaſſallum, qui cum domini vxore vidua ſtuprum cõmittit, nedum alijs pęnis puniri; verùm etiam feudo priuari. ità poſt alios cõſet *Iul. Clar. lib. 4. recept. ſentent. §. feudũ q. 48. n. 2. & lib. 5. §. ſtuprũ n. 18.* ſicuti, & qui adulterium cum domini vxore patrat, feudo etiam priuatur, *cap. 1. tit. quib. mod. feu amit.* notatque *Clar. loc. cit. n. 1. vide add. ad ipſum.* Dixi cũ vxore vidua; ſiquidem, ſi ad ſecunda vota tranſiſſet, & vaſſallus cum ea coiret, à feudo non caderet, vt poſt alios idem *Clarus* edocuit.

18 Inſuper, qui nondum viripotentes virgines corrumpunt, humiliores in metallum damnantur; honeſtiores relegantur in inſulam, aut in exilium mittuntur, vt ait Paulus iureconſultus relatus in *l. ſi quis aliquid ex metallo §. qui nondum viripotentes ff. de pęn.* confert *l. qui ſtuprum ff. de iniur.* dicũtur autem viripotentes, quæ maiores duodecim annis exiſtunt *§. 1. in fin. inſtit. quib. mod. tut. finitur.* docetque *Gloſſa in §. 1. inſtit. de nupt. verb. viri-*

poten-

potentes. sed quænam hodie hisce nōdum viripotentium virginum stupratoribus pœna sit irroganda, optimè explicuit *Clar. d. §. stuprum nu. 9. Menoch. de arb. iud. lib. 2. cent. 3. cas. 294.* hac in re omnino videndus; siquidē eam latè pertractat, variasque Doctorum sententias recenset. quidque in facti contingentia iudicatum sit apud Senatum Pedamontanum refert *Thesaur. decis.* 148. vbi ait, olim eiusmodi stupratori statutam quoque pœnam, vt nares abscinderentur.

19 Demum qui suam ancillam virginē deflorat, iudicis arbitrio puniri, docuit post *Ang. & Boer. idem Menoch. loc. cit. casu* 293. *& Baiard. ad Clar. in d. S. stuprum n.* 3. quique aiunt eos, qui cum suis ancillis rem habent, non puniri, vt idem *Ang. Alex. & Gramm.* intelligendi sunt loqui, cum eædem ancillæ ab alijs corruptæ fuēre, vt monet *Menoch. & Baiar.*

20 Si scire cupias, vt hoc obiter dicā, quanam pœna plectatur carcerum custos, aliusuè, qui cum muliere carceribus inclusa coit, consule eumdem *Menoch. loc. cit. casu* 292. aliosq; quos ipse recenset. Ità etiam quomodo stuprū probetur, latè tradidit *Mascard. de probation. conclu.* 1343. vide quoq; *Clar. & Baiard.* locis nuper laudatis, aliosque, quos ipsi recensent. Demū qua pena seruus plectatur, qui cum domina virgine concubuit, vide *l. vnicam C. de mulier. quæ se propr. ser. iunx. & Farinac. qu.* 147. *p.* 4. *num.* 18. aliosque apud ipsum.

CONSILIVM XXII.

An rapiens meretricem pœnis raptus subijciatur.

Ad

Idem cap. 166. *Alphonsi.*

ACcidit casus, cum in Regia Matritensi degerem. Omnes ferè huiusmodi raptorem absoluendum censebant: aut saltem mitissimè puniendum: ipse verò solus renitebar, aiebamque, eum seuerè plectendum; licet non ordinaria raptoris pœna: quamuis & hoc non improbabile putauerim. Quæ verò hoc, & *sequens.* dicemus, aptari possūt explicationi secūdæ partis *d. cap.* 166. initio cōs. 20. relatæ, quæ ità se habet. *Si verò committatur cum raptu, & violentia, punitur pœna vltimi supplicij.* Sed antequam meam sententiam exponam, nonnulla præmonere operepretium est.

§. I.

Quid sit raptus, & quæ violentia ad illum requiratur.

S V M M AE.

1 *RApere generale verbum est, & tam ad personas, quā ad res referri potest.*
Hoc loco ad personas solum refertur.
2 *Rapi absque vi non potest; sicuti potest amoueri.*
Deus cor hominis interrogat.
3 *Quid sit raptus quoad forum cōscientiæ.*
Ad eū exigitur vis illata libidinis caussa.
Quid sit plagij crimen.
4 *Mulier rapiens virum libidinis caussa raptum committit.*
Quibusnam vis illa inferri debeat, vt raptus censeatur.
5 *Quid sit raptus, qui pœnis à iure latis subiaceat.*
6 *Violentia ad raptū omnino requiritur.*
7 L. 1. C. de rap. virg. *exponitur, prout in* raptu

raptu violentiam requirere non videtur.
8 *Etsi volens mulier rapiatur, iniuria tamen eius parentibus, alijsque, quorū interest, irrogatur.*
Iniuria filijs irrogat a parentum pudorē pertingit.
9 *Si femina sub nullius potestate constituta volens abducatur, raptus non erit.*
Quomodo ea sui corporis dominium habere dicatur.
10 *Raptor volentis, etsi parentibus renitētib⁹, nō ordinarijs raptus pœnis subijciendus est.*
11 *Sufficit ad raptum violentiæ metus,*
Homines armati metum incutiunt cadentem in constantem virum.
12 *Idem est, quamuis arma deponant.*
13 *De iudice cognoscente mulierem litigantem.*

1 PRimum igitur moneo, quod, etsi rapere, generale verbum in iure censeatur, & tam ad personas, quam ad res referri queat, raptorque bonorum optimè dicatur, vt *tot. tit. ff. de vi bon. rapt.* probatque *Rebuff. in l. Marcellus vers. rapere, ff. de verb. signif.* nihilominus impræsentiarum ad personas dumtaxat referendū est: atque ità, qui virginem rapit, virginum raptor; qui viduam, viduarū; qui monialem, sanctimonialium raptor nuncupatur *l. vnica C. de rap. virg. l. si quis non dicam rapere, & l. raptores C. de Episc. & cler. & 36. qu. 1. & 2. alibique.*

2 Deinde moneo, rapi aliquid absq; vi non posse, sicuti poterit amoueri, in quo à iurecōsulto Vlpiano hæc duo discriminantur, vt refertur in *l. 3. §. nō solum ff. de incendio, ruina, & naufragio:* nisi ludit *Rebuff. loc. cit. vers. aliud est*, quoad Deum, qui cor hominis interrogat *ca. si quis 14. q. 5. ibi: si quid inuenisti, & non reddidisti, rapuisti:* & ita peccat, ac si rapuisset.

3 Præterea moneo, posse nos de raptu disputare, vel vt ad animæ forum, seu conscientiæ spectat: estque species quædam luxuriæ à cæteris seiuncta, quæ circumstantiam necessariò in confessione fatendam affert, vt Theologi exponunt, eamque definiunt in hūc modum: Raptus est violētia libidinis caussa personæ cuicumque raptæ, eiusuè parentibus, aut ijs, sub quorum potestate, vel cura ea reperitur, illata. hanc raptus descriptionem ij colligūt ex *S. Thom. 2. 2. qu. 154. art. 7. & Gratiano §. cum ergo post cap. 2. & §. ex hac auctoritate post cap. 3. 36. q. 1.* nisi ergo vis inferatur libidinis caussa, non erit raptus: is enim est illicitus coitus à corrumpendo dictus; vnde qui raptu potitur, stupro fruitur, vt docuit *Isidorus lib. 5. Etymol. cap. 26.* referturq; in *cap. 1. 36. q. 1.* quare, si alia de caussa persona abducatur, veluti eam in seruitutem redigendi, erit quidem plagij grauissimum crimē, lege Flauia puniendum, vt *ff. & C. ad l. Flaui. de plagiarijs*; non tamen raptus, qui ad luxuriam spectet, vt post alios plures tradunt *Sanch. lib. 7. de matrim. disput. 12. nu. 17. & 38. Less. lib. 4. de iust. cap. 3. dub. 9, n. 66.* alijque passim.

4 Sufficit verò, vt quoad animæ forū raptus dicatur, vt persona quæcumq; violenter libidinis causa abducatur, siue sit masculus, vt si mulier rapiat virum, vt tradidère *Henriq. lib. 12. de matrim. cap. 14. nu. 4. Less. loc. cit. vers. raptus propriè, Roder. p. p. sum. c. 231. n. 4.* siue sit virgo, siue monialis, siue sit corrupta, vti vidua, nupta, vel etiā meretrix, vt ex doctrina *S. Thomæ loc. cit.* colligit *Sanch. nu. 37. Azor. tom. 3. sum. lib. 3. cap. 14. & seq.* alijque. Vis autem inferri debet, vel ipsi personæ, quæ abducitur, vel ijs saltem, ad quos illius custodia spectat, veluti parenti, marito, sponso, tutori, curatori; etsi illa fugæ, & copulæ consentiret, vt post innumeros alios docuit *Sanchez loc. cit. n. 31. & 34. Azor. & Less. loc. cit.* Quod si puella, ignorantibus ijs, quos recensuimus, volens omnino domo abducatur, etsi propriè raptus, qui vim desiderat, minimè censeatur; erit tamen

tamẽ luxuriæ ſpecies à cæteris diſtin-ćta, in confeſſione omnino explicanda, ob iniuriam, quæ illis infertur, vt relati Doctores animaduertunt, apud quos alia de raptu, prout ad forum interius pertinet, conſulenda ſunt: neq; enim hìc de eo itá agimus; ſed vt eſt illud crimen, quod ſpectat ad exterius forum, quodque in vtroque iure grauiſſimis pęnis vindicatur.

5 Inſuper moneo, raptum, qui pęnis à iure latis ſubiacet, ità commodè, & ſecundùm communiorem ſententiam definiri. Eſt violentia illata feminæ honeſtæ, iiſuè, ſub quorum eſt cura, vt ea libidinis cauſſa de loco ad locum traducatur. Et quidem huiuſce definitionis partes aliquas nuper explicuimus ſummatim: eæ tamen omnes nũc vberiùs ſunt exponendæ.

6 Ac primùm quidem explicandum eſt; num, & quænam ſit violentia, quæ ad raptus rationem exigatur. qua quidem in re aio, illam omnino requiri: quin cenſeo, ipſum raptum formaliter, vt Philoſophi loquuntur, eſſe violentiam, quæ generis loco in ipſius definitione ponatur. Exigi verò violentiam probatur, tum ex *d. l. 3. ff. de incendio, &c.* tum plurimorum auctoritate, quos laudat, ſectaturque *Sãchez lib. 7. de matrim. diſp. 12. cit. nu. 6.* ac præſerrim id docuit *S. Tho. 2. 2. qu. 154. cit. ar. 7.* quẽ omnes fermè Theologi, atque omnes penè iureconſulti ſequuntur, ſi *Abbatem, Ananiam, Boſſium,* ac fortaſſis nonnullos alios, excipias.

7 Neque quidquam obeſt, *lex vnica C. de raptu virginum*, quæ ait, raptum committi, ſiue volentibus, ſiue nolentibus virginibus, ſiue alijs mulieribus, tale facinus fuerit perpetratum: non, inquam, obeſt, quia Imperator ibi iure optimo præſumit, mulieris volũtatem fuiſſe dolo raptoris extortam; non verò ſpontaneam, ac liberam, vt ex ipſius verbis apertè colligitur: ait enim, hoc ipſum velle mulierum ab inſidijs nequiſſimi hominis, qui rapinam meditatur, induci: *niſi etenim, inquit, eam ſollicitauerit, niſi odioſis artibus circumuenerit, non facit eam velle in tantum dedecus ſeſe prodere*. in hac enim re, ſimilibuſque, ſemper cõ-cuſſio præſumitur, vt inquit, pluribuſque iuribus oſtendit *Gloſſ. in l. vnica C. de ſalgamo hoſpitibus non præſtando lib. 12.* ità poſt *Salic. Ruyn. Decian.* alioſque monuit *Sanch. loc. cit. num. 6. & 9.*

8 Addere quiſpiam poſſet, fortaſſis non ineptè, raptu mulieris etiam volentis, etſi non ipſi mulieri, eius tamen parentibus, quorum maximè vindicta intereſt, vt idem *Iuſtinianus* ibidem ait, conſanguineis, tutoribus, curatoribus maxima fit iniuria, grauiſſimè vindicanda: id, quod præſenſiſſe videtur *Gloſſ. in Auth. de raptis mulier. § ſed mirati, verb. ſiue volentem coll. 9.* idque comprobat ex *l. 1. §. vſque ff. de iniur.* vbi: *vſque adeo*, inquit Vlpianus, *iniuria; quæ fit liberis noſtris, noſtrum pudorem pertingit, vt etiamſi volentem filium quis vendiderit, patri, ſuo quidem nomine, competat iniuriarũ actio; filij verò nomine non cõpetat, quia nulla iniuria fit, quæ in volentem fiat.* in quam quidem ſententiam conſulẽdus *Ariſt. lib. 5. Eth. cap. 9. & 11.* ſic quoque eam legem expoſuiſſe *Hyppol. ibid. n. 16. & Decian. tract. crimin. lib. 8. cap. 7. n. 7.* poſtquam hæc ſcripſerã, animaduerti: etſi hæc expoſitio diſpliceat *Sancio loc cit. n. 9.* quia textus ille, inquit, expreſsè non expendit parentum contradictionem, ſed volũtatem feminæ non omnino libetam. Sed reuera, etſi hoc dumtaxat ſecundum Imperator perpendat; illud tamen tamquam certum omnino ſupponit, docetque eo etiam nomine, quod femina decepta raptui cõſentit, raptorem puniri oportere.

9 Quod ſi puella, ſub nullius poteſtate cõſtituta, omnino volens, & abſque deceptione domo abducatur; nullo prorſus modo raptus erit exiſtimandus, quicquid *Abbas*, aliique cenſere vi-

videantur; quorum primam rationem iam modò diluimus;alteram verò,puta quia femina sui corporis dominium non habet, vt sua membra raptui exponat *l.liber homo,ff. ad l. Aquil. c. significauit, de corp.vitiat.* dissoluimus, quia, etsi mulier sui corporis non habeat potestatem,vt scilicet licitè sua membra raptui exponere queat: est tamen corporis domina, vt id absque iniustitia in alterū patret. vide quæ superiori consilio tradidimus, quæq; docet *Mascard.de probat.concl.* 1259. *à n* 24.vbi hasce Doctorum opiniones apparenter, vt ipse ait, contrarias, conciliat: consule etiam *Farinac.p.4. pract. & theor. crimin. lib. 5. de delict. carn.q.* 145. *& cons.* 33. *præcipuè à nu.* 39. *vsque ad* 43 *& infrà in resp. Augustini Lazzarini nu.* 55. *&* 56.aliosque ab ijs allegatos, ac præsertim *Gill. de Cremon.conf.40.vol.2.cõs. diuers. crim. & Sanch.loc.cit.*

10 Deindè aio, ad raptus rationem sufficere vim vel ipsi feminæ,vel eius parentibus, curatoribus, aut tutoribus illatam, sub quorum cura, ac custodia ea reperitur.& quidem satis esse mulieri illatam,etsi alij consentiãt, docuit *S.Tho.d.art.*7.& post eum,pluresque alios, *Sanch.loc.cit.n.* 8. Quod verò sufficiat alijs, quos modò diximus,illata,licet puella cõsentiat, ostēdit post alios multos idem *Sanch. loc. cit.n.*12.qui raptorem volētis puellę, ijs, sub quorum cura est, omnino renitentibus, vel penitus ignorantibus, nō ordinarijs raptus pęnis subijci, sed extraordinaria plectendum, probabiliùs cum alijs censet, *Sancium* laudat, ac sequitur in his omnibus, alijsque pluribus *Farinac.q.*145.*cit.nu.* 18. *& seqq.* vbi innumeros alios recenset. & idem tradidit *conf.*33.*cit.num.*4. *& in add.lit.E.* sed sufficere vim vel puellæ solummodo, siue parentibus tantùm, siue vtrisque illatam, apertissimè docuit *Gratian.§.cum ergo post cap.2. & §.ex hac,post cap.*3.36. *q.* 1. idemque statuit Concilium Parisiense,approbatum in *cap.nullus ead.cau.*36.*qu.* 2. alibique passim decernitur.

11 Iam verò neque necessariū putes vim expressè inferri debere, quo pęnæ raptus locum obtineant: etenim satis erit, vt quoquo modo adsit violentiæ metus; veluti si puella homines armis munitos aspiciat, vt eam renitentem cogant, vt post *Decian.& Azeued.* docuit *Sanch.d.disp.*12.*nu.* 5. quem laudat, sectaturque *Farinac.q.* 145.*cit.n.*130.hic enim metus in virū constantem cadit; etsi armis ij homines minimè vtantur: id quod clarè probat Vlpiani enunciatum relatum in *l. idē est §.* 1.*ff.de vi,& vi arm.* vbi: *qui,* inquit, *armati venerunt, etsi non armis vsi sunt ad deijciendum; si deiecerint, armata vis facta esse videtur: sufficit enim terror armorum, vt videātur armis deiecisse.*

12 Idem locum etiam habet,etsi arma homines deponant, vt monuit *Glossa ibid.verb si deiecerint,* alijsque probat *Sanch.lib.4.de matrim.disp.*5.*num.* 5. Atque ità in similibus casibus ratiocinandum erit: ac plura alia de vi, ad raptum requisita, cõsulēda sunt apud Doctores,quos recensuimus, ac præsertim *Farinac.* qui præ cæteris latius rem pertractat, vbi an vis illata, an verò consensus feminę præsumatur, quisuè eorum probari opporteat.

13 Vnum dūtaxat monuerim hoc loci, quod traddidit *Rebuff. in Constit. Reg.tom.3.tract.de recusation.artic.9. glos.vn.n.36. putarem,* inquit, *iudices coeuntes cum mulieribus,habētibus processum coram eis,tanquam raptores puniendos,quia vi rapiunt: nam mulieres non consentirent, si putarent amittere caussam, & sic coguntur eis consentire. ergo est vis; & sic est raptor per l. vn.C.de rapt.virg. et sic deberēt puniri.* quod videtur notandum; & an verum sit, cogitādū relinquo.

§. II.
Quæstionis resolutio.

SVMMAE.

14 *NVm rapiens meretricem pœnis raptus subijciatur.*
Sententia negans fermè omnibus communis est.

15 *Ostenditur ex* l.vn.C. de rap.virg.
Ratio eiusdem opinionis.

16 *Habet etiam locum in statutis.*

17 *Et in raptore mulieris inhonestæ, etsi nõ meretricis.*

18 *Raptor meretricis extrà ordinem puniendus.*

19 *Hæc opinio negans nõ omnino probatur.*
Iura, quibus eam ostendunt, non videntur vrgere.

20 L. quæ adulterium C. de adult. *exponitur.*
Meretrix ad faciendum usum corporis copiam cogi non potest.

21 L.verum ff.de fur. *explicatur.*
Raptor alienæ ancillæ meretricis, furti non tenetur.
In maleficijs factum non quæritur, sed caussa faciendi.
Furti definitio.

22 *Raptor alienæ ancillæ nõ meretricis furti tenetur.*

23 Lex vnica in princ.C. de rap.virg. *explicatur.*
Argumentum ex hac lege retorquetur: & n.24.

24 *Vis generalis loquutionis.*

25 *Neapolitana constitutio, quæ mortis pœna eos punit, qui vim meretricibus inferunt, rigida non videtur.* & nu. 26.

27 *Opinio illa negans in iudicijs videtur amplectenda.*

14 AD quæstionem igitur propositam accedentes, num scilicet rapiens meretricẽ pœnis raptus subijciatur; respondere potest, non subijci: debet enim rapta esse honestæ vitæ, vt eius raptor grauissimis raptus pœnis puniatur: etsi de cætero, qui scortum rapit, culpam grauissimã patret, vt *n.* 4. monuimus. Hãc assertionem omnes penè Doctores amplectuntur, quorũ innumeros laudat, sectaturque *Farinac. d. p.* 4. *pract. & theor. crimin. lib.* 5. *de delictis carnis q.* 145. *Sanch. loc cit num.* 22. *&* 23. *Menoch. de arbitr. iud. lib.* 2. *cent.* 3. *cas.* 291. *Mascard. de probation. concl.* 1159. *cit. à n.* 9. *Cephal. cons.* 140. *n.* 22. *lib.* 1. *alijque plures.*

15 Illam præcipuè ostendunt ex *l. vnica initio, ibique Gloss. verb. virginum honestarum C. de rap. virg.* quæ sanè *Glossa* eam probat ex *l. quæ adulterium C. ad l. Iul. de adult. & l. verum* 2. *ff. de furt.* rationemque reddit post alios *Mascard. loc. cit. nu.* 12. quia meretrix, inquit, non præsumitur vim pati à cognoscente illam, nec generaliter præsumitur vis in ea, nisi probetur.

16 Hanc eamdem assertionem Doctores omnes, ac præsertim post alios *Farinacius* exponit, vt ea quoque locum obtineat in statuto puniente mulieris raptorem, etsi non exprimat honestatis qualitatem, vt euenit in nostro, quo de agimus: recipit enim illud à iure communi interpretationem, vt ipsi quoq; *cons. ant. nu.* 1. probauimus.

17 Item nedum rapiens publicam meretricem, verum & raptor mulieris aliàs inhonestę, licet scortum non sit, à pęnis raptus ordinarijs eximendus est. quòdque statutum, puniens raptorem, locum minimè habeat in rapiente mulierem, quæ aliàs fuerit tacta, aut lasciuiter osculata, quia scilicet eiusmodi fęmina per vim rapta neutiquam præsumitur, docuit post alios plures *Cephal. d. cons.* 140. *nu.* 26. cuius sanè enunciati veritas petenda erit ex doctrina *Boss. tit. de rap. mulie. nu.* 9. *&* 10. relata à *Farinacio loc. cit. nu.* 159. An verò, & quomodo probanda sit raptæ inhonestas, & quo etiam modo ea assertio extendenda, vel restringenda sit, aliæque huiuscemodi quæstiũculæ, apud *Farin.* cæterosque Doctores

res nuper laudatos legendæ sunt: neq; enim hîc operepretium est, ea omnia trāscribere: actum enim agere videremur.

18 Debere autem meretricis raptorē extra ordinem, seu, quod idem est, pœna aliqua extraordinaria puniri, omnes penitus profitentur. hanc quoque pœnam, etsi extra ordinem, & arbitrariam, esse posse vltimum supplicium, voluit post *Bald. & Matthesilan. aliosque Menochius, & Farin. n.* 192. puta si iniuria meretriculæ, quæ rapitur, illata, atrox iudicis arbitrio existimetur.

19 Ego vero, & si sciam assertionem, quam hûcusq; exposuimus, omnibus esse communem, ac neminem prorsus, quod viderim, contrarium apertè opinari; eam tamen semper non admodū firmam existimaui; vt scilicet non ordinaria raptus pœna, sed extra ordinē solum raptor meretriculæ puniatur: etenim primùm iura, quibus eam Doctores ostendunt, inepta ad illam cōprobādam cuipiam non iniuria videri possunt.

20 Et quidem *l. quæ adulterium C. ad l. Iul. de adult.* apertè loquitur, vel de adulterio, vel, vt *Glossa* placet, de stupro à muliere spontè, liberèq; perpetrato; statuitque, vt, si quidem honesta femina illud committat, pœnis subiaceat; si inhonesta, nullo modo plectatur: ac proindè ibi stupratæ mulieri nulla prorsus iniuria irrogatur, quæ volens omnino corrumpitur. atqui in re, qua de agimus, plurimum à raptore meretricula læditur, quæ renitens omnino domo abducitur, ab eaque penitus inuita proprij vsura corporis extorquetur: quod, quam sit incongruum, & Christianæ religioni repugnans, nemo est, qui non intelligat: neque enim ad faciendam sui copiam meretrix cogi potest, quicquid falsò dixerit *Decius in l. inuitus. ff. de reg. iur.* cuius opinionem erroneam vocat *Couarr. lib. 3. variar. resol. cap.* 14. *num.* 2. eiusque rationibus respondet: ac Decium quoque *Purp. Placa*, al jq; optimo iure hac in re reprehendunt, quos laudat, ac sequitur *Menoch. lib.* 2. *de arb. iud. cent.* 3. *casu* 291. *num.* 5.

21 Insuper neque eam communem assertionem probare videtur *l. verum. ff. de furtis*: etenim illic solum docet *Vlpianus*, raptorem ancillæ alienæ meretricis furti minimè teneri, puta, quia in maleficijs factum non quæritur, sed caussa faciendi: *caussa autem faciendi*, inquit iureconsultus, *libido fuit, non furtum*: quòd scilicet furtum est contrectatio rei alterius fraudulosa, non quomodocumque exercita, sed lucri faciendi gratia, vel ipsius rei, vel etiam vsus eius, possessionisuè, vt furtum definiuit *Paulus* relatus in *l.* 1. *ff. eod.* etsi verò in re, de qua loquimur, sit quidam vsus; tamen non fit lucri faciendi gratia, seu, vt ait *Gloss. in d. l. verum verb. sed caussa*, non fit caussa commodi pecuniarij, vel damni per hoc domino inferendi: sed libidinis ergo; neque indè re ipsa domino vllū penitus detrimentum enascitur, cum ea fuerit antea ab alijs deflorata: quarè hinc eius pretiū nullo modo diminuitur.

22 Quam sanè ob rationem arbitror, non idem Paulum iurisc ōsultum opinatum in rapiente alienam ancillam non meretricem libidinis caussa; quē furti actione teneri voluit, vt refertur in *l. fullo* 1. *§. qui ancillā ff. eod.* id enim docuit, quia, etsi libido eam rapiendi ratio extiterit, non verò lucrum aliquod, aut damnum quodpiam domino inferendum; nihilominus re ipsa eidem domino non paruum sequitur detrimentum: minus enim valebit ancilla, quæ sit mulier, idest corrupta, quam eadem, quæ sit virgo, vt monuit *Gloss. in d. l. verū verb. sed caussa*: quod apertè probatur ex *l. ex empto §. si quis virginem ff. de action. empt.* vbi idem *Vlpianus* ei, qui virginē se emere putat, cum sit mulier, & sciens errasse eū venditor, patiatur; etsi ex hac caussa neget redhibitoriam actionem, cum

Tt 2 mor-

morbosa non sit, vel vitiosa, vt ibidem ait *Gloss.*; verumtamen ex empto cõpetere voluit actionem ad resoluendũ emptionẽ, vt, pretio restituto, mulier reddatur. alias harum legum conciliationes retulit *Gloss. cit. verb. sed caussa*. Quamuis ergo iurisconsultus neget omnino, raptorem meretricis ancillæ furti actione teneri; nihil tamen statuit, num is raptus pœnis subijciatur; & in fine quidem legis turpe hoc maleficium appellat: quarè pœnis vindicandum supponere videtur.

23 Demum *lex vnica in princ. C. de rap. virg.* cui maximè Doctores omnes innituntur, quatenus ait, raptores virginum *honestarum*, voluntque post *Glossam* ibidem, voculam istam, *honestarum*, sequẽtia quoque determinare; hæc, inquam, lex neque illam cõmunem omnium assertionem ostẽdere, quin imo contrarium innuere videtur: Nam, etsi dictio, *vel*, quæ in ea lege ponitur, quandoque inter similia collocetur, vt ipsi tradidimus *cons. 3. n. 16. & 17.* sæpè tamen inter omnino diuersa posita reperitur; vti etiam nos monuimus *ibid. nu. 18.* num verò in hac, illauè oratione, ea vocula similia, an diuersa complectatur, aliũdè colligendum ibidem diximus, puta ex ipsa rei natura, qua de agitur, seu ex materia subiecta, alijsuè coniecturis.

24 Atqui in lege sæpius laudata inde elicio, Imperatorem in meretricum quoque raptores animaduertere, ac proindè dictionem, *vel*, aliquo modo diuersa ibidem complecti, quòd, postea quam raptores nominat virginum honestarum, vel ingenuarum, siue iã desponsatæ fuerint, siue non, subdit, *vel quarumlibet viduarum, & feminarum*; licet libertinæ, vel seruæ alienæ sint; & infrà statuit, posse raptores, in flagranti crimine repertos, impunè occidi à parentibus virginum, inquit, vel ingenuarum, vel viduarum, vel *quarumlibet feminarum*: & inferiùs: nec sit facultas, ait, raptæ virgini, vel viduæ, vel *cuilibet mulieri* raptorem suum sibi maritum exposcere. quibus sanè generalibus loquendi formulis satis innuere videtur Iustinianus, se statuere, cuiuslibet prorsus mulieris, etsi minus honestæ, raptorem grauissimè puniendum. harum enim generalium, seu vniuersalium loquutionũ ea est vis, vt omnia prorsus cõcludãt, etiam in ijs dispositionibus, quas odiosas nuncupamus, vt *eod. cons. 3. n. 2.* probauimus: vbi etiam à *n. 79.* ostendimus, verbum vniuersale omnia penitus complecti, ea quoque quæ impropriè talia censentur; atque ea, quę aliàs minimè comprehenderentur.

25 Certè ratio, quæ Imperatorem mouit, vt raptores eiusmodi capitis supplicio puniret, iniuria fuit hominibus, vel etiam Deo illata: plurimũ verò lædi meretricem, si inuita domo abducatur, ab eaque copula violenter extorqueatur, nemo, si modo sanæ sit mentis, inficiari poterit. omitto iniuriam Deo O. M. irrogatam, etsi non ità atrocem, vti ea iure censetur, quæ à rapiẽtibus feminas, ipsi Altissimo dicatas, infertur. ac proindè nequaquã rigida videtur Neapolitana constitutio, quam refert *Couarr. lib. 3. var. resol. cap. 14. n. 2. in fine*, quæ mortis pœna eos puniendos decernit, qui vim meretricibus intulerint.

26 Et quidem *Cynus in d. l. vnica nu. 6. vers. iam vidi C. de rap. virg.* testatur, se vidisse, vltimo plecti supplicio eos, qui publicam rapuerant meretricem, vti eum refert *Clar. § raptus ci t. nu. 5.* qui etiam ait, *Grammat. super constit. Regn. fol. 19. col. 1. nu. 2.* referre, plures iuuenes, qui prostibulo abduxerant meretricem, grauissimè punitos, nimirum eorum primum furca suspensum; cæteros per triẽnium ad triremes dãnatos: quæ post *Clarum* recenset *Farin. q. 145. loc. cit. n. 155.*

27 Et hãc quidem opinionem amplexus est *Sanch. lib. 7. de matr. disp. 13. n. 14.* in terminis *Concilij Tridentini cap. 6. sess. 24. de reform.* etsi *Baiardus ad* Cla-

Clarum §.raptus nu.14.referat Afflict. sup.1.p.constit.regn.rub.20.n. 7. aientem,illud Cynũ vidisse in Regno Neapolitano,vbi adest constitutio, quòd vim meretricibus inferentes mortis pęna puniantur : idemque ait de casu Gramm.censeri debere. Sed licet hæc omnia mihi admodũ probabilia sint; à communi tamen sententia in iudicijs minimè recedendum animaduerto. Quamobrem in casu proposito, præhabita raptæ meretricis remissione,raptor relegatus fuit.

CONSILIVM XXIII.

An ad raptum copula, & traductio de loco ad locum requiratur. & quid si vir rapiat vxorem, aut sponsus sponsam.

Ad

Idem cap. 166. Alphonsi.

§. I.

Quæstionis resolutio quoad copulam, & traductionem.

SVMMAE.

1 *NVm ad raptus pęnam subeundam copula requiratur.* *Opinio affirmans in Sicilia amplectenda est.*

2 *Pęna interpretatione legum sunt molliendæ.*

3 *Casus omissus,iuris communis dispositioni relinquitur.*

4 *Traductionem de loco ad locum ad raptum omnino requiri,aliqui opinãtur.*

5 *Non omnino hæc sententia placet.* *Rapina dupliciter fieri potest.* *Quid sit furtum.*

6 *Doctrina* Sancti Thomæ *hac in re, & aliorum.*

7 *Iura, quæ pro contraria opinione laudantur,non vrgent.*& n.8.

(: § :)

1 ET quidem quoad copulam, an scilicet ea requiratur, vt quis raptus pęnis obstringatur; breuiter distinguendum esse iuxtà communem Doctorum opinionem, quam refert, ac sequitur *Sanch. lib. 7. de matr. disp. 12.num. 18.Farinac.p.4. pract.& theor.crim.lib.5.de delict.carnis,q.145.n.209.*aliíque, quos vterque recenset: puta, si raptor à copula sese abstinuerit pęnitentia ductus,nolensque eam habere, etsi potuerit,nõ non ordinarijs raptus pęnis subiacet, sed extrà ordinẽ puniẽdus erit. quod si is ad copulam minimè peruenerit, non quia noluit, sed quia non potuit; erit ordinarijs raptus pęnis omnino plectendus.

2 Sed,si de nostra lege loquamur,puto,stuprum debere necessariò raptum comitari, vt eius pęnæ raptor subiaceat: quod si copula, quacumque tandem caussa,impediatur;tunc vi nostræ legis solum extrà ordinem in raptorem animaduertẽdum opinor. Moueor quia, lex expresè ait,stuprum, cum raptu,& violentia patratum, vltimo supplicio puniendum: si ergo vnũ absque altero reperiatur; minimè erit locus constitutionis pęnæ: rectè enim Hermogenianus monuit, interpretatione legum pęnas molliendas esse potius,quam asperandas,vt refertur in *l.interpretatione ff.de pęnis:* vide iura, quæ *Glossa* ibidem recenset.

3 Hinc quoque sequitur,vt modo innui,quod si stuprum violentum absq; raptu reperiatur, neque huiusce constitutionis pęnam locum obtinere, quæ vtrumque requirit. nisi velis raptorem solum, seu solum violentum stupratorem vltimo supplicio plectendum, non quidem vi constitutionis huiusce,sed communi iure, iũcta Doctorum communi interpretatione : satis enim vulgatum est iurisperitorum axioma, quòd scilicet casus omissus, iuris communis dispositioni relinquatur, vti post alios ostendit *Mandos. in reg.15.Cãcell.q.2.n.4.reg.20.q.3.n.9.* ali-

alibique. Num verò, quando,& quomodo in raptus crimine conatus, non sequuto raptu, puniatur, latè traddidit post alios *Farinac. d.q. 145. §. conatus,& Sanch.loc.cit.*

4 Iam verò, quod attinet ad traductionem, moneo, Doctores fermè omnes, si vnum, aut alterũ excipias, quos modo referam, opinari, ad verum raptum traductionem de loco ad locũ desiderari, vt raptor iuris communis pęnis obnoxius reddatur; hincque eos inferre, quod si femina violenter solum corrumpatur, domo tamen minimè abducatur, esse quidem tunc copulam vi extortam; non verò raptũ. id quod post alios plures probat *Sanchez loc.cit.n. 20. ex l. mariti lenociniũ in fin. ff. ad l. Iul de adult.* ibi *eum autẽ, qui per vim stuprũ intulerit, vel mari, vel feminæ*: & ex *cap. lex illa 36. qu. 1.* vbi: *lex illa prateritorum principum*, inquit Gelasius Papa, *ibi raptum dixit commissum esse, vbi puella, de cuius antè nuptijs nihil actum fuerat, videatur abducta*. huiusce sententiæ patronos recenset *Sanch. loc.cit. & Farin. q. 145. cit. n. 70.* quæ sanè communis Doctorum opinio id, quod nuper edocuimus, plurimum firmat; puta nostra lege eum dumtaxat puniri, qui simul & raptor, & stuprator censeatur.

5 Sed, vt, quod sentio, ingenuè fatear, hæc opinio mihi nunquam penitus arrisit: siquidem rapina dupliciter fieri dicitur, inquit *Gratianus in §. ex hac auctoritate, post cap. 3. 36. q. 1.* aliquãdo enim res ipsa rapitur; aliquando ipsius rei vsus tantummodo violenter eripitur. Res ipsa tunc rapitur, cum violenter domino eripitur, vt in perpetuum teneatur: aliquando verò nõ res ipsa affectatur, sed vsus eius, domino prohibente, violenter vsurpatur. cui sanè *Gratiani* doctrinæ apprimè suffragatur furti descriptio à Paulo tradita, quæ refertur in *l. 1. §. furtum ff. de furtis*, quam amplexus est Imperator in *§ furtum est, instit. de oblig. quæ ex delict. nascun.* ac post eum cæteri omnes iurisconsulti: dicitur enim ab ijs furtum esse contrectatio fraudulosa lucri faciendi gratia, vel ipsius rei, vel etiam vsus eius. vndè furtum fit, inquit Iustinianus in *§. furtum autem tit. cit.* non solum cum quis intercipiendi caussa rem alienam amouet, sed generaliter cum quis alienam rem, inuito domino, contrectat.

6 Atque ex hac doctrina infert optimè *Gratianus*, eum admisisse raptum, qui florem virginitatis puellæ renitẽti violenter eripuit. Id sanè innuit quoque Iustinianus in *§. fin autem, iuncto §. sed ead. lege instit. de public. iud.* vbi, iuxtà *Glossæ* interpretationem, illud, quod *stuprum* vocarat, si sine vi committatur, postea vocat *raptum*, si per vim sit perpetratum. atque id quoque videtur edocuisse *S. Tho. 2. 2. qu. 154. art. 7. præsertim in fin. corp.* vbi ait, tunc sine raptu stuprum inueniri, cum aliquis absque violentiæ illatione virginem illicitè deflorat: proindè Sanctus Doctor arbitrari videtur, raptum censeri, cum virgo violenter defloratur. Ita quoque opinatur apertè *Rebuff. in l. Marcellus vers. rapere propriè ff. de verb. signif.* qui sic innuit in forensi iudicio seruari. Idem etiam existimasse *Canter. quæst. crim. q. tangentib. punitionem delicti cap. 4. nu. 20.* refert *Sanch loc.cit.* & *Farin. loc.cit. num. 73.* pro hac eadem opinione laudat *Bermon. & Iod.* eamdem quoque opinionem videtur amplecti *Lessius lib. 2. de iust. & iur. cap. 3. dub. 9. n. 66. vers. si non abducatur*, vbi pro ea laudat *S. Thom. Gratianu, & Nauar. in Enchir. cap. 16. n. 3.* atque ad huiusmodi violentum feminę stupratorem raptorum pęnas pertinere. & *n. 68. Hic*, inquit, *sub raptu DD. etiam vim illatam libidinis caussa, etsi persona non sit abducta, intelligunt.*

7 Neque quidquam obsunt horum opinioni iura *n. 4.* recensita. non quidem *l. mariti lenocinium*: siquidem inibi *Vlpianus* minimè inficiatur, concubitum illum raptus pęnis vindicari; sed

sed solùm docet, eius accusationem quinquennalis temporis præfinitione minimè præscribi: quin hinc quoque eam violentam copulam ad raptum pertinere suspicor, quòd neque raptus accusatio eo tēporis spatio extinguitur. stuprum verò eum vocauit iureconsultus, vel generali nomine, quatenus stuprum quamcumque libidinis speciem cōplectitur: vel quia id, quod præcipuè animaduersione dignum ea in re cernebatur, virginis erat defloratio, quæ proprijssimè stuprum appellatur.

8 Neque verò *cap. lex illa*, plurimum nos vrget: quandoquidem vel illa lex de raptu loquebatur, qui abductionē includebat, quique proprijssimè, & in omnium sententia raptus appellatur; nihil de cætero statuens de alia raptus specie, quæ absque abductione constare potest; vel à Iustiniano fuit penitus abrogata in *d. l. vnic. C. de rapt. virg.* vt monuit *Gloss. in cap. lex illa cit. initio*: etsi reuera nonnihil quoad sponsarum raptores fuerit ab Imperatore antiquata, vti mox animaduertam. Atque hac de re cōsule laudatos Doctores, ac præsertim *Farin. & Sanch.* qui de hac de loco ad locum traductione alia accuratè tradidère.

§. II.

De marito rapiente vxorem, & sponso sponsam.

SVMMAE.

9 *An rapiens propriam vxorem, vel sponsam, pœnis raptorum subiaceat.*

10 *Rapiens sponsam à iure Cæsareo vti raptor plectitur.*

Ius Cæsareum hac in re à Pontificio non corrigitur, quicquid alij dicant.

11 *Legum correctio est odiosa, & restringenda.*

Lex Iustiniani hac in re explicatur.

12 *Ius canonum quid in ea statuat, quod omnino seruandum est.*

Rapiens sponsam non ordinaria raptus pœna, sed mitiore puniendus.

Ità & rapiens vxorem.

13 *Et qui raptam ducit.*

14 *Furtum in re propria patrari potest.*

Cur sponsus, sponsam rapiens, rapinam non committat.

Raptor non dicitur, qui sua possessione vtitur.

15 *Obiectio præcluditur.*

16 *Sponsus ius aliquod habet in sua sponsa.*

9 Quod verò spectat ad aliā propositam quæstionem, an scilicet is, qui propriam vxorē, vel sponsam rapit, in nostræ legis pęnas cadat. Respondeo, quoad primum quidem rem esse apud Doctores penitus expeditam: censent enim omnes, quorum aliquos citat, ac sequitur *Farinac. q. 145. n. 84.* virū, qui propriam rapit vxorem, nullam pati pęnam, quippe qui in eam manus habet iniectionem: quod locum obtinere quidam arbitrantur, etsi diuortium ob viri sæuitiam sequutum sit: vel nōdum ab eis fuerit matrimonium consummatum; nisi tunc velit vxor statum assumere religiosum, seu monachari, vt loquitur *Bald. in d. l. vnica, C. de rap. virg.* & monuit *Farinac. n. 85. 86. & 87.*

10 Ad hæc, quod ad eum spectat, qui sponsam parentum domo abducit, ius quidem Cæsareum ità eum plectit, ac cæteros quarumcumque mulierū raptores, vt constat apertè ex *d. l. vnica C. de raptu virg.* vbi: *quibus* (raptoribus) inquit Iustinianus, *connumeramus etiā eum, qui saltem sponsam suam per vim rapere ausus fuerit.* puta, (vti ego interpretor, vt iurium correctio quoad fieri potest, euitetur.) si inuita prorsus eadem sponsa à sponso abducatur; ità vt vis illa feminæ inferatur. quamobrem censeo, hac in re ius Cæsareum à Pontificum iure nequaquam emendari, quicquid nōnulli, sequuti *Gloss. in d. cap. lex illa*, opinentur. Etenim *Lucius Papa III.* eum à pęnis raptus exi-

eximendum ; ac raptorem minimè nuncupandum decernit, qui raptæ mulieris habet assensum, & prius eam desponsauerit, quam cognouerit;licet parentes reclamarent, à quibus eam dicitur rapuisse, vt refertur in *cap. pen. de raptorib.* quocirca omnes fermè Doctores sponsæ in abductione consensum requirunt, quò sponsus raptor raptus pęnas euadat, vt apud *Sanch. disp.* 1 2 *.cit.nu.* 1 5 *.& Farinac.qu.* 1 4 5 *. cit.n* 9 1 .animaduertere licet: si enim inuitam abducat, locum esse Iustinianææ Constitutioni, rectè monuit, probatque *Farinac.n.*9 1 *.cit. post Ioan. de Anan.in d. c.penult.* etsi in uolēte spōsa à iure Pontificio corrigi putet.

11 Ego verò, vt dixi, neque in volente spōsa censeo emēdari, motus, quòd legum correctio a Doctoribus odiosa censetur, & appellatur, vt post plures tradidit *Mandos. in reg.*1 9 *.Cancell.qu.* 3 *.n.*6 *.Barbos.axiom.*6 0 *.num.* 3 . *&* 5 . alijque: ac proindè restringi debet, quoad fieri potest. Cum præsertim, si coniecturis deferendum est, id ipsum censuisse Iustinianum, non incongruè ex eademmet ipsius constitutione eliciatur: eo enim loci, quo statuit, raptus pęnis in raptorem animaduerti, siue volentem rapiat, siue nolentem, consultò sponsæ nomen reticuit, quò scilicet indicaret, se illam ea constitutionis parte minimè comprehendere, qua raptor volentis punitur. quod ipsum haud obscurè innuit ratio, quam subnectit: ait namque, hoc ipsum velle mulierum ab insidijs nequissimi hominis, qui rapinam meditatur, induci: *nisi enim,* inquit, *eam solicitauerit, nisi odiosis artibus circumuenerit, non facit eam velle in tantum dedecus sese prodere.* Atqui velle ipsum spōsæ, quæ rapitur, nullatenus ab insidijs sponsi raptoris extorqueri, præsumendum erit: neque eam ab illo soliciratam, eiusque odiosis artibus circumuentam, abductioni consentire putandum est: quin potius eamdem vltrò, ac spontè prorsus, amoreque sponsi saucia, è parētum domo aufugere censendum erit; proindèque Imperatoris præsumptio locum in ea neutiquam obtinebit, cui ipse, innixus, volentis quoque raptorē puniri grauissimè, sanciuit. demum quodnam est istud tantum dedecus, in quod sponsa sese prodit, dum parentum auersa, sponsi domū adit, quò duo fiat in carne vna iuxtà Dominicū præceptum?

12 Sed quicquid sit de hac iuris Cæsarei correctione; hodiè omnino ius Canonum hac in re sequi debemus, quod statuit, raptum excludi, si sponsa volens rapiatur; de cuius tamen antea nuptijs neduin actum sit, (de quo tamen *n seq.*) sed etiam ad sponsalia deuentum; vt pluribus laudatis iuribus omnes fermè arbitrantur, quorum aliquos citat, ac sequitur *Sanch.num.* 1 5 *. cit.Petr.Caball.Roderiq. Less. Bonacin. Henriq.alijque apud Barbos. in collect. in lib.* 5 *.decretal.tit. de Adult. & stupro cap.cum causam n.*4 *. & Farinac. à nu.* 8 8 *. vsque ad* 9 2 *.& à nu.*1 3 4 *. vsque ad* 1 3 7 .qui non incongruè *nu.*9 2 .credit, eum, qui sponsam rapit inuitam, non ordinaria raptus pęna, sed mitiore plectendum ex *alleg.a Couarr.* sicuti, & eum, qui propriam vxorem rapit, etsi non raptus pęna, de vi tamen puniri, docuit post alios *Baiar. ad Clar.§. raptus n.* 1 3 . quē sequitur quoq; *Farinac. loc.cit.*

13 Monet etiam *Sanch.loc. cit. nu.* 16. rationi valdè consentaneum esse, praxique receptum, nè ordinarijs raptus pęnis, sed mitioribus iudicis arbitrio plectatur, qui post raptum mulierē, quam rapuit, ducit: etsi antea nullus matrimonij ineundi tractatus præcesserit: pro qua quidē sententia plurimos laudat, ac præsertī *Peguer. quæst. crimin. cap.* 4 2 *. in fin.* quem omnino videndum admonet, quippe hac de re latiùs differentem: etsi alij minimè desint, qui raptorem hunc à mortis pęna nequaquam eximendum putent, vt idem *Sancius* animaduertit. Illud videtur ab omnibus receptum, raptorem

rem non dici, qui mulierem abducit à principio consentientem, ac tractantem cum raptore de insimul matrimonio contrahendo. de quo *Sessè decis.* *96.à n.12.Farinac.& Sanch.ll.cc.Decian.& alij apud Barbos. in d. cap. cum causam n.2.* quamuis id fiat, nescientibus parentibus, vt docuit *Sanch. disp. 13.n.9.Guttierr.* & alij apud *Barbos.nu.* 3. An autem idem sit, si abductio,seu potius fuga fiat, parentibus renitentibus, attento *Concil.Trid.sess.24.cap. 6. de reform.* alij aiunt, alij negant: vtrumque probabile, & patronos habet eximios, quos vide apud *Barbos. num.3.*

14 Quonam autem modo sponsus in propriæ sponsæ raptu rapinam minimè committat, neque in constitutionem incidat *l. si quis in tantam C. vnde ui, l. si ex stipulatione ff. de acquir. possess.* cum furtum in re quoque propria patrari queat *l. eum qui S. adeo ff. de furtis*, rectè exposuit *Gloss. in d.cap. lex illa.* Mihi ea ratio præ cæteris arridet, quòd libera persona minimè possidetur, proindeque necesse non est, vt sponsus, quousque in eum sponsæ possessio transferatur, expectet: eamque protinus is possidere intelligitur, ac sponsalia celebrantur: vndè, subdit eadem Glossa, nō verè dicitur raptor, cum sua possessione vtatur, *ff. de iniur. l.iniuriarū, S si quis, extrà de elect.ecclesia Vulterrana.* Atqui laudata iura in eum animaduertunt, qui rerum possessionem, apud alios constitutarum, violenter inuadit; quod non euenit in re nostra.

15 Quod si dicas, hinc sequi necessariò, neque esse puniendum sponsum, qui propriam sponsam vtcumque nolentem rapit; aio, id rectè minimè inferri; quandoquidem sponsa per verba de futuro, non sequuta copula, pœnitere quandoque potest; pœnitens autem vti non sponsa existimanda est, sicque inuita abduci nequit, vt post plures alios docuit *Farinac. qu. 145. cit.n.91.*

16 Denique pro huiusce quæstiunculæ enodatione consule S.*Tho 2.2. qu. 154.art.7.ad* 4. vbi: sponsus, inquit, ex ipsa desponsatione habet aliquod ius in sua sponsa;& ideo quamuis peccet violentiam inferendo, excusatur tamen à crimine raptus: vnde Gelasius Papa dicit, lex illa præteritorum principum ibi raptum dixit esse commissum, vbi puella, de cuius ante nuptijs nihil actum fuerat, videbatur abducta. id quod refertur in *cap. lex illa 36.q.1.cit.*

CONSILIVM XXIV.

An pœnis raptus subijciantur adiuuantes raptorem: mulier rapiens virum, aut aliam mulierem: raptor cōsentientis abductioni, sed non copula, vel contrà: & qua raptorum pœna.

Ad idem cap. 166. Alphonsi.

S. I.

Quæstionis resolutio, quoad auxiliantes; & mulieres raptrices.

SVMMAE.

1 *Qvi raptoribus quoquo modo auxiliantur, ijsdem pœnis puniuntur;* & n. 2.

3 *Num mulier rapiens virū, aut aliam mulierem, libidinis caussa, raptorum pœnis subiaceat. Vtraque opinio probabilis est.*

4 *Homini libidinis satietas prope nulla. Messalina Augusta insatiabilis libido.*

5 *Exempla mulierum, qui viros rapuère.*

1 QVoad raptoribus auxiliantes, an scilicet nostrę legis pęna in præbentes auxilium, fauorem, consilium raptoribus, aut aliter eos adiuuantes cadat: respondeo, legem nostram à communi

iure interpretationem ſumere oportere, vti diximus ſæpè. hoc vero ius eamdem prorſus pœnam in raptores, eiſque quoquo modo auxiliantes decernit. Sanè Imperator in ſæpiſſimè laudata *lege vnica C. de raptu virginũ*, ità ſtatuit: *pœnas autem, quas prædiximus, ideſt mortis, & bonorum amiſsionis, non tantum aduerſus raptores, ſed etiam contrà eos, qui hos comitati in ipſa inuaſione, & rapina fuerint, cõſtituimus; cæteros autem omnes, qui conſcij, & miniſtri huiuſmodi criminis reperti, & conuicti fuerint, vel qui eos ſuſceperint, vel quicumque opem eis tulerint, ſiue maſculi ſiue feminæ ſint, cuiuſcumq; conditionis, vel gradus, vel dignitatis, pœnæ tantummodo capitali ſubijcimus, &c.* idem repetit Iuſtinianus in *l. raptores C. de Epiſc. & cler. & in §. ſin autẽ, inſtit. de publ. iud.*

2 Iiſdem prorſus pœnis, quibus raptores punit, in eis auxiliantes ius Pontificium animaduertit, vt videre licet, in *cap. 1. & cap. de puellis 36. qu. 2. & Conc. Trid. cap. 6. de reform. ſeſſ.* 24. qua de re conſulendus præcipue *Farinac. q. 145. cit. n.* 34. & 35. quem etiam vide *tad. p. 4. prax. & theor. crim. lib. 4. tit. 15. de conſultoribus, auxiliatoribus; & mandatoribus*, vbi plurima generatim de criminoſis, modo recenſitis, accuratè tradidit. Conſule quoque *Sanch. diſp. 13. lib. 7. de matrim. cit.* aliosque apud eoſdem, & *Iulium Scarlatinum conſ.* 112. quod refertur *tom. 1. conſ. crim. Ziletti.*

3 Quò verò quoad mulieres raptrices, an ſcilicet mulier rapiens virum, aut aliam mulierem libidinis cauſſa, pœnæ noſtræ conſtitutionis ſubiaceat: reſpondeo, hac in re, quod attinet ad legis vnicæ pœnas, duplicem eſſe Doctorũ opinionem, alteram aientem; negantem aliam, ac volentem, feminas virorum, aliarumuè mulierum raptrices, ſolùm extrà ordinem puniẽdas. Mihi vtraque ſententia probabilis eſt, ac rectiſſimè a *Sanch. diſp. 12. cit. à num.* 24. *vſque ad* 27. explicatur, probaturque, qui negantem amplectitur, apud quẽ *loc. cit. & diſp. 13. n.* 16. ea, quæ ad hãc rem pertinent, conſulenda ſunt, nihilque habui, quod ab eo tradidis annecterem. Is quoque vtriuſque ſententiæ patronos recenſet, & poſt illum *Farinac. q. 145. cit. à n. 38. vſque ad* 45. vbi *n. 42. in hiſce*, inquit, *Doctorum cõtrouerſijs ſemper adhæreas mitiori opinioni, præſertim in iudicando, & non errabis*. optimum ſanè doctiſſimi iuriſconſulti monitum, quod omnes iudices tutò amplectantur.

4 Monuerim tamen hoc loci, non videri admodum rarum, à feminis libidinis cauſſa rapi viros, aut eos inuitos prorſus ad libidinem adigi, aliaſuè feminas ad Venerem prouocari. Cum enim cęteris animalibus, vt *Plinius* eloquitur *lib. 10. hiſt. nat. cap. 63. initio*, ſtati per tempora anni cõcubitus; homini omnibus horis dierum, noctiumque: cęteris ſatietas in coitu; homini propè nulla. id quod præcipuè in mulieribus compertum eſt: exemplo ſit *Meſſalina* Claudij Cæſaris cõiux, quæ, vt ipſemet *Plinius* teſtatur, hanc regalem exiſtimans palmam, elegit id in certamen nobiliſſimam è proſtitutis ancillã mercenariæ ſtipis, eamque die, ac nocte ſuperauit quinto, ac viceſimo concubitu. cuius indignum facinus deſcripſit quoque *Iuuenal. ſatyra 6.* de qua & illud, quod ad rem noſtram ſpectat, legitur, clam ſcilicet primò, mox paſſim quaſi iure adulteris vſam; ex quo quidem factũ eſt, vt plures metu abſtinentes extincti fuerint. inde furens libidine nobiliſſimas quaſque nuptas, innuptaſque ſuæ turpitudinis comites delegit, cogitque mares, vt adeſſent: quod ſi eorum quiſpiam abnueret, in ipſum cõficto crimine, omnemque illius familiam ſæuiri iubebat: id, quod ex *Sexto Aurelio*, exemplaque alia mulierum ſummopere libidinibus deditarũ, feminiſque abutentium, ex alijs refert *Gabriel Sarayna in annot. ad Matt. Matheſil. ſing. 101. n.* 11. 12. 13.

Hinc

5 Hinc pluries à feminis viros libidinis explendæ caussa raptos, aut rapere tentatum, historici memorant, ac poetæ, vt refert idem *Sarayna, & Tiraquel. de retract. lignag. §. 20. glos. vnica nu. 5. & l. 9. connub. n. 112.* putà ab Aegiptia quadam, Iosephum: à Phædra, Hippolitum: ab Anthia, seu quocumque alio nomine nuncupetur, Priti, seu Præti Argiuorum Regis vxore, Bellorophontem: à Gidica, Comminium priuignum suum: ab Aurora, Clitum: atque ab alia nescioqua, Perseum: ab aliaque habitum viri mentita, Eugeniam. refertque *Ang. in d. l. vnica,* aliique penè omnes post illum animaduertunt, se Florentiæ vidisse comburi feminam, quæ iuuenem rapuerat. Hæc breuiter monui, vt intelligeretur, etsi raro, quandoque tamen feminas virorum esse raptrices: sicuti neque frequentissimum est, feminas à viris rapi, quamuis id frequentiùs eueniat.

§. II.

An raptor consentientis abductioni, sed non copulæ; vel contrà, subiaceat raptorum pęnis: & quænam illæ sint.

SVMMAE.

6 *Num si puella abductioni consentiat, at copulæ renitatur, vel contrà; eius raptor raptorum pęnis subiaceat:* & n. 7.

8 *Pęna à iure Cæsareo imposita raptoribus.*

9 *Pęnæ à iure Pōtificio raptoribus imposita.*

Ab eo excommunicantur & n. 13.

10 *Raptor alienæ sponsæ sine spe coniugij manet.*

Est impedimentum impediens, non dirimens.

11 *In eamdem impedimenti pœnam incurrit sponsa, si raptui consentiat.*

12 *Hoc impedimentum quibusdam in locis non est in vsu.*

13 *Quid hac in re statuat Concilium Tridentinum:* & n. 14.

6 Quæstio est, an, si puella abductioni cōsentiat, defloratioṅi verò, seu copulæ penitus renitatur; vel contrà dissentiat prorsus abductioni; abducta verò sponte, liberèque copulæ consētiat; an, inquam, hisce euentibus in raptorem nostræ constitutionis pęna sit animaduertendum. Hanc sanè quęstionē benè, vt assolet, examinat post alios *Sanchez disp. 12. cit. nu. 7.* & post eum *Farinac. qu. 145. cit. num. 129. & 133.* & quidem cum femina annuit abductioni, postea verò copulæ restitit, non esse raptum, pęnis subiectum, censent plures, quos laudat, sequiturque *Sanchez, ac Farinacius* locis nuper recensitis. Contrà verò raptum censeri, cum femina initio abductioni renititur, post modum verò copulæ cōsentit, iidem arbitrantur. Credo tamē, inquit *Sanchez,* in hoc euentu, si verè probaretur is consensus feminæ, in sua plena libertate posita, liberandum fore raptorem à pęna ordinaria raptus; quod is consummatus minimè sit.

7 Sed lex nostra expressim requirit, & violentam abductionem, & copulam quoque violentam, vt maleficus pęnæ subiaceat: ait enim: *si verò committatur* (stuprum) *cum raptu, & violētia, punitur pœna vltimi supplicij,* vt initiò *cons. 22.* ipsi retulimus: quibus profectò verbis apertè statuit Alphonsus legislator; eum plectendum vltimi supplicij pęna, qui stuprum perpetrat cum raptu, puta cum violenta mulieris abductione, & cum violentia, nimirum vi à rapta mulierē copulā extorquens. conferunt, quæ suprà *cons. 23. n. 3.* in re simili tradidimus.

8 Demum, quod attinet ad pęnas; quænam scilicet sint vtroque iure raptoribus decretæ: respondeo cum Pōtificio, tum Cæsareo iure grauissimas pęnas in raptores esse constitutas. Cęsareo quidē *d. l. vnica C. de raptu vir-*

ginum, statuta est mortis pęna, tum ipsimet raptori, tum ijs, qui ei auxilio fuerint in ipsa inuasione, & rapina, quorum omnium bona à iudice raptæ mulieri, si sit ingenua, addicenda sũt; si verò non sit ingenua, pęnæ tantummodo capitali subijciuntur; sicuti & ij, qui non in ipsa rapina, sed aliter auxilium præstiterint: qui sanè omnes, in flagranti crimine deprehensi, à parentibus virginum, vel ingenuarum, vel viduarum, vel quarumlibet feminarũ, aut earum consanguineis, aut à tutoribus, vel curatoribus, vel patronis, vel dominis impunè interfici queunt. quæ quidem omnia, aliaque in *d.l.* satis clarè explicat Imperator, Doctoresque omnes ibidem, alibique, quorum plures laudat *Farinac.q.*145. *sæpè cit. à n.*7. *vsque ad* 19. omnino hac in re consulendus. legendæ quoque sunt *l. raptores. & l. si quis non dicam rapere C. de Episcop. & cler. & auth. de raptis mulieribus, &c.*

9 Iure autem Pontificio raptor, eiusque fautores pęna excommunicationis puniuntur, vt statuit *Gregor.* 2. in Synodo Romana relatus in *cap. si quis virginem* 36.*q.* 2. alijsque probat *Farinac. loc. cit. nu.* 19. *& plurib. seq.* quam sanè excommunicationem quidam esse latam opinantur; alij verò putant esse ferendam, quos citat, sequiturq; *Sanch. disp.* 12. *cit. lib.* 7. *nu.* 2. qui alterius quoque sententiæ patronos recęset. vide infrà *n.* 13.

10 Item *cap. raptor, & cap. statutum*, 27.*q.*2. decernitur, vt raptor alienæ sponsæ publica pęnitentia plectatur, & sine spe coniugij maneat: idest, vt omnes fermè interpretantur, vt nullũ prorsus matrimonium, non solum cũ rapta, sed neque cum alia quacumque contrahere queat: quod esse impedimentum solum impediens, non autẽ dirimẽs, fatetur plerique vti *Less. lib.* 4. *de iust. & iur. cap.* 3. *dub.* 9. *n.* 68. *versic. secundò, Sanch. disp.* 12. *cit. num.* 43. vbi alios allegat, *Rebell.* 2. *p. de oblig. Iust. lib.* 3. *q.* 18. *n.* 4. cuius quidem rei rationem non incongruam reddidit *Sotus in* 4. *dist.* 37. *art.* 1. *versic. de raptore*, quia scilicet, qui alienum matrimonium perturbare ausus est, iure proprij contrahendi meritò priuatur, vt, in quo deliquit, puniatur.

11 In eamdem prorsus pęnam, seu nuptiarum impedimentum, sponsam raptam incidere, si raptui consenserit, docent plures, quorum aliquos laudat, sectaturque *Sanch. nu.* 44. *loc. cit.* colliguntque ex *eod. cap. statutum*, à contrario sensu: ibi: *& si ipsa eidem crimini consentiens non fuerit, licentia nubendi alij non negetur*; idem dicitur in *d. cap. raptor*: quarè, si raptui consentiret, ciuilla licentia negaretur.

12 An verò hæc sponsa, quæ rapitur, esse debeat per verba de præsenti, an verò sufficiant verba futuri, duplex est Doctorum opinio, vtraque probabilis: de qua *Sanch. n.* 45. monet *Lessius post Nauarr. in enchir. cap.* 22. *nu.* 74. hoc impedimentum non esse in vsu quibusdam in locis, posseque in eo Episcopum dispensare.

13 Demum nouo iure *Concil. Trid sess.* 24. *cap.* 6. *de reform. matrim.* hæc, quæ sequuntur, in re, qua de agimus, sancta Synodus decernit, puta inter raptorem & raptam, quamdiu ipsa in potestate raptoris manserit, nullum posse consistere matrimonium. quod esse impedimentum dirimens, omnes agnoscunt, quorum plures citat, ac sequitur *Sanch. lib.* 7. *cit. disp.* 13. *nu.* 2. *Less. nu.* 69. quod si rapta à raptore separata, & in loco tuto, & libero constituta, illum in virum habere consẽserit, eam raptor in vxorem habeat; & nihilominus raptor ipse, ac omnes ei consilium, auxilium, & fauorem prębentes, sint ipso iure excommunicati (quam esse latam probat *Sanch. disp.* 13. *n.* 1. post cæteros omnes; non tamen Summo Pontifici reseruatam, vt non benè alij arbitrantur) ac perpetuò infames, omniumque dignitatum incapaces. quarè, etsi raptor raptam ducat, in infamiæ tamen pęnam, & incapacita-

citatis ad dignitatem nihilominus incurret, vt benè ostendunt post alios *Sanch.disp.*13.*n.*1.*Lessius n.* 69. alijq; contrà alios quosdam, qui contrarium opinantur; vtramque tamen pœnam Iudicis sententiam requirere, probāt ijdem Doctores, alijque.

14 Si Clerici fuerint,(raptores) prosequitur Tridentinum, de proprio gradu decidant. teneatur præterea raptor mulierem raptam, siue eam vxorē duxerit, siue non duxerit, decenter arbitrio Iudicis dotare. vtramque sanè hanc pœnam Iudicis sententiam expectare, post alios ostendit *Sanch. disp.* 13.*cit.nu.*1. qui omnino consulendus est: agit enim inibi fusè de pœnis à *Concilio Tridentino* in raptores constitutis. qua etiam de re videndi plures, quos retulit *Barbos. in d. tit. de adult. & stupro, cap. accedēs. Diana resol. moral.p.*3.*tract.*4. *de Sacram. resol.* 261. vbi refert *Sà verb. matrimonium n.* 9. volentem, hoc impedimentum dirimens habere locum; etiamsi rapta sit mulier, alia de causa, quā vt vxor ducatur. contrà tamen sentit *Diana post Sāch disp.*13.*cit.n.*4.*Aegid. de Coninch. de Sacram.disp.*31.*dub.*4.*num.*48.qui putant, solùm puniri hac pœna raptū, qui fit causa contrahendi matrimonium; non item ad libidinem exercendam. Atque ijdem Doctores, & *Filliuccius tom.*1.*tract.*10 *p.*2.*cap.*8.*num.* 265.censent, contrà *Sà, & Henriq.lib.* 12.*cap.*14.*n* 4 aliosque, solùm eum raptum à *Tridentino* puniri, per quem vis puellæ infertur; non autem solis parentibus, puella verò raptui consentiat. De tota rapt⁹ materia legi debēt auctores sæpiùs laudati, *& Basil. Pontius Legion. lib.*7.*de matrim. à cap.*39. *Aegid. à disp.*30. *Hurtad.de mat. dispu.*23.*diff.*3. & alij relati à *Barbosa loc.cit.* nobis satis sit ea, quę diximus, breuiter attigisse.

CONSILIVM XXV.

An raptores immunitate ecclesiastica fruantur.

RAptor cuiusdā honestæ mulieris ad ecclesiam cōfugit; rapta mulier, eiusque frater contendebant, raptorem immunitate ecclesiastica frui minimè debere. Egodem raptoris partes, quoad hoc, defendebam, obtinuique. Ac generatim instituendo quæstionem, quærimus, num virginum, aliarumuè mulierum raptores, qui ad ecclesiam confugiunt, ecclesiarum priuilegio, atque immunitate gaudeant, ità vt indè abduci nullo modo queant. Qua quidē in re aio, duas sibi aduersantes Doctorum sententias reperiri.

§. I.
Opinio negans.

SVMMAE.

1 *Negans opinio probatur. Couarruuiæ doctrina hac in re.*
2 *Doctores hanc sententiā amplectentes.*
3 *Huic sententia neganti apertè suffragatur* §. neque autem Auth. de mandat.Princip.
4 *Rubuffi lapsus*, & n.5.
5 *Latrunculatores qui sint.*

1 HAnc negantem sententiam amplecti videtur *Anastasius Germonius lib.* 2. *de sacror. immunit.cap.*16.*n.*2.*&* 3.sed eam expressim, ac mordicùs tuetur *Couarr. lib.*2.*var.resol.cap.*20.*n.*8.etsi contrariam communem esse fateatur. ducitur quòd crimē raptus virginum grauissimum est, reique publicæ admodū perniciosum, iisque simillimum, quæ ab *Innocentio III. in cap.inter alia, de immun. eccles.* excipiuntur: quarè & hoc quoque excipi debet. & ideo virgi-

ginum raptores, inquit, ab ecclesia, & templis extrahi posse, arbitror, etiam iure canonico post *Hippol. in l. vnica nu. 109. C. de rap. virg.* nam & hoc expressum est *l. vlt. tit. 21. p. 1.* Quod verò statutum fuit in *cap. de raptoribus 36. q. 1.* puta raptori ad ecclesiam confugienti mortis, aliarumque pœnarum, corpori infligendarum, esse indulgendam impunitatem, id, inquam, ad vetera iura *Didacus* reuocat, quę, inquit, immunitatem licentiùs largiebantur: non verò ad recentiora Pontificum iura, quæ non indistinctè hanc immunitatem concedunt: quin eam expressim aliquot in criminibus denegant, quòd ea grauissima censeantur.

2 Hanc eamdem opinionem edocuit *Gloss. in §. neque Auth. de madatis princip. verb. neq; custodies, & in l. 2. venit abducere C. de his, qui ad eccles. confug.* ibique alij Doctores, & cæteri plures, quos recenset. Siculus noster *Petrus Gambacurta lib. 5. de immunit. eccles. cap. 3. nu. 5. & Farinac lib. 1. prax. & theor. crimin. tit. 4. de carcerib. & carceratis quæst. 28. numer. 17.* vbi refert quoque auctores, aientes; quòd quicquid ecclesię iura hac in re disponant, ea à Iudicibus secularibus minimè custodiri.

3 Cui sanè sententiæ apertè suffragatur Imperator in *§. neque autem homicidis, auth. de mandatis princip. coll. 3.* vbi: *neque autem homicidis,* inquit Iustinianus, Tribonianum sacri Palatij quæstorem, & exconsulem alloquęs, *neque adulteris, neque virginum raptoribus delinquentibus terminorum* (sacrorum) *custodies cautelam: sed etiam inde extrahes, & supplicium eis inferes: non enim talia delinquentibus parcere competit; sed hoc patientibus, vt non talia à præsumptoribus patiantur. deindè templorum cautela non nocentibus, sed læsis datur à lege: & non erit possibile vtrumque tueri cautela sacrorum locorum, & lædentem, & læsum.* Quam sanè Imperatoris rationem non inelegantem dixit *Germonius* nuperrimè laudatus.

4 Is profectò paragraphus apertissimè statuit, virginũ raptores (non aliarum mulierum, nè lex, pęnam irrogans, contra iuris præcepta protrahatur, & extendatur) ad ecclesias confugientes indè iustissimè abduci; quicquid aliter eum legat *Rebuffus in constit. Reg. tract. de immunit. ecclesiast. art. 1. n. 27.* vbi, posteaquam *n. 26.* dixerat, virginum raptores ecclesiastica immunitate nequaquam frui *d. §. neq; Auth. de mand. Princ.* sed iure canonico ea raptores gaudere, iuribus ab eodẽ laudatis: *Hodie,* subdit, *iudices Regij iure seruant illum §. neque; quamuis in nouellis Græcis non ita* (puta vti nos modo retulimus) *scriptum sit; sed sic inueni:* Neque item committes, vt priuilegijs apud te vtantur malefici; sed vnum hoc illis ad salutem proficiat, si ab intentato crimine mundi, & vndique innoxij ostendantur; homicidia verò, & adulteria, & raptus virginũ, & agressuras, & maleficia cum tanta vehementia persequèris, pęnas delinquentibus secundùm nostras leges inferens, vt paucorum supplicijs, omnes alios salues. *& sic,* concludit Rebuffus, *ibi nihil loquitur de immunitate ecclesiarum.*

5 Sed apertè hac in re vir apprimè doctus hallucinatus est: etenim hunc paragraphum, quem ipse ex Græcis nouellis refert, liquidò constat à §. *neque,* omnino differre; neque ei, sed §. *non permittas,* penitus respondere: vbi: *non permittas,* inquit idem Imperator, *priuilegijs aliquibus vti nocentes; sed illud solum eis in auxilium obseruabis, vt vndique puri, horum, quæ eis inferuntur, innoxij videantur. homicidia autem, & adulteria, virginumque directiones, & inuasiones, & oppressiones, ità cum vehementia corrige, puniens delinquentes secundùm nostras leges, vt paulatim supplicium eos omnes faciat saluos.* atque adeo hic §. à §. *neque,* omnino distinctus est. Tum: *de raptore virginum putarem,* inquit idẽ Rebuffus

sus, *itidem illum non debere gaudere immunitate, quia occidit corpus, & animam; imo interdum duas animas, & de industria peccat cap. ille 2 2. q. 5. meritò iudices seculares ab ecclesijs hos calidos delinquentes extrahunt; & postea infrigidant etiam raptores mulierum honestarum eadem ratione Iudices ab Ecclesijs extrahunt, & maximè latrunculatores*: idest iudices maleficiorum, vt *l. solemus* §. 1. *ibique Gloss. ff. de iudic.*

§. II.

Opinio affirmans ostenditur.

SVMMAE.

6 *Opinio affirmans communior, ac tutior.*

Concilium Aurelianense *quo tempore celebratum.*

Decretum quo tempore à Gratiano cõ*pilatum.*

7 *Publicus latro, ac nocturnus agrorum popilator immunitate ecclesiarum minimè gaudent.*

8 *Ex raptu quandoq; homicidia oriuntur.*

9 Couarruuias *impugnatur.*

10 *Ius Cesareum à Pontificio hac in re correctum omnes agnoscunt.*

Ius canonicum in materia immunitatis obseruandum.

11 *Immunitas ecclesiarum à Deo inuenta.*

Humano iure statutam alij volunt.

Princeps amplissimũ immunitatis priuilegium ecclesijs concessum moderari nequit, quippe non subdito concessum.

12 *Iustiniani constitutio, quod robur hac in re obtineat.*

13 *Consuetudo hac in re varia est.*

14 Auth. de mand. Princip. *quo tempore edita, & per quod reuocetur*: & n. 15.

16 *Doctores aientem sententiam amplectentes.*

17 *Constitutio* Greg. XIV. de immun. eccles. *raptus crimen non excipit.*

6 SEd contrà *Couarruuiam*, aliosq; est communior, ac tutior aliorũ opinio, aientium, iure canonũ mulierum raptores, ad ecclesiam confugientes, tutos esse, indeque inuitos euelli non posse, id apertè decreuit *Concilium Aurelianense* primum Symmachi Papæ tẽpore, & Clodouei Regis circiter ann. Domini 506. celebratum, quod secundo Conciliorum tomo concluditur: vel, vt placuit *Gambacur. lib. 5. cap. 3. n. 9. & lib. 3. cap. 10. n. 13.* vbi de primis immunitatis auctoribus agit, tempore Hormisdæ Papæ circa ann. dom. 524. habitum, idque deindè *Gratianus* anno Domini 1151 Eugenij Papæ Tertij tẽpestate *in Decreto* à se compilato reposuit, vt ex ijs constat, quæ in vulgato ipsius Codice præmonentur; vbi quoque refertur, *Innocentium Papam tertium in epistola ad Archiepiscopum Compostellanum*, eã *Gratiani* collectionem *corpus decretorum* appellare. Atqui Innocentius an. Domini 1195. vel, quod verius videtur, 1198. vt *Platinæ*, alijsque placet, Põtifex Summus renũciatus est: quin sunt, qui censeant, eodem *Platina* auctore, *Gratianum* eodem Innocentij tempore floruisse.

7 Quę sanè omnia retulerim, vt intelligatur, Innocentium, cum ad Regem Scotię, vel, vt in exemplaribus Vaticanis legitur, Conaciæ, vel Conatiæ, eã epistolam scripsit, cuius pars in *cap. inter alia cit. sup. n. 1. de immun. eccl.* refertur, optimè nouisse Aurelianensis

11 Concilij nuper laudati decretum, à *Gratiano* in sua collectione repositũ, etsi numquam prorsus antea antiquatum; tamen nouas veluti vires resũpsisse: quarè, si illud post quadragesimum octauum fermè annum irritum, inaneque in epistola modo laudata *Innocentius* reddere voluisset; procul dubio debuisset de eo expressam facere mentionem, & sicuti publicum latronem, ac nocturnum agrorum depopulatorem ab eo ecclesiæ beneficio penitus exclusit; ità & virginum raptoribus, si id voluisset, eam immunitatem apertè denegasset: quin, cum eos non excepit, & potuerit exce-

pisse

pisse, omnino videtur illos ab hoc beneficio excludere noluisse *arg. ca. quia circa, ibique DD. de priuileg.* vide quæ ipsi *cons. 3. initio* edocuimus.

8 Quin non obscurè ex ipsamet Innocentij epistola, id ipsum elici constat: etenim iuxtà sacrorum canonum statuta, puta ea, quæ *Gratiani* collectione concludebantur, vt ibidem innuit *Gloss. verb. canonum*, se illam doctrinam tradere monet. falsum autem id esset, si eorumdem canonum decreta, saltem implicitè abrogaret. quarè non benè *Couarruuias* vetera iura in re, qua de agimus, paruipēdit, ac Innocentij decretū exaltat: etenim hoc illis innixum ex ipsismet Pontificis verbis animaduertere debuerat, nec crimen excipere, quod Papa neutiquam exceperat; quin apertè illis verbis concluserat: *si liber homo quātumcumque grauia maleficia perpetrauerit*: quæ, quippe generalia, omnia, prorsus crimina coercēt, iuxtà ea, quę latè tradidimus *cons. 3. cit initio*. quarè, etsi raptus grauissimum crimen, pessimum, ac detestabile à iure censeatur, ac quandoque etiam ex eo homicidia oriantur, vt innuit Imperator in *l. vnica cit. de rapt. virg.* monetque post alios plures *Farinacius q. 145. cit. nu. 1.* nihilominus, si qui illud perpetrauit, ad ecclesiam confugiat, tutus erit, neque inde vllo prorsus pacto violenter abducendus.

9 Neq; satis intelligere possum, quo tandem pacto *Didacus* velit, expressū illius Concilij decretum ab alijs posterioribus solùm oblique, & implicitè, & ob rationis similitudinem emēdari, & raptus crimen excipiendum, eò dumtaxat, quòd grauissimum sit; cum tamen *Innocentius* quantumcūque grauia maleficia perpetrantes nō esse violēter ab ecclesijs extrahēdos sanciuerit. quod si solum delicti grauitas id efficeret, planè quamplurima essent crimina, quibus ea impunitas negaretur; quæ tamen passim ecclesiastica immunitate perfruuntur. optimè verò explicat *Gambacurta lib. 5. de immun. eccl. cap. 2.* quæ sint attendenda Romano Pontifici, ad eximendos casus ab immunitatis priuilegio.

10 Et quamuis huic communi sententiæ ius Cæsareum planè aduersetur; illud tamen omnes penè à iure Pontificio correctum agnoscūt, vt animaduertere licet præsertim apud *Farinac. q. 28. cit. n. 21. Guttierez. pract. quæst. lib. 3. q. 5.* vbi ex instituto quærit id ipsum, quod nos inquirimus, communemque opinionem à *Couarruuia* impugnationibus defendit: ac diuersimodè ius ciuile interpretatur: quod pręstat etiam *Gambacurta cap. 3. cit. n. 11. & seq.* hi sanè auctores plures alios recensent; vide quoq; *Alex. cons. 145. lib. 7.* vbi hac in re doctè consuluit, & *Greg. Lopez in l. vlt. à Couarr. cit. verb. leyes antiquas*, ait, eas à iure canonico secundùm communem opinionem esse abrogatas. *Clarus quoque lib. 5. sent. § fin. q. 30. n. 10.* ità se vidisse in facti contingētia seruari, testatur; hācque iuris canonici dispositionem cōsuetudine approbatam dixit post *Bossium* idem *Clarus, ac Farinacius*, atque à iudicibus Deum timentibus custodiri: vt certè fieri debet: siquidem ius canonum in re, qua de agimus, puta ecclesiarum immunitate, seruandum, docent fermè omnes, quorum aliquos laudat, sectaturq; *Couarr. loco cit. n. 3.*

11 Præterquamquòd sunt, qui censeāt, vti *Rebuff. loco nuper laudato n. 5.* templorum, & ecclesiarum immunitatem à Deo inuentam, proindèque ecclesiasticam esse, atque ideo in præiudiciū illius, inquit *Rebuffus*, Principes seculares disponere non posse *cap. ecclesia sanctæ Mariæ, de constit.* alijsque ab eo recēsitis: etsi eam humano iure statutam, defendat *Couarr. nu. 2. loc. cit.* vbi eruditè hac de re veterum exempla plurima refert: idem tuetur *Gābacurta lib. 3. de immū. eccles. cap. 7. & 9.* qui tamen *cap. 12.* ostendit accuratè, nequire Imperatorem, supremosque Principes cōcessum amplissimum im-

muni-

munitatis ecclesiarum priuilegium restringere, ac moderari; ea potissimũ ratione, quòd priuilegium non subdito concessum, à concedente, eiusuè successore reuocari minimè potest, vt plures ostendunt, quorum aliquos idẽ auctor recenset: ecclesiam autem nequiquã subijci laicæ Principum potestati, inter Catholicos certissimũ est.

12 Hinc autem rectissimè infertur, Iustinianæam illam constitutionem in Auth. cit. nullius esse roboris, ac momenti, si ad minuendum ecclesiæ priuilegium referatur: si verò ad earum legum correctionem, quæ *tot. tit. de ijs, qui ad Ecclesiam confugiunt in Cod.* referatur, non vt priuilegia sunt ecclesiarum, sed vt sunt leges subditis laicis traditæ, ea Imperatoris constitutio vim obtinet, ac robur, proindeque eç leges, quoad casus ea constitutione exceptos vim legis amittunt, vt eximiè monuit *Gambacurta n. 12. cit. nu. 8.* qui *n. 9.* singulariter indè notandũ animaduertit, quod cum pęna in transgressores legis, immunitatem concedentis, sit extrà priuilegij rationem ac locum ex ratione legis obtineat; si quispiam in ijs solum casibus violaret immunitatem, quibus leges illæ iure Authẽticorum sunt restrictę, ac limitatæ, etsi priuilegium ecclesiarum læderet, proindeque peccaret, fieretque obnoxius pęnis à canonico iure constitutis; pęnas tamen illas lęsæ Maiestatis, vltimique supplicij, ciuilibus legibus ecclesiasticæ immunitatis violatoribus decretas, minimè subiret. optima sanè doctissimi viri animaduersio; sed accuratè perpendẽdum, num pęnæ relaxatione, obliquè, & indirectè ecclesiæ priuilegia reuocentur.

13 Quod verò spectat ad morem, seu consuetudinem, quæ sæpissimè dubias enodat quæstiones; nihil omnino certi ex Doctoribus colligi potest: in ea enim maximè discrepant, vt monuit *Gambacurta lib. 5. cap. 3. cit. nu. 7.* quid autem possit cõsuetudo circa ecclesiarum immunitatem, aptè explicuit idẽ auctor *lib. 3. cap. 24.* vbi *cap. 13.* docet, quid possint particulares Regnorum leges, & speciatim leges nostri Siciliç Regni circa eamdem immunitatem, ibique refert, exponitque accuratè *cap. 71.* Regis Alphonsi: cuius posterior pars de immunitate loquitur ecclesiarum; eiusque auctoris explanationi nihil omnino addendum censuimus: solum indè elicerem in rẽ nostra argumentum, quod negatiuum appellamus: quia scilicet inibi casus excipiuntur, qui immunitatis priuilegio minimè gaudent, & eos inter raptus mulierum nequaquã recensetur: hinc autem non incongruè infertur, eiuscemodi raptores ecclesiarum munimine turos fore.

14 Sed inquies *Innocentius III. in cit. cap. inter alia*, nedum in Pontificio iure, verum & in Cęsareo fundat illã iuris dispositionem, vt ex capitis principio constat: cõfirmat igitur ius illud Authenticorum sæpè à nobis recensitum. Aio tamen, Pontificem non in Authenticorum, sed Codicis iure *tot. tit. de ijs, qui ad ecclesiam confugiunt*, statuti à se iuris fundamẽta iecisse, vti non obscurè innuit *Glossa ibid. verb. legum*: quin neque iuri Authenticorum inniti vllo modo potuit Innocentius, quippe quod antea fuerat reuocatum (non quidem à Concilio Aurelianensi superiùs laudato; quandoquidem illud ann. Dom. 506. vel 524. celebratum est, vt suprà retulimus; constitutio verò illa Iustiniani de Mandatis Principum edita fuit Cal. Maij Constantinop. Belisario viceconsule, qui ann. Dom. 535. floruit, si *Pannuino*, alijsque historiarum scriptoribus credendum est. certè à Iustiniano edita fuit, quem omnes circa ann. Dom. 527. ac proindè post Aurelianẽse Cõcilium Imperatorem renunciatum agnoscunt) per *cap. de raptoribus, sæpè cit. 36. q. 1.* quod ann. Dom. 1151. ante Innocentij in Pontificem electionẽ 48. fermè anno, à *Gratiano* in suo de-

cretorum collectione repositum erat.

15 Agnouerat quoque *Innocentius*, quippe eximius iurisconsultus, inualidum prorsus fuisse ius illud Authenticorum ab Imperatore decretum, quippe quod immunitatem, à canonico iure antea virginum raptoribus indultam, abstulerat, minueratque ab ipsismet Imperatoribus amplissimum, absque vlla prorsus casuum exceptione, immunitatis priuilegium ecclesijs, proindeque non subdito, concessum; atque ideo ei inniti *Innocentius* minimè potuit. Alia, quæ contrà traditā doctrinam obiectari solent, rectissimè diluunt Doctores sæpiùs laudati. solū moneo cum *Gābacur. cap. 3. cit. nu. 20. lib. 5.* contrà *Couarruuiam*, casum raptoris virginum nedum minimè esse simillimum, sed neque similem ijs, qui in *cap. inter alia cit.* excipiuntur: publicus enim latro, nocturnusque agrorum depopulator, qui inibi eximuntur, vno solo actu quamplurimis nocere solent, & penè singulos de vniuersitate perturbant; nemo enim, inquit auctor ille, audet exire ad sua negotia illorum metu; raptor verò virginum quàm paucissimis vno actu nocet. alia sanè plura horum casuum discrimina animaduerti possunt; sed breuitatis studio ea perpendere omittimus.

16 Hanc aientem sententiam, præter citatos Doctores, tuētur alij communiter; præsertim *Decian. tract. crim. tom. 2. lib. 6. cap. 28. n. 11. Suar. tom. 1. de relig. lib. 3. cap. 11. n. 17.* vbi notat, ex consuetudine, vbi adest, posse fortassis *Couarr.* sententiam admitti: præsertim quia raptus est quædam rapina ex *S. Th. 1. 2. q. 66. art. 4. ad 3* rapina autem est quoddam latrocinium. sed non est recedendum à communi opinione: quam amplectitur etiam noster *Marius Italia de immun. lib. 1. ca. 3. §. 2. n. 8. Farin. tract. de immun. num. 87. Guttierez pract. lib. 3. qu. 5. Tusch. verb. ecclesia. concl. 11. Azor. Instit. moral. p. 2. lib. 8. cap. 9. qu. 9. & alij apud Barbos. in collect. ad d. cap. inter alia num. 53.*

17 Denique post constitutionem *Gregorij Papæ XIV. de immunitate ecclesiastica*, quam vberrimè exposuit *Gambacurta loc. cit.* certissima omnino videtur communis opinio, quam supra retulimus; quandoquidem inibi Pontifex plures casus excipit expressim, quos inter hos nequaquam virginis raptū 18
numerat. quin §. 1. diplomatis laudati, secundùm ordinem *Gambacurtæ*, ità Pontifex subdit: *quæ omnia, ac singula, ac illorum tenores pro expressis habentes: quatenus præmissis in aliquo aduersentur, aut plures, quam superiùs expressos casus contineant, omnino, ac perpetuò tollimus, & abrogamus, & ad terminos præsentis constitutionis, quoad superiùs descripta dutaxat, reducimus, &c.* & quamuis secundum sententiā *Gambacurtæ lib. 5. cap. 7.* eorum octo casuum expressione, quæ à Gregorio excipiuntur, minimè intelligendi sint reuocati alij omnes casus in iure canonico expressi; contrà quem tamen tenent alij plures, quos citat, ac sequitur *doctiss. P. Diana p. 1. resolut. moral. tract. 1. de immun. eccles. resol. 1.* nihilominus, quia is, quo de loquimur, nullibi exceptus reperitur, plurimum ei relata constitutio fauet, vt etiam ille auctor *cap. 3. cit. nu. 25. lib. 5.* animaduertit. sed hac in re satis, etsi non abundè dictum est. si plura cupis, cōsule laudatos Doctores.

In casu nostro decisum fuit, gaudere stupratorem illum ecclesiastica immunitate.

CON-

CONSILIVM XXVI.

Iudices quoscumque salariarios esse, nihilque à litigatoribus stipendij loco, vel sportularum nomine accipere, rationi maximè consentaneũ est.

Ad cap. 2. 18. aliaque Alphonsi.

OLim interrogatus, an esset rationi consentaneum, vt Iudices Salariarij forent, ijsq; è publico stipendia decernerentur; respondi affirmatiuè. Qui verò interrogabat, minister erat Regis, & non infimi ordinis. quæ autem tunc tradidi, hoc loco publici iuris facere visũ est.

§. I.

Qui iudices salariarij: quid salarium: quibus debeatur.

S V M M AE.

1 *Qui salariarij Iudices dicantur.* L. idemque §. idem Labeo ff. mand. *emendatur.*

Salarium, & stipendium quomodo differant.

2 *Salarij nomine quacumque merces concluditur.*

Salarij appellatio à sale deducitur.

3 *Mercedem operarijs deberi probatur diuino iure antiquo.*

Homicidis fraudatores mercedis rectè comparantur.

Homicidium in cœlum clamat pro vindicta.

Ità & defraudatio mercedis.

4 *Item probatur assertio iure diuino nouo.*

5 *Et iure canonico.*

Pro obsequij remuneratione res ecclesiæ donari possunt.

6 *Militantibus omnibus cur stipendia constituta.*

1 IVdices salariarios hic voco, quibus salaria tum laborum, tum dignitatis nomine cõstituta debeantur, *Vlpianum* imitatus in *l. idẽq; §. idem Labeo ff. mandati:* vbi enim in vulgatis codicibus ità legitur: *nisi si salarium fuit* (datũ pro sumptibus addidit Glossa) *& hoc conuenit, vt sumptus de suo faceret* (procurator) *ad hæc itinera, hoc est de salario:* alij apprimè docti viri, vt videre est apud *Hotomã.* auctorẽ damnatum in operè cum expurgatione permisso, *comment. verb. iuris. verb. salariarius,* ità legendum rectè existimant, ne oratio claudicare videatur: *nisi si salariarius fuit, et hoc cõuenit,* & cætera, quæ sequuntur: etsi verò Doctores, quos sequitur *Rebuff. in l. ager est § stipendium, vers. differentia ff. de verb signif.* inter stipendium, & salarium discrimen agnoscant, quòd illud militibus, hoc hominibus quibuscumque pro nauata opera præbeatur: ipsi tamen hoc loci promiscuè ijs vocibus vtemur, vt in more positum est, atque etiam ipsimet veteres iurisconsulti vtuntur, vt idem *Rebuffus* animaduertit.

2 Generatim verò quoscumque, nedum Iudices, verum alios quoque officiarios, qui publico officio fungũtur, quin & omnes penitus aliorum bono laborantes, salariarios esse debere, (prout salarij nomine quæcumq; laborum merces concluditur, vt concludi probat *Rebuffus vers. capitur etiã salarium pro mercede*) ostenditur ex ipsamet nominis etymologia: si enĩ *Plinio* credimus *lib. 31. natur. hist. cap. 7.* salariũ ab ipso sale deductũ agnoscemus: quòd scilicet, vt nonnulli interpretantur, ità necessaria sint, vt homini sal: nisi velis cum *Bernardino Gomesio in comment. de sale lib. 2. num. 14.* opinari, olim stipendia, quæ militibus, famulis, & operarijs pro nauata opera, & impensa seruitute, soluebantur, salaria nuncupata ab ipsomet nummario vsu salis; quem putat pro iusta laboris mercede, ac vel aurei sti-

pendij loco tunc temporis erogatum; tum etiam pro congiario inter populos diuisum.

3 Sed id ipsum, quod modò docuimus, diuino, pontificio, ciuilique iure probari apertissimè, nemo inficiari potest: diuino quidem pluribus locis, *Leuit. 19. nō morabitur opus mercenarij tui apud te vsque mane.* Deutor. 24. *reddes ei pretium laboris sui,* &c. Ecclesiast. 34. *Qui effundit sanguinem, & qui fraudem facit mercenario, fratres sunt:* quod refertur in *cap.* ... *q.* ... congruè verò Salomon homicidis fraudatores mercedis adæquat: hi enim mercenarios veluti occidunt, qui eis subtrahunt, vnde viuere debent; hinc sicuti homicidium in sacris literis in cœlum clamare dicitur pro vindicta *Genes.* 4. sic & defraudatio mercedis. *Ecce*, inquit S. Iacobus cap. 5. *merces operariorum, qui messuerunt regiones vestras, quæ fraudata est à vobis, clamat: & clamor eorum in aures Domini Sabaöt introiuit.* Hinc *Tobias cap.* 4. ad illud Leuitici respiciens, nuper relatum, *quicumque*, inquit, *tibi aliquid operatus fuerit, statim ei mercedem restitue, & merces mercenarij apud te omnino non maneat*, & *Malach.* 3. Dominus grauiter in illorū scelus vlturum minitatur, qui mercenarij mercedem calumniantur.

4 His addo illud Christi Domini *Luc.* 10. discipulos alloquentis: *in eadem*, inquit, *domo manete, edentes, & bibentes, quæ apud illos sunt: dignus est enim operarius mercede sua*: in eādem quoque sententiam docuit *Apostolus*, neminem suis stipendijs vnquam militare, 1. *ad Corinth.* 9. laudatque illud Deuterono. 25. *non alligabis os boui trituranti*, quē Pauli locum exponēs S. Hieronymus, *suis*, inquit, *& non publicis, vt alcorū, pro quibus militat, &c.* eadem Menoch. *lib.* 2. *de arb. iud. cent.* 6. *cas.* 5 1 4. *num.* 1. & *Ianus Langlaus lib.* 6. *semestrium cap.* 1. Item diuus Paulus 1. *ad Timoth.* 5. in eamdem sententiam repetit, tum illud *Deutor.* 25. modo relatum, tum etiam illud Christi Domini Luc. 10. *Dignus est operarius mercede sua*; sicq; reperies sancitum sexcentis alijs scripturæ locis.

5 His addendum est ius canonum, quod idem prorsus pluries asseuerat. ab omnibus passim laudatur illud *Gregorij* ad Maximianum Syracusanum Episcopum scribentis *lib.* 3. *epist.* 11. refertur que in *cap. charitatem* 12. *qu.* 2. *in fine*: vbi: *Iustū namque est*, inquit, *vt illi consequantur stipendium, qui pro tempore suum commodant, respiciunt obsequium.* hinc in *Concil. Ticin.* 4. *cap.* 36. vel 37. secundum *Loaisa* collectionem, pro impenso obsequii remuneratione res ecclesiæ donari posse, sancitū, laudaturque illud Apostoli 1. Timoth. 5. *dignus est operarius mercede sua*, vt refertur in *cap. quicumque* 13. *qu.* 2. Beatus quoque *Gregorius* Petro Diacono respondens, *lib.* 2. *dial. cap.* 3. ait, laborem cuiusque cum fructu esse debere: id, quod refertur in *cap. ibi adunati* 7. *q.* 1. vbi idipsum alijs ostendit *Glossa verb. laborem*, laudatque *cap. charitatem* nuper à nobis relatum, & §. *nè autem Auth. de iudic. coll.* 6. vnde, inquit, versus

Cum labor in damno est, crescit mortalis egestas.

iuxtà illud

Optat præmia quisque labor.

nemini enim suum officium debet esse damnosum, inquit *Bonifacius VIII.* relatus in *cap. cum non deceat, de electio in* 6. ibique pluribus alijs probat *gloss. initio.*

6 Ac vniuersè militantibus omnibus ideo esse prouidentia quadam stipendia constituta, edocuit *Augustinus* relatus in *cap. militare* 23. *q.* 1. nè dum, inquit, sūptus quæritur, prædo grassetur. quod idem dixit *S. Ambr.* relatus in *cap. in singulis, dist.* 86. quam sanè optimam Sancti Doctoris rationē inferiùs ipsi latiùs perpendemus. His adde, quod statuit *Agatense Concilium cap.* 36. referturque in *cap. clerici* 1. *q.* 2. vbi: *clerici omnes*, inquiunt Patres,

qui

qui ecclesiæ fideliter, vigilanterque deseruiunt, stipendia sanctis laboribus debita secundùm seruitij sui meritum per ordinationem canonum à sacerdotibus consequantur. aliaque huiuscemodi passim in Pōtificio iure reperire licet.

§. II.

Iudices debere esse salariarios, ostenditur iure cæsareo, municipali Siculo, ac ratione.

S V M M Æ.

7 A *Ssertio probatur iure Cæsareo: &*
8 *n.*
9 *Cæsar Augustus primus Magistratibus salaria constituit.*
Magistratus antiquitùs publica munera suis impendijs obibant.
10 *Pescennius Niger aiebat, iudices, nec dare debere, nec accipere.*
Alexander Seuerus quid iudicibus prouideret.
11 *Alphonsus Siciliæ Rex omnibus officiarijs, at præsertim iudicibus salaria constituit.*
12 *Lex Sicula hac de re totidem verbis relata.*
Quod esculētum iudices accipere queant.
13 *Reges suis subditis iustitiam gratis administrare tenentur.*
14 Sancti Hieron. *hac de re eximia doctrina.*
15 *Ad idem Episcopi, cæterique Prelati obstringuntur.*
16 *Iudices cur mutuam à litigatoribus pecuniam accipere prohibentur.*
17 Innoc. III. *Sacri Palatij Auditoribus salaria constituit.*
Nemo ad delinquendum imitandus est.
18 *Cur magistratus gratis creādi: & n. 19.*
Qui dicantur in iure salutatores.
20 *Præsides subiectis præsidere debent uti filijs patres.*
Delictum maius est, quod per alium patratur.
21 *Protelatio litium vnde orta.*

7 IAm verò non solùm doctrinæ traditæ §. ant. ius Cæsareum suffragatur; verum etiam pluribus in locis statuit specjatim, iudices esse debere salariarios, ijsque ex publico stipendia deputari: & quidem *Menoch. & Langleus* locis supra citatis, & *Mastrill. lib. 5. de magistr. cap. 21. n. 3.* laudant *Auth. de iudic. §. si quis autem col. 6.* aiuntque ibi Iustinianum asserere, legem abhorrere sine præmio homines officijs præfici laboriosis: cuius tamen verba sunt: *ut autem circa hęc labor sine mercede vestris fiat ordinatis*, & cætera, quæ sequuntur, omnino consulenda: plurimùm enim traditæ doctrinæ conducunt.

8 Sed legenda omnino est *Nouell.* 161. quę est Tiberij Imperatoris, cuius inscriptio est, *de Prouinciarum Præsidibus*; vbi inter alia hæc leguntur: *Præterea, ut neque per se, neque per assessores suos, aut cancelarios, domesticosque, aut quempiam eorum, qui ad ipsos pertineant, quidquam à subditis accipiant, nisi in quadruplum velint, quod ab ipsis acceptum est, dependere. sed contenti his sint, quæ lege ipsis deputata sint è publico*. integra illa constitutio legēda erit, proindeque pluries in iure ciuili iudicibus, alijsque officiarijs salaria constituta reperies; quæ olim à fisco soluebantur, vt pluribus iuribus ostendit *Auendan. de exeq. mand. Princip. cap. 2. n. 7.* ijsque illos contentos iubet esse Iustinianus in *Auth. iusiurandum, quod præstatur ab his §. iuro quoque coll. 2. & Auth. vt iudic. sine quoque suffrag. §. cogitatio coll. 2.*

9 Hinc verò laudari Augustum Cæsarem, monent *Menoch. & Mastrill. loc. cit.* quòd suadente Mæcenate, omnium primus salaria magistratibus cōstituit, tum laborum, tum dignitatis nomine, cum antea proprijs stipendijs reip. munera obirēt: quod retulit *Diō. Cassius lib. 13. Roman. histor.* cuius hęc sunt verba: *Antiquitùs quidem, qui aliquid à republica munus suscepissent, omnia suis ipsi impendijs agebant: sub Cæ-*

sare

sare primùm accipere stipendia cœperũt, non idem omnes; sed quemadmodum muneris eorum rationi congruebat. Rectè probat *Greg Tholos. lib. 27. syntag. iur. ca. 2. n. 7.* ex *l. qui operas; l. sed addes §. fin. l. diem functo ff locati; l. diem functo ff. de off. assess. alijsque*, ijs salaria deberi, qui operam suam impendunt.

10 Sed hic præsertim addenda sunt, quæ ab *Aelio Spartiano de Pescēnio Nigro* memoriæ proditũ est: *addidit praeterea*, inquit de eo loquens, *consiliarijs salaria, nè eos grauarent, quibus assidebant, dicens, iudicem nec dare debere, nec accipere*. Neque illud omittendũ, quod de *Alexandro Seuero* scripsit *Aelius Lampridius*: *Iudices cum promoueret, inquit, exemplo veterum, vt & Cicero docet, & argento, & necessarijs instruebat, ità vt Præsides* Prouinciarum *acciperēt argenti pondera vicena, phialas senas, mulos binos, equos binos, vestes forenses binas, domesticas singulas, balneares singulas, aureos centenos, cocos singulos: et, si vxores nō haberent, singulas concubinas, quod sine his esse non possent, reddituri, deposita administratione mulas, mulos, equos, muliones, & cocos: cætera sibi habituri, si bene egissent: in quadruplum reddituri, si male*.

11 Hæc sanè omnia, aliaque, quæ mox subnectam, perpēdens *Alphonsus Rex*, omnibus fermè officiarijs, ac iudicibus salaria constituit, ac præsertim Magnæ Curiæ iudicibus, alijsq; eiusdem officiarijs, vt animaduertere licet in *cap. 2. 5. 8. 15.* alijsque eiusdem Regis, qui etiam *ca. 18. & 19.* sacræ Regiæ Cōscientiæ iudicibus, quod item *Tribunal Consistorij* appellatur, eadem salaria constituit. & quidem, vti in cæteris id ipsum hodie custoditur, ità in præfatis iudicibus tum Magnæ Curiæ, tum Cōsistorij absoleuit, Siculorum detrimento. quoniam verò ea, quæ *cap. 2.* laudatus Rex eloquitur, plurimum rei subiectæ cōducunt, ideo totidem verbis illa referam hoc loci: ait itaque.

12 *Vt iudices sustentari valeant, & circa iustitiam prompto, & liberali animo intendere, ordinamus, vt quilibet iudicũ anno quolibet habeat pro eius salario vncias octoginta super secretia nostra Panormi soluendas. quibus satisfieri volumus de tertio in tertium in principio cuiuslibet quadrimestris, incipiendo à prima die mensis Ianuarij proximi venturi in antea: ità tamen, quod nō possint habere alia emolumenta à litigantibus ratione, seu causa dicti officij directè, vel indirectè, aut quouis quæsito colore: nisi tantum esculentum, & poculentum per Iudicem, cui præstita erunt, & eius familiam in diem vnum consumenda, & non vltrà*: & cætera, quæ sequuntur. Hoc vltimum approbatum est iure communi, puta *l. plebiscito ff de off. præsid. l. solent § fin. ff. de off. procons.* vbi *Corras. ait, Xenia, quæ recipi à iudicibus lex permittit, esse dona hospitibus dari solita*. item *cap. statutum §. insuper, de rescrip. in 6. vid. Menoch. lib. 2. de arb. iudic. cēt. 6. casu 517. Farin. pract. crim. q. 111. art. 10. à n. 250. Muta in prægm. tit. 13. tom. 1.* eadē fermè vernacula lingua in *cap. 77.* eiusdem Regis reperiuntur. Prudenter sanè, ac religiosè hæc Alphonsus sanciuit, quæ vtinam nunc temporis seruarentur: quamplurimis enim subditorũ malis medela adhiberetur: vndè non abs re consentaneum putat *Menochius* loco sæpius laudato, nedum humanæ legis, sed & diuinæ, Principes, dominosq; magistratibus ius dicentibus, à se ad offi[ci]a promotis, salaria constituere: & quidem fiscum ea soluere oportere, ostendit *Mastrill. loc. cit. n. 17.* & post *Luc. de Pēn. in l. annonas C. de erog. milit. ann. lib. 12.* alijque, docuit *Gregor. Lopez in l. 2. gloss. 1. tit. 4. part. 3.*

13 Atque hoc totum, quod hic intendimus, probatur firmissima ratione hunc fermè in modum. Reges omnes, cæterique Principes supremi suis subditis gratis omninò, expensisque proprijs iustitiam administrare, obstringuntur, non verò ipsorum subditorũ sumptibus illam administrare queũt:

hanc

hanc enim ob causam à subditis tributa, aliaque obsequia Principibus præstantur; quia reditus, quos habēt, sunt ad hoc quasi stipēdia constituta, vt benè docuit *Luc. de Penna in d.l. annonas.S. & nota ex hac l. vers. nam tenentur Reges C.de erog.milit.annon.lib. 12.* qui, præter cætera, addit *S. Hierō. epist. 11. ad Damasum Papam*, vbi:

14 *Omnes*, inquit, *Græcorum Doctores prædicant, protestantur, & clamant, decimas, & oblationes deberi solis Episcopis, propter executionem pontificalis officij sicut terrena stipendia, vectigalia, & tributa debentur solis potestatibus sæculi, propter administrationem publicæ functionis sicut enim illi, habentes vasa interfectionis, in eo deseruiunt subditis, quod malos à malo reprimunt, & bonos in bono nutriunt, & omnibus æquitatis iura proponunt, ac per hoc omnium subiectorum stipendium consequuntur: sic ecclesiastici Principes, Christianæ reipublicæ curam gerentes, & ecclesiastica sacramenta singulari priuilegio ministrantes oblationes, & decimas sortiuntur*, & cætera, quæ sequuntur.

15 Probat *Mastril lib. 1.cap. 21.cit. n. 20.* nihil prorsus debere subditos soluere magistratui, cum gratis sibi à Principe, non verò eorumdem sumptibus debeat iustitia ministrari, ibidēque plurima iura, plures(que) Doctores, idem docentes, recenset: qui etiam aiunt, idem in Episcopis, alijsque ecclesiasticis Prælatis seruari oportere, quos ad constituenda iudicibus salaria debita obstringunt. idque nedum in ijs, quæ per semetipsum Princeps peragit, locum obtinere plures autumant, quos laudat, sequiturque *Mastrill loc.cit.n.22.* verum quoque in ijs, quæ per suos ministros exequitur. Hinc autem fit, vt Reges omnes, ac Pincipes summi, iudicibus à se delectis salaria constituere teneantur, quò scilicet hi gratis omnino subditis ius dicant, neque ab ijs quidpiam stipendij loco exigere compellantur, grauētque eos, quibus iustitiam administrāt: ideo enim addidit *Pescennius* salaria consiliarijs, nè scilicet eos grauarent, quibus assidebāt, vt suprà ex *Spartiano* retulimus; scitè addens, iudicem nec dare quidpiā, nec accipere oportere: vide *Simancā.lib.6.de repu.cap.4.*

16 Certè, si iudicibus ius exigendi à litigatoribus aliquid stipendij relinquatur, via etiam ijsdem aperitur, vt mercedis nomine, seu colore, corrumpantur. id sanè fuit, quod *Sanctus Augustinus*, relatus in *cap. militare 23.q.1.* vti suprà ipsi monuimus, & *S. Ambros.in cap.in singulis dist. 86.* eū candum innuit ijs verbis: *dum sumptus quæritur, prædo grassetur*. quod etiā vt declinarent Honorius, ac Theodosius Augusti, pecuniam iudici à litigatore dare mutuam, interdixère sub exilij pena, nè scilicet, mutui ficto nomine, gratis acciperet, & corrumperetur, vt refertur in *l. quisquis iudici*, ibique *Doctores omnes exponunt C. si certum petatur*: eam etiam ob causā Iustinianus in *Auth. vt iudic. sin. quoquo suffrag. S. cogitatio igitur, coll. 2.* sāciuit, vt nihil penitus suffragiorum nomine ab eligendis magistratibus tribueretur: *An certè*, inquit, *non omnibus manifestum est, quoniam qui aurum dat, & ità administrationem emit, non dat hoc solum, quantum occasione adinuentum est suffragiorum, sed & aliud extrinsecus addit amplius occasione commodi, administrationem aut dantibus, aut spondentibus? et sic vno principio illicito dāto, plurimas necesse est manus circumire eum, qui donationem facit*. Præcidenda igitur est iudicibus occasio hæc, de qua loquimur, nè eo velamine furentur.

17 Et, quod ad rem, qua de agimus, propiùs accedit, *Innocentius Papa Sextus*, vt *Platina* in eius vita testatur, refertque *Simancas cap. 4. cit.* iuris vtriusque consultissimus, vir integerrimæ vitæ, Pescennium imitatus, sacri Palatij Auditoribus salaria constituit, nè muneribus corrumpi ob inopiam possent: dicebat enim, famelicos nō faci-

facilè etiam ab alieno cibo abstinere, si sit oblata quouis modo edendi facultas. Certè ex Regni capitulis, puta *cap. 66. & 368. Regis Alphonsi, cap. 110. Ferdinandi, cap. 44. & 57. Caroli Imperatoris*, apertè animaduertimus, Iudices, aliosque officiarios sportularum modum excessisse, eoque nomine in Siculos fuisse grassatos. Iura sanè omnia criminum capita, seu origines præcidi passim decernunt, noluntque quempiam ad furãdum, vel aliter delinquendum inuitari *l. conuenire. ff. de pact. dotal. l. si vnus §. illud ff. de pactis.*

18 Hinc iterum *Iustinianus* gratis omnino creari magistratus præcepit, quò scilicet gratuitas quoque manus seruatent: *oportet*, inquit in §. *oportet. Auth. de mand. Princ. coll.* 3. Tribonianum quæstorem, & exconsulem alloquens, *te purè sumente administrationem, & sine omni suffragio* (idest, inquit Glossa, sine aliquo dato nomine suffragij, vt supra, vt Iudices sine quoquo suffrag. §. hæc omnia) *præ omnibus alijs mundas seruare Deo, nobisque, & legi manus, & nullum contingere lucrũ, neque maius, neque minus, neque captiosum quiddam contrà subiectos facere negotiatione: sed contentum esse solis à fisco tibi ministratis* (scilicet annonis, vel salarijs subdit Glossa) *& tam per te, quam per eos, qui circa te sunt, purum eis vndique seruare ius*: & infrà. *Collatores namque* (putà qui annua conferunt tributa, vt exposuit Glossa in Auth. vt iud. sin. quoq. suffra. §. 1. ver. collatores coll. 2.) *omni alia calumnia* (à iudicibus inflicta) *liberi conseruati, facilè, & in promptu soluent tributa*: & cætera, quæ sequuntur.

19 Idem ferè in *Auth. vt iudic. sine quoque suffrag. cit. §. cogitatio igitur*, sanciuit Iustinianus Imperator; volẽs enim subditorum incommodis, damnisque, quæ ex iudicum exactionibus ijs sequuntur, consulere, id omnino euenturum putauit, si Præsides gentium, quicumque ciuiles administrationes prouinciarum habẽt, puris vti manibus procuraret, & ab omni abstinere acceptione, solis ijs contentos, quæ à fisco ijsdem tribuuntur: *considerauimus enim*, inquit, *quia licet quæstus immodicus* (idest non modicus, sed magnus propter depauperationẽ collectarum, inquit Glossa) *imminuitur imperio; attamen nostri subiecti incremẽtum maximum percipient, si indemnes à iudicibus conseruentur, hinc autem, & aliud sequitur emolumentum, puta quia sic imperium, & fiscus abundabit, vtens subiectis locupletibus, &, vno hoc introducto ordine, plurima rerum, & innumera erit vbertas*. & infrà §. sic igitur à nobis: *sicut*, inquit, *sine suffragio accepit administrationem à publico percepturus annonas* (*has enĩ solas accipere eum sinimus*.) *sic eam puris custodire manibus Deo, & nobis pro ea reddi-turus rationem*. 21

20 Vbi *Glossa verb. sed sicut*, laudat illud Christi Domini Matth. 10. *Gratis accepistis, gratis date*. Mox idem Imperator in §. *eos autem*, Præsidibus imperat, vt nihil à subiectis percipiant, sed æqui sint in iudicijs; sic eis præsideant, vti filijs patres; vtque non ipsi solum hoc agant, verum etiam, & eorum consiliarij, cæterique administri: *vt non videãtur*, inquit, *illi quidem velut innoxij esse; per alios autẽ delinquãt, atque furentur; hoc quod magis turpe est, vt & participes iniustitiarũ sumãt*. vbi quidem *Glossa verb. quod magis*, admonet, hinc colligi maius censeri delictum, quod in alium, seu per aliũ, quam in se, seu per se perpetratur, *l. Athletas §. Pomponius, & l. Imperator ff. de ijs, qui not. infam. quia*, inquit, *& ipse peccat, & alium facit delinquere*: *vnde versus*:

Peccando peccare docens hic peccat & in se,
Qui reus est in hos, quos facit esse reos.

Caueant igitur, qui supremos gerunt magistratus, nè, dum malis vtũtur administris, ipsi grauiùs ex eorum criminibus à Deo puniantur.

Re-

21 Iterum *Iustinianus Auth. cit. vt iud. sin quoquo suffr. §. si quis autem*, puras exigit esse prouincialibus iudicibus manus: vt collatores, inquit, custodiat, mus; Iure quidem optimo prudentissimus Imperator inde subiectorum custodiam pendere existimauit, si à iudicum exactionibus immunes omnino conseruentur: innumera enim sunt detrimenta, quæ inde subditis enascuntur, certè plusies euenire solet, vt ambo litigantes ad summam paupertatem, vel potius egestatem, ac mendicitatem deueniāt, adeo immēsum est, quod integro vnius dumtaxat litis curriculo iudicibus sportularum nomine persoluitur: protelant enim ij lites plerumque, quoad fieri potest, quò plura exigant à litigatoribus; quamobrem diuites illi, hi verò pauperrimi fiunt. *sunt enim hodie quidam annonarij iudices*, inquit Rebuff. in Cōst. Reg. tract. de salar. tax. art. 2. nu. 2. *qui plures aureos sportulares exigūt, quos vix Midas persoluere posset, nec suo quidem Aegiptij sufferre; ob id pauperes reddunt litigantes, vt est text. in Auth. vt differ. iudic. col. 9 quos acerrimè deberent castigare Suprema Curia Iudices*. quod si ijs salarium constitueretur, vti prædiximus, & lites breuissimè expedirentur, & subditi facilè, & in promptu tributa persoluerent, vt animaduertit *Iustinianus Auth. de mand. princip. cit.*

§. III.

Diluitur obiectio ex contrario vsu desumpta.

SVMMAE.

22 Obiectio proponitur.
Mos sportularum à iudicibus exigendarum an validus: & nn. seqq.
23 *Dilutio obiectionis.*
Iure canonico sportulæ reprobantur.
24 *Mos ille à pluribus improbatur.*
Nedum à malo, sed etiam ab eo, quod occasionaliter est malum, abstinendum est.
25 *Salaria iudicibus constituenda*: & nn. seqq.
26 *Munera accipere, iudices prohibentur*, et quare: & n. 28.
Tabebis absque manibus iudicum imagines visuntur.
27 *Auro loquente iners est omnis oratio.*
29 *Prælati, qui reditus habent sufficientes, suis officiarijs iusta stipendia cōstituere tenentur.*
30 *Eximia Lucæ de Penna hac de re doctrina.*
31 *Constitutio de trigesimo Lucæ videtur iniqua.*
Lex non priuato, sed communi bono ponenda est.
32 *Iudices militare sæpè in iure dicuntur.*

22 Sed inquies, iā in more positum est, præsertim in Sicilia, vt plures iudices, pluresque officiarij, quibus nullum, vel exiguum salarium est constitutum, sportulas à litigatoribus exigant, percipiantque, salarij, seu stipēdij loco, vt monuit *Marstill. lib. 1. de magistr. cap. 22. nu. 1. &* 2. morem verò, seu consuetudinem sportularum exigendarum validam esse, docuit *Specul. tit. de salar. §. 1. nu. 13. vers. si verò ordinarius*, quem alij sequuntur, quorum aliquos mox referemus: non ergo id inconueniens censendum erit.

23 Respondeo tamen primùm, iure canonum sportulas reprobari *cap. cum ab omni, ibique Doctores omnes, de vita, & honest. cleric.* monuitque *Innocē. in cap. vnico de plus petition. Ludou. Rō. sing. 183. Corset. sing. 297. Bouer. sing. 3. n. 8. Bertach. in repert. verb. sportulæ.* quod sanè decretum validis innititur rationibus, vti modo probauimus. vnā innuit Pontifex, quia scilicet gratis iudices iudicare debent: quod idem repetitur in *cap. statutum §. insuper, de rescrip. in 6.*

24 Deindè aio, illum morem, seu cōsuetudinem exigendarum sportularū con-

contrà *Speculatorem* alios improbare, secutos *Gloss. in Clement. Statutum, de elect. verb. ex iurisdictione:* quam sanè opinionem communiter teneri, dixit *Rom. sing. 183. tit. & Abbas in cap. cum ab omni cit. nu. 10.* ait, hanc consuetudinem induci non posse, quia aut exactio sportularum præcessit, & tunc induci posse inficiatur: quia, inquit, contrà honestatem, & contrà mentem huius *cap. cum ab omni*; aut non præcessit exactio; & tūc non inducitur consuetudo ex liberalitate donantium, sed quælibet donatio habet effectum suū, iuxtà ea, quæ notat *Bart. in l. cum de in rē verso ff. de vsu; facit l. si certi annis C. de pactis, & n. 2.* docuerat *Panormitanus*, illud esse euitandum, quia non solum est abstinendum ab eo, inquit, quod in se est malum, sed etiam ab eo, quod occasionaliter potest esse malum: sicuti recipere pecuniam pro iudicando; posset enim inducere iudicem ad iniustitiam, vti etiam ipsi *supr. n. 16. & seq.* monuimus. Quamuis, vt verum fatear, *Speculatoris* opinionē alij quoque amplectantur, quorum aliquos laudat *additio Nicolai Pignolati ad sing. Rom. 183. tit. & Mastrill. loc. cit. n. 2.* qui quarumdam *Glossarum* doctrinam referunt; quæ tamen iuxtà iuris Cæsarei, quod exponunt, non verò Pontificij dispositionem loquuntur?

25 Demum aio, quòd quamuis validus omninò daretur huiuscemodi mos, & consuetudo, pro ijs saltem Iudicibus, quibus salaria ex publico cōstituta non sunt, vt benè explicuit *Anton. Corsett. in d. sing. 297.* docuitque *Menoch. lib. 2. de arbitr. iudic. cent. 4. cas. 342. n. 4. Couarr. in reg. peccatum part. 2. §. 3. n. 1. vers. sicut; & index de reg. iur. in 6.* alijque, saltem ratione sustentationis, vt notauit *Suarez vol. 1. de relig. lib. 1. de simonia cap. 20. n. 16. post med.* quamuis, inquam, id daretur; nihilomin⁹ id, quod ipsi probauimus, indè minimè euerteretur: quandoquidem asserimus, hisce iudicibus constitui salaria (& quidem pinguia, vt aliquid in arca reponant, vt dicam *cons. seq. n. 6.*) oportere, quò sustententur, & sportulas à subditis exigere desistant, eosque minimè grauent; quibus [illegible] sportularum nomine alia exigendi, quibus corrumpantur, [illegible] quod [illegible] intelligatur, atque ex dictis [illegible] facillimè colligi potest.

26 Certè (quod veluti obiter animaduerte) periculum [illegible] muneribus iudicum in causa fuit, [illegible] ijs munera accipere interdiceretur. [illegible] enim ille ordinibus [illegible] *Munera Pontifices subuertunt, [illegible] Reges. Munera ipsi statuunt, destituunt, [illegible] simil. Munera [illegible] leges* & cætera, quæ retulit *Rebuff. in constit. Reg. tract. de salar. [illegible] &c. Gloss. vnica nu. 3.* vbi & ex alijs refert, quòd ideò Thebis iudicum imagines absq; manibus visuntur, summique iudicis oculi conniuent, quia scilicet iustitia, nec muneribus capitur, nec hominum vultu flectitur. Sanè inter scelera, ob quæ Hierusalem subuersam agnoscūt Patres, præsertim *Sanctus Hieronymus*, primo loco illud recensetur, quòd scilicet iudices eius in muneribus iudicabant, vt apertè tradidit *Michaas cap. 3.* referturque in *cap. iudices 1. qu. 1.* cum Hieronymi expositione.

27 Rectè *S. Th. opusc. de erudit. Princip. lib. 4. cap. 3. & 4.* mala, quæ ex munerum acceptione sequuntur, ex varijs sacrarum literarum locis ostendit. excæcare verò munera sapientum oculos, verbaque iustorum subuertere, auctoritate diuina probatur *Deuteron. 16. Exod. 23. Eccl. 20.* vbi: *Xenia, & dona,* inquit Salomō, *excæcāt oculos iudicum: Auro enim loquente,* inquit Nazianzenus in sententijs, *iners est omnis oratio; persuadet enim illud, etiamsi vocē nullā edat:* & *Isidorus lib. 3. sentent. cap. 58.* ait: *acceptio munerum prauaricatio veritatis*

ritatis est: & diues muneribus citò corrumpit iudicem; ac citò quoque auro iustitia violatur. huiuscemodi plura reticeo, quæ consulenda sunt omnino apud *Simancā lib.6.cap.3. & 4.* plurima etiam recenset *Iulius Cæsar Imbriani dialog.1.de iudice Regni.* Consulendi quoq; hac de re *Petr. Greg. Tholos.lib.28.sintag.iur.cap.12.n.1.& 2. & lib.36.cap.28. Ianus Langleus lib.6.semestrium cap.1. Rebuff.loc.cit. & in l.solent §.non verò ff.de offic.Procons. & in l.munus tribus modis, vers.Item muneralis lex, & l.verbo victus vers. inde esculentum ff.de verb signif.Menoch.de arbit.iud.lib.2.cent.6.casu 517.* vbi latissimè hac de re; *Farinac. pract. & theor.crim.qu.111.art.10.part.3.Caualcan.de brachio Regio par.5.nu.34. & alijs seq.*

28 Vt igitur gratis, & cum omni puritate iudicium coram iudice procedat, vt *Bonifacij Octaui* verbis vtar, quæ referuntur in *c statutum §. insuper de rescrip in 6.* nihil muneris, vel quicquid aliud (nisi forsan esculentum, vel poculentum, mera liberalitate oblatum, quod paucis consūmi possit diebus, &c.) recipere ab eisdem partibus qualitercumque præsumat. Præterea, vti nos latissimè *cōs.10.* explicuimus, ideò iura futuras beneficiorum, officiorum, aliorumque similium successiones detestantur, improbantque, quòd eæ ansā præbent captandæ alterius mortis: cur ergo non item in re, qua de agimus, periculum delinquendi, & alienum auferendi omnino præcidatur?

29 Atque illud ipsum non incongruè ea quoque ratione ostenditur, qua aliqui probant, ecclesiasticos Antistites, Prælatosque, qui reditus sufficiētēs obtinent, lege obstringi iustitiæ suis officiarijs, & administris iusta stipendia constituere, nè pro ijs, quæ exhibent ministeria, à subditis aliquid exigere compellantur: id enim ostendunt, quia Prælatis, vt ait *Less.lib.2. de iust.& iur.cap.35.dub.10.n.63.* nō sunt assignati tanti prouentus tot millium aureorum, vt ipsi soli inde viuāt, sed vt etiam ministros suos, qui ad pastoralia munia ipsi sunt necessarij, sustentent. ad eumdem equidem modum aiò, Principes, Reges, aliosque huiuscemodi teneri suis administris certa, iustaque statuere stipēdia, quibus hi contēti à subditis nihil prorsus pro administrata iustitia exigant: non enim tot prouentus, totque tributa à sibi subiectis ij percipiunt, vt ipsi solùm inde viuant; sed vt indè quoque suis ministris, qui sibi ad iustitiæ administrationem, regimenque subditorum, necessarij sunt, prouideant, quantum satis est, non verò, quò inde ditescant.

30 Demum hùc transferri oportet integrā doctrina *Lucæ de Penna in l. annonas cit. C.de erogatione militaris annonæ lib.12.* vbi præcipuè probat, debere Reges, aliosque summos Principes, iustitiam suis subditis, non horū sumptibus, sed proprijs ministrare, vti suprà ipsi monuimus: vndè, inquit, Iudices, & tribuni pro administrationibus officiorum non à subiectis remunerationem, nec aliundè, quam ex largitate imperiali sperare debent, laudatque *l.2.§.hæc autem C.de off.præf. præt. Aphri.* & Imperator, subdit Penna, dicit *nos autem sufficientem quæstū putamus Imperio, vt collatores sola fiscalia conferant tributa, & nihil aliud quæratur extrinsecus, quod subiectorum commoueat vitam, in Auth. vt iud. sin quoque suff. §.itaque.* cum ergo Rex sit ordinarius iudex, prosequitur *Lucas*, immo iudicum iudex in Regno suo, sicut Episcopus, vel quilibet alius Iudex ordinarius, non potest à subditis litigantibus etiam expensas accipere, *vt leg.& not.ext.de vit.& honest. cler. cū ab omni;* ità nec ipse Rex aliquid à subditis potest accipere, nec vt illud pro administratione iustitiæ soluant alij, demandare, ex eo, quod ad hoc sunt Regni reditus pro stipendio constitui *23.q.1.militare.* aliaque Penna addit,

quæ apud ipsum omnino consuli debent.

31 Illud tamen hic minimè reticendū, ipsum opinari, *constitutionem de trigesima*, quam olim sportularum locò iudices exigebant, quæ id ipsum decernebat, iniustam fuisse; & continere fortè iniquitatem dixit, arg. iurium quæ præmiserat: lex enim, inquit, nullo priuato statuentis commodo, sed pro communi bono ponenda est *4. dist. erit.* ac cogere subditos ad salaria magistratuum, quæ de fisco Rex deberet, exsoluere, satis videtur iniquum: gratis quippe debent Reges, & Prælati iudicare, non iudicium vendere 14. *q.* 5. *non sanè*, aliisque iuribus, quę ibidem idem auctor recenset, quē sequi *Gramm. ibid. & in constit. cum cōstitutio n. 1. & Bolognet. cons. 1. sub. nu.* 8 refert *Mastrill. lib. 1. de magistr. cap.* 22. *n.* 35. quarè eiusdem iniustitiæ arguendæ sunt sportulæ, quæ hodie à iudicibus exiguntur, cum in locum illius trigesimæ successerit, vt ait *Mastrill. loco nuper laudato.*

32 Equidem nescio, cur militibus, qui rempublicam armis custodiunt, stipendia ex publico sint constituta; non verò iudicibus, aliisque officiariis, qui reipublicæ bono laborant, quippe etiā militare passim in iure non incongruè prædicantur. Quonam autem modo salarium iudicibus, aliisque constituendum sit, augendum, minuendumuè, aptè docent *Menoch. & Mastrill. locis sępè citatis*, aliique apud ipsos, & iterum *Menoch. lib. 2. de arbitr. iudicū cent. 3. casu* 223. qui *eod. lib. cent. 4. casu* 341. eruditè tradit, quænam sit corrupti iudicis pęna, quidque olim ab antiquis ea in re fuerit obseruatum.

Vltimo loco inquiri poterat, an cōueniens sit, hosce iudices salariatos esse perpetuos, an temporales: sed de hoc alibi commodiùs. interim lege *D. Cutell. in ep. ad Regr.* quam trāscriptā reperies in eius *Cod. leg. Sicul. ad ll. Federici c.* 108. *not.* 97. *à fol.* 254. vbi rē hanc accuratè, vt assolet, pertractat.

CONSILIVM XXVII.

Venditionem sęcularium officiorum irritam esse.

Ad Cap. 357. Alphonsi, cap. 109. Ferdinandi, & cap. 56. Caroli V.

Ardua quæstio hæc est, ac perobscura: cuius quidem resolutionem à me petiit regiis quidam superioris ordinis administer, vt inde quid in facti contingentia, vt vocant, fieri deberet, agnosceret. Ego verò, ut viro de me optimè merito morem gererem, duas posui assertiones; primam hic ostendam; secundā sequenti consilio ostensurus.

§. I.

Prima, ac secunda ratio assertionis.

SVMMAE.

1 *Iure Siculo prohibita est venditio officiorum.*

2 *Officiorum vēditio irrita, probatur prima ratione.*

3 *Quot, & quæ in officiis considerari possunt.*

Merx, pretium, mutuusque contrahentium consensus in omni venditione requiritur.

Venditio sine re, quæ veneat, intelligi non potest.

4 *Stipendium laboranti debitum, eidem vendi non potest.*

Eum sequi debent rei commoda, quē incommoda comitantur.

5 *Honor prēmium est virtutis, ac proinde vendi non potest.*

6 *Magistratibus salaria pinguia cōstituēda, & quare.*

7 *Hodie in officiorū vēditione nihil aliud, nisi stipendium venditur.*

8 *Probatur assertio secunda ratione.*

9 *Cur quæ spiritualibus annectuntur vēdi non possunt.*

Si

1 SI ius municipale Siculum spectemus, officiorum venditio prohibita reperitur hisce *Capp.* quæ modo recensuimus, ac præterea *pragm.* 1. *& 2. tit. de ambitu lib.* 1. de quo vide *Mastrill. lib.* 1. *de magistr. ca.* 20. *n.* 12. quibus tamen locis nihil expressim statuitur de valore eiuscemodi venditionum; de quo quidem hic quærimus.

2 Aio igitur venditionem secularium officiorum videri irritam, nulliusque momenti. Hanc sanè assertionem apertè neminē docere reperi, si excipias *Adrianum in 4. cum de restitut.* etsi ex aliorum quorumdam doctrina colligi queat, vt infrà animaduertere licebit. quin plurimi, ac ferè omnes, tum Theologi, tum iureconsulti, contrariam profitenrur, quos inter est *Lessius lib.* 2. *de iust. & iur. cap.* 32. *dub.* 4. *Valent. in* 2. 2. *S. Tho. disp.* 5. *q.* 7. *punt.* 2. §. 5 *vers. secundo dico, Sot. Salon, Bañez,* aliique, quos infrà laudabimus. Hæc verò communis sententia mihi semper valdè dubia visa est. vna autē, eademque opera, & eam refellam, & quam modò posui ostendam. loquimur verò semper de ijs officijs, quæ ad bonum reipublicæ regimen, iustitiæque administrationē maximè spectant.

3 Probatur ergo primùm nostra assertio, quia in officio quolibet seculari quinque à Doctoribus considerantur, & præsertim à *Lessio* nuper laudato: primū quidem est certarum functionū obligatio, quæ propriè ab ijs officium appellatur, estque cæterorum veluti fundamentum. secundum est iustum stipendium, siue ius ad tale stipendiū percipiendum, quod officium illud obeunti debetur, proindeque ex officio dicitur enasci. tertium est dignitas quædam, & eminentia, ob quam, qui illud obit officium, in republica honoratur. quartum occasio lucrandi. quintum excessus stipendij suprà id, quod debetur. Item ibi solū emptionem, & venditionem agnoscunt Doctores omnes, vbi merx, pretium, mutuusque consensus reperitur: idq; apertè colligunt ex *l.* 1. *alijsque ff. de contrab. empt.* vbi rectè Pomponius relatus in *l. nec emptio*, neque emptionem, neque venditionem sine re, quæ veneat, intelligi posse asseuerat.

4 Videndum igitur est quidnam ex ijs, quæ modo enumerauimus, in officio mercis rationem habere queat: nam pretium, mutuumque contrahentium consensum in officiorum vēditionibus reperiri, nemo iure inficiari potest. Et quidem primum, & secundum, puta obligationem certarū functionum abeundarum, quodque illi annectitur, debeturque iustum stipendium, mercis rationē habere nullo modo posse, plusquam certissimum esse debet: etenim merx est res vendibilis, seu, quod idem est, quæ vendi possit: atqui nemo ei onus vendere potest, cui illud subeundum est: quod enim venditur luctum est, non onus; hoc enim quisque non emere, sed excutere, & abijcere exoptat. itemque nemo onus subeunti vendere potest stipendium, quod ei oneri annectitur: hoc enim iustitię lege eidem debetur: est enim secundùm naturam, vt cuiusque rei commoda eum sequantur, quem incommoda comitantur *l. secūdùm naturam ff. de reg. iur. cap. qui sentit eod. tit. in 6. cum vulg.* atq; vtrumq; innumeris fermè exemplis firmari nō incongruè potest; puta in cuiuscumq; generis operarijs, quibus nemo propriùs laborandi obligationem, aut iustumuè stipendium, illis laborantibus debitum, vendere potest.

5 Sed maior est difficultas de alijs, quæ hæc veluti consequuntur, puta eminentia, ac dignitas; occasio lucrandi, ac stipendij excessus: quæ sanè tria à *Lessio* vendi posse dicuntur. Mihi tamen contrarium probabilius est: tum quia ea omnia ipsi oneri non minus, ac stipendium annectuntur, suntq; ei debita, qui onus subit: quare eadem prorsus ratio in stipendio, atq;

atque in his omnibus perspicitur: tum quia eorum vnumquodq; peculiares obtinet rationes, quibus inuendibile demonstratur. Et quidem eminentia, ac dignitas, si generatim loquamur, res est, quæ vendi non potest, præsertim si sola, ac sine alterius consortio perpendatur: sicuti neque honor vendi potest, cum sit præmium virtutis, vt scribit *Arist. lib. 4. eth. cap. 3. & iterũ lib. 8. cap. 14.* alibique sæpè, quem *S. Tho. 2. 2 q. 63. art. 3.* alijque innumeri sequuntur. proindè qui officiũ emũt, nequaquam eam dignitatem emere censentur, sed lucrum, quod ex officio nanciscuntur; cui quidẽ dignitas, vt quid consequens, annectitur, ac debetur.

6 Deinde occasio lucrandi neque vendi posse videtur, non solùm quia, vti monuimus, ea officij onera obeunti debetur: verum etiam, quia iudicibus, ac magistratibus salaria, seu stipendia constitui debent, quibus nẽdũ sustententur, dum officio inseruiunt, sed etiam, vt indè aliquid in arca reponant, quò vel sibimet ipsis senibus, vel suæ posteritati consulant: id quod apprimè ostendunt Iustiniani verba, quæ *l. per hanc §. sexcenti C. de aduo. diuers. offic.* referuntur, vbi: *sexcenti autem aurei*, inquit Imperator, *quibus pro tempore fisci patronis fori tuæ celsitudinis, ad exemplum priorum temporum, ex arcâ tui iudicij consulatur, ne post decursum celerem aduocationis, & labores gloriosos, egeni exeant.* quod igitur præter iustum stipendium licitè officiarij lucrantur, ijsdem eo nomine debetur, quò scilicet inde senectuti, ac posteris benè consulant.

7 Quæ sanè eadem ratio illud quoque, ni fallor, ostendit, puta neque stipendij excessum iure venundari: siquidem & ille etiam posteritati, ac senectuti consulendæ debetur. Præterquamquod, quo tempore officium vẽditur, non lucrandi occasio, non stipendij excessus, non dignitas ipsa, atque eminentia, sed ipsummet stipendium dumtaxat perpenditur, eiusque solũ ratio habetur, cæteris vel parum omnino perpensis, vel penitus prætermissis.

8 Probatur secundò assertio nostra auctoritate Paschalis Papæ relati in *cap. si quis obiecerit 1. qu. 3.* vbi: *si quis*, inquit Pontifex, *obiecerit non consecrationes emi, sed res ipsas, quæ ex consecratione proueniunt, penitus desipere probatur: nam cum corporalis Ecclesia, aut Episcopus, aut Abbas*, (puta Episcopi, Abbatisuè dignitas, vt Glossa interpretatur) *aut tale aliquid sine rebus corporalibus in nullo proficiat, sicut nec anima sine corpore corporaliter viuit; quisquis horum alterum vendit, sine quo nec alterum prouenit, neutrum inuenditum derelinquit.* Ex cuius sanè scita Pontificis ratiocinatione in re, qua de agimus, validissimè ità argumentor. Si quis dicat, cum venit officium, non stipendium illud obeunti debitum, neque obligationem ad certa munia venundari; sed dignitatem illam, lucrandi occasionem, stipẽdijq; excessum; is planè decipitur: etenim hæc tria absque duobus primis nihil, vel omninò parum conducunt, neque absque illis intelligi queunt: quisquis igitur tria hæc, eorumuè aliquod vẽdit, & illa duo vendat, necesse est, ob necessariam quam obtinent cõnexionem.

9 Cuius sanè rei, aliarumque similiũ vlterior ratio mihi esse videtur, quia quotiescumque vnum quodpiam ità alteri connectitur, seu in illo fundatur, vt perfectè, completèque concipi, æstimarique nequeat, si ab eo, cui annectitur, abstrahatur; tunc sanè, si illud est inuendibile, neque hoc vẽdi iure poterit: siquidem hoc idem absque ordine, seu ratione ad illud, non est, nec valet, neque intelligitur, aut æstimatur. Atqui tria illa posteriora, si absque ordine ad duo priora, quibus annectuntur, perpendantur, nihil omnino sunt, neque intelligi, æstimarique possunt, vt quisque, si

rem

rem consideret, deprehendet. Quo sanè modo plures ostendunt, ea, quæ rebus spiritualibus annectuntur, vendi non posse, quòd scilicet eæ, sinè quibus intelligi nequeunt, venundari minimè possunt. vide *Valent. in 2.2. S.Tho.disp.5.qu.16.punt.2 & Less.lib. 2.cap.35.dub.2.à nu. 18.vsque ad 21.* quæ verò huic rationi aduersari videtur, inferius dissoluentur.

§. II.

Tertia, ac quarta ratio assertionis.

SVMMARIVM.

10 *Tertia ratio assertionis proponitur.*

Venditio officiorum est contrà bonos mores: & n. 11.

12 *Qui sint boni mores.*

Ratio est proprium principium humanarum actionum.

Qui sint mali mores.

13 *Quarta ratio assertionis.*

In officiorum collatione personarum acceptio accidere potest.

Officia sunt bona communia.

14 *Magistratus honores censentur.*

10 Tertiò nostram assertionem nõ incongruè quispiam ostẽderet, si diceret, officiorum vẽditionem contrà bonos mores censeri, proindeque nullius penitus mométi existimandam, vt in re simili ostendimus *cons.10.à nu.16.* omnesq; profus Doctores animaduertunt, esse verò cõtrà bonos mores illam venditionem, videtur manifestum: etenim cur ius omne irrita reddit pacta futurarũ successionum, hæreditatis nondum delatæ venditionem, aliaque huiusce modi? certè quia inde ansa præbetur captandæ alterius necis, vti latissimè *cons.10.cit.* ipsi exposuimus: quarè ergo non item contrà bonos mores cẽsebuntur officiorum venditiones, quæ plurima pariunt incommoda, reipublicæ malo, vt omnes admonent, nosque inferiùs explicabimus? quæ sanè incommoda eò maiorem vim obtinere oportet, quàm votum captandæ alterius mortis, quò istud priuatorum dumtaxat commodo; ea verò bono publico aduersantur.

11 Neque hic omittendũ putauerim, plurimùm bonis moribus obesse, si id, quod ad vnum certum, determinatũque finem ordinatum est, ad alium dirigatur: ex hac enim inordinata rerum directione peccata omnia ortum ducunt: atqui officia bono publico sunt adinuenta, neque verò cuicumque, sed huic solum determinato, puta subditorum regimini, & gubernationi: male igitur, aduersusque bonos mores ad alium vsum, finemuè ordinantur; puta, vt ex eorum pretio alijs publicis (& vtinam publicis, non verò priuatis) necessitatibus occurratur: cum præsertim, diuenditis officijs, minimùm recto populorum regimini cõsulatur, vt inferiùs ostendemus.

12 Id quod vlteriùs exponitur, ac roboratur: nam bonos mores omnes censent, appellantque eos, qui rationi congruunt, post *S.Tho.1.2.qu.100. art.1.in corp. cum enim humani mores,* inquit Sanctus Doctor, *dicantur in ordine ad rationem, quæ est proprium principium humanorum actuum, illi mores dicuntur boni, qui rationi congruunt: mali autem, qui à ratione discordant:* quam verò rationi dissentaneum sit, posthabito recto populorũ regimine (quod est vltimus finis in ciuili dominatu, & ad quod omnia dirigi omnino debent) alijs, etiam reip. necessitatibus, prouidere, nemo, si modò sanæ sit mentis, non intelligit; ideo enim indigẽti reipublicæ succurrendum est, quò scilicet indè bonum illius regimen habeatur: ordo igitur inuertitur, si finis medijs inseruiat. huiusmodi sanè inordinationes peccata ab omnibus censentur: quod si hæ hominibus indulgerentur, nullum penitus delictum agnosceretur. Neque

que hoc loci neges; officiorum venditiones recto subditorũ regimini plurimùm obesse; id enim mox ostendetur copiosè, ità vt nullus omnino dubitadi locus relinquatur.

13 Insuper, & quartò nostra assertio hunc fermè in modum probari potest; In conferẽdis officijs secularibus personarum acceptio accidere potest, vt omnes Theologi monent in 2.2. *S. Tho. qu.* 63. sunt enim hæc bona communia, inquit *Lessius lib.* 2. *c.* 32. *dub.* 2. *nu.* 7. à republica instituta ad ipsius commodum, quorum distributio ad Principem spectat. vndè infert, teneri eum iure naturæ, ea maximè idoneis, & reipublicæ vtilibus cõferre. id quod vlterius ostendit *dub. seq* vbi post *Sot. Salon.* aliosque, probat, officia esse aptioribus conferenda; quibus irrogari iniuriam affirmat, si eis minus digni præferantur; cum maius ius is obtineat, qui aptior reperitur.

14 Vel ergo ille, cui officium venditur, cæteris est dignior; vel alijs minus dignus existimatur: si quidem dignior est; ei proculdubio officium debetur; id enim exigit, nedum reipublicæ bonum, verum etiam & illius merita, qui aptior est, quatenus officia sunt etiam veluti secundariò, præmia meritorum: cum honores quoque esse magistratus doceat *Aristoteles* 3. *de rep. cap.* 10. ac proindè officium illi venundari non debet, sed omnino gratis concedi quod si is minus dignus reperiatur, ei nullatenus officium vẽdi debet, alioqui nullo prorsus modo personarum acceptio euitari potest; non enim ei officium conferretur ob aliquam causam, quæ eum dignum efficiat, sed simpliciter attribuitur personæ, ad quam refertur quæcumque conditio, inquit *S. Th.* 2. 2. *q.* 63. *art.* 1. *in corp.* non faciens ad causam, propter quam sit dignus hoc dono: pretiũ verò, quod ille persoluit, eumdẽ officio dignũ efficere nequit. vide infrà à *n.* 17.

§. III.

Quinta ratio assertionis, & explicatur, an Princeps sit dominus secularium officiorum.

S V M M A E.

15 *Quinta ratio assertionis proponitur.*

Princeps supremus non est dominus secularium officiorũ.

Summus Pontifex non est dominus beneficiorum.

16 *Solutio Bannez impugnatur.*

17 *Acceptio personarum in conferendis officijs secularibus locum habet.*

18 *In propriorum honorum distributione non datur acceptio personarum.*

Apud Deum cur non sit acceptio personarum.

Acceptio personarum vitium est contra iustitiam.

19 *Non contra misericordiam, vel liberalitatem.*

20 *Sancti Thomæ doctrina hac in re.*

21 *Quot, & quænam vitiis acceptionis personarum requirantur.*

Distributrix iustitia, distributiua communium appellatur.

22 *Acceptio personarum solum est contra iustitiam distributiuam.*

23 *Duplex bonorum genus, quæ distribui possunt.*

24 *Quonam modo in communium bonorũ distributione contra iustitiam commutatiuam peccetur.*

Aequalitas arithmetica ad commutatiuam; geometrica ad distributiuam spectat.

25 *Quædam* Greg. Valen. *doctrina.*

26 *Improbatur.*

27 *Princeps non dominatiuum, sed solum gubernatiuum dominium officiorum habet.*

15 ALia non inepta illius assertionis ratio, estque quinta, inniti potest doctrinæ *Adriani in* 4. *cum de restitutione* agit; quam tamen

mē plures refellunt. docet sanè *Adrianus*, Reges, aliosque supremos Principes nullo penitus modo censeri dominos secularium officiorum: sed meros eorumdem administratores existimari. id quod primùm ostenditur exēplo Pontificis Summi, qui à nemine beneficiorum dominus agnoscitur, sed dumtaxat administrator.

16 Quam sanè rationem diluit *Bannez q.63. cit. art. 2. dub. 6. vers. ad secundū*, aiens, diuersam perspici in hisce casibus rationem; non enim decebat, vt Christus Dominus Pontifici Maximo beneficiorum dominium conferret: quia tunc, inquit, tamquam dominus illorum distribueret indignis, aut minus dignis. Sed hæc laudati doctoris euasio mihi quidem omnino displicet: siquidem eadem prorsus ratio in vtroque casu perspicitur, quis enim negct, posse Principē, si dominus foret eiuscemodi officiorum, illa in quoscumque indignos, vel certè minus dignos distribuere? id, quod in Pontifice *Bannez*, cæterique incongruum putāt. Insuper, quod ferè in idem recidit, negant Papæ beneficiorum dominiū plures docti viri, quos sequutus est *Salon. d. q. 63. art. 2. controu. 3. tit. An habent in aliquo casu eligere dignum, vbi tertia est ratio efficatissima, quia, cum dominus, inquit hic auctor, possit pro libito re sua vti, ab omni vsu, si Papa possit dominium, posset vsurpare sibi omnia ecclesiæ beneficia, & in proprios vsus illa conuertere, quod nullus audebit asserere*. Atqui idem prorsus incōueniens sequeretur, vt patet, si Princeps officiorum dominus censeretur.

17 Deinde probatur nostræ sententiæ validissimo, vt fallor, argumento; quod ipsi ipsi a tenus recognitus, eoque huiusmodi contingere posset in conferendis secularibus officijs acceptio personarum, vt docent Theologi ferme omnes in 2. 2. D. Thom. q. 63. vt nos supra num. 3. monuimus; qui de re consulendi præcipuè sunt, *Valent. Less. Sot.* alijque laudati; apud quos huiusce doctrinæ firmissimas rationes reperies, quam sanè hoc loci vti certissimam suppono.

18 Atqui, si Princeps, superiorem neminem agnoscens, dominus esset secularium officiorum, ea communis doctrina falsissima foret: quandoquidem in bonis proprijs, seu quorum quispiam dominium habet, minimè locum obtinet acceptio personarum: hinc enim probant sacri Doctores, ac Theologi omnes, illud fidei dogma, in sacris literis pluries repetitum, *ad Rom. 2. ad Galat. 2. 1. Petr. 1. Act. 10.* alibique, videlicet, non esse apud Deum personarum acceptionē: puta, non solùm quia Deus in præmiorum retributione hominum merita considerat, & pro meritorum diuersitate vitæ æternæ mansiones assignat, vt rectè docuit *Bellarm. tom. 3. controu. lib. 4. de iustificatione cap. 3. in fine*; verum etiam, quia, etsi dona sua neque omnibus, neque æqualiter inter homines distribuat; tamen, cum ea sint gratiæ dona, in ijs locum habere non potest personarum acceptio, quæ vitium est contrà iustitiam, vt optimè quoque monuit *Bellarm. loc. cit. lib. 2. de Gratia cap. 3. vers. sextum sumunt*: vbi ità subdit.

19 *In ijs rebus, quæ quoquo modo iustitiam sapiunt, Deus æquus est omnibus, neque personas accipit; sed vnicuique reddit secundùm opera sua; at in donis gratiæ nemini facit iniuriam, si vni dat, quod alteri negat. Immo in ipso iudicio, quamuis acceptio personarum esset alicui minus præmium dare, quam iusto iudicio mereatur, vel maiori supplicio afficere, quam dignus sit: verum tamen si alicui maius præmium, aut minorem pœnam dare voluerit, non erit acceptor personarum, etiamsi id non cum omnibus seruet: quoniam hoc non est iustitiæ, sed liberalitatis, iuxta illud Matth. 20. Amice non facio tibi iniuriam*: & cætera, quæ sequuntur. Quod idem alijs verbis idem auctor explicuit *lib. 4. de iustificat. cap. 13.* in secundæ obiectionis

nis solutione: *sæpè*, inquit, *iam diximus cum S. Aug. lib. 2. contrà duas epistolas Pelagianorum cap. 7. acceptionē personarum vitium esse contrarium iustitiæ, non misericordiæ, vel liberalitati; proinde in iudice locum habere, non in eo, qui sua liberaliter donat. Deus igitur in iudicio non accipiet personas, sed vnicuique reddet secundùm opera sua. at bona nascuntur ex gratia, & iustificatione, ac regeneratione præcedente: quam gratiam Deus, non vt Iudex reddit, sed vt Princeps liberalis donat.* Eadem repetunt alij passim, ac præsertim *Lessius lib. 2. cap. 22. dub. 1. num. 3.* vbi ait, Deum minimè dici posse acceptorem personarum: eò quia acceptio personarum locum non habet, dum quis bona sua propria, ad quæ illi, quibus fit distributio, nullū ius habent, distribuit.

20 Sed præsertim vide *S. Th. 2. 2. qu. 63. art. 1. ad 3.* vbi doctè hac in re ita distinguit. *Duplex est datio; vna quidē pertinens ad iustitiam, qua scilicet aliquis dat alicui, quod ei debetur. & circa tales dationes attenditur personarū acceptio. Alia est datio ad liberalitatem pertinens, qua scilicet gratis datur alicui, quod ei non debetur. & talis est collatio munerum gratiæ, per quæ peccatores assumuntur a Deo. & in hac donatione non habet locum personarum acceptio: quia quilibet absque iniustitia potest de suo dare quantum vult, & cui vult, secundùm illud Matth. 20. an non licet mihi, quod volo facere? tolle quod tuum est, & vade.* Nisi ergo communia sint bona, quæ distribui oportet, quorum datio, vt *S. Tho.* loquitur, ad iustitiā spectet, personarum acceptio attendi non potest. atqui si Princeps summus dominus est secularium officiorum, ea sanè distribuere poterit, prout ipsi libuerit; quia quilibet absque iniustitia de suo dare potest, quantum vult, & cui vult; neque quidquam ei obijci iure poterit; respondebit enim, an nō licet mihi, quod volo, facere? At id falsissimum est, vt omnes edocent, ergo & id, vnde sequitur.

21 Vlterius roboratur, atque exponitur id, quod asseruimus; quia, vt est communis omnium sententia, duo ad vitium acceptionis personarum omninò requiruntur; alterum sanè, vt bona, quæ distribui debent, sint cōmunia; vnde rectè à *S. Thoma 2. 2. qu. 61. art. 1. in corp.* distributrix iustitia, distributiua communium appellatur. alterum verò, vt in ijs distribuendis aliqua personæ conditio attendatur, quæ nihil penitus ad distributionem faciat, siue conducat, ob quam indignior digniori præferatur. Certum autem esse debet, quod si Princeps haberet eorum officiorum dominiū, ea propria ipsius, non verò communia forent; proindèque attendere absque iniustitia posset quamcumque personæ conditionem, absque vitio acceptionis personarum.

22 Quod si dicas, teneri Principem digniores officijs præficere; non quia hæc bona sint communia; sed quia ad id sese obstringit, cum suscipit Principatum, puta reipublicæ se ministros idoneos curaturum, vt *Valent. & Lessius locis citatis*, animaduertunt: si, inquam, id dicas, aio, id quidem verissimum esse; sed addo, id ipsum ad commutatiuam iustitiam pertinere, non verò ad distributiuam: at verò hoc non erit peccatum acceptionis personarum, quod solùm ex iustitiæ distributiuæ læsione promanat.

23 Sed vt intelligatur, id non esse peculiare in re, qua de agimus, animaduertendum est, duplex esse bonorum genus, quæ distribui possunt: alterū eorum, quæ primò, ac principaliter, & directè instituta sunt, vt distribuantur ob bonum reipublicæ, in eiusque commodum, vti sunt officia, ac beneficiá ecclesiastica, vt edocuit *S. Thomas qu. 63. cit. art. 2. in corp.* vbi laudat illud *D. Pauli 1. ad Corinth. 12. vnicuique datur manifestatiō spiritus ad vtilitatem*. eamdemque rationem in secularibus officijs omninò animaduertere

li-

licet. atque hæc quidē omnia dignioribus sunt conferenda, vt ecclesia, resque publica bonos habeat ministros, qui commune bonū conseruēt. Aliud verò bonorum genus, quæ distribui possunt, eorum est, quæ primo, principaliter, & directè in illorum commodum, & vtilitatem distribuuntur, quibus dantur, vti sunt pecunia, cæteraque huiuscemodi.

24 In vtroque igitur bonorum genere, qui ea distribuit, ex cōtractu, vel quasi contractu, tacito, vel expresso, debitum contrahit commutatricis iustitiæ, quod ad ius reipublicæ refertur: quo sanè debito iuxtà leges iustitiæ distributiuæ in ordine ad commune bonum in primo rerum genere, in secundo autem ad commodum singulorum, operari tenetur: quod, nisi exequatur, contrà iustitiam commutatiuam operabitur: quo quidem capite ad restitutionem tenebitur ei faciēdā, in cuius gratiam, seu commodum primò, & principaliter ea bonorum distributio instituta fuit. Hinc autem minimè sequitur, non lædi quoque iustitiam distributiuam; nam hic nedū Arithmetica, quæ ad commutatiuam spectat; verum etiam Geometrica æqualitas non seruatur, ex qua proximè elicitur acceptio personarum; vti Theologi omnes *qu. 63. cit.* fusiùs exponunt, quos hac in re consulere omnino oportebit.

25 Verum quidem est *Valent. loc. cit. vers. secunda assertio, & seq.* tunc solū in officijs conferendis agnoscere personarum acceptionem, cum ad ea officia ij eligi debent, qui sunt partes eius communitatis, cui præficiuntur; non autem cū alienigenæ præfici possent, aut deberent: tunc enim, iuxtà ipsius sententiam, iustitia distributiua locum non obtineret, sed solùm commutatiua, cum bona illa communia inter partes communitatis distribui minimè oporteat. vndè satis tunc putat eligere dignum, non verò necessum esse eligere digniorem.

26 Sed hęc *Valentię* doctrina non omnino placet. etenim bonum reipublicæ, & leges, quæ in iure naturæ fundantur, vt inquit *Bannez q. 63. cit. ar. 2. ante finem vers. secunda cōclusio*, exigunt, vt ijs officijs meliores præficiantur: quarè proprijssimè tunc distributrix iustitia læditur: vt etiam idem *Bannez* animaduertit, qui omnino hoc in puncto consulēdus erit. neque enim hic omnia expendere vacat: expendit tamen optimè *Salon qu. 63. cit. art. 2. contro. 9.* præsertim *concl. 3.* vbi *Valentiæ* opinionem, & aliorum improbat. concludendum igitur videtur, Principem nō habere dominium eiuscemodi officiorum, quando malè ea distribuendo peccat personarum acceptione; sed hac de re plura apud laudatos sæpè Doctores consuli debent.

27 Atq; huic sanè rationi, quam hùcvsque explicuimus, præsertim innixus *Salon. q. 63. sæpius laudata, controu. 7. concl. 1.* docet, Reges, aliosque Sūmos Principes eorum officiorum minimè obtinere dominium illud, quod absolutum, & *dominatiuum* appellatur, eisque tribuunt plures; sed solū *gubernatiuum*, quod tamen ipsam rempublicam habuisse, illudque dumtaxat in Principem transtulisse, ibidem ostendit. apud quem cōsule alias huiusce doctrinæ rationes. Hoc autem dominium gubernatiuum obtinent quoque Principes in sibi subiectos, cæterique Prælati in suos subditos, ac in filios parentes, quos tamen proindè vendere minimè possunt. vide eundem *Salon. loc. cit. q. 1. art. 1. conclus. 2.* Eodem igitur modo neque officia Principes diuendere queunt. sed hac quidem ratione, ex *Adriani* doctrina desumpta, quisque eo modo vtatur, quo viderit rei propositæ expedire: quædam enim dubia inuoluit, quæ trutinare non vacat.

§. IV.

Sexta, ac vltima ratio assertionis.

SVMMARIVM.

28 *Ante Iustiniani tẽpora honores venales habebantur: id quod ipse improbauit.*
Suffragium sæpè in iure pecunia est.
29 *Obiectio.*
30 *Diluitur*, & nn. seqq.
Bullæ Pontificiæ, quibus antiqua iura innouantur contrà ambientes dignitates, & officia iurisdictionum.
31 *Bullæ Pij V. fragmenta quædam*, & nu. 32.
33 *Corollaria ex bulla Pontificis.*
34 *Alterius bullæ eiusdem Pontificis fragmentum.*
35 *Bulla Sixti Quinti.*

28 DEmum illa assertio, quam posuimus, probatur, quia, etsi ante *Iustiniani* tempora honores, atque officia venalia haberentur, dareturque pro eorum adeptione pecunia; ipse tamen Imperator sanctissimè hanc officiorum nundinationem penitus improbauit in *Auth. vt iudices sine quoquo suffragio fiant*, secutus Nouellam Theodosij, quæ refertur *l. fin. C. ad l. Iul. repetund.* sanciuit itaque, vt omnes magistratus sine pecuniæ datione (quod enim in *Auth. cit.* insulsissimè, vt ait *Pandulphus Praeteius in suo lexic. verb. suffragium*, in vulgata versum est è Græco Iustiniani Codice, *vt Iudices sine quoquo suffragio fiant*, à *Gregorio Haloandro*, homine doctissimo, & de republica optimè semper merito, sic restitutum est, *vt Præsides absque vlla datione pecuniæ ad officia mittantur*: & *Iulianus antecessor*, quem fidum Nouellarũ interpretẽ *Prateius* vocat in *verb. antecessores*, ità vertit, *vt Magistratus sine pecunia fiant*. Fateor tamen cum doctissimo *Cuiacio in Auth. cit.* suffragium persæpè in iure pecuniam esse, vti accipi videtur in *l. laudabile*, ibi, *sine quadam suffragij solutione C. de aduoc. diuers. iud. l. Baphij C. de Murilegulis lib. 11.* alibique; nec mirum videri debet; quando sæpissimè caussam sumimus pro effectu, & cõtrà. de suffragio cõsule *Alciat. lib. 1. Paradox. cap. 14.* vbi exponit *l. vn. C. de suffragio.*) sanciuit, inquam, Imperator, vt magistratus omnes absque pecuniæ datione crearentur, improbauitque omnino, irritasque penitus reddidit huiuscemodi magistratuum venditiones, ac nundinationes. indè quoque *Tiberius Augustus* generatim quoque vetuit, suffragij nomine quidquam, vel suffragatoribus dari, vel publicis rationibus inferri, vt *Cuiacius* etiã monet: id verò præstitit *Tiberius in Nouella 161.* cuius inscriptio est, *de Prouinciarum Præsidibus.*

29 Sed inquies, iam hæc iura antiquata sunt, atq; in desuetudinem abière: nec, si vigerent, ijs summi Principes obstringerentur: quarè nihil prorsus indè validum infertur.

30 Nihilominus aio, ea iura ad pristinũ vigorem à Sanctissimo Põtifice *Pio V.* fuisse innouata in Bulla, quæ incipit, *Etsi Romani Põtificis*, cuius inscriptio est: *in ambientes dignitates, & officia iurisdictionum pretio*; atque in alia, cuius titulus est, *extenditur constitutio etiam ad recipiẽtes pecunias, & mediatores*, quæ incipit, *Cum nuper nè ordo*. Atque in prima quidem, post breuem præfatiunculam:

31 *Sanè*, inquit, *licet aliàs, nè ordo iustitiæ peruerteretur, & ex certis alijs tunc ibi expressis caussis, per ciuiles cõstitutiones salubriter fuerit statutum, vt Iudices, & alij iustitiæ administratores, sine quoquo suffragio fieri debeant, grauissimis etiam inuectis pœnis, qui præmissã constitutionem transgredi ausi quoquo modo fuissent: accepimus tamen nuper, non sine animi nostri displicentia, nonnullos pro consequendis officijs, & dignitatibus, iurisdictionis exercitium habentibus, pecunias, & alias res soluere*. & infrà. *Cupientes igitur præmissis mo-*

modum aliquem imponere, ac eos, quos ciuilium pœnarum timor à similibus nõ coercet, per canonicas sanctiones auctoritate Apostolica omnino deterrere; & auaritiæ huiusmodi genus, iuri, & iustitiæ huiusmodi tam obnoxium, de medio tollere; constitutionis ciuilis, ac pœnarũ per illas statutarum tenorem, & formã præsentibus pro expressis habentes; motu simili, &c. & ex certa nostra scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, omnes, & singulas leges, constitutiones, statuta, & decreta contra delinquentes huiusmodi tam à iure ciuili, quam à sacris canonibus facta, ac in illis contenta, punitiones, ac pœnas quascumque in tales inflictas, harũ serie innouamus, easque idem robur, eamdemque vim obtinere volumus, atque statuimus, quod, & quam habuissent, & haberent, si hactenus ad vnguem obseruatæ fuissent, vel à nobis per præsentes emanarent.

32 *Insuper quoque* prosequitur Põtifex, *vt earum vsus pœnarum multiplicatione stabilior efficiatur, hac nostra perpetuò valitura constitutione, quamque vim legis etiam inuiolabilis habere sancimus, legibus, constitutionibus, statutis, & decretis prædictis præiudicium non inferendo, quin immo illis addendo, decernimus, & ordinamus, quod de cætero perpetuis futuris temporibus nemini cuiuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis, & conditionis fuerit, liceat, mediãte pecunia, vel solutione & traditione, ac promissione aliarum rerum, etiam per interpositas personas, aut alias quouis modo faciendas, aliquas dignitates, & officia, exercitium, & administrationem iurisdictionis habentia, procurare, assequi, vel obtinere; ac si quis his præsentibus contrauenisse quoquo modo dici, aut censeri poterit, ipsum contrauenientem eo ipso confiscationis omnium bonorum, degradationis, & amissionis tam priuilegij doctoratus, quam quorumcumque per eum obtentorum officiorum, tam secularium, quam ecclesiasticorum, ac demum vltimi supplicij pœnas irremissibiliter incurrere volumus. Et infrà. Decernentes contra præmissa quoduis pactũ, etiam iuramento vallatum, ac instrumenta, & alias forsan desuper editas scripturas, minimè in caussa esse posse, quo minus soluere habentes; si pro præmissis soluerint, pœnas præsentibus contẽtas incurrant: nos enim pacta, conuentiones, promissiones, & scripta, ac alia quęcumque quomodolibet, vt præfertur, inita, exindè cassamus, irritamus, & annullamus, eosque à iuramentis, & alijs nexibus prædictis absoluimus, &c.*

33 Ex qua quidem Pontificis constitutione hæc, quæ subijcio, apertè colliguntur. Primum sanè, iustitiæ ordinẽ peruerti hisce officiorum nundinationibus: quod ipsi antea probauimus. Alterum loqui expressè Pontificem de Nouella Iustiniani, *vt iudices sine quoquo suffragio fiant*, quam sæpissimè laudauimus, quamque salubriter statutam fuisse autumat, vocatque officiorum emptiones, ac venditiones, *auaritiæ genus, iuri, & iustitiæ obnoxium*. Tertium, hanc Iustiniani constitutionem, cæterasque eiuscemodi, summũ Pontificem innouare, eisdemque idẽ robur, eamdemque vim tribuere, ac si nunquam penitus læsæ, verum sẽper fuissent custoditæ; & ac si ab ipsomet Pontifice tũc primùm emanassẽt. Quartum ciuilibus pęnis alias à Pontifice annecti, vltimi quoq; supplicij, quæ grauissima est. Quintum, Pontificiam hanc constitutionem vim legis obtinere, ligareq; omnes prorsus personas, cuiuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis, & conditionis existãt. Demum irrita reddere Pium quæcũque pacta, etiam iuramentis obfirmata.

34 In alia verò bulla, quæ incipit, *Cum nuper*, idem sanctissimus Pontifex breuiter aliam referens, cuius fragmenta modò recensuimus, hæc planè subdit: *Attendentes, quod fortè probabiliter dubitari contingeret, an dicta nostra constitutio comprehendat recipiẽtes huiusmodi pecunias, ac res, ac promissiones sibi factas stipulantes, vt officia prædicta*

exer-

exercitij, ac iurisdictionis administrationem habentia, conferri faciant, ac mediatores, & interpositas personas: propterea nos motu simili, & ex certà scientia, & de potestatis plenitudine, hac nostra perpetuò valitura constitutione declaramus, & quatenus opus sit, addendo prædictæ nostræ constitutioni, decernimus, quod dicta nostra constitutio, ac omnes, & singulæ pœnæ, in ea expressæ, perindè ligent, & afficiant omnes, & quoscumque cuiusuis dignitatis, gradus, conditionis, ac præeminentiæ existant, qui pro huiusmodi officijs, iurisdictionis administrationem habentibus, conferendis, ac mediatores, & interpositas personas, quascumque pecunias, vel alias res, vt suprà receperint, ac si prædicti in dicta nostra constitutione comprehensi essent, & de illis in ea expressa mentio facta esset &c. vbi animaduertendum est, Pium Papam, nedum ad mediatores, & interpositas personas, verum quoque ad collatores ipsos officiorum, ac dignitatum, extendere constitutionem suam; quacumque tandem ij dignitate, ac gradu præfulgeant.

35 Atque hæc quidem deindè specialiter *Sixtus V.* Pontifex Maximus, etsi cum moderatione quapiam, contrà ambientes officia pretio in his, quæ ad iudiciarij fori administrationem pertinent, pro ecclesiastico statu sanciuit, vt constat ex eiusdem Bulla, quæ incipit, *Etsi nos diuina*. Quibus sanè cõstat, quam sint rationi dissentaneę, ac nullius quoque momenti eiusmodi officiorum nundinationes, quæ, Pontificio iure aduersante, efficiuntur.

§. V.

Obiectio contrà vltimam rationem, soluitur, & explicatur, quam potestatem tẽporalem Summus Pontifex obtineat.

S. K. M. M. AE.

36 *Proponitur obiectio, & latè diluitur n. & seqq.*

37 *Quorundam opinio, aientium Summum Pontificem in totum orbẽ plenissimam, etiam in politicis, habere potestatem temporalem.*

Aliorum extrema opinio, aientium, nullam penitus obtinere.

38 *Hæc secunda est falsissima.*

Prsma explicanda est, vt non sit error.

Papa non est totius mundi dominus.

Infideles sunt domini suorum regnorum.

39 *Papa neq; est dominus totius orbis Christiani:* & n. 40. & seq.

Rontificia, & regalis potestas soli, & lunæ comparatur.

41 *Christus dominus, quatenus homo mortalis, nullum habuit temporale dominium.*

Non successione.

42 *Neque electione.*

Neque iure belli.

Neque demum speciali Dei dono.

43 *Qua potestate Christus dominus vendentes è templo eiecerit.*

44 *Quo sensu eidem data potestas in cęlo, & in terra.*

Quo sensu Christus dominus Petro terreni, & cęlestis regni iura commiserit.

Papa duos gladios habet. & n. 52.

45 *Communis Theologorum sententia circa temporalem Pontificis potestatem.*

46 *Explicatur aptissimo exemplo à Nazianzeno desumpto.*

47 *Quænam leges Imperatoriæ, an Pontificiæ, eadem in re aduersantes, sibi inuicem seruanda sint.*

Facultates ita sibi subordinãtur, vti earum fines subordinantur.

48 *Quæ pastori necessaria sint, vt gregem pa-*

pascat.

49 *Pontifices veteris testamenti in Reges animaduertentes.*

De eadem re B. Ambrosij *exemplum.*

50 *Leo III. imperium à Græcis ad Germanos transtulit, & quarè.*

Greg. V. *Imperatoris electores constituit.*

51 *Plures Imperatores à Pontificibus depositi.*

52 *Qua ratione Summus Pontifex vtrumque gladium habere dicatur.*

Terrena potestas, si deuiat, à spirituali iudicatur.

53 *Auaritia mater est omnium malorum.*

Maximè quando iudicum inhæret animabus.

Est idolorum seruitus.

Et à fide aberrare facit.

54 *Quorumdam euasio euertitur.*

Princeps Pontificijs legibus derogare nõ potest.

36 SEd dices, eas Pij constitutiones, etsi iustissimæ forent, ligare tamen minimè posse Principes, qui neminem in temporalibus superiorem agnoscunt; neque enim Pontifex Summus in eos obtinet iurisdictionem vllam, quoad ea, quę ad temporale regimen spectat. Hæc sanè fuit dilutio cuiuspiam docti viri; etsi reuera falsissimo fundamento innitatur: id quod, vt clarè ostendamus, cogimur hoc loci explicare, etsi nonnihil extrà ordinem, quam habeat Pontifex temporalem potestatem, breuissimè tamẽ, quoad fieri potest. de qua re latissimè *Bellarminus tom. 1. controu. lib. 5. de Romano Pontifice*, alijque quos laudat *Diana tract. 2. de immun. eccles. resol. 121. p. 1.*

37 Sunt igitur, qui censent, Summum Pontificem diuino iure plenissimam habere potestatem in vniuersum terrarum orbem, nedum in rebus ecclesiasticis, verum etiã politicis. pro hac sententia *Bellarminus cap. 1.* citat *Augustinum Triumphum in sum. de potest. Eccl. q. 1. art. 1. Aluarum Pelagiũ lib. 1. de plantu Eccles. ca. 13. Hostien. in cap. quod super, de voto, Panorm. in cap. nouit, de iud. Sylu.* aliosq; Sunt verò alij, qui opinantur, Pontificem Romanum nullam habere posse temporalem potestatem: hi sunt, teste eodem *Bellarmino*, hæretici omnes huius temporis, quorum aliquos ipse recenset.

38 Sed, sicuti hæc secunda opinio falsissima est; ità primã, quam plures Catholici docent, præsertim iurisconsulti, ad cõmunem Theologorum reducendam arbitror, nè erroris arguatur, ità vt non absolutè, sed, vti nos infrà explicabimus, loquatur: optimè enim probat *Bellarminus cap 2.* Papam non esse totius mundi dominum, cui Dominus *Ioa. vlt.* solùm oues suas commisit, è quorum numero infideles minimè censentur, qui foris sunt, quosque Papa iudicare non potest. *1. ad Corinth. 5.* quos tamen veros dominos esse suorum Regnorum, non diuino quidem iure, sed gentium, cui, & libero arbitrio, rationique, nõ autem gratiæ, aut fidei, dominium innititur, pluribus sacrarum literarum testimonijs cõprobatur, vti *Daniel. 2. Matth. 22. Rom. 13.* alijsque.

39 Doctè quoque idem auctor *cap. 3.* ostendit, nec esse Papam diuino iure totius orbis Christiani dominum: neq; enim id ex sacris scripturis colligi potest, quibus solùm constat, ei datas regni cęlorum claues, non item regni terrarum: neq; aliundè, puta Apostolica traditione, aut aliter elicitur: non enim Christus Dominus mortalia regna eripere venit, qui cęlestia impertitur, vt tota Ecclesia ex *Sedulio*, die sanctis Innocentibus dicata, canit: atque id ingenuè cõfessi sunt plures Ecclesiæ Romanæ Antistites, vt refert *Bellarminus*, magnum agnoscentes 54
discrimen inter Reges, ac Pontifices, & quod inter solem, & lunam animaduertimus, quibus expressim comparauit Pontificalem auctoritatem, ac Regalem potestatem *Innocent 3.* relatus in *cap. solitæ, de maiorit. & obed.*

D.

40 Demum neque habere Pontificem, vllam temporalem iurisdictionem iure diuino, & directè, probat etiam idem auctor *cap.* 4. neque enim Papa maiorem obtinet potestatem, neque aliud officium, quam Christus Dominus vt homo mortalis (quæ enim ipse vti Deus, vel vti homo immortalis, ac gloriosus habuit, habet, habebitque in perpetuum, Pontifici, vel communicari non poterant, vel non oportebat, cum ecclesia visibilis visibili capite, moreque humano viuente indigeat: proindeque post resurrectionem suam Petrum suo loco substituit) habuerit: quin neque parem, cum plura præstare potuerit Christus, quippè Deus simul, & homo, quæ nullo modo Pontifex, quippè purus homo, exequi potest.

41 Atqui Christus Dominus, quatenus homo mortalis, humano modo inter homines viuens, nullum prorsus habuit temporale dominium, aut regnum, vllamuè politicam iurisdictionem, vt falsò plerique, præsertim hæretici, arbitrantur: neque enim illud habere potuit hæreditaria aliqua successione: tum quia, etsi descendens ex regia Dauidis familia, non tamen constat, an ei proximior fuerit; tum etiā quia regnum ab ea familia, Deo volente, ablatum fuerat, qui *Hierem.* 22. prædixerat, nullum Regem temporalem futurum ex familia Iechoniæ, ex quo Christus Dominus originem ducit, *Matth.* 1. & quamuis Dauidis sedem ei Dominus Deus tribuerit *Luc.* 1. id tamen de spirituali, æternoque regno intelligunt Patres, præsertim *S. Hieron. in Hierem.* 22. *& Ambros. in Luc. cap.* 1. *lib.* 3. nec dissentit *August. lib.* 17 *de ciuit. Dei cap.* 7.

42 Neque electione aliqua Christus Dominus Rex temporalis extitit, qui *Luc.* 12. se Iudicem ab Imperatore, aut republica electū, inficiatus est, *& Ioan.* 6. fugit ipse solus in montem, ne in Regem eligeretur.

Neq; verò illud iure belli obtinuit, quo spirituale dumtaxat regnum acquisiuit, huius mūdi Principem foras eijciens *Ioa.* 12. expolians que principatus, & potestates, in se ipso illos triumphans, *ad Colos.* 2. ac Diaboli opera dissoluens, 1. *Ioan.* 3.

Quod demum nec speciali Dei dono Rex temporalis extiterit, patet ex illo Ioa. 18. *Regnum meum non est de hoc mundo: & Regnum meum non est hinc.*

43 Certè frustrà omnino eam temporalem iurisdictionem Christus Dominus accepisset, si eam nunquam penitus vsurpauit: quod enim de templo vendentes eiecerit *Ioan.* 2. preterquā quòd id sacerdotum, non Regum proprium est, qui reges ipsos, si opus fuerit, eijcere queunt, 2. *Paralip.* 26. eiectio illa non ad Pontificiam, regiamuè potestatem pertinebat, sed ad morem quem iam propheratū, qui zelo quodam diuino quandoq; improbos quoque interfecerunt, vti *Phinees* scortatorem Israelitem, & scortum, *Numer.* 25. & Helias Prophetas Baal, 3. *Reg.* 18.

44 Datam verò Christo Domino potestatē omnē in cęlo, & in terra *Matth.* 27. benè Sancti Patres *Hieronymus, & Anselmus* non temporalem, sed spiritualem exponunt. Christus item Petro terreni simul, & celestis imperij iura commisit (ità loquitur *Nicolaus* 1. in satis celebri *epist. ad Michaelē Imperat.* vt ait *Bellarminus cap.* 5. referturque in *cap. omnes dist.* 22. vbi tamē ea *Nicolao* 2. in quadam *epist. ad Mediolan.* tribuuntur: certe ea verba in *epist. ad Michaelem* non reperiuntur. Sed fuit hoc commune olim vitium, vt decreta *Nicolai II.* tribuerētur Nicolao 1. vti accidit in Romana synodo 113. Episcoporum, quæ à secūdo coacta, primo non satis cōsideratè adscripta fuit, vt monuit *Surius*, refertur q; *tom.* 4. *Concil.* post synodum prædictā, cuius fragmentum relatum in *cap.* 5. *& cap. si quis pecunia dist.* 79. Ioannes Cochleus Nicolao eius nominis primo

imo

mo adscribit, vt videre est *tom. 3. Concil.* post responsa eiusdem Nicolai I. ad consulta Bulgarorum) non quòd terrenum regnum illi tribueret; sed illi indulsit, vt, quod ipse in terris soluerer, vel ligaret, in cęlis quoque solutũ, aut ligatum censeretur, *Matth. 16.* vel illi quidem terreni regni iura concessit, non directè quidem, sed indirectè, vti mox explicabimus: vbi pariter exponemus, quomodo Papa duos habeat gladios, vt ait *Glossa in ca. omnes cit. dist. 22.* quos Dominus Petro concessit *Lucæ 22.* consule *Bellarminum* hac de re latius differentem.

45 Est igitur communis Theologorum sententia, quæ verissimè docet, Pontificem, vt Pontificem, nullam prorsus habere directè, & immediatè temporalem potestatem; sed solum spiritualem: huius tamen ratione, saltem indirectè, quamdam obtinere potestatem in politicis, & temporalibus, & quidẽ summam, & supremam, si modò resp. Christiana sit, de hac enim hoc loco semper loquimur. id edocent pleriq; quorum aliquos laudat *Bellar. loc. cit. cap. 1.* qui hanc sententiam amplectitur, eamque pluribus probat; & ante ipsum id doctè præstitit *Nicolaus Sanderus lib. 2. ca. 4. de visibili monarchia*, à quo plura *Bellarminus* mutuat⁹ est, vt ipsemet ingenuè fatetur *cap. 7. in fine.*

46 Explicat hic auctor hanc communẽ doctrinã, *post Greg. Nazianzen. in oratione ad populum timore perculsum, & Imperatorem irascentem*, exemplo, seu similitudine spiritus, & carnis, quæ in homine reperiuntur: quorum ille præsidet, hæc subest: quamuis enim spiritus sinat carnem suas exercere actiones, si generatim loquamur; attamen, cum illæ fini spiritus aduersantur, vel aliter obsunt, hic carni iure suo imperat, eamque castigat, indicitque ieiunia, cęterasque afflictiones, bonorum amissionem, atque etiam mortem, si hæc viderit ad finem spiritualem obtinendum necessaria fore. Pari igitur ratione, etsi ecclesiastica potestas nequaquam se temporalibus negotijs misceat, sed sinat politicã exercere iurisdictionem suam, cęteraq; exequi, quæ ad regimen politicum spectant; tamen, si hæc viderit obesse fini spirituali, vel ad illum consequendum necessaria esse aliqua; poterit sanè tunc, quin etiam debet spiritualis potestas coercere temporalem, prout cognouerit expedire; eaque statuere, quæ ad spiritualem finem consequendum necessaria sunt.

47 Vnde ab omnibus ferè approbatur regula *Glossæ in cap. possessor de reg. iur. in 6.* puta, quòd, quando eadem de re leges sibi inuicem aduersantes Imperatoriæ, ac Pontificiæ reperiuntur, si res, legibus subiectæ, ad animarum periculum pertineant, Imperatoria per Pontificiam abrogatur. Et iure: etenim ciuilis potestas, quæ in Christiano Principe residet, spirituali potestati omnino subiecta est: illius enĩ finis, puta temporalis felicitas, fini spiritualis potestatis, nempè æternæ felicitati subijcitur, & subordinatur: atqui *Arist. 1. eth. cap. 1.* ità subordinari docuit facultates, vti earum fines sibi inuicem subordinantur. Atque cum eæ duæ potestates vnam rempublicam, puta ecclesiam, constituant, & vnum corpus *ad Rom. 12. & 1. ad Corinth. 12.* consequens omnino est, vt vna, & quidem temporalis, spirituali subijciatur. vndè omnes rectè concedunt, debere Principes supremos eum iustitię administrandæ, seu regendi modum immutare, qui spirituale bonum impedire dignoscitur, etiam cũ proprio detrimento; quod satis innuit illam subiectionem.

48 Certè ecclesiastica respublica minimè perfecta foret, sibique sufficiens, ac benè instituta, nisi omnimodam obtineret potestatem ad finem proprium consequendum, eaque vetandi, exequendiuè, quæ ad illius consequutionem necessaria sunt. Quomodo etiam Reges infideles, & hæreticos ecclesia

deponendos iudicabit, nisi eam habeat potestatem? qui item Pontifex pascet oues sibi commissas, nisi eidem potestas omnis, pastori ad gregem tuendum necessaria, tributa sit, puta luporum, idest hæreticorum, etiā Principum arcendorum; recludendorum arietum, ouile destruentium, nimirum malorum Catholicorum, etiam Regū, illorumque in ouium ordinem redigendorum; ac demum pascendarum ouium, vti conuenit, ea scilicet illis iubendi, atque etiam cogendi, quæ earū quælibet secundùm statum suum exequi tenetur; proindeque hæc eadem in supremis quoque Principibus præstādi.

49 Hanc sanè potestatem sibi tributā agnoscentes plures summi Antistites cum veteris, tum noui testamenti, eā pluries, cum occasio sese obtulit, vsi sunt. Ità *Azarias*, alijque octoginta sacerdotes *Oziam* Regem, super altare thymiamatis incensum adolere volētem, lepra à Deo percussum, è templo eiecerunt *2. Paralip. 26.* eumque ad eiusdem *Azariæ* sacerdotis arbitrium extrà vrbem habitasse ibidem legitur, iuxtà legem *Leuit. 13.* proindeque regnandi auctoritate priuatum, in eiusque locum *Ioatham* illius filium suffectum. Item *Ioiada* Pontifex *Athaliam*, quod tyrannicè regnum occupasset, Baalque cultum foueret, interfici præcepit, verumq; Regem creauit *4. Reg. 11.* & *2. Paralip. 23.* Sed & *Beatus Ambrosius* nonnè Theodosio Imperatori, à se prius ob cædem Thessalonicæ patratam excommunicato, præcepit, vt legem sanciret, nè, de cæde, bonorumuè publicatione latæ sententiæ, ratæ censerentur, nisi triginta dies ab illius pronuntiatione elaberentur, vt refert *Theodoretus lib. 5. hist. cap. 17.*

50 Animaduertimus quoque, *Leonem Tertium* imperium è Græcis ad Germanos trāstulisse, propterea quòd ipsi nullum laboranti occidentali ecclesiæ auxilium afferrent. & quidem exindè *Carolum Magnum*, eiusq; successores Christiani omnes veri veros Imperatores venerati sunt, ac venerantur: idq; placitum esse Deo, prosper rerū euentus testatus est, hodièque testatur: vide *cap. venerabilē. de electione.* & deinde *Gregorius V.* septē Germaniæ Principibus Imperatoris eligendi facultatem impertiuit, vt testatur *Blondus decad. 2. lib. 3. Naucler. generat. 34. Platina in eius vita.*

51 Denique plures quoque Imperatores à Pontificibus depositos, legimus in rerum pristarum monumentis: vti Hēricus IV. à Gregorio septimo, *Platin. in eius vita.* Otho IV. ab Innocētio III. *Blond. decad. 2. lib. 6.* Fredericus II. ab Innocentio IV. *cap. ad apostolicæ. de senten. & re iudic. in 6.* qui etiam Pōtifex Lusitaniæ Regi coadiutorem dedit, quòd illius incuria respublica, ac religio in Lusitania detrimentum patiebatur *ca. grandi de suppl. neglig. Prælat. in 6.* ac denique Ludouicus IV. à Clemente VI. *Pigh. lib. 5. hierar. eccl. cap. 14. & 15.* de quibus, alijsque pluribus consulendi *Sanderus*, ac *Bellarminus*, locis superius laudatis.

52 Ex hac verò communi Theologorū doctrina satis intelligitur, qua ratione Summus Pontifex vtrumque gladium habere dicatur: id, quod præter *Glossam in fine n. 44.* à nobis relatam, asseruit *Bonifacius VIII. in extrauag. vnā sanctam, de maiorit. & obedien.* vbi eamdem hactenus expositam doctrinam eximiè declarat, innuitque satis apertè, Pontificem propriè gladium spiritualem obtinere; sed habere quoque temporalem, quia scilicet is sub spirituali esse necesse est, & temporalem auctoritatem spirituali subijci potestati, quam instituere habet, & iudicare, si bona non fuerit: additque de ecclesia, & ecclesiastica potestate verificari *Hieremiæ* vaticinium cap. 1. *ecce constitui te hodie super gentes, & regna, &c.* ergo, inquit, si deuiat terrena potestas, iudicabitur à potestate spirituali. Poterit ergo Pontifex Regibus imperare, atque interdicere

tem-

temporalis gladij vsum, si id viderit expedire ad finem æternæ gloriæ consequendũ: id enim esse videtur, quod *Bonifacius in extrauag. cit.* secutus *S. Bernardum lib. 4. de consider.* de materiali gladio asseuerat, puta eum manu quidem regum, & militum, sed ad nutum, & patientiam sacerdotis exercendum: nimirum illius vsum poterit is vetare, si cognouerit oportere. vide omnino laudatam Bonifacij extrauagantem.

53 Atque ex his omnibus, vt ad rem nostrã veluti postliminio reuertamur, satis liquet, iure suo potuisse Pium Pontificem, quin & debuisse illam legem edicere, qua tot, tantaque mala, quæ ex ea officiorum nundinatione enascebantur, radicitùs euellerentur; ac præsertim nè iustitiæ ordo peruerteretur, atque eiuscemodi auaritię genus, ex quo cuncta mala proueniũt *1. ad Timoth. 6.* alijsque sexcentis sacrarum literarum locis, (vide *Gloss. in cap. 4. verb. oriuntur, de constit.*) iuri, iustitiæque valdè obnoxium, de medio tolleretur: sunt enim hæc mala, quæ plurimum æternę saluti officiunt; quibus occurrere, eaque omnino pręcidere Pontificium est: *sacrorum enim eloquiorũ est quoq; hoc mirabile, & verum*, inquit Iustinian. in §. est quoq; hoc, Auth. vt iud. fine quoquo suffrag. coll. 2. *quòd auaritia omnium sit mater malorum, maximè quando non priuatorum, sed iudicum inhæret animabus*: eamque Idolorum seruitutem indigitauit *Apostolus ad Ephes.* 5. & radicem omnium malorũ *1. ad Timoth. 6.* quam quosdam appetentes, à fide aberrasse autumat. plurima quoque mala, atque incommoda, quæ reipublicę ex eiusmodi officiorum venditionibus oriuntur, postea perpẽdemus.

54 Quarè euasio *Mastrilli ca. 10. cit. n. 13.* aliorumque, hìc locum non obtinet: aiunt enim, etsi iure sancitum sit, non posse eiusmodi officia vendi, vt in ijs legibus statuitur, quas ipsi sæpius retulimus, ac referemus; posse tamen supremos Principes id suo iure præstare, quippequi positiuo iuri derogare queunt, ad *l. Princeps ff. de legib.* nõ, inquam, hìc locum obtinet hoc effugium: quandoquidem, etsi proprijs legibus derogare ij possent; Pontificijs tamen nequeunt, cum in hisce, similibusque casibus leges superioris censeantur, quibus derogare inferior non potest, vt omnes profitentur. Ciuiles verò leges, quæ officiorum nundinationes prohibebant, iam Pontificiæ effectæ sunt, vti suprà animaduertimus. Addo hìc veluti obiter, vbi iure aliquo Prouincialium, seu priuilegio, ex caussa onerosa, & iureiurando à Principe obfirmato, ea officia vendi prohibentur; tũc nequire Principem ea venundare, nè ea priuilegia lædat, ex ijs, quæ fusè tradidimus *cõs. 1. & 19.* Nunc quæ contrà suprà positam assertionem obijci possunt, diluãtur necesse est.

§. VI.

Obiecta contrà assertionem diluuntur.

S V M M AE.

55 Prima obiectio.
56 *Diluitur*, & nn. seqq.
Num officiarijs stipendij pars subtrahi queat, & n. 57.
58 *Qui emit, nihil accipere dicitur.*
59 *Secunda obiectio.*
60 *Solutio*, & nn. seqq.
Quæ res vendi possint.
61 *Simonia iuris humani à Papa cõstituta.*
Officia quædam ecclesiæ vendere, simoniacum est.
62 *Officiorum secularium vẽditiones simoniæ labem cur dicantur continere.*
63 *Iurisdictio à* Penna *quid spirituale censetur.*
Vendere licentiam docendi, quasi simoniacum putatur.
64 *Tertia obiectio.*
Quisque suo commodo studet.
65 *Dilutio tertiæ obiectionis*, & nn. seqq.

66 *Qua ratione possit quisque proprio iuri renunciare.*
Iuri in publicam vtilitatem inducto renunciari non potest.
67 *Renunciatio contrà bonos mores, aut ad delinquendum inducens, non valet.*
68 *Nemo iuri naturali in suam vtilitatem inducto renunciare potest.*
69 *Delinquentium animaduersio in populi vtilitatem adinuenta.*
70 *Resp. dominium ciuium non habet.*
71 *Inhonestum est nudum cõcedere officiũ, & sibi retinere prouentus.*
72 *Quædam* Menchacæ *doctrina.*
73 *Improbatur.*
74 *Sacerdos duplex stipendiũ pro vna missa accipere non potest.*
75 *Princeps qua ratione officia distribuere debet.*
76 *Quarta obiectio.*
77 *Dilutio*, & nn. seqq.
Plura sunt, quæ per se sola vendi non possunt; at cum aliorum consortio in alios transferuntur.
Iuspatronatus est eiusmodi.
78 *Simonia est pluris vendere bona, quia eis iuspatronatus annectitur.*
79 *Plura accessoriè permittuntur, quæ per se sola denegantur.*
Iurisdictio publici iuris est, ideoque vẽdi non potest.
80 *Quinta obiectio.*
81 *Solutio*, & n. seq.
Beneficij collatio facta indigno valida censetur.
82 *Valida pleraque censentur ob commune bonum.*

55 OBijcies igitur primùm, quia aliqua iusta caussa suppetere potest, qua ob publicam necessitatem illorum officiorum stipẽdia minuere oporteat, eamque partẽ, quæ subtrahitur, Principi tribuere, quam pro libito is vti propriam, diuẽdere, aut aliter de ea disponere queat; ergo poterit quoque Princeps officia ipse vendere, etsi pars illa re ipsa minimè subtrahatur. Hæc sanè est ratio, cui *Valentia loc. cit. vers. secundo dico*, vnicè innititur, vt probet, posse, spectata natura eiusmodi officiorum, ea à Principe, vel republica vendi, si caussa rationabilis subsit: quòd idem *Sotus* asserere videtur.

56 Aio tamen, hanc rationem videri infirmam. Sanè id, quod assumitur, nisi explicetur, non erit ità generatim admittendum. Etenim, si stipendium illud laborem minimè excedat, seu, quod idem est, labori adamussim correspondeat, tunc nequaquam videtur ex eo pars Principi subtrahi posse: debetur enim operario integra merces, neque ei pars auferenda, alterius emolumento, cum præsertim stipendium hunc ipsum in finem institutum sit, proindèque non in alios, eo contempto, dirigendum erit. vide *Mastrill. lib. 1. cap. 22. n. 33.*

57 Sed quamuis omnino daretur, posse eam stipẽdij partem iustè subtrahi, vel quòd stipendium laborem excedat, vel quòd id necessariò publica necessitas requirat, cui à ciuibus succurrendum est: nihilominus aio, eam, antequam re ipsa separetur, non esse censendam, nisi partem integri stipẽdij, officiario ob laborem, & onus, quod subit, debiti saltem ex quasi cõtractu, qua respublica illud subeunti id stipendij soluere obligatur; hęc enĩ, puta onus, ac stipendium, ità firmiter nectuntur, vt qui alterum subit, alterum integrum percipere debeat.

58 Preterquamquòd in officiorum vẽditione non habetur solum ratio eius partis, quæ subtrahi posset, sed totius, ac integri stipendij, cuius consideratione plus, minusuè illa venundantur: quarè integrum ius stipendij percipiendi venditur: quod iniquissimum est. qui enim emit, inquit rectè *Menchac. lib. 1. controu. illus. cap. 41. n. 5.* nihil accipere videtur, cum tantumdem pretij nomine refundat, *l. si voluntate C. de rescind. vend.* Addo, quòd, etsi hoc nomine irritæ minimè forent eæ officiorum venditiones: tales tamen censeri

feri oportere expositis hùcusq; rationibus; quarum aliquæ ex ipsa quoque rei natura eas probãt nullius esse momenti.

59 Obijces secundò ex *Lessio loc. cit. n.* 27. quia officia, de quibus loquimur, res humanæ, proindeque pretio æstimabiles censentur: nihil igitur obstat, quò minus vendi queant.

60 Respondeo, non quaslibet res humanas venundari iure posse; sed eas solum, quæ mercis rationem haberè queunt, quam ob caussam aiunt Doctores, pecuniam vendi nõ posse. quia igitur, vt suprà probauimus, in officijs nihil mercis rationem habere potest, ideo ea vendi non posse, affirmamus. & quamuis in ijs hæc mercis ratio agnosceretur; attamen à Principe merx hæc vendi nequiret; quippequi eius dominium non obtinet, vti suprà quoque ostendimus: etsi verò quidpiam vendibile censeatur; nonnisi tamen à domino vendi potest.

61 Demum, quamuis *Lessio* daretur id, quod ponit; nihilominus aio, aliundè officia inuendibilia censeri, puta ex Pij Pontificis constitutione, superius explicata: etenim, sicuti potuère Pontifices simoniam humano solum iure constituere, atque ea, quæ alioquin vendi poterant, inuendibilia reddere, vt ostendit ipsemet *Lessius lib. 2. cit. cap. 35. dub. 4.* ac post plures alios *Suarez tom. 1. de Religione lib. 4. de Simonia cap. 29. præsertim à num. 4.* ac præsertim id præstitère in officijs quibusdam ecclesiæ temporalibus, vt refertur in *cap. Saluator 1. q. 3. & cap. si quis Episcopus 1. qu. 1.* atq; ipse quoque *Lessius* monet; ità sanè potuit Pius eiusmodi officia inuendibilia constituere; etsi, vti diximus, id ipsum ex se ipsis haberent.

62 Quam ob caussam putauerim, à quibusdam dici, eas venditiones simoniæ labem continere, vti asseruit *Accursius in l. Baphij verb. suffragijs C. de Murilegulis lib. 11. & Bart. in l. vnica ff. ad l. Iul. de ambitu*, vbi docet, idem esse simoniam, atque ambitum, qui in officiorum emptione patratur. & *Rebuff. in constit. Reg. tit. de salar. art. 1. Gloss. vn. n. 31*, vbi: officiũ, inquit, iustitiæ emi nõ debet, & emẽs simoniacus est.

63 Idem innuunt alij, quos refert *Mastrill. lib. 1. de magistr. cit. cap. 20. n. 48. & 49.* non quidem, quòd iure simonia committatur, cum nihil prorsus spirituale hîc adsit, quod veneat; (nisi velis, iurisdictionem quid esse spirituale, vt dixit *Penn. in l. annonas §. & quid plura C. de erog. milit. annon. lib. 12.*) sed quòd eæ officiorum venditiones quamdam habẽt simoniæ similitudinem, vt optimè asseruit *Sixtus V. in bull. cit.* quæ incipit, *etsi nos diuina: & Gloss. in cap. 1. verb. consuetudinis, de magistris*, vendere licentiam docẽdi quasi simoniacum putat. Illud ipsũ innuit *Glossa 1. in cap. 2. ne Prælat. uices suas*, vbi ait, iurisdictionem vendere esse simoniam; maxime cum sit, inquit, spiritualis; etsi *Abbas* ibidem aliter *Glossam* interpretetur.

64 Obijcies 3. ex *Menchaca lib. 1. controuer. illustr. cap. 42. nu. 6.* quia omnis reipublicę munus ad administrationẽ, respicit meram populi, non etiam administratoris vtilitatem: at in re, cuiuspiam gratia instituta, ipse potest liberrimè disponere, eique, si velit, renunciare, ac prætermittere, quin immo etiam prodigere *l. pen. C. de pactis*, vbi multa per *Iason*; alijsque, quę idem *Vazquius* recenset. poterit ergò populus eiusmodi officia, vt pote meram sui vtilitatem intuentia, vendere, etsi id vergeret in eius damnum, ac detrimẽtum. Huic sanè rationi vnicè innititur *Menchaca*, alijs explosis, vt probet, posse populum officia illa pro libito vendere. quam deindè cõfirmat, quia ille, qui emit, spontè sua, non coactus ad talem emptionẽ accedit, idque vtilius sibi esse intelligit, quod mauult, eligitque: vnusquisque enim suo commodo studet, vt adhibita *Terentij*, ac *Tullij* auctoritate idem auctor ostendit; subditque, velu-

veluti in vlteriorem eiusdem rationis confirmationem, posse eum, qui emit, officij onus subire ob solum honorē, quem inde nanciscitur, ac cęteris rebus præferendum demonstrat; ità vt merces oneris, ac laboris honor sit dumtaxat: officij verò emolumentum non merces sit oneris, sed potius vēditionis, ob pretium, quod solutum est.

65 Respondeo tamen primùm, ex ijs, quæ in quinta ratione, *à n.* 15. exposita, explicuimus, vtcumque elici potest, neque populum habere eorum officiorum verum dominium, ratione cuius ea vendere pro libito queat. id quod primùm ostēdere *Menchaca* debuerat, vt eius ratio vim obtineret. Sed quicquid hac de re sit, aio, neq; nos de populo loqui, quem nullibi ferè dominari nunc temporis animaduertimus: sed de summis Principibus, in quos idemmet populus totam potestatem transtulit: in quibus sanè allata ratio minimè concludit, vt quisque facillimè deprehendere potest.

66 Deindè addo, etsi de populo loqueremur, neque verum videri, quod *Vazquius* docet, puta eum, in re, de qua agimus, posse proprio commodo renunciare: siquidem indè apertè sequeretur, posse etiam omne prorsus regimen tollere, quippe in eius quoq; vtilitatem introductum; proindeque absque legibus, absque iudicibus, ac magistratibus viuere; cum hæc omnia populi commodum intueantur: id quod perabsurdissimum est. nimis ergo probat *Vazquij* ratio, atque ideo nihil. Axioma verò illud, posse quēcumque proprio iuri renunciare, quāplures patitur defectus, seù exceptiones: neque enim ei, quod in publicā vtilitatem inductum est, renunciari permittitur; vt ipsi monuimus *cons.* 2. *n.* 32. etsi inde ad singulos commodū perueniat, *vt not in repert. Bertach. verb. renunciare sub num.* 30.

67 Præterea, si eiusmodi renunciatio esset contrà bonos mores, vel aliquē ad delinquendum induceret, nulla foret, ex sententia *Baldi in l. si quis in conscribendo cit. n.* 5. *C. de pactis, & Iasonis ibid. n.* 14. quem pro se *Vazquius* laudat, atque aliorum fermè omnium in *l. cit.* Atqui iam *nu.* 10. *& seqq.* satis probauimus, hanc officiorum nundinationem esse contrà bonos mores, & alios ad delinquēdum inuitare: quod etiam inferius ostendetur. Sanè *Vlpianus* mariti renunciationem, volētis conueniri vltrà quam possit, inualidam dicit, eò quòd sit contrà bonos mores, quippe contrà reuerentiam, quæ maritis exhibenda est, vti refertur in *l. alia. §. eleganter ff. sol. matrim.* quantò igitur magis inualida censenda erit populi renunciatio in re, qua de agimus, quando inde innumera pene incommoda enascuntur?

68 Insuper, etsi quispiam proprio iuri, & in suam dumtaxat vtilitatem inducto renunciare queat, vt omnes fatētur: id tamen intelligunt quoque omnes, modò ius illud positiuum sit, nō item naturale, vt edocent *Bart. Bald. Ias. alijque in l. cit.* Atqui regimen populorum iure naturæ in eorumdem vtilitatem introductum est; proindeque quicquid ad illud optimè exercēdum spectat, eodem iure inductum censeri debet. Natura enim ipsa, seu Deus naturæ auctor, qui in omnibus perfectissimum ordinem sectatur, atq; instituit, in hominibus quoque illum reperiri voluit, vt scilicet eorum aliqui præsint, alij subijciantur: neque enim inter pares, sed inter superiores, & inferiores ordo dignoscitur; atque ideo alij ab alijs gubernentur, vt inde pax, & coniunctio ciuium habeatur, quæ finis est gubernationis. quēadmodum ergo populus omnē prorsus gubernationem, & regimen tollere nequit; ità & neque ijs renunciare potest, quæ ad bonum regimen pertinere intelliguntur; cuiusmodi proculdubio censeri debet, vt officia gratis omnino, & absque largitione conferantur, vti suprà probauimus, infrà

ſtàque etiam oſtendetur.

69 Ità nequiret populus ſancire, vt delicta minimè punirentur, etſi delinquẽtium animaduerſio in populi vtilitatẽ ſit adinuenta ad *l. ità vulneratus ff. ad leg. Aquil. l. locatio §. quod illicitè ff. de public. & vectig.* vide quoque *Iaſon. in l. ius publicum ff. de pactis,* vbi, *num.* 2. ait, iuri publico, nedum pacto priuatorum, ſed nec publicarum perſonarum derogari poſſe.

70 Demum quemadmodum homo, quia non habet dominium ſuorum membrorum, ijs, quæ ad eorumdem conſeruationem, & bonum pertinẽt, renunciare non poteſt; ità reſpublica, quia neque ſuorum membrorum, puta ciuium, dominium habet, vt probat *Leſſius lib. 2 de iuſt. cap. 4. dub.* 10. ea, quæ ad illorum bonum, & conſeruationem ſpectant, repudiare minimè poteſt: ad eam verò pertinere, quòd officia gratis conferantur, nemo ſanæ mentis non intelligit, noſque integro *hoc conſilio, ac ſeq.* probamus. Et id fortè innuit *Bãnez q. 63. tit. art. 2. paulo ante finem verſ. aduertendum,* vbi ait, tempo. iuri ſuo cedere non poſſe: ſi ex tali, inquit, ceſſione intereat bonum publicum, & etiam bonum partium.

71 Iam verò primam eius rationis cõfirmationem facili negotio diluimus: alo enim, non inde cenſeri inualidam officiorum venditionẽ, quòd ea emptores lædantur: ſed alijs ſuperius expoſitis rationibus: neque verò lædi emptores putandum eſt, qui nedum pretium, quod ſoluerunt, verum multò plus ab ijs, quibus præſunt, extorquent; vt inferius nos Imperator Iuſtinianus edocebit. Quarè neq; quicquam confert id, quod ſubdidit de honore, qui oneri annectitur, cum ferè nemo ſit, qui de eo cogitet, cum officia venduntur; ſed omnimoda prorſus ratio emolumentorum expẽditur, quæ officium comitantur, vt experientia compertum eſt. Certè incongruum eſt, quin & contra naturam cuiuſque rei iudicatur, vt alter onus ſubeat; alter verò percipiat emolumentum, *cap. qui ſentit, de reg. iur. in 6. l. ſecundùm naturã ff. eod. tit.* ideoque *Innocen.* 3. *in cap. vnico, vt eccleſiaſt: benef. ſine dim. conſ.* inhoneſtum putat concedere nudum officium, & ſibi eius retinere prouentus; etſi de cætero officium honorificum cenſeatur: id enim in nulla ferè eſt conſideratione, ſi ei nihil, vel minimum ſtipendij annectatur.

Aliæ verò rationes, quas innuit idẽ *Menchaca* ex ijs, quæ hactenus expoſuimus, facillimè diſſoluuntur. quarè non eſt in eo vlteriùs immorandum.

72 Quod verò attinet ad Principes ſupremos, is auctor *cap. 43.* etſi re ipſa aliorum doctrinam amplectatur; eorũ tamen rationes impugnat: an benè, hoc loci diſcutere in animo non eſt, Solum addo, non videri firmum id, quod ei placet, puta poſſe Principes ſummos ea officia venundare, ſi à populo non ſint ſufficienter dotati: tunc enim, ſicuti per alios modos poſſet à ciuibus pecunias exigere, quod deeſt ad congruam ſuam ſuſtentationem, ità & per iſtum, puta officiorum venditionem: qui ſanè modus ſatis idoneus nobis videtur, inquit, & expers moleſtiarum, quæ ciuibus inferri ſolent in pecunijs aliter extorquendis, & colligendis.

73 Non, inquam, id ſatis firmum videtur; quandoquidem, præterquamquòd hunc vendendorum officiorum modum plura, atque grauiſſima parere incommoda probauimus, inferiùſque oſtendemus copioſiùs; nequeunt Principes id, quod à natura, & à populo, naturam ſequente, in cæteros fines inſtituta ſunt, in alios conuertere, præſertim quo tempore indè plura ſequuntur reipublicę detrimenta. Ità ſanè, quia delictorum coercitio in finem pacis, & tranquillitatis à natura inſtituta eſt; etſi ſummo Principi redirus, à populo ſibi conſtituti, ſatis minimè forent ad congruam ſui ſuſtẽta-

tationem; delicta tamen vendere nequiret, quò inde sibi, quod deest, reliquum prouideret: idemque in aliis pluribus huiuscemodi à natura institutis animaduertere licet.

74 Quid simile in re sacra plures docent, puta nequire sacerdotem pro vna dumtaxat Missa duplex stipendiū accipere, omnino necessarium ad sui sustentationem: quandoquidem, inquiunt, Missa non est ad sacerdotis sustentationem ordinata: quarè aliūde sibi consulere debet. Ità contrà *Sotum*, & alios plures, quos retulit *Diana p.2.tract.14.resol.8.* ait, probatque *Nauarr. in Enchir. cap.25.n.92.* quem laudat, sectaturq; *Tolet. lib.2. instruct. cap.8.n.4.* & alij communiter, præsertim post decretum Sacræ Congregationis, quorum aliquos citat, ac sequitur *Diana loc. cit.*

75 Certè ipsemet *Vazquius* fatetur, Principes supremos non ità habere eorum officiorum distribuēdorum facultatem, vti respublica, ac populus obtinebat; sed omnino limitatam; vt scilicet ea conferant non ad sui libitū, sed prout communi reipublicæ vtilitati, bonoque eiusdē regimini, viderint expedire: id, quod & alij Doctores passim fatentur. quomodo ergo poterit eorumdem officiorum collationem non in commune bonum, sed in proprium commodum dirigere, quò scilicet inde sibi prouideat? cum præsertim faciliùs, ac congruentiùs sit aliundè sibi consulere; ac tot, tantisque incommodis occurrere, quæ ex officiorum nundinatione reipublicæ oriuntur; id quod suprà, & sæpius animaduertimus.

76 Obijcies quartò ex *Lessio*, quia Barones, Comites, Marchiones, & Duces possunt vendere suos titulos, & status, vt recepta consuetudo probat, ergo officiorum secularium venditio per se non est illicita. quæ *Lessij* ratio aliam videtur inuoluere propositionē; puta venditione titulorum, iurisdictionis quoque, atque officiorum venditiones concludi.

77 Respondeo, plura reperiri, quæ per se sola vendi nullo modo queunt; cum aliorum tamen consortio in alios transferuntur; vti omnes edocent in *cap. ex literis de iurepatron.* quo sanè constat, huiusmodi esse iuspatronatus: id enim iuris vendi per se vetuit *Concilium Tridentinum sess.25. cap.9. de reformatione*, sub excommunicationis, atque interdicti pęna, eiusdēq; iuris priuatione: at, si bona vendantur, quibus ius illud inhæret, & hoc quoque in emptorem transfertur. *d. cap. ex literis, & cap cum seculum, de iurep. S.Th.2.2.q.100.art.4.ad 3.* ibique omnes Theologi, & iurisconsulti in *cit. capp.*

78 Quod si dicas, non pluris vendi bona, quibus illud ius annectitur, quia hoc idem annexum habent: id enim simoniam esse, Doctores affirmant, vti *Suarez tom.1. de relig. lib.4. de simon. cap.28. nu.12 & seqq. Lessius lib.2. cit. cap.34. dub.5. nu.24. & cap.35. dub.2.* & videtur *textus in cap. de iure, alijsque de iurep.* Atqui tituli illi pluris veneunt, qui maiorem obtinent iurisdictionem, ac plura quoque officia, quæ conferenda sint: si, inquās, id dicas; equidem aio, etsi hoc vitimum verum foret; tamen videri incongruum ob rationes superius expositas: sicque id ipsum damnari oportere, vti ipsorum officiorum venditiones improbantur. Deinde addo, non inde sequi, vēdi posse iurisdictionem, & officia, quæ conferri debent: sed ad summum in iis contractibus venūdari facultatem conferendorum officiorum, quæ, quo maior est, eò pluris æstimatur; in eiusque venditione allatæ à nobis rationes non eam vim habere videntur, quam in ipsorūmet officiorum venditione obtinere cernuntur. cuius sanè rei signum est, non posse Magnates illos ea officia vendere, vti probat *Salon q.63. cit. art.2. controu.8. vers. in hac quæstion.* apud quē vidi, postquam hæc scripseram, animad-

maduetsum, id quod nos modò docuimus de facultate conferendorum officiorum.

79 Iam verò dari plura, quæ accessoriè permittantur, per se verò sola denegentur, probat *Mastrill. lib. 1. de magistr. cap. 12. nu. 38. & 39 ex l. quoties C. de iudic. & l. 1. ff. de auctor. tut.* post alios plures, quorum aliquos ipse recenset, nosque monuimus suprà *cons. 19. n. 106.* vide eumdem auctorē *loc. cit. cap. 18. à n. 53. vsque ad 61.* vbi *n. 57.* laudat *Corrad. in cap. 1. §. ad hac coll. 1. de pact. iuram. firm. & in tit. de regalib.* vbi refert, asserere, communi iure iurisdictiones vendi non posse, quia publici iuris existunt. *ad l. 1. §. publicum ius ff. de iust. & iur.*

80 Obijcies quintò, quià hodiè moribus receptum est, vt illa officia vendantur; eorumque venditiones firmæ ab omnibus censentur. malè ergo irritæ à nobis dicuntur.

81 Respondeo, ab ijs validas illas censeri qui, vel contrariam profitentur opinionem, quæ probabilis est; vel ab ijs, qui nesciunt eiuscemodi discrimina in contractibus cognoscere; vel demum ideo validas censeri, quia cōmuni reipublicæ bono expedit, vt tales habeantur; alioquin plura inde incommoda sequerentur, reipublicæ malo: quemadmodum beneficij collationem indigno, vel minus digno factam, omnes validam agnoscunt, quia ità expedit, inquit *Salon. q. 63. cit. art. 2. controu. 3. concl. 2. vers. ad argumentum*, bono communi ecclesiæ, & saluti animarum.

82 Sanè plura conuenit in republica robur obtinere, ac si firma forent; etsi de cætero, si penitiùs introspiciantur, nullam prorsus vim habere animaduertantur, vt pluribus exemplis ostēdi posset, si per tempus liceret, quod ad alia magis necessaria nos aduocat. legi potest *l. Barbatius, quodque ibi not. Gloss & DD. ff de off. Prat.* Erit quoq; hic mos prauus, quippe contrà bonos mores, naturalemque rationem, ac proindè nullius roboris, ac momenti. vide, quæ dixi *cons. 3. à n. 178.*

Alia, quæ contrà doctrinam hùcusque explicatam obijci possunt, ex hactenùs expositis facillimè dilui queunt. Nunc videndum erit, num saltē hæc officiorum nundinatio omnino improbanda sit, etsi de reliquo valida concederetur. Et sanè Doctores plura afferunt incommoda, quibus eam improbant, vt apud eos, quos sæpè laudauimus, animaduertere licet. Equidem nonnulla exponam *cons. seq.*

CONSILIVM XXVIII.

Venditionem secularium officiorum saltem esse improbatam.

Ad

Eadem capp. 357. Alphonsi, 100. Ferdinandi, 56. Caroli V.

HAec est secunda assertio, quā me ostensurum promisi initio consilij antecedentis. eā autem ostendam ex incommodis, quæ ex his officiorum venditionibus enascuntur.

§. I.

Incommoda, quæ officiorum venditionem consequuntur.

SVMMAE.

1 P*Rimum incommodum, quod ex officiorum venditionibus sequitur.*

Magistratuum venalitas à Sāčto Gregorio *improbata.*

2 *Item à* Sancto Thoma.

3 *Alterum incommodum.*

Plato *Carthaginēsem Legislatorem reprehēdit, quippequi ex ditissimis voluit creari magistratus.*

Magistratus esse venales, prauum dixit Aristoteles.

4 *Honore artes nutriuntur.*

Virtus amara fit, si eam gloria non se-

 qua-

quatur.

5 *Absurda est resp. in qua principatus vēduntur.*

6 *Omnia mala cum honore pecuniæ desinunt.*

7 *Tertium incommodum.*

Quæ pretiū habent, villa censenda sūt.

8 *Vltimum incommodum, quod præ cæteris vrget.*

Officia ementes, in minuto vendunt, quod emerunt in globo.

9 *Qui emit, vendere non est prohibendus.*

10 *Honorem magistratus emit, & subditi illum soluunt.*

Cayphas pontificatum ab Herode redemit.

1 PRimum quidem incommodum est, quod ea non dignioribus, imo minus dignis, ac sæpissime indignis cōferuntur: qui enim dignissimi sunt, vt rectè *Caietanus in sum. verb. officiorū venalitas*, monuit, aliisque post illum, pecunia in magistratus irrepere nolunt, illudque indecorum arbitrantur: id verò indigni præstant, vt pecunijs suppleant, quod meritis deest. vndè rectissimè *Sanctus Gregorius epist. 114. lib. 7.* ità loquitur: *vbi nō merita*, inquit, *sed pecunia suffragatur, restat, vt nihil sibi grauitas, nihil sibi defendat industria, sed totum auri profanus amor obtineat.* Idemque *epist. 110. quid*, ait, *per hoc aliud agitur, nisi vt nulla de actu probatio, nulla sollicitudo de moribus, nulla sit de vita discussio; sed ille solummodo dignus, qui pretium suffecerit, æstimetur.* Refert *Ferronus lib. 9. de gestis Gallorum*, nihil magis eo tempore venale extitisse, quam nouam magistratuum designationē, quæ facta est maiori ex parte ex adolescentibus, aut locupletibus; in quibus designandis, non mores, non eruditio, non ante actæ vitæ dignitas, quæreretur.

2 Sanctus quoque *Thomas opusc. 21. ad Ducissam Brabantiæ*, etsi asserat, licere vendere magistratus, addit tamē, non expedire: *primò quidem*, inquit, *quia contingit frequenter, quod illi, qui essent magis idonei ad huiusmodi officia exercenda, sunt pauperes, vt emere non possint, & si etiam sunt diuites illi, qui meliores sunt, talia officia non ambiunt, nec inhiant ad lucra ex officio aequirenda. sequitur igitur, quod vt plurimum illi officia suscipiant, qui sunt peiores, ambitiosi, & pecuniæ amatores, quos etiam probabile est subditos opprimere: vnde magis videtur expediens, vt bonos homines, & idoneos ad suscipiendū officia eligantur:* & cætera, quæ sequūtur.

3 Alterum incommodum est, quod, vendendis magistratibus, homines ad acquirēdarum pecuniarum studiū excitantur, quibus dignitates nanciscantur; non verò studeāt virtutibus, meritisque, quibus nullum in repu. blica locum relinqui animaduertunt. Hinc equidē puto, à Platone Carthaginensem Legislatorem reprehēdi, vt refert *Aristoteles lib. 2. polit. c. 9.* quòd ex ditissimis voluit creari magistratus, puta, quia is ad virtutes iter præclusit, dum his diuitias fecit pretiosiores: vti enim ibidem *Arist.* ait: *magistratus venales esse prauum est:* additque rationem: *totam enim*, inquit, *ciuitatē ad pecuniarum studium conuertit.*

4 Certè non satis intelligo, quomodo homines arduum virtutis iter aggrediantur, si virtute præditos, meritisque, nulla præmia manere videant; sed diuitijs affluentibus, pecunijsque illa sibi comparantibus, tribuantur. Profectò, sicuti honore enutriri artes cuncti profitemur; & bonorum ornamentis imitationem incitari, virtutēque emulam alī exēplo honoris alieni; vt rectè monuit *Symmach. lib. 10. epist.* gloriaq; industriam nutriri; quā si dempseris, ipsam per se virtutem amaram, atque asperam esse, docuit *Salust. in orat. de rep. ordin.* ità sanè, si diuitibus ornamenta statui, & honores, homines cērnant, ad diuitias sibi comparandas prouocabuntur, exemplo honoris alieni, quem pecunia acqui-

quisitum animaduertunt.

5 In hac sanè republica, quæ pecunias virtutibus anteponit, fiet, vt omnis res

Diuitijs pareat, quas qui construxerit, ille,
Clarus erit, fortis, iustus, sapiens, etiam Rex.

vt aiebat *Horatius lib. 2 sermon. satyra secunda*; qua de re *Tiraq. de nobil. cap. 3.* quam equidem ob caussam opinor, *Platonem lib. 8. de rep.* existimare, absurdam eam esse reipublicæ constitutionem, in qua Principatus venduntur, & regna venalia sunt: quid enim absurdius esse, excogitarique potest, quam id, quod meritis debetur, pecunijs impertiri?

6 Hinc quoque putauerim edocuisse *Salustium*, siue alium quempiam *in orat. de rep. ordin.* omnia mala cũ honore pecuniæ desinere: si neque, ait, magistratus, neque alia vulgò capiẽda, venalia erunt: nam

Quid non mortalia pectora cogit
Auri sacra fames?

Congruit illud Imperatoris in *Auth. vt iud. sin. quoquo suff.* de hac officiorũ nundinatione loquentis: *& quanta*, inquit, *impiè talia fiunt ad horum furtorum meritò relata occasionem!* & infrà. *accipere suffragium à iudicibus, totius nequitiæ est principiũ, & terminus.* quibus non incongruè illud *Ciceronis lib. 2. offic.* annectitur, puta malè se rẽ habere, cũ, quod virtute effici debet, pecunia tentatur.

7 Tertium insuper incommodum est, quod indè magistratus omnino vilescunt: *quis enim veneretur*, inquit S. Gregor. lib. 7. epist. 113. *quod venditur? aut quis non vile putet esse, quod emitur?* & *Quintilian. lib. 12. cap. 7.* operam vendere, ac patrocinium, eleuare putat beneficij auctoritatem: *cũ pleraque*, inquit, *hoc ipso possint uideri vilia, quòd pretium habent.* Item *Seneca epist. 116.* ità ait: *vbi quærimus non quale sit quidquid, sed quanti, verus rerum honor cecidit.*

8 Vltimum denique incommodum, (vt alia interim omittamus) quod præ cæteris perpendi debet; id sanè est, quod ij, qui officia pecunijs nacti sunt, illa nequaquam administrãt, vt æquum est, reique publicæ conducit, sed suo commodo, & emolumento: tales enim, vt *Quliel. Benedicti in cap. Raynuntius verb. duas habens filias n. 55. de testam.* verbis vtar, *qui officia emunt, communiter vendunt in minuto, quod emerunt in globo*: quia illis difficile est in potestatibus temperare, qui per ambitionẽ sese probos simulauerint, dicit *Salustius in Iugurthino*: vndè addit idem auctor, talia emere redundat in grauamen subditorum, & totalem iudiciorum subuersionem: cum enim officiũ sub mercede venale disponitur, ad æternæ retributionis præmium consideratio non habetur; nisi ad recuperandum, & rebursandũ pretium.

9 Eleganter sanè, vt assolet, *Cicero act. 2. in Verrem* censores quidem ait, fecerunt idem, quod in nostra republica solent ij, qui per largitionem magistratus adepti sunt, dederunt operam, vt ità potestatem gererent, vt illam lacunam rei familiaris explerent. *Ego verò non patiar*, inquit Alexander Seuerus apud Lampridium, *mercatores potestatum: quos si patiar, damnare non possum erubesco enim punire illum hominem, qui emit, & venditi necesse est enim, vt qui emit, vẽdat:* id enim gentium ius est, addit *Seneca lib. 1. de benef. cap. 15* vbi proindè non mirum putat, si indè Prouinciæ expilentur.

10 Honorem à paucis emi, dixit *Salvian. lib. 4 de gubern. Dei*, vt cunctorũ vastatione soluatur: *quo*, inquit, *quid esse indignius, quid iniquius potest? reddunt miseri* (putà subditi, à quibus pecuniam iudices extorquent) *dignitatum pretia, quas non emunt: commercium nesciunt, & solutionem sciunt: vt pauci illustrentur, mundus euertitur: vnius honor orbis excidium est.* Refert

Iosephus relatus à *Sancto Hieron. in cap.26.Matth.* Caypham vnius tantũ anni Pontificatum ab Herode pretio redimisse: non ergo mirum est, subdit Sanctus Doctor, si nequam Pontifex iniquiùs iudicet.

§. II.

Perpenditur constitutio Iustinianæa in *Auth. vt iudic. sine quoquo suffrag.*

SVMMAE.

11 A*Vrea verba* Auth. vt iudi. sin. quoquo suffrag.

12 *Cingulum in iure pro administratione sumitur.*

13 *Neque vtilis est Principi officiorum venditio, nedum non honesta.*

14 *Qui officia emunt, crimina vendunt.* *Officiorum venditio omnium malorum occasio est.*

15 *Auaritia omnium malorum mater.* *Amor pecuniæ materies cunctorum criminum.*

16 *Iusiurandum, quod olim præstabatur ab ijs, qui administrationem accipiebant.*

17 *Imperator subditorum caussa laborem perferre debet.* *Iustinianus Zenonem, & Anastasium arguit, quod venales haberent magistratus.*

18 L.omnimodo §. imputari C. de inoff. test.*quatenus innuit, officia vẽdi posse, explicatur.*

19 *Ex* Auth.Iustin.*duo corollaria colliguntur, omnino notanda,* & n.20. *Particula,* nec, *verbi repetitionem inducit.*

11 SEd præsertim hùc trãsferri oportet aurea *Iustiniani* verba, quæ in *Auth. vt iudic. sine quoquo suffrag.* sæpius *cit.* referuntur, improbantis officiorum, ac magistratuum nundinationes, indeque plurimam ingressam caussis iniustitiam afferentis, eãque omnes subditos ad inopiam compulisse, & ad nouissimam ferè penuriã, vt neque publicum censum persoluere sine maxima difficultate valerent. *Quomodo enim,* inquit, *valerent collatores, cum ex aliquo tempore Imperatores semper aliquid lucrari ex prouentu iudicum cogitarent, ex hac iniustitia, & damnis extrinsecùs illatis, solemnibus pijs collationibus sufficere?*

12 Et infrà, volens idem Imperator, vt iudices puris circa subiectos manibus vterentur: *id,* inquit, *non aliter fiet, nisi & ipsi cingula* (cingulum hic, & sæpè in iure sumitur translatitiè pro administratione; & pro ipsa etiam dignitate, *vt l.2.C.vt dignit.ord.seru.lib.12.l.omnes C.de meta.eod lib.12.l.fin. C.de præp sac cub.eod lib.* ac sæpè alibi) *sine mercede percipiant, nihil omnino dantes, nec occasione suffragiorum; neq; ijs, qui cingula habent, nec alij hominum vlli* infrà. *An certè non omnibus manifestum est, quoniam, qui aurum dat, & ita administrationem emit, non dat hoc solum, quantum occasione adinuentum est suffragioru; sed & aliud extrinsecùs addit amplius occasione commodi, administrationem, aut dantibus, aut spondentibus. Et sic, vno principio illicito dato, plurimas necesse est manus circuire eum, qui donationem facit: & hoc nõ de suo forte præbere, sed mutuatum, & vt mutuare possit, damnificatum: & computare apud se, quia conuenit eum tantum ex prouincia percipere, quantũ libet* (fortè meliùs liberet, vt Contius monet) *quidem et debita sortes, & vsuras, & damna pro ipso mutuo: computabit autem, & in medio expensas largiores: iam & iudicem* (idest assessorem,
01 inquit *Glossa*, loquitur enim de Præsidibus, qui assessores habẽt) *vel qui circa ipsum sunt degentes* (vel, vt Contio placet, conuenientes) *& quemdã etiã sibimet recondere quæstum in tempore sequenti, in quo forte non administrabit. Quapropter eius, quod ab eo datũ est, triplum, magis autem, si oportet verius dici, decuplum erit, quod à subiectis exigitur: & ex hoc etiam fiscus immi-*

nui-

nuitur: nam ea, quæ oportebat in fiscum inferri, eò quòd administrationem habet puris vtentem manibus, hoc ad propriam vtilitatem redigens, qui administrationem habet, & inopem faciens nobis collatorem, inopiam illius, quæ per ipsum agitur, nobis reputat.

13 Sapientissimè Iustinianus, vt ait *Contius*, calliditati quorumdam nundinatorum occurrit, qui parum honestam quidem fatentur magistratuum venditionem; sed vtilem tamen, & ex ea re multam pecuniam ad Principẽ peruenire, quæ bellicis rebus necessaria est, vt corpori nerui. Contrà enim docet Imperator, multò minorẽ pecuniam ex ea re Principi obuenire, quam ex gratuita magistratuum creatione.

14 Prosequitur Imperator, quanta impiè talia fiant ad horum furtorum meritò relata occasionem: nã, vt ipsemet explicat, administrationes habentes prouinciales, ad hanc acceptionem respicientes, multos quidem reorum dimittunt, vendẽtes eis delictum: plurimos autem innoxiorũ condemnant, vt noxijs præstent, & hoc non solùm in pecuniarijs caussis agitur, sed & in criminalibus, vbi de anima est periculum. fugiunt æquè, vt idem Imperator ait, ex prouincijs, & confluunt hùc omnes ingemescentes sacerdotes, & curiales, & officiales, & possessores, & populi, & agricolæ, iudicum furta meritò, & iniustitias accusantes. & hęc non fiunt sola, sed etiam ciuitatum seditiones, & publicæ turbæ plerumque fiunt, atque sedãtur. & omnino vna quædam est hæc omnium occasio malorum; & *accipere suffragium a iudicibus, totius nequitiæ est principium, & terminus.* puta, vt ego interpretor Imperatoris verba, per largitionem magistratum nancisci, totius nequitiæ fons est, & origo: sicuti & gratis illũ adipisci, totius quoque nequitiæ terminus est, interitus, & veluti auerruncus.

15 Est quoque hoc sacrorum eloquiorum mirabile, & verum, vt etiam subdit laudatus Imperator, quod auaritia omnium sit mater malorum, maximè quando non priuatorum, sed iudicum inhęret animabus. (pro hoc vide quæ suprà diximus *n.* 53. ijsque adde *Isidori* præceptum relatum in *cap. bis igitur dist.* 23. amorem, inquit, pecuniæ quasi materiem cunctorum criminum fuge.) quis enim, vt Iustinianus ait, sine periculo non furetur? quis non latrocinabitur sine reatu ad administratorem respiciens? illum namque videns omnia auro vendentem, & præsumens, quia quicquid egerit illicitum, hoc, pecunias dando, redimet: hinc homicidium, & adulteriũ, & inuasiones, vulnera, & raptus virginum, & commerciorum confusio, & contemptus legum, & iudicum, omnibus hæc venalia proposita esse putãtibus, tamquam aliquid optimorum (vel potius, vilium, vt *Contius* monet) mancipiorum. Sed neque sufficiens esse censuit Imperator considerare, & exponere, quanta ex furto Prouincialium iudicum fiunt pessima, nullo eos pręsumente cum fiducia redarguere, cum illi repente se emisse cingula pronuncient.

16 Tum idem Imperator legem edicit, qua iubet, magistratus omnes sine suffragij datione creari: (cui præiuisse *Platonem lib.* 12. *de legib.* Contius docet.) atque etiam iubet §. *sic igitur*, vt iudices iusiurandum conceptis verbis iurent, quod nè suffragij quidem nomine, aliouè, pecuniam dederint: cuius sanè iuramenti verba, quæ referuntur *Auth. iusiurandum, quod pręstatur ab his, qui administrationem accipiunt*, hęc erant: *iuro quoque idem iusiurandum, quod nulli penitus neque dedi, neque dabo occasione dati mihi cinguli, neque occasione patrocinij, neque promisi neque professus sum de prouincia mittere, neque mittam, neque occasione Dominici suffragij: neque famosissimis pręfectis administrationem habentibus, neque ijs, qui circa eos sunt, neque alij hominum*

minum ulli sed sicut sine suffragio percepi cingulum, sic etiam purè me exhibebo circa subiectos piissimorum nostrorū dominorum, contentus ijs, quæ statuta sunt mihi de fisco, annonis.

17 Demum in §. itaque Deo, Auth. vt iudic. sit idem Augustus Deo ab omnibus agi gratias iubet, pro hac lege, quæ eis dabit & patrias habitare cautè, & proprias facultates habere firmissimè, & iudicum frui iustitiâ, & infrà, videns inhonesta hæc, & seruilia furta perire, & subiectos in quiete à Prouincialibus iudicibus cōseruari; propterea festinauit gratis administrationes eis dare, vt nec ipsis liceat delinquere, & abripere subiectis, *quorum caussa*, ait Iustin. *omnem perferimus laborem, dedignantes imitari eos, qui ante nos imperauerunt. qui pecunijs ordinabant administrationes, sibimet ipsis auferentes licentiam administratoribus nocentibus increpandi iustè (& ipsi ea, quæ percipiebant, celando, iusti putati) & proprios collatores propter hoc abripere à malis iudicibus non valētes: vndè nec ipsis iudicibus increpare poterant agere cautè* (purà temperanter se habere, vt *Contius* monet) *occasione prædicta causa*. Hic Iustinianus Zenonem, atque Anastasium arguit, quos paulo post immum tacitè quoque memorat, si *Contio* credimus: refert enim *Suidas*, eodem *Contio* teste, Zenonem omnes prorsus magistratus vltimo licitatori per Sebastianum præfectum suum addixisse, [illegible]

18 Iustinianææ præcipua legis capita, quæ ad rem, qua de agimus, præsertim spectant, totidem verbis referre in animo fuit, quia scilicet eruditè, atque eleganter præcipuum, quod ex officiorum nundinatione sequitur incommodum, in medium ipse profert, explicatque satis enucleatè; ità vt aliorum verborum ambagibus id ipsum exponere, omnino superfluum censuerim. Neque te commoueat, quod idem Imperator in *l. omnimodo §. imputari C. de inoffic. testam.* innuere videtur, officia posse vendi, vt monuit *Menchac. controu. illustr. lib. 1. cap. 42. n. 5. & lib. 3. de succ. crea. §. 30. in rep. d. §. imputari n. 202.* etenim, vel ibi loquitur iuxtà id, quod ab alijs Imperatoribus seruabatur: vel de ijs militijs loquitur, quæ nullam habent adiunctam administrationem, vt exemplis *ibid. Baldus* ostendit; qui præsentim addit, id intelligi de feudo, quod cuipiā à Rege ita concedatur, vt vendi ab impetrante queat: vel demum aio, Codicis legem à nouella illa octaua, quoad id, de quo agimus, abrogari;

19 Atq; ex verbis quidem Imperatoris *nu. 17. relatis*, dum non ineptè colligerim, primùm quidem haud obscurè ipsum innuere, iniquum esse, atque etiam fuisse ante ipsius quoque latam constitutionem, quidpiam ab illis accipere, quibus administrationes cōferuntur: innuit autem id, ni fallor, ijs verbis: *Propterea festinauimus gratis administrationes eis dare, vt nec ipsis liceat delinquere*, &c. si enim verum est, quod post *Alciat. in l. duobus negatiuis ff. de verb. signif.* aliosque docent fermè omnes; quorum aliquos retulit *Barbos. dict. 208.* pura particulà, *nec*, verbi repetitionē inducis, planè fit cōsequens, vt qui nec iudicibus delinquere permittit, alios antea delinquere agnouerit: quod nonnisi de ijs, qui venundabant magistratus, de quibus loquebatur, intelligi potest: ità sanè, vt eorum verborum sensus sit: Festinauimus certè ipsi administrationes eis gratis dare, ita intellige: nè delinquerremus, vt scilicet nostro exemplo, neq; ipsis delinquere liceat. [illegible] 21

20 Id ipsum iterum inquit ijs verbis: *Auferentes*, (Imperatores vendendo magistratus) *sibimet ipsis licentiam administratoribus nocentibus increpandi iustè, & ipsi ea, quæ percipiebant, celando, iusti putati*. Ac si diceret Iustinianus: si ipsi Imperatores iusti putabantur, quia celabant, quæ ob collatam administrationem percipiebāt; quonam modo Iudices, qui à subditis 21 quid-

quidpiam clàm fortè recipiebant, iustè increpare poterant? vtrumq; enim vel damnandum erat, vel vtrumque permittendum.

Alterum, quod ex ijs verbis elicio, est, indè infirmum omnino reddi quorumdam argumentum, qui volunt, ideo conuenientem esse officiorum venditionem, quia hoc modo, qui illa emunt, iustissimè eadem administrāt; nè scilicet, si malè, ijs à Principe priuentur: Etenim si Princeps vendens eiusmodi magistratus nocentes administratores nè increpare quidem possunt ex Imperatoris sententia; quantò igitur minus & ijs officia auferre, cum illi repentè se emisse cingula pronuncient, vt idem Iustinianus monuit?

§. III.

Communis sententia hac in re: & obiecta diluuntur.

SVMMA.

21 Doctores hasce officiorum venditiones execrantur: & nu. 22. & 23.
Meritò pestis rerumpublicarum dicitur.
22 *Romæ excidium officiorum venalitas fuit.*
24 *Obiectio diluitur.*
Quæ exemplo sunt perniciosa, vitanda, & prohibenda sunt.
Nedum à malo, sed ab omni specie mali abstinendum est.
25 *Altera obiectio diluitur.*
Mos vendendorum officiorum improbatur.

21 Atque his sanè omnibus, quæ hucusque tradidimus, annectenda est communis omniū sententia, quæ docet, malum omnino, ac pessimum esse, officia, præsertim, quæ habent iurisdictionem annexam, vendere, ob innumera mala, quæ indè sequuntur. Consuli possunt auctores, quos sæpè laudauimus: quorum *Lessius cap. 32. dub. 4. cit. num.* 28. concludit, meritò hanc venditionem censēdam esse pestem rerumpublicarum; vndè etiam in iure prohiberi ait *Auth. cit.* vbi præcipitur, vt personæ, quibus conferuntur officia publica, pro ijs nihil soluant; refertq; apud Sinenses, omnia officia conferri gratis, & nonnisi maximè idoneis per longum examē iudicatis.

22 *Rebuff. in cōstit. reg. tract. de mercat. minut atim vēdentibus artic.* 1. *Gloss.* 5. monet notandam *l. vnam C. de pistor. lib.* 11. prohibentem, nè quis pistor, vel alius accipiat dignitatem gratia, vel pecunia; alioqui exuti dignitate, viginti libris auri mulctari, compelliq; ad pristinum statum redire; nec rescriptum valere, talia remittens: quæ lex vtinam obseruaretur, vt ait *Rebuf.* & Princeps emeret doctos, & prudentes, & non venderentur officia in reipublicæ perniciem. *Abbas quoque in cap. 1. nè prælati vices suas n. 1. post Innoc. & Hosti.* ait, temporalem iurisdictionem vendi non posse, nè subditi, inquit, grauentur: tale verò lucrum turpe vocat. Atque omnes Romę exemplum inculcant, quæ orbi dominata est, dum in ea benè merentibus absq; largitionibus officia conferebantur; cuius deindè excidium in eorumdem officiorum venalitatem ab omnibus coniectum est: illudq; *Salustij* afferūt: *O vrbem venalem, & citò perituram, si emptorem inuenerit!*

23 Aliquot Principum exempla, qui gratis omnino tribui magistratus decreuêre, recenset *Symanc. lib. 6. de rep. cap.* 16. & post eū alij, præsertim *Mastrill. cap. 20. cit. n.* 30. vbi plura refert, quæ apprimè ad institutum sermonē conducunt, & apud illum consuli debent. Consule etiam *Io. Filesacum lib. 1. selectorum cap.* 15. vbi rem eruditè pertractat, quem postquam hæc scripseram, vidi. Refert *Mastrill. nu.* 89. & 90 *Michaelem Vlobur. tract. de regim. mundi p. 4. q. 1. princ.* Deum testari, se experientia vidisse, quòd, quoties hoc atten-

attentarunt facere Principes per pecuniam, aut per partialitates assumere, & eligere officiales, fuisse dissolutas tales electiones, non sine plaga populi cum priuatione dominij, & trãslatione ipsius ad alios. Vide quoque *Bouadill. lib. 1. politic. cap. 3. num. 21. & cap. 14. n. 15. & seq.* vbi plurimos auctores refert, nedum profanos, verum etiam sacros, qui eiusmodi officiorum venditiones execrantur: consule omnino, *Guliel. Bened. in cap. Raynutius verb. duas habens filias à nu. 52. & deinceps de testam.* cæterosque, quos laudat *Mastrill.* neque enim eorum doctrinã hic trãscribere, & actum agere operepretium est.

24 Dices: etsi malum sit officia hæc vẽdere, tamen sæpè sinistra principia ad felices exitus perueniunt, vt exemplis *Gratianus* ostendit *§. cum ergo post cap. nunquam 1. q. 1.* Sed nihil horum eiuscemodi officiorum nundinatoribus patrocinatur: *ait enim*, inquit idẽ Gratianus, *Leo Episcopus ad Mauros Episcopos epist. 85. vel 87. Principatus, quem aut seditio extorsit, aut ambitus occupauit, etiamsi moribus, atque actibus non offendit, ipsius tamen initij sui est perniciosus exemplo. & difficile est, vt bono peragantur exitu, quæ malo sũt inchoata principio*: quæ sanè verba referuntur in *cap. Principatus 1. q. 1.* vbi *Glossa verb. exemplo*, optimè monet, plurima sacris canonibus reprobari, nè sint exemplo perniciosa, quæ alioquin tolerari possẽt, vt multis iuribus probat. ita certè *Apostolus* iubet *1. ad Thessalon. 5.* vt nedum à malo, verum & ab omni specie mali abstineamus.

25 Dices iterum, cum *Mastrillo loc. cit. n. 43.* iam nunc in more positum est, vt ea officia passim a summis Principibus vendantur: hic autem mos vincit legem *cap. 1. de feud. cognit.* Aio tamẽ, huiuscemodi consuetudinem potius corruptelam fore nuncupandam, ex ijs apertè, ni fallor, ostendi, quæ fusè tradidimus *consil. 3. à nu. 177.* quæ huc transferenda sunt. Sanè morem hunc pessimum esse, liquet satis ex eo, quod radix est, & origo eorum omnium malorum, quæ hucusque explicuimus, estque contrà bonos mores, ac naturalem æquitatem, vt superius ostensũ est. Quamuis ergo cõsuetudinis, vsusque longæui non vilis sit auctoritas; verum non vsque adeo sui valitura momento, vt aut rationem vincat, aut legem, inquit Constantinus Imperator relatus in *l. 2. C. quæ sit longa consuetudo, & cap. consuetudinis dist. 11.* & vtrobique *Glossa* exponit, quonam modo consuetudo legẽ vincere queat.

§. IV.

Ratione collati officij nihil ab officiario exigendum.

SVMMAE.

26 *Consectarium ex dictis omnino notandum.*

27 *Sicilia immunis est ab omni onere vectigalium denuò imponendorum.*

Vectigal in exemptos impositum iniustũ est.

28 *Ius data censeri vectigal.*

29 *Obiectio soluitur*

Vectigal est etiam, quod semel penditur.

30 *Quid erat olim vicesima hæreditatis, quæ in huius aditione soluebatur.*

26 Ex ijs verò, quæ hactenus trãdidimus copiosè, haud obscurè colligitur, supremos Principes nedum officia vendere non posse, verũ neque eo nomine, puta ratione collati officij, ab electo officiario quidpiam exigere: eadem enim incõmoda in vtroque casu perspiciuntur. pro qua quidem re videndũ est, quod Cõstantinus, & Cõstans Augusti sanciuère, referturque in *l. Curiales omniũ C. de decurionib. lib. 10.* vbi: *Curiales*, inquiunt, *omnium Ciuitatum nulla pro re priuata nostra debent inquietudinem sustinere: nec huiusmodi oneribus velut extraordinarijs occupari: quoniam satis est,*

est, si ciuitatum munera per eos congruè compleantur.

27 Sed, quod attinet ad Siciliæ Regnũ, id ostendit *Mastrill. lib. 1. de magistr. cit. cap. 22. à n. 38. & deinceps*, vbi ex eo, quòd Sicilia priuilegio sibi ab Alphonso Rege indulto, relatoque in *cap. 358.* immunis est ab omni onere vectigalium denuò imponendorum, probat, nequire illius Regem ex sportulis, (vel salarijs, cum eadem sit vtriusque rei ratio) quæ iudicibus, alijsque officiarijs debentur, partem aliquam sibi sumere; quandoquidem esset hæc noui vectigalis impositio, vti mox dicam, quæ iusta minimè censetur, si in exemptos, immunesuè fiat, vt omnes Theologi docent: qua de re consulendus præsertim *Lessius lib. 2. de iust. & iure cap. 33.* esse verò illud vectigalis impositionem, affirmarunt plures, quos laudat *Mastrill loc. cit. n. 41.* vocarique vectigal iudiciarium, quod esse odiosum, & contrà iuris ciuilis, ac Pontificij dispositionem, autumat *Rol Cauagnol in obser. ad decret. 6. Montisferrat. §. 7. nu. 17. & 19.* vti *Mastrilius* testatur, qui refert quoq; *Ant. Sol. in consuet. Pedemont. tit. de pest. & suppl glos. 13.* dicentem, illud fuisse a Caio Caligula Imperatore adinuentum.

28 Iterum probat *Mastrill.* illud iure dici tributum, seu vectigal, quòd ità appellauerit Carolus Imperator in *rub. Pandect. Tabellion Regni.* cõferũt, quæ *not. in l. cum quædam puella §. quoties ff. de iurisd. omn. iudic.* ibique omnes præsertim *Cagnol. n. 5. Deci. nu. 3. Purpur. n. 7.* vbi aiunt, ius datæ censeri vectigal; vti etiam *Mastrill.* refert, qui id ipsum fuisse in Regno ventilatum, ac discussum, & vti diximus, decisum. cum præsertim illud Alphõsi priuilegium amplissimum sit, omnẽque prorsus euentum comprehendat, ijs nimirum verbis, *pro quacumque caussa, & necessitate, etiam vrgentissima*: quæ apta sunt omnes casus comprehendere, quæ alioqui minimè cõcluderẽtur, post alios *Surd. decis. 283. vide cons. 3. initio.*

29 Quod si dicas, id non videri vectigal, cum semel dumtaxat soluitur, veluti pro officij ingressu: Aio, id quoque vectigalis nomẽ mereri; satis ostendi, tum quia, secundùm communem Doctorum opinionem, nihil prorsus impedit, quò minus vectigal quidpiam censeatur, si semel tantum pendatur; modò cætera habeat, quæ ad tributi rationem exiguntur: tum ex *l. fin. C. de edicto diui Adriani tollendo*, iuncta *Alciati* interpretatione *lib. 3. dispunctionũ cap. 6.* vbi vicesimam illam, quæ semel tantum in hæreditatis aditione soluebatur, vectigal vocat.

30 Erat autẽ hæc vicesima, quæ deindè vt iniqua sublata est, sicuti monet *Alciatus*, vicesima hæreditatis portio, quã hæres extraneus institutus, priusquam illam adiret, fisco pendere obstringebatur, vt auctor est *Dion. lib. 55.* eamque *Prateius* vectigal quoque nuncupauit in *suo lexic. verb. vicesima hæreditatum*: aliamque similem, quæ ab ijs, qui manumittebantur, exigebatur, vectigal etiam *Liuius* vocat, vt idem *Prateius* testatur. Atque hæc satis sint hac de re.

CONSILIVM XXIX.

Siculorum causæ, etiam feudales, euocari ex Insula non licet: idque Cæsareo iure, quoad supremũ quoque Principẽ, validissimè communitur.

Ad cap. 391. 442. 463. Alphõsi, & cap. 33. Ioannis Regum.

QVæ hoc consilio exponũtur, sũt veluti apparatus ad ea, quæ *seq. cons.* dicturi sumus: cum enim centum fermè annis (in Sicilia caussæ omnes, sed præsertim feudales immortalitatem quo iure, quaque iniuria nanciscun-

scuntur) lis quædam in nostro Siciliæ Regno exagitata sit, tum in tribunali Magnæ Regiæ Curiæ, tũ Regiæ Conscientiæ, quod Consistorium appellam⁹, inter partes postremo loco ex vna Excellentissimum D. D. Marchesium de Afflictis, & Caruso Principem Belmontis actorem (cuius quidem mors immatura nuper amicis dolorem, ipsi quietem attulit) ex altera verò Illustrissimum D. D. Franciscum Statella, & Caruso Marchionem Spaccafurni reum, super reiuendicatione eiusdẽ Marchesatus; auocata fuit in prima instantia è Regia Curia prædicta ad supremum Italiæ Senatum, via recognoscendi, prout moris est. cumque recognita ab eodem Senatu ad Magnam Curiam fuisset remissa, ac per eamdem Curiam publicata: appellatum fuit ad Consistorij tribunal; atq; iterum per reum obtentæ literæ auocationis via recognoscendi; prædictus D. Marchesius institit apud eumdem Italiæ Senatum pro harum literarum reuocatione; quam equidem rationi, ac iuri consentaneam tunc temporis ostendi, vt morem gererem prædicto Principi, cui plurimis nominibus me obstrictum agnoscebam.

Hoc igitur consilio propositam assertionem probabimus, quam primã nominabimus, quæ est veluti fundamentum secundæ, quam *seq. cons.* ostẽdemus, qua dissoluemus præcipuam quæstionem; num scilicet caussæ feudales plusquam semel via recognoscẽdi auocari possint: cuius sanè quæstionis occasione, nõnullas alias quęstiúnculas, ad hanc rem pertinentes, enodabimus.

§. I.

Probatur iure municipali Siculo, caussas Siculorum, etiam feudales, euocari ex insula non licere.

SVMMAE.

1 *IVs Siculum hac de re, & n. 2.*
3 *Duæ difficultates hic dissoluendæ.*
4 *Feudalia bona generali, seu vniuersali dispositione concluduntur secundùm aliquos, licet alij contradicant,* & n. 5. 8. & seqq.
6 *Quomodo bonorum nomine feudalia quoque concludantur,* & n. 7.
9 *Feudales caussæ verè, ac propriè caussæ ciuiles appellantur.*
10 *Siculorum opinio hac in re.*

1 HAec quidem assertio apertè statuta reperitur ĩ *cap.* 391. *Regis Alphonsi*: ibi enim ita Siculorum nomine vernacula lingua supplicatum est. *Item supplica lo ditto Regno à la ditta Maestà, che li causi de Siciliani non si possano extrahire fora de Regno per qualsiuoglia iudicio, siue principali, appellatione, oi reuisione; nè per qualsiuoglia remedio, etiamsi motu proprio, & potestate absoluta lo Principe volisse extrahire; nisi tantum partibus consentientibus, & volentibus. Ita quod in Sicilia si debiano principiare, prosequire, & finire totaliter dauante li iudici competenti; & si forte alcuni inde fu estratti, al presente si rimettano in Sicilia à lo iudicio, à lo quali spetta.* Quibus sanè Regni precibus ità porrectis, Rex respondit in hæc verba: *Placet Regiæ Maiestati; præterquam de causis pendentibus in Curia: nam non esset honestum eas illic remittere indecisas.*

2 Quoniam verò dubium esse poterat, num hac Regia constitutione fiscus quoque siue agens, siue conuẽtus concluderetur; ideo, Siculis iisdẽ supplicantibus, idemmet Rex in *cap.* 442. ita decreuit. *Placet Regiæ Maiestati, quod causæ, in quibus fiscus, cessis vel*

vel demandatis sibi à priuatis actionibus, iure succedere potest, extra Regnũ extrahi non possint: neque etiam causæ illæ, in quibus iuxta pragmaticam sanctiones, constitutiones, & capitula Regni fiscus per se agere non potest: licet fiscus in quandam consequentiam, parte prosequente, & obtinente, ex eis aliquod commodum assequatur. Atque id ipse *Rex Ioannes* sanciuit in *cap. 33.* etsi illud peteret persona quocumque priuilegio munita; nisi fortè casus denegatæ, aut retardatæ iustitiæ obueniret, vt ibidem vberiùs explicatur. Alijs quoque capitulis hoc, & *seq. cons.* referendis illud ipsum satis innuitur.

3 Duo verò vnus ex DD. Regentibus hoc loco in controuersiam vocauit, primum sanè, num ius istud municipale causas quoque feudales concluderet, de quo *hoc §.* agimus: alterum vero, de quo *§. seq.* an, sicuti idem ius Siculorum iure Cęsareo quoad cęteros communitur, ita quoque quoad Principem supremum. Aiebat enim neque causas feudales eo iure comprehendi; neque Principem supremũ hac in re Cæsareis legibus obstringi: ac primum quidem probabat, quia feudorum causæ, nisi apertè exprimantur, nulla prorsus lege concludũtur. *§. in generali, si de feud. defun. cōten. ibique Bald.* cæterique Doctores animaduertunt, & *§. 1. de capit. qui cur. vend. Afflict. decis. 14. Paris. cons. 3. nu. 3. & cons. 7. num. 3. & cons. 12. nu. 46. 60. 62. 63. lib. 1.* alijsq; idem profitẽtes laudat *Schraderus de feud. part. 10. sect. 18. n. 133.* Etsi eorum plures alijs in locis cōtrariam sententiam amplectantur, ac sibimet ipsis contradicant, vt apud *Tiraquel. in l. si vnquam, verb. bona. num. 15. C. de reuoc. donation. & in tract. de retract. lign. part. 1. §. 1. glos. 3 à nu. 3.* & deinceps, & apud eũdẽ *Schraderum* animaduertere licet. Loquuntur verò omnes de bonis feudalibus expressim, quod ego viderim; non autem de feudorum causis.

4 Sed quicquid sit de horum auctorum sententia; alij plures, & maximi quidẽ nominis Iurisconsulti contrariam amplectuntur, docentque, generali, seu vniuersali dispositione feudalia quoq; bona cōcludi. Ita censuit eximius feudistici iuris interpres *Andr. de Isern.* alijque, quos laudat *Tiraq. & Schrad.* locis modo relatis. Et quidem *Decius cons. 389. num. 1.* discrimen agnoscit in re, qua de agimus, inter generalẽ dispositionem, & vniuersalem, vultq; generali quidem feudalia nō includi; at vniuersali ea omnino comprehendi ex doctrina *Bald. in l. generali, §. vxori ff. de vsufr. leg.* vbi ait, legato generali venalia minimè cōcludi; at vniuersali ea penitus comprehendi (alijs quoq; locis animaduertes *Baldum* inter generale, ac vniuersale discrimen agnoscere, vt in *l. à iudice num. 4. C. de iud. post Petr. in l. vlt. ff. qua res pignori obl. pos. & Innoc. in c. ex literis de iurepat.*) Etsi alibi quoque *Decius* contrarium innuat, ac sibimet, vti de cæteris monuimus, contradicat.

5 Vix profectò comperies alibi magis, quam hac in re, Doctores sibimet ipsis penitus aduersantes, vt apud *Tiraquellum* animaduertere poteris: id quod euidens signum est, hanc feudistarum doctrinam, vel falsam omnino, aut saltem nimis esse perplexam. Certè *Tiraquello ex §. generali* minimè ꝓbatur. Et *Glos. 1. in §. 1. de capit. qui cur. vend.* vbi idem inculcatur, quod *d. §. generali* decretum fuerat, etsi primo loco eam doctrinam comprobet; postea verò contrariam videtur amplecti, eamque validis rationibus ostendit. Quis scit, an hoc ipsum ex eo rerũ generi censendum sit, quæ vel ambigua, vel contrà rationem in iure feudistico existimantur, quarum pleraque exempla congerit *Hotomanus* in ijs, quæ ad disputationem de feudis præfatur: videtur enim rationi dissonũ, vt, qui, verbo vtens vniuersali, omnia vult comprehendere, certum quidpiã præter, aut etiam contrà illius intentionem excludatur; aduersus ea, quæ

conf. 3. initio, latè tradidimus;

6 Ego verò in hac mira Doctorum varietate, atque inconstantia, rem totam ita breuiter explicarem. Si generatim, atque vniuersè loquamur, bonorum appellatione feudalia quoque continentur; cum enim ea proprissimè nuncupentur bona, propterea quòd rationem bonorum genericam proprissimè participăt, vti Philosophi loquuntur, cur non ea bonorum nomine concludantur? At verò, si eo euentu loquamur, quo Dominus Curiam, ac generaliter sua bona alienet, tunc in hac generali alienatione feudum (nisi id nominatim inter ipsum dominum, atque emptorem actum sit) minimè contineri, dicendum erit; idque non quidem, quia bonorum nomine feudalia non comprehendantur; cum id iure dici nequeat, si vera, vt certè verissima sunt ea, quæ *d. conf. 3. initio* de generali, ac vniuersali loquutione exposuimus; sed quia alio iure, puta, *§. in generali cit.* alijsque similibus, expressim sancitum est, vt in generali alienatione (puta à Domino facienda, vt monuit *Hotomanus*, illam legem intelligendam; quandoquidem vassalli absque domini voluntate suum feudū alienare nullo modo queunt, vt pluribus locis feudistici iuris decretum reperies; at Dominus potest, si generaliter sua bona alienet, expressimque feudum nominet, vt ex *eod. § Hotomanus* animaduertit) feudum non contineatur, nisi nominatim dictum sit.

7 Quare hoc solum euentu id verum erit; alijs verò contrarium prorsus asserendum est, quo minus, quantum fieri possit, communi iuri derogetur, quod propositionem vniuersalem, aut etiā indefinitam, generaliter esse intelligendam decernit, vti loco citato edocuimus. Et sanè id optimo iure statutum videtur, quò scilicet Domini facultas feudum alienandi, quoad fieri potest, coarctaretur, cū ea sit vassallo admodum perniciosa. Simile quid monuimus suprà *conf. 3. à n. 19. ex Sylua de benef. 1. part. q. 3.* vt eum retulit *Gigas de pension. quæst. 28. num. 3.* Id autem est, dictionem, *alias*, aut eiusmodi aliā, similia inuoluere, nisi iure aliquo declaratum sit, ea, quæ vocula illa connectit, dissimilia esse, atque diuersa.

8 Addiderim, quod attinet ad rem, qua de agimus, non rectè ex *§. Generali cit.* inferri causarum nomine feudales minimè concludi; quinimò contrarium penitus est asserendum: tum quia ius illud de bonis loquitur, non verò de causis feudalibus; neque in vtrisq; eadem ratio perspicitur, cum in feudi alienatione consideretur alterius, puta vassalli detrimentum; in causis verò nullius damnum perpendi potest, cum possit sæpè ipsi domino, ac vassallo prodesse, quòd statuto aliquo, seu constitutione, feudales causæ concludantur: certè, si generatim loquamur, statutum illud nulli animaduertimus esse nociuum: tum quia Doctores quoq; de bonis, vt plurimum, non verò de causis feudalibus loquuntur: tum deniquè quia feudorum causæ verè, ac propriè causæ ciuiles ab omnibus censentur; indeq; probat post alios *Schraderus tract. de feud. p. 10. sect. 16. num. 68.* in ijs testium examinationem alteri posse à iudice committi, quòd ciuiles existimantur, ac pleraque alias ex hoc eodem principio conclusiones Doctores eliciunt: causarum igitur ciuilium appellatione hę concluduntur.

9 Adde, quod attinet ad rem nostrā, *Alphonsum in citat. cap. 463.* decreuisse Regno nullas penitus ciuiles quęstiones extrahendas: ciuium verò quæstionum nomine non solum, vt modo dixi, feudales concluduntur, verum & eas includi expressè Siculi voluere, dum à Rege id ipsum petebant, vt ex *eod cap.* constat: quo sanè fit, vt, cum Rex in responsione eas nequaquā excluserit, omnino inclusæ cēseantur; responsio enim indeterminata iuxtà petitionem, eiusque qualitates, & circumstantias intelligenda est, vt ex ijs liquet, quæ *conf. 2. n. 7. & conf. 3. num. 159.*

159. retulimus. certè, si idem Rex Siculis illud efflagitantibus concedere noluisset, puta vt causæ feudales minimè extrahi possent; id ipsum vtique expressisset *arg. eorum, quæ consi. 2. cit. nu. 8.* tradidimus: & quamuis hac de re dubium foret; ita tamen ea capitula essent interpretanda, vt feudales causas omnino concluderent, quò scilicet in Regni fauorem interpretarentur, iuxta Regni capitula, quæ ipsi *consi. 2. n. 17. & consi. 3. n. 107.* retulimus.

10 Sanè, nisi ijs capitulis causæ feudales concluderentur; cur profectò postea alijs capitulis *consi. seq.* referendis sancitum est, vt ea via recognoscendi euocari possent? Atque ideo ita sentiunt Siculi Doctores præsertim *Petr. de Greg. tract. de iud. caus. feud. quæst. 39.* præcipuè, *vers. his igitur*, ibi: *Nè causæ Siculorum extraherentur à Regno contrà formam capitulorum Regni.* Ex alijs omnes ita eadem capitula interpretati sunt; & nemo fermè eorum vnquam hac de re dubitauit. An verò his ijsdem capitulis euocatio causarũ feudaliũ, quę fit via recognoscẽdi prohibeatur, *d. consi. seq.* explicandum erit; vbi etiam enodabimus, num aliæ causarum euocationes, quæ non fiant via, vt aiunt, iudicandi; sed solum vota iudicum recognoscendi, his quoque capitulis interdictæ censeantur.

§ II.

Ius municipale Siculum hac in re Cæsareo quoad omnes, etiam supremum Principem, communicatur.

SVMMAE.

11 *Caussarum extra prouinciam euocatio omni iure damnatur.*

Legatus in pluribus prouincijs non potest aliquem à sua prouincia extrahere, vt in alia respondeat.

Nemo extra suam prouinciam trahi debet.

Regi extra Regnum non est iurisdictio contentiosa, sed voluntaria.

12 *Proconsul extrà prouinciam non habet iurisdictionem contentiosam:* & n. 13.

14 *Plures volunt caussarum euocationem etiam intra prouinciam prohiberi.*

15 *Iura, quibus nostra assertio innititur:* & n. 16. 17. 18. 19.

19 *Appellatio fauorabilis est, euocatio odiosa.*

20 *Discrimen inter Imperatorem Romanũ, cæterosque Reges hac in re, omnino notandum:* & n. 21. & 22.

Papa vbique suum territorium habet.

23 *Præfecti Vrbi, Proconsulis, & Præsidis iurisdictio contentiosa, Vrbis, & Prouinciarum limitibus coarctatur; extra quos tamen constituti iurisdictionem demandare possunt.*

24 *Id ipsum in Regibus locum obtinet;* & n. 25. & 27. & 29.

26 *Quid in* Auth. cit. *imperiales domus appellentur.*

Reges duplex honorum genus habent.

28 *Princeps supremus suis obtemperare legibus debet.*

11 IAm verò causarum euocationem extrà Prouinciam omni iure damnari plusquam certissimum esse debet. Qua de re rectè ait *Afflictus in constit. Regni Siciliæ lib. 1. de officio Capitaneorum, rub. 41. constit. Capitaneum num. 16. & 17.* Vbi obiecta quoque diluit; concluditque, iniquũ censeri, quòd litigantes patriam exire cogantur, allegatque *Auth. vt litigantes, &c. coll. 9. & Auth. de quæstore, §. super hoc, & l. Curiales, C. de decurionib. lib. 10. Bald. in cap. imperialem, §. præterea, si inter duos, col. 2. vers. quæro vtrum, Paris. de probib. feud. alien. per Feder.* Idque confirmat ex doctrina *Abbatis in cap. nouit, vers. sed dubito de offic. legati*, vbi ait, Legatũ in pluribus Prouincijs non posse vnum de vna Prouincia citare, quod in alia compareat, quia quis extrà suam Prouinciã trahi non debet *cap. neminem 3. quæst. 6.* idemque repetit *Panorm. in cap. nonnulli, de rescrip.* quia, inquit *Afflictus*,

iura volunt, quòd extrà territorium Regni non est apud Regem iurisdictio contentiosa eorum, quæ sunt Regni; sed voluntariam iurisdictionem exercere potest, vt notatur in *d. cap. nauit, & habetur in l. fin. ff. de iurisd. omn. iud. & in cap. fin. in fine de constit. lib. 6.*

12 Qua lauè ratione in negotio Siculorum vsus est Petrus de Gregorio Siculus *tract. de iudic. causs. feud. q. 39. num. 1. & 3.* sicut, inquit: *Proconsul existens extra Prouinciam sibi designatam non habet in Prouinciales aliquam iurisdictionem contentiosam, sed voluntariam tantum, l. 2. ff. de offic. Proconsf. & legat. ità Rex Siciliæ existens extrà Regnum in Siculos existentes intrà Regnum non habet iurisdictionem contentiosam in actu, sed in habitu tãtum: & ideo causæ Siculorum extra Regnum extrahi non possunt, tam ex defectu iurisdictionis actualis contentiosæ in inuitum, iuxtà ea, quæ habentur in l. fin. ff. de iurisdict. omn. iud. quam etiam ex incompetentia fori ipsius Siculi conuenti extra Regnũ, à quo extrahi non potest: cap. cum sit generale, & cap. fin. de for. comp. l. 1. & 2. C. vbi in rem actio, & in Auth. qua in prouincia, C. vbi de crim. agi oport.* Eadem repetit *Milauens. decis. 2. num. 9. lib. 1.*

13 *Benè tamen fateor*, subdit Afflict. loc. cit. *Quod si Rex existens extrà Regnum aliquid mandat, vel præcipit fieri in Regno, quod ei parendum est, & non habet locũ d. l. fin. ff. de iurisd. omn. iud. secundùm Albericum de Rosata*, ibi: *Iste dominus Rex, existens extrà Regnum istud, non citabit suos subditos, vt extrà Regnum vadant ad eum: pro quo gloss. verb. in Hibernia in cap. cum olim de dolo, & contum. Ad hoc accedat, quod dicit Iacob. Butri. & Alber. in l. fin. ff. de offic. præfect. vrb. vbi dicit, quòd si iudex vult iudicare de his, quæ sunt in territorio, existens extrà territorium, non potest. Quare concludo, quod ea, quæ requirunt causæ cognitionem, sine voluntate ambarum partium, non potest cognoscere Rex existens extrà Regnum, puta de causa inter duos Regnicolas, & de rebus existentibus in Regno, & si cognosceret, vna parte reluctante, haberet locum dispositio d. l. fin. ff. de iurisd. omn. iudicum, non obstantibus contrarium allegatis, quia illa loquuntur in casu, vbi non requiritur causæ cognitio;* & cætera, quæ idem *Afflictus* addit: cuius equidem, aliorumque doctrinam ideo retuli, vt intelligeretur, ipsum etiam Regem, seu Principem supremum nequire iustè Prouinciales è Prouincijs euocare, vt mox ipse vlterius ostendam: quod vir ille doctissimus omnino inficiabatur.

14 Quin & plures alij, nedum causarũ euocationem extrà Prouinciam, verũ & intra eamdem esse prohibitam volunt, vt post alios docuit *Couar. pract. quæst. cap. 9. nu. 4.* quem laudat, sectaturq; *Auendan. de exequend. mandat. Reg. cap. 5. num. 12.* Vbi enim cęptum est iudicium, inquiunt, ibi debet finiri, & quòd nõ potest dominus loci, eiusuè locum tenens, causam euocare secundùm *Paul. de Castr. in l. nemo, de iurisd. omn. iud. & in l. nulli, C. de iud. Ripa in cap. cum M. Ferrariens. de cõst. col. penul.* Nam sicut dominus loci sine causa non potest eos iudices iurisdictione priuare, ità neque causas euocare: nam sic posset deueniri ad totius officij suspensionem: *vt notat Paul. in l. iudicium soluitur, ff. de iud.* Lege vtrũque Doctorem laudatum, & *Mandosium tract. de inhibitionib. q. 9.* vbi, quęrens num maior indistinctè minori inhibere queat, negantium sententiam amplectitur, innixus *in cap. cum ad Ecclesiarum de offic. ordin.* aliaque addit tum *loco cit. tum quæst. 9.* quæ rei, qua de agimus, plurimum conducunt.

15 Sed, quod attinet ad nostrum institutum, sunt in vtroque iure, Pontificio scilicèt, ac Cæsareo, apertæ constitutiones, quæ causarum euocationem extrà Prouinciam interdicunt: & in Pontificio quidem habetur, *cap. neminĩ, & seq. 3. q. 6.* vti suprà monuimus, quæ illud apertè decernunt. At in Cę-

sareo

sarco leges sunt id apertissimè statutes. Ac primùm consulenda omnino sunt, quæ Iustinianus Augustus sancivit in *Auth. vt omnes obed. iud. &c.* S. *hac considerantes. & deinceps*, vbi causas quascumque in Prouincijs ab earumdem iudicibus decidendas decreuit, neq; ad aliam Prouinciam trahi: *Neque*, inquit, *ad hanc felicissimam Ciuitatem, neque ex priuilegio cuiuspiam, neque ex iussione; sed illic* (putà in ea Prouincia) *decidantur*. Aliaque addit ibidem penitus legenda: neque enim vacat illius sanctionem totidem verbis hic transcribere.

16 Solùm moneo, id prorsus quoad supremum Principem, atque ipsummet Imperatorem decerni; quas etenim causas vetat ad felicissimam Ciuitatẽ, puta Costantinopolim, trahi; prohibet sanè, nè principali comitatui, puta Imperiali præsentiæ, vt *glossa in l. vnica, C. quando Imper. inter pupil. verb. comitatui*, interpretatur, exhibeatur: quod idem certè innuunt haud obscurè verba, quæ statim subsequuntur, puta: *neque ex priuilegio cuiuspiam, neque ex iussione*: priuilegium enim solus Princeps Summus, aut Imperator indulget; ad eosq; dumtaxat iussio spectat. De cuiusmodi verò priuilegio Iustinianus loquatur, cõsule *Glossam verb. priuilegio*, id latiùs explicantem, & *in Auth. qua in Prouincia*, quæ ex loc. cit. desumpta est, *C. vbi de crim. agi oport. verb. Illic omni priuilegio*: & sanè vtrobique glossographus docet, à Iustiniano ea priuilegia excludi, quæ corpore iuris minimè concludũtur: quod equidem elicerem *ex S. arripiat, ead. Auth.* vbi casum excipit Imperator, quo lege aliqua extrahi Prouinciales è Prouincijs licet, vt mox animaduertam: vide *glos. ibid. verb. quale*, quæ id ipsum innuit.

17 Loqui verò constitutionem hanc de Summo Principe, aut ipsomet Imperatore, vlteriùs elicio *ex dict. S. arripiat. scit. Auth. vt omn. obed. iud.* quod reperitur in *S. excipitur in d. Auth. qua in Prouincia*, cuius sanè paragraphi doctrinam ei, quæ constitutionis initio, quamque modò ipsi retulimus, annectendam, vtrobique *Glossa* rectissimè arbitratur: postea enim quàm Imperator nullam prorsus causam è Prouincia euocandam, aut extrahendam sanxerat, casum excipit, quo id fieri ab Augusto licitè queat: nisi fortè, inquiens, *sacra nostra pragmatica forma, occasione publicæ causæ* procedens, quempiam principali comitatui præceperit exhiberi. Ecce tibi casum quoad ipsummet Imperatorẽ exceptũ contrariam regulam quoad eumdem etiam obfirmare, iuxta ea quæ *consl. 3. n. 160.* tradidimus *Mandos. in reg. 13. Cancell. quæst. 7. num. 4.* qui alios laudat.

18 Animaduertenda verò sunt duo, quæ Iustinianus exigi decernit, quò illud licitè, iustèq; fieri queat: puta primùm, vt id pragmatica forma præcipiatur, nimirùm, vt *Glossa* vtrobique monet, cum consilio procerum, *l. 2. C. de legib. & constit.* alterum verò, vt id fiat *occasione publicæ causæ*; quo sanè consequens fit, vt nisi publica hæc, cõmunisuè vtilitas, ac bonũ subsit, nullatenùs Prouinciales è Prouincijs, ab ipso quoque Imperatore, euocari licebit: quin & ibidẽ Augustus, nè appellationibus ipsè Prouincijs extraherentur, id ipsum magna ex partẽ curauit, vt ipse loquitur *Plurimos, inquit, maiorum iudicum in Prouincijs appellationem constituentes, vt apud illos magis appellatio quando non de maximo negotio fuerit quæstio, quam in hac examinetur maxima ciuitate.*

19 Simile quidpiam Fridericus Imperator, eiusque filius Hẽricus Romanorum Rex statuère in *S. in causis appellationum, de pace const.* vbi, etsi ad se ipsosmet fieri appellationẽ decernãt; quò tamen litigatores in Alemaniam ire minimè cogerentur, proprium iudicem in ciuitatibus statuerũt, qui de ipsa appellatione cognosceret. Cui sanè constitutioni vir ille doctus maximè

mè innitebatur; perinde, ac si inde apertè eliceretur, posse Imperatorem Prouinciales è Prouincijs euocare; cũ tamen id minimè colligatur, solùm enim ibi sancitur, in causis appellationum, si quantitas viginti quinque librarum imperialium summam excesserit, ad ipsum Imperatorem fieri appellationem; non quidem, quod extrà Prouinciam de eiusmodi causis Imperator ipse, sed in eadem Prouincia de illis iudex, ab Augusto constitutus, cognosceret. Adde plura discrimina inter appellationem, & euocationem, quæ congerit *Rebuf. in constitut. Reg. tract. de euoca. art. 1. à nu. 92.* & deinceps, ac præsertim appellationem fauorabilem esse, euocationem odiosã.

20 Et quamuis ad Imperatorem tunc temporis extra Prouinciam manentẽ, atque ibidem cogniturũ, fieret appellatio; id tamen primùm per euocationem minimè eueniebat, quæ plurimũ differt ab appellatione, vt modò ex *Rebuffo* monuimus; deinde is in omnes Prouinciales sibi subiectos vbicũque manentes actualem habebat iurisdictionem, quippe quæ eadẽ prorsus Imperialis iurisdictio illi in omnibus æquè Prouincijs erat, quæ ad eũdem comparatæ, vnam veluti conflabant Prouinciam, vnum Regimẽ, vnũ Imperium, vnum, vt aiunt, territoriũ: quemadmodum Pontifex Summus vbique suum territorium habere dicitur, *vt not. in cap. 1. de constitut. & cap. nouit, de iud. extrauag. vnam sanctam, de maior. & obed. monetque Rebuf. in const. Reg. tit. de lit. requis. glos. 3. nu. 20.* sicque Imperator hoc vno, eodemque nomine, seu, vt clariùs loquar, titulo, populos omnes Prouinciarum omniũ regebat, eæque illi subdebantur.

21 At Regibus non æquè in omnibus suis Regnis iurisdictio est; sed eorum vnumquodque suum peculiare obtinet regimen, nihil commune cum reliquis habens; neque vno, eodemque nomine ea Regibus subijciuntur; sed quodque suo proprio, vti Siculum Siculo, Castellanum Castellano, atque ità de reliquis; adeo vt Sicula iurisdictio in Sicilia, Castellana in Castella, exercenda sit; & sic de cæteris: Rex enim Siculus, etsi aliorum Regnorum sit Rex, tamen in Siculos iurisdictionem habet, non quidem vti Rex absolutè, sed vti talis Rex, puta Siciliæ: at verò Imperator iurisdictionem in omnes obtinebat vti Imperator, omnesq; imperatorio nomine eidem subijciebantur: quare rectè ad ipsum è Prouincijs appellatio fieri poterat: idemque eueniret, si Rex quispiam omniũ suorum Regnorum Rex eodem nomine foret; quia vbicumque Regnorum reperiretur, illi eadem prorsus, eiusdẽ uè rationis, seu indiuidualis, vt Philosophi loquuntur, iurisdictio adhæreret: at cum diuersis nominibus præsit, etsi actualem habeat in illos iurisdictionem, in quorum Regno reperitur; quia tamen hæc iurisdictio diuersæ rationis existit ab ea, quam in alios cæterorum Regnorum habet; non hinc optimè infertur, etiã in hosce actualem obtinere iurisdictionem; sicuti ob contrariam penitùs rationẽ in Imperatore inferri rectissimè potest: quia enim eadem omnino indiuidualis iurisdictio ei in omnes sibi subiectos cõpetit; ideo iure optimo inferre possumus, vbicumque locorum ille reperiatur, in omnes prorsus actualem obtinere iurisdictionem.

22 Nihilominus tamen refert *Ianus Langleus in suis semestribus, lib. 7. cap. 17. ex Plinio ad Cornelianum epist. lib. 6.* Traianum Augustum, ab ordinarijs Magistratibus causa adulterij, à quodam Centurione perpetrati, ad suum iudicium translata, militaris disciplinæ fecisse mentionem; quò nimirum innueret, se illius delicti suscepisse cognitionem, ob militarem disciplinam, quam sanè corrigere ad se pertinebat: *Nè omnes eiusmodi causas*, inquit Plinius, *reuocare ad se videretur*: carpi item à *Tacito lib. 11.* Claudium Cæsarem, quòd cuncta Magistratuum mu-

munia ad se traherent, idem Auctor animaduertit: eumdem consule, alia plura huiusce rei exempla proferens.

23 Atque hæc tota ratiocinatio satis ex ijs roboratur, quæ de Vrbi Præfecto *in l. fin. ff. de offic. Præf. Vrb.* de Proconsule *in l. 1. & 2. ff. de offic. Procons. & leg.* & de Præside *l. 3. ff. de offic. Præsid.* ubique, statuta sunt, vbi eorū iurisdictio actualis, & contentiosa Vrbis, ac Prouinciarum limitibus coarctatur, etsi de cætero ijsdem concedatur, vt quandoque, extrà eiusmodi limites reperti, iurisdictionem demandare queant, vt *ead. l. fin. ibique gloss. ff. de offic. Præf. Vrb. l. aliquando, ff. de offic. Procons.* monetque *Glossa in l. 3. cit.* Id autem euenit, quia extrà territoriū ius dicenti impunè non paretur: *l. fin. ff. de iurisdict. omn. iud.*

24 Quemadmodum ergo, quia Imperatori integrum Imperium territoriū est; in quacumque tandem Imperij parte is repertus, ius dicere potest; ità, quia Præfecto Vrbi ipsa Vrbs, Procōsuli verò, ac Præsidi, Prouinciæ sibi decretæ, territorium finiuntur; sanè hi extra Prouincias actualem non habent iurisdictionem, seu, quod est idē in re, qua de agimus, exercitium iurisdictionis, vt rectè docuit *Gloss. 1 in l. 3. tit. de offic. Præsid.* vbi id ipsum in Regibus locum obtinere monuit: *Non autem dico,* inquit, *si exierit,* (Præses) *vt ob hoc videatur in Prouincia amisisse Imperium, vt dicūt Vascones; qui dicūt se non teneri sub Rege Angliæ, nisi ipse sit in Vasconia; aliàs nolunt ei seruire: sed dicunt eum priuatum, & non esse eorum Regem: sed malè intelligunt; nam non est priuatus, sicut nec Sacerdos definit esse, cui interdicitur officium: hoc tamen est, quòd non habet exercitium iurisdictionis extrà Prouinciam suam, quia in dicendis sententijs morem suorum maiorum debet seruare, vt suprà de iust. & iur. l. pen. potest tamen, & debet delegare etiam extrà, vt delegatus intrà Prouinciam cognoscat, vt dixi suprà de offic.* *Præf. vrb. l. fin.*

25 Quibus sanè verbis satis innuit *Glossa*, eamdem prorsus esse rationē, quoad rem, qua de agimus, in Præside, atque in Rege; etsi de reliquo is extrà Prouinciam, in alios alterius Prouinciæ, in qua reperitur, iurisdictionem actualem obtineat; hæc enim, quia dictæ est rationis, nequaquam sufficiens censetur, vt in eos, qui in alia Prouincia morantur, exerceatur, vti iam satis expositum est. Hanc *Glossam* sequutus est *ibid. Bald.* neq; contrà hoc tenet *Bart. in l. 1. C. de Metrop. Beryt. lib. 11.* alijque, quos refert *Ant. Capic. decis. 194. num. 8.* Nam *Bart.* & alij loquuntur secūdùm terminos *d. cap. nouit, de offic. leg.* puta, quando vniuntur duæ Prouinciæ sub vno Præside, qui non est casus noster, quia tunc eadē erit iurisdictio indiuidualis quoad vtramque.

26 Iam verò idem Imperator Iustinianus constitutionis hucusque relatæ, & ad præsens negotium perpensæ firmitati consulens, volensque ipsius quoque Augusti, saltē indirectè, vel obliquè, manus, vt ità loquar, ligare, *in §. arripiat. cit. Hanc* inquit *dicentes iustitiæ legem, adhuc potiùs faciemus eam iustiorem, si nulli permittamus habere contrà eam quædam priuilegia, neque excipi ab hac lege quolibet priuilegio: nec si cuilibet Sanctarum Ecclesiarum largitum sit, aut alicui venerabiliū Xenodochiorum, aut alijs venerabilibus domibus, aut alij cuilibet ipsarum domuum Imperialium* (puta) *aut sacro patrimonio* (idest rebus Impèrialibus, vt Glossa interpretatur) *aut sacris priuatis,* (scilicet rebus priuatis Principis, vt eadem Glossa monet; cùm is duplex bonorum genus habeat, vt hic, & *l. benè à Zenone, §. 1. C. de quadrien. præscrip.* alibique) *quæ meritò post supernū honorem secundo loco sunt posita: nec si aliquibus iudicibus, aut in potentatu positis, aut omninò sub nos constitutis hominibus; sed obediant omnes legi, & succumbentes iustitiæ sanctioni, honorent*

eam, & per omnia habeant fortem. Et infra: *Si verò quisquam vtatur aliqui- bus sacris formis, siue pragmaticis, siue alijs de tali quodammodo sibi largitis, ferunt omnino damnio subsistentes. Iudicibus maximam soldantibus pœnam, si commisso suscepérint.*

27 Quam sanè legem perutilem quandã à Deo sibi luce tributam, bonóque sub- iectorum sancitam, inquit Imperator: *Neque,* inquit subiectos alloquens, *itinere fatigabimini longiori; neque ad- uersus maximos laborabitis; neque inc- culpabitis, tamquam hæc non corrigen- tes, sed vniusquisque de proximo respiciet pœnam, in quibus fortè damnificatur, atque læditur, & hanc curam videns, magnum, & bonum laudabit Deum, qui hæc nos sancire benè, & iustè illumina- uit.* Ex quibus quidem omnibus satis, ni fallor, elicitur, etiam ipsum Supre- mum Principem non posse iustè cau- sarè Prouincijs euocare, nisi iustissima causa subsistente firmasse *Guillel. de Cu- neo, & Paul. in Auth. qua in prouincia* C. *vbi de crim. agi oport.* refert *Re- buf tract. cit. de euocationib. art. 1. num. 57. quæst. 6.* etsi ipse legem Principi hac in re minimè imponere velit, quã- uis de cætero eundem eadem in re legibus honestatis obstringat, *cap. pe- nult. de iur. calum.*

28 Sed certè, vti ipsi *cons. 19. à nu. 10.* abundè probauimus, Supremus quo- que Princeps, Supremusque Legisla- tor suis obtemperare legibus debet; id quod maxime in re, qua de agimus, locum obtinere oportet; cùm, nedum quæ res præfatæ legi subijciuntur, seu vt aiunt, materia legis, ipsimet, & cæ- teris sit communis, verùm ad illum ea maximè spectet, vt quilibet animad- uertere facillimè potest. *Et sicut,* inquit Rebuf. *Princeps non debet alicui auferre dominium sine causa l. 2. C. de precib. Imp. offer. ita nec propriã iurisdictionẽ l. qui fuerit ff. de stat. hom. Bald. in l. 1. col. vlt. ff. de constit. Princ.* quod sanè fieret, causis è Prouincijs euocandis. Idque traditæ hùcusque doctrinæ al- terum fundamentum esse non incon- gruè possent.

29 Principem quoque partibus inju- riam inferre, cùm absque causa literè Prouincijs miscat, ostendit ipsumet *Rebuf. ex Auth. vt differentes iud. col. 9.* atque id ipsum obseruatur *Petr. Bel- lugar Specul. Princ. rub. 23. vers. sed pe- nultimò ℟. & seq.* atque præter suprà hùcusque laudata probari non ineptè potest assertio nostra *ex ijs, tit. ne litig. tur. irrexi nihil. col. 9.* item ex ijs, quæ docuit idemmet *Rebuf. loc. cit. nu. 89.* quæ apud illum consulenda sunt; qui *num. 59. in fine,* loquens de ministris hasce litium euocationes consulenti- bus: *Cancellarij,* inquit, *qui flectunt capita sua sicut arundines, peccant: & melius esset eis cedere officio, quam pas- sim literas concedere in perniciem totius populi, & animarum suarum periculum.* Vide quoque *l. omnes, ibique Glossam, verb. cogantur, C. de Episcopis.*

§. III.

Obiecta contra assertionem diluuntur.

SVMMAE.

30 OBiectio ex epistola quadam Ciceronis.

31 *Solutio; & retorquetur argu- mentum.*

32 *Probabile est neque* Ciceronis *tempore prouinciales è prouincijs euocari potu- isse: &* n. 33. 34.

Papinianus cur à Caracalla interemp- tus.

33 *Eius discipulus Venuleius.*

Vlpianus cum Paulo Papiniani Præfe- cti Prætorio assessores fuère.

Modestinus Auditor Vlpiani fuit.

35 *Sæpè quod iure communi competit, pri- uilegio quoque indulgetur.*

Viaticum nemini verè pœnitenti dene- gandum.

36 *Alia obiectio.*

37 *Diluitur.*

Legatus plurium prouinciarum nequit *vnius*

unius prouinciæ hominem ad aliam trahere.

38 *Iudex actorem actione carentem repellere debet.*

39 *Litibus alium vexare non licet.*

Impetrans euocationem præsumitur nō habere bonam caussam.

Lites potius restringendæ, quam laxandæ.

40 *Vltima obiectio* Aloysij de Casanate.

41 *Dilutio:*

Doctrina Rebuffi *hac in re.*

42 *Triplex potentia hac in re, alijsque similibus animaduertenda.*

43 *Quanam potentia sit* Principibus *euocandarum caussarum*, & n. 44.

30 SEd obijcies, quia Prouinciales è Prouincijs euocari, licet: id, quod sapiētissimus ille vir ostēdere conabatur ex *epist. vlt. Ciceronis ad Atticum, lib.* 5. vbi: *Euocari*, inquit Tullius, *ex Insula Cyprios non licet*: ergo, inferebat ille, reliquos Prouinciales è Prouincijs poterant iure euocari.

31 Occurrendum est tamen, etsi verū foret, Ciceronis tempore Prouinciales è Prouincijs extrahi potuisse; nihilominus, quia id postea correctum, atque emendatum fuit, apertè sequitur, id esse penitùs obseruandum. Deinde ratio, diuersam fuisse tunc rationem, atque nunc cernimus: siquidem tunc temporis ab Imperatore Prouinciæ vnico nomine, seu titulo, vt *num.* 20. explicuimus, regebantur: quod in re, qua de agimus, locum non habet, vt supra animaduerti. Præterea ex Ciceronis auctoritate videri potiùs cōtrarium inferri: etenim si Cyprij ex Insula euocari nequibāt, cùm in alijs quoque eadem prorsus ratio perspiceretur, in ijsdem idem omninò ius locum minimè obtineret? Solùm igitur voluit Cicero, id, quod Cyprijs competebat, sibique sufficiens erat, asserere; nihil de reliquo de alijs asseuerans. Sicuti in simili re non absimili modo S. *Hieronymus* ratiocinatur, dum illud *Matth.* 1. *lib.* 1. *Comment.* exponens, *Antequam conuenirent* (Maria, & Ioseph.) *inuenta est*, &c. *non sequitur*, inquit, *vt postea conuenerint: sed Scriptura, quid factum non sit, ostendit.*

32 Porrò ipsa etiam Tullij tempestate nequiuisse prouinciales è prouincijs euocari, si coniecturis in re antiquissima vti licet, non ineptè ostendi posse videtur: etenim Papinianus priscus Iurisconsultus, quique ab Antonino Caracalla, quod cædem Septimij Getæ, eiusdem Antonini fratris, ab eodē in ipso sinu matris patratā, excusare, ac defendere noluisset, non tam facile esse aiens parricidium excusare, quàm fieri, securi percussus est, vt auctor est *Spartianus, anno Vrbis conditæ* 965. puta post Ciceronis interitum 254. cum is anno cōditæ Romæ 711. mortuus sit: is, inquam, Papinianus: *Alterius Prouinciæ reus*, inquit lib. 16. resp. ac refertur in l. fin. ff. de accus. *apud eos accusatur, & damnatur, apud quos crimen contractum ostenditur: quod etiam in militibus esse obseruandum, optimi Principes nostri generaliter rescripserūt.*

33 Innuit sanè Iurisconsultus, id tunc certi iuris fuisse, neque tunc primùm ab eo decerni, vt certè alibi iurisconsulti animaduerterunt. & quoad milites antea quoque Imperatores rescripsisse docet: id, quod & Venuleius, Papiniani discipulus, & Lampridio in Alexandro credimus, ita seruari autumat, vt refertur *in l. de militibus ff. de custod. & exhib. reor.* ac de seruis delinquentibus, cæterisque sacrilegis, & criminosis, idem statuisse Diuum Pium, qui anno Vrbis conditæ 891. imperare incepit, Vlpianus (qui eiusdem Papiniani Præfecti Prætorio assessor cum Paulo fuit, vt auctor est idem in eo *Lampridius*) testatur, refertur que *in l. breui, § pen. & fin. ff. de acc.* atque illud ipsum de militibus docuit Modestinus, vt refertur in *l.* 3. *ff. de re mil. initio*, qui fuit Vlpiani auditor, vt colligitur ex *l. si quis, ff. de furtis*, ibi [illegible]

34 Atque id vlterius roboratur, quia

Imperatores Seuerus, & Antoninus eius filius, qui eodem fermè tempore, quo Papinianus floruère, id ipsum, quod iurisconsultus docuit, satis notum esse asseuerant, vt refertur *in l. 1. C. vbi de crim. agi oport.* id quod Dextro, & Prisco Consulibus, puta anno Vrbis 949. rescripsère: vel post annum 951. quo sanè tempore Seuerus Antoninū filium Imperatorem appellauit, vt *Herodotus*, alijque testantur. Mirum profectò foret, id ab Imperatoribus satis notum censeri, cuius contrarium antea sancitum erat; neque omnino cōstet, qua tandem lege id, quod Ciceronis tempore obseruatum aduersarij diuinant, fuerit emendatum.

35 Quod si quispiam obstinatè contēdat, illud Cyprijs peculiari iure, seu priuilegio concessum; aio id gratis dari posse: neque enim inde congruè inferas, cæteris illud ipsum denegatum; etenim pluries id, quod omnibus cōmuni iure competit, quibusdam priuilegio quoque indulgetur; vt non ineptè post *Nauarr. aliosque explicat Roderic. in Bull. Crucia. §. 9. num. 5. post medium*, vbi quædam profert exempla, apud illum consulenda; qua sanè in re equidem addo *Glossæ* doctrinam *in cap. ex parte 1. verb. pro contumacia, post medium, de verb. signif.* vbi docet, multa sæpè concedi, quæ communi iure indulgentur, vt in *cap. sanè quod super in fine 24. quæst. 2.* vbi Vrbanus Papa II. dispensatiuè licere ait, eius eleemosinis communicare, & defuncti animā Christianæ Religionis modis omnibus adiuuare, qui à Fidelium communione nullo modo fuerat separatus; vbi *Glossa fin. quæritur*, inquit, *in quo fuit dispensatum, cùm hoc ei denegari non possit: dic quòd ideo hoc dicit, quia omnes viæ Domini misericordia, & veritas cap. admonere 33. quæst. 2.* vbi, vel etiam monuit *Glossa cit. in cap. ex parte*, viaticum Hastulfo vxoricidæ Stephanus Papa V. concedit; quod tamen nemini verè pœnitēti denegandum est, *cap. quod in te, de pœnit. & remis. cap. permittimus, de sentent. excom.* alijsque iuribus, quæ referuntur à *Glos. in cap. admonere cit. verb. venialiter*; quæ cōtraria innuit, diluitque, aiens, quòd quādoque id, quod iure cōmuni competit, dicitur indulgeri: consule eamdem.

36 Iterum insurgebat vir ille doctus, aiebatque, ideo non posse Proconsulem, Præsidem, Præfectum Vrbi extra Prouinciam, vel Vrbem iurisdictionem contentiosam exercere, aliūuè Iudicem extrà locum suæ iurisdictioni suppositum, seu territorium; quia extrà ea loca nullam prorsus obtinent iurisdictionē: atqui Rex, aliusuè Princeps Supremus, extrà vnum Regnum, seu Prouinciam existens, iurisdictionem in ea obtinet, vbi reperitur; proindeque poterit inibi in alterius Prouinciæ viros contentiosā iurisdictionem exercere.

37 Respondi tamen, falsum videri id, quod assumitur: etenim Legatus duarum Prouinciarum, etsi in vtraque habeat potestatem, & iurisdictionem; nequit tamē vnius Prouinciæ hominem ad aliam trahere, vt optimè animaduertit *Abb. in cap. nouit. num. 2. de offic. legati*, vt supra ex *Afflicto* ipsi monuimus: *Quia*, inquit Panorm. *iura volunt, vt quis non debeat trahi extrà Prouinciam suam 3. quæst. 6. neminem, & dixi in cap. nonnulli, de rescript. sed intrà eamdem Prouinciam optimè posset procedere, quod dixi, vt negotia vnius loci expediantur in alio: pro hoc verbo text. in cap. cùm Episcopus, de offic. ordin. lib. 6. vbi dicitur, quòd Episcopus in qualibet parte suæ Diœcesis potest sedere pro Tribunali, & exercere causas ad suam iurisdictionem pertinentes.* Et id planè statuitur in *d. cap. nouit*, vt quilibet ex eius inspectione animaduertere facillimè potest.

38 Ratio ergo, cur Iudex extra territorium iurisdictionem contētiosā exercere nequeat, est subditorum fauor, in cuius vtilitatem sancitum est, nè è Prouincijs euocentur: nè scilicet co-

gan-

gantur peregrè de sua patria proficiſci: nèvè priuati proprijs Prouincijs, & ipſi in peregrinis affligantur, & res eorum lædantur: vt hæc, aliaque plura rectè expoſuit Iuſtinianus *Auth. vt differentes Iudices aud.* præter ea, quæ ſuperiùs ipſi ex eodem retulimus: ſiue ergo Iudex alibi iuriſdictionẽ habeat, ſiue non habeat; ſemper illæſum remanere debet illud ſubditorum ius, quo aduerſus euocationem muniuntur: quod maximæ æquitati innixum eſt: etenim Iudex pati non debet ſubditos litibus, & ſumptibus vexari, quã ob cauſam actorem, actione carẽtem, repellere debet, etſi reus id minimè petat, vt poſt *Gloſ. in l. vbi pactum, C. de tranſact. ait Iaſon. num.* 11. cæterique, nè reus fatigatus laboribus, & expenſis, liti cedere, vel importunitatem actoris redimere compellatur, inquit *Innoc. III. relatus in cap. nonnulli, de reſcript.* ac diſpendia litium eſſe coarctanda voluit *Innoc. IV. relatus in cap. diſpendia, de reſcript. lib. 6.*

39 Prohiberi verò euocationes, docet *Rebuf. loco ſæpè cit. de euocat. art. 2. nu. 3. Ratione*, inquit, *vexationis: nam ex euocationibus partes vexantur, & moleſtantur, & quis alium litibus vexare prohibetur, Clem. 1. de reſcript. Georg. Nat. in rep. Clem. ſæpè col. 8. verb. cauſa, de verb. ſignif.* & n. 5. *Per has*, inquit, *euocationes retardantur proceſſus, ideo immortales redduntur, l. properandum, C. de iud.* & nu. 6. docet, iure præſumi impetrantem euocationem, iuſtam cauſam non habere, quia fugit *d. l. properandum.* Adde *l. 1. ff. de inoffic. teſtam.* & lites reſtringẽdæ ſunt potiùs, quàm laxandæ, vt idem met Innoc. III. monet, & *Purpur conſ.* 411. *num. 6. & 9. vol. 2.* vide *l. minor 25. annis, cui fideicommiſſum ff. de minoribus, & d. l. properandum, C. de iudic. l. 3. §. ſi rem, ff. de leg. 3. cap. finem litibus, de dol. & contum. l. item ſi res, §. vlt. ff. de alien. iud. mut. cauſ. fact. l. 2. C. de tẽp. appell.* Plures quoq; rationes, cur euocationes prohibeantur, recenſet *Rebuf. eod. tract. de euocation. art. 2. à num. 1. & deinceps.*

40 Denique obiciebat aduerſæ partis aduocatus, puta doctiſſimus *Aloyſius Caſanate* in reſponſo à ſe hac de re reddito, quia, cùm omnis prorſus iuriſdictio ad Regem, aliumuè Principẽ Supremũ, in ſuis Regnis, vel Prouincijs pertineat, ab eoque recognoſcatur, &, vt verbis *Baldi* vtar, *in cap. ad hæc de pace Conſtantiæ*, ab eo fluat, & refluat, & ad ius ſuum reuertatur; ſanè iudicium ſoluitur, vetante eo, qui iudicare iuſſit, *l. iudicium ſoluitur, ff. de iudicijs:* & ſicuti poteſt iudicem ab officio remouere, ità & vnam cauſam interdicere, *cap. paſtoralis, §. item cùm totum, de offic. deleg.* & ſicuti Principis arbitrij eſt mandare, vel non mandare iuriſdictionem; ità & adimere mandatam *l. ſolet, § ſicut. ff. de offic. Proconſulis:* inferior enim non ſuam, ſed eius, qui mandauit, iuriſdictionem exercet *l. 1. §. qui mandatam, ff. de offic. eius, cui mand. eſt iuriſd.* Ideoque, inferebat ille, iure communi poteſt Princeps cauſam quamcumque à quocumque iudice inferiori, quandocumque voluerit, & in quocumque ſtatu liberè euocare, & ad ſe trahere, & per ſe ipsũ cognoſcere, vel alteri cognoſcendam committere, ſeu mandare: idque quãuis nulla penitùs ratio, cauſauè ſubſit, cur illud efficiatur. Laudat quoſdam non inferioris ordinis Doctores, quos id ipſum aſſeuerare opinatur, ac præſertim *Rebuf. in conſtit. Reg. tit. de euocat. num. 36. 37. 57. 58. & 59.* ex quo ſanè hæc penè omnia totidem verbis tranſcripſit.

41 Sed, vt hinc exordiar, fallitur primũ (pace tãti viri dictum ſit) Auctor iſte, dum *Rebuffum* ſe habere patronum putat: etenim is duas hac in re quæſtiones inſtituit: primam quidem *nu. 36.* vbi quærit, cui euocare ſit liberũ; alteram verò *nu. 57.* quo quidem loci inquirit, quando euocatio fieri iure poſſit. Secernit itaque *Rebuffus* poteſtiam, ſeu poteſtatem euocandarum cau-

causarum, quam Physicam non incõgruè possumus nuncupare, à Morali, vt aiunt, facultate: & in prima sanè quæstione, cuinam competat Physica, inuestigat; & *in hoc Regno*, inquit, *Principi nostro Christianissimo causã, suis coram iudicibus pendentem quibuscumque, ad se euocare liberum est*: idq; iuribus in obiecto recensitis ostendit; in secunda verò, quibus tandem euentibus ea Princeps vti iure, ac licitè queat, perscrutatur; seu, quod idem est, quando euocandarum causarum moralem facultatem obtineat: docetque, eam Principi competere, quoties publica causa subest, vt id efficiatur; ac reliqua subdit, quæ ipsi *nu.* 28. & 29. superiùs recensuimus. Sed animaduertendum est, laudatum Auctorem de Rege loqui, qui in Regno reperitur, quique in eodem Regno, atque intrà illud causas euocat; ideo enim addit ea verba: *in hoc Regno Principi nostro, &c.* Atqui nos de Rege agimus, extrà Regnum existente, qui causas euocat, vt eas extrà illud sententia dirimat, exercendo iurisdictionem contentiosam, vt superiùs explicatum est.

42 Vt verò hac in re, alijsque similibus, clariùs procedamus, triplicem potentiam distinguere operepretium est: alteram vocare non incongruè possumus, *potentiam merè physicam*; alteram, *mediam*, nuncupauerim nõ ineptè; tertiam verò *moralem*: etenim liber hominis actus, vel solùm habet esse, vt aiunt, physicum, & nullum prorsus morale; puta, quia quandoque, etsi realis sit, & à potentia elicitus; tamen, si ius spectemus, neque validus est, neque licitus, neque honestus: & potentiam, quæ hunc actũ producit, *merè physicã* appellauimus; quandoque verò idemmet actus, nedum realis, verùm & validus censetur, non tamen licitus, neque honestus; quęque hunc actum elicit, *potentiam mediam* nuncupaui, quòd inter merã physicam, ac moralem intercedat, atque ab vtraque quidpiam sibi desumat, necnon & discriminetur: à physica quidem sumit realitatem, vt ita loquar; differt verò, quod actui valorem tribuit: à morali autem hunc desumit; at non honestatem, sicque ab illa secernitur. Demum aliquando actus idem realis est, validus, licitus, & honestus: & quæ hunc attingit, *moralem potentiam* appellamus, quòd scilicet, ad mores relata, ea omnia obtineat, quæ iure ipsi conueniunt. Hæ verò potentiæ ità sibi inuicem cõparantur, vt vltima duas reliquas, mediã verò primam necessariò cõcludat; non verò è contrario, vt consideranti patebit. Qui ergo in re, qua de agimus in errores prolabi nolunt, hæc tria discriminent necesse est.

43 Accuratè igitur perpendendum est, quamnam ex expositis Principi Summo potentiam transferendarum ad se causarum tribuant iurisperiti, vt inde dignoscatur, num nobis faueant, an verò aduersentur. Ipsi enim cẽsemus, Siculo Regi, extrà Insulam reperto, nõ nisi merè physicam euocãdarum causarum potentiam conuenire; non verò mediam, ac proinde neque moralem, ob rationes superiùs explicatas; ac præcipuè ex iurisdictionis contentiosæ defectu, quam extrà Regnum illum non habere demonstrauimus. Quod si quispiam obstinatè contenderet, eum saltem mediam obtinere; non erit ea in re admodum elaborandum; modò eidem tunc demum moralis, de qua nos loquimur, tribuatur, cùm publica vtilitas suadet, licitam, honestamque esse illã causarum euocationem. Etsi igitur vera ea omnia gratis omnino darentur, quæ nobis obijciuntur, nihil tamen inde contrà traditam à nobis doctrinam validè infertur: siquidem ex ijs nonnisi mediã Principi Summo transferendarum ad se causarum potentiam conuenire colligitur: si enim iudicium soluitur, vetante eo, qui iudicare iussit; sanè fit consequens, vt causæ euocatio ab eodem

dem præcepta robur obtineat, ac firmitatem, ita quoque, si Iudicem validè remouere potest, certè & vnius, alteriusuè causæ cognitionem eidem adimere validè poterit, easque suæ facere cognitionis. Validæ igitur erūt eiusmodi euocationes, si à Principe fiant.

44 At qui non hinc continuò elicitur, eas fore licitas, honestasque: ad eundem planè modum, quo etsi validè Princeps à se mandatam adimat iurisdictionem, Iudicemque ab officio remoueat, vti in obiecto probatur; non tamen id ipsum licitè, honestèque Princeps exequitur, nisi causa iusta id fieri suadeat, vt suprà ipsi *n.* 28. *&* ad. ex eodē *Rebuffo* monuimus, atque ex alijs *cons.* 10. *n.* 26. *& cons.* 19. *num.* 102. & id ipsum innumeris alijs exēplis cōprobare licet; quæ passim apud Iurisperitos, ac Theologos repeririuntur. Malè igitur à quibusdam in re, qua de agimus, alijsque similibus, moralem potentiam à media inferri, ex hucusque expositis manifestum est. Sed, vt verum fatear, eorum complures de potentia media quæstionem instituunt, de morali verò, vel nihil loquuntur, vel certè causam expressim exigunt, vt ea Principi tribuatur, vt apud eosdem animaduertere licet.

CONSILIVM XXX.

An caussæ feudales plusquam semel via recognoscendi auocari possint.

Ad

Cap. 540. Alphonsi, cap. 6. Ferdinandi, & cap. 139. Caroli V.

S. I.

Quæ sit via recognoscendi, & cur introducta.

S V M M A R.

1 *Quæ sit via recognoscendi.*
2 *Quænam fuerit ratio extrahēdarum caussarum feudaliū, Verè non datur ratio, nisi Regis voluntas, & n. 4.*
3 *Quo tempore huic transmissioni initiū fuit.*
5 *Obiectio præoccupatur.*
Incertum est ius feudorum de foro competente cōuassallorum: & n. 6. 7. 8. 9.
8 *Magna Curia Siciliæ est iudex ordinarius feudalium caussarum.*

1 HVius consilij quæstio in causa fuit, vt ea omnia exponerētur, quæ superiori consilio tradita sunt. Quamuis autem inibi satis probauerimus, Siculorum causas, etiam feudales, vi illorum capitulorū, quæ ibi retulimus, ab Insula euocari non posse; tamen in *cit. cap.* 540. *Alphonsi. cap.* 6. *Ferdinandi*, *& cap.* 139. *Caroli Imperatoris*, feudales è generali illa regula extractæ sunt, ita vt eæ extra Regnum sæpissimè trahantur via, vt aiunt, recognoscendi; puta vota Iudicum, non quum in Sicilia euulgata, vnà cum rationibus, quibus innituntur, quas *iustificationes* vulgò nūcupamus, ad Supremum Italiæ Senatum recognoscenda transmittuntur, eaque ab illo recognita, proindeque vel confirmata, vel emendata, vel reuocata, ad priores iudices remittuntur, vt iuxtà eiusdem Supremi Senatus correctionem, vel confirmationem, sententiam proferant, causamque decidant, vt latiùs explicat *Petrus Greg. Siculus tract. de iud. cauß. feudal. quæst.* 39. *Milanen. decis.* 2. aliique Siculi Doctores. Hinc verò præsens quæstio orta est, num scilicet plusquam semel eadem causa feudalis ab Insula euocari possit: cuius quidem resolutionem antequam afferamus,

2 Præmonendum est, reuera rationē minimè reperiri, cur causæ feudales Siculorum hodie transmittantur, aut incæperint transmitti. Vel enim ea est, ne iniustitia litigatoribus fiat; & hæc sanè ratio in omnibus prorsus causis, etsi non feudalibus, perspicitur: quāobrem omnes penitùs transmittendæ

fo-

faciendi; & quidem iudicis officio, non expectato Regis præcepto, quod perabsurdum censeri debet. Præterquam quod in casu denegatæ iustitiæ, vel retardatæ, quæcumque causa à Rege, Supremóue illius tribunali euocari posse, apertè Rex *Ioannes in cap. 33.* sancitum ... *Magna Curia Siciliæ est index.* E 7 8

3 Insuper neque causa huiusce euocationis ea esse potest, quam omnes penè Siculi Doctores afferunt, post *Petrum de Greg. dict. tract. de iure conf. feud. quæst. 39. & 40.* puta ut Rex vassallum cognoscat, ... in ipsius feudi inuestitura fatis, superque illum recognoscit, à quo fidelitatis iuramentum exigat; & quem requirere debeat, cum opus fuerit, ad præstandum Regiæ Curiæ seruitium militare. Deinde, si hæc esset ratio, omnis prorsus feudalis causa ad Regem transmittenda foret, etsi neuter litigatorum id petere, oporteret enim officio suo iudices illas transmittere, quò Rex vassallum recognosceret; id quod est contrà morem hactenus obseruatum: plurimæ enim causæ feudales nunquam transmissæ fuerunt, ac plures quoque hodie minime transmittuntur; &, cùm hucusque fuere transmissæ, actum id est, altero litigatorum efflagitante. Id ipsum apertè, ni fallor, ex eiusdem Regni capitulis roboratur, ac præsertim ex c. 540. *tit. Regis Alphonsi* (quod huic transmissioni dedisse initium videtur; antea namque nequaquam transmitti permittebatur, vt ex *cap. 463.* eiusdem Alphonsi haud obscurè colligitur.) ibi: *Item supplica lo ditto Regno; perche alcune volte contingeno, che vertendo questione in Magna Curia dicti Regni in causis feudalibus, la parti hanno recurso alla detta Maestà, dalli quali si impetrauo rescripti, che li Giudici della gran Corte debbiano mandare li voti alla prefata Maestà, & c. sia sua merce ordinare, che tali rescritti, etiam impetrati cum clausula motu proprio, & sub quibuscumque clausulis, siano nulli* & cætera, quæ sequuntur: vbi liquido constat, litigantium preces interuenisse, vt rescripta eiusmodi emanerent. Idem ferme habetur in c. 24. *An. 1452 Regis Ferdinandi, & cap. 139. Caroli Imperatoris*, quæ omnia, cum solum capitula de hac causarum feudalium euocatione loquuntur.

4 Rationem igitur, cur eiusmodi causæ à Regno via recognoscendi modo exposito, euocarentur, nullam aliam reperio, nisi Regis voluntatem, more gerere volentis litigatoribus, illud exposcentibus: & quemadmodum sæpè Siciliæ Reges alijs Regni priuilegijs abrogarunt, ita & priuilegium illud, è Regno feudales quoque causas non euocandi, etsi remuneratorium, & ob obsequia præstita concessum, pluriesque iureiurando à Regibus obfirmatum, quodque proin reuocari nō poterat, & communi quoque iure minimum, ob partium importunas preces, Siciliæ Reipublicæ malo, reuocarunt; proindeque de eo Regnum *in cit. cap. 540. Regis Alphonsi* conquestum est. 14

5 Neque dicas, ideo posse Siciliæ Regem extra Regnū de feudalibus causis cognoscere, quia dominus est directus feudorum Siculorum: atqui, si inter duos vassallos de feudo sit controuersia, domini sit cognitio, & per eum controuersia terminetur, inquit *Fridericus Imperator in S. fin. de probib. feud. alien. per Frid. vbi glossa, Verb. cognitio: sed in quo*, ait, *loco stabit ad cognoscendum*, respondet, *vbi ipse*, inquit, *statuere voluerit, salua bonestate sua, & vbi maiorum eius mos fuit cognoscere inter partes suas, si eos habuerit, arg. ad hoc ff. de iust. & iure. l. pen. in fine.* 2

6 Nè, inquam, id dicas: etenim primū aio, omnino varium, & incertum in feudorum libris traditum esse ius de foro competente, cùm inter conuassallos de feudis controuersiæ oriūtur, vt etiam monuit *Hotom. in sua de feudis disputatione, cap. 4.* nam si contētio fuerit inter Capitaneos, idest primi ordinis vassallos, vti inter Duces 1 2

Comites, Marchiones, coram Imperatore definiri debet; §. 1. *Apud quem, vel quos, controuersia feudi definiatur*, & §. 1. *de lege Conradi*. Si verò fuerit contentio inter minores Valuasores, & maiores, in iudicio parium definiatur, vel per Iudicem Curtis, §. 1. *tit. apud quem, vel quos*; & *Feudistæ in §. 1. an maritus succedat vxori in benefi.* At in *tit. de lege Conradi*. & *tit. an apud iudicem, vel Curiam Domini quæstio feudi debeat terminari*, apertè statuitur, coram Iudice, vel arbitro definiri oportere. Sed §. *illud tamen sciendum, de inuestitura in maritum facta*, decernitur, quòd si inter duos de feudo controuersia oriatur, alter alterum inuitum ad Dominum, vel eius Curiæ iudicium, trahere non possit: tum verò dicitur, quòd eorum nemo domini, eiusuè Curiæ examen declinare potest. Quibus sanè constat satis, hac in re, vti in cæteris pluribus, ius feudisticum varium esse, atque penitùs incertum: quod quidem vitium, sicuti alia quoque, familiare est iuri feudorum, vt ostēdit *Hotoman. in præfat. loc. cit.*

7 Quod si incertum est, num dominus inter duos vassallos iudex sit competens; sanè incertissimum erit, quonam loco iudicare debeat, ac per consequens *Glossæ* doctrina, quæ contra nos profertur: quamuis non ignorem, crebriorem esse Doctorum opinionē, feudi dominum Iudicē esse inter duos vassallos, eamque ab illis probari ex *cap. cæterum, de iudic. cap. ex transmissa, & cap. verum, de foro compet.* alijsq; quia de re consulendi præsertim *Iaf. conf. 60. lib. 1. Grammat. decis. 103. nu. 133. & 134. Duen. reg. 32. Petr. Greg. loc. cit. quæst. 7.* passimque feudistæ alij recentiores.

8 Sed esto ea *glossæ* doctrina vera esset, in re nostra locum obtinere non potest: quandoquidem iam lege municipali sancitum est, Regem Siciliæ nonnisi in Insula causas feudales posse definire, neque illas è Regno euocare, vt antea probauimus. Et certè neque hodie ius illud feudisticum, si verum foret, vti aduersarijs lubet, vllo modo in Sicilia obseruatur: nam, etsi Rex quandoque, quin etiam sæpè causas feudales è Regno extrahat via recognoscendi, modo quo supra explicuimus, id tamen nō euenit via, vt aiunt, iudicandi: quamuis enim vota iudicū recognoscat; attamen nequaquam sētentiam profert, sed Magna Siciliæ Curia causam decidit, vt mox vberiùs exponemus. Etsi de cætero verissimū sit, ipsum quoque Regem illas terminare, quippe magna Curia id præstat eius nomine, quæ propriè in Regno Curia Principis nuncupatur, estque iudex ordinarius causarum feudaliū, vt probat *Petr. Greg. tract. de iudi. causi. feud. qu. 7. & seq. Mastril. decis. 81. n. 32.*

9 Deinde, si dominium directum ratio est euocandarum è Regno causarū feudalium via recognoscendi; ea profectò vel est necessaria, vel voluntaria: si necessaria, omnis penitùs feudalis causa ad Regem transmitti deberet, sicque officio suo Regni iudices, non expectata Regis iussione, eas ad illum transmittere tenerentur: id quod est contra morem hucusque custoditum: si verò voluntaria sit hęc ratio, iam tota in Regis voluntatem refunditur, proindeque nullam aliam dari causā rei, qua de agimus, nisi eamdem Regis voluntatem, concedere oportet.

§. II.

Quæstionis resolutio negatiua, eiusq; prima ratio.

S V M M AE.

10 Quæstionis resolutio ponitur: & n. 11.

11 *Doctrina* Petri de Gregorio *hac in re*: & n. 12.

13 *Prima ratio assertionis.*

14 *Obiectio contra hanc primam rationem.*

15 *Diluitur: iurisdictio derogās ordinariæ, restringenda.*

16 *Alia obiectio.*
17 *Soluitur.*
Lites sunt restringendæ.
18 *Auocari potest caussa, etsi à superiore non decidatur.*
Quid sit auocatio.
19 *Cur caussarum euocationes prohibeãtur.*
Princeps iurisdictionem non potest cuipiam auferre.

10 HIs ergo, quæ hactenus expliciumus, prænotatis, quæstio, quæ dissoluẽda proponitur, superioribus annis diu agitata fuit in Supremo Italiæ Senatu, vt diximus, quin & ex Supremo Castellæ duo alij Iudices aduocati sunt. In qua quidem controuersia ego alterius litigatoris, idest D. Principis Belmontis, vt dixi, partes fouebam, probãique negantẽ sententiam, puta non posse plusquam semel euocari, rationibus, quas mox subnectam; licet incassum, nam contra clientem pronunciatum fuit. Cauendum tamen semper monui hac in re à quorumdam iudicio, qui feuda pecunijs sibi compararunt; hi enim, cùm in feudorum reiuendicationibus semper rei, nunquam actores futuri sint, proculdubio harum caussarum euocationes millies quoque fieri exoptabunt.

11 Nostra igitur assertio est, eadem caussa feudalis plusquam semel via recognoscendi euocari non potest. Hæc assertio, vt patet, est resolutio propositæ quæstionis: quam quidem olim mouit noster *Petr. de Greg. loc. cit. qu. 42.* vbi docet, si quidem transmissio, seu euocatio fiat, vt feudalis ipsa caussa, ac personæ litigantes recognoscãtur, semel tãtùm eam fieri posse: *quia*, inquit, *vbi lex facit mentionem de aliquo actu, semper intelligitur de primo actu tantum, l. boues, §. hoc sermone, ff. de verb. signif. cum concord. de quibus per Felin. in cap. 1. de treg. & pace: cùm ergo capitulum Regni faciat mentionem de trãsmissione processus causa recognoscendi, sufficit, quòd de prima transmissione, & de prima recognitione causa tantum intelligatur, nè partes diù laboribus, & expensis extrà Regnum defatigentur; & nè iustitia fouẽtis ius ab eius expeditione, & exequutione diutiꝰ protrahatur; maximè quod capitula Regni potiùs in dubio in fauorem regnicolarũ intelligi debent: & ita fuit aliàs seruatũ in causa Baroniæ Gibellinæ, quæ semel fuit recognita in primo iudicio, vt amplius in iudicio appellationis non transmitteretur processus, nec recognosceretur in Sacro Consilio; & ideo literarum regiarum auocationis causa in iudicio appellationis causa recognoscendi non fuerunt exequutoria concessa.* Tum addit, quòd si auocatio fiat, vt vota Iudicum recognoscãtur; tũc ait, *quòd, cũ in quolibet iudicio sint diuersi Iudices, & diuersa vota proferãtur; licet vota iudicũ primi iudicij satis recognita fuerint; quia tamen vota iudicũ appellationis possunt esse diuersa, nec illa fuerũt recognita; possẽt* fortè *de nouo recognosci: super quo tamẽ pro nũc reliquo meliùs cogitandum.*

12 Hæc auctor ille: cuius sanè doctrina potiùs nobis fauet, quàm aduersetur; quod enim primo loco docet, & nobis suffragatur, apertè ipse & absq; hæsitatione vlla profitetur: id verò, quod secundo posuit loco, nobisque obstare videtur maximè hæsitans docet, & tandem minimè amplectitur; sed meliùs perpendendum relinquit, & iure: quia rationes, quæ ab ipso pro priore casu afferuntur, eamdem prorsus vim obtinent in secundo, vt quisque, rem cogitans, facillimè deprehendet; cùm præsertim caussarum feudalium auocatio via recognoscendi nunquam penitùs fiat, vt causa dũtaxat, ac personæ litigantes absque votis recognoscantur; sed maximè fit pro ipsorum votorum recognitione, in quibus auocationis substantia consistit, ac etiam partis interesse, illam petentis: quapropter sẽper in regijs rescriptis, eiusmodi auocationes impetrantibus, vota vnà cum eorumdem rationibus, quibus innituntur, seu, vt aiunt, iustificationibus, transmitti illis ben-

betur: & ita euenit in casu Baronis Gibillinæ ab eo Auctore relato. Et quãuis hæc votorum recognitio vel in primo, ita in vlterioribus iudicijs locũ habeat; tamen, quia id per viam dispẽsationis contrà ius commune, ac municipale Regni introductum est; hæc profectò facultas erit omnino restringenda, vt quoad fieri potest, minus ijs iuribus derogetur, iuxtà regulas eiusdem communis iuris; præsertim, vt subditorum damnis consulatur, quæ ij patiuntur ob expensas, labores, marisque pericula, quæ subeunt, cùm eorum causæ à Supremo Italiæ Senatu auocantur, earumque expeditiones plurimum protrahuntur.

13 Atque ex modò ita tumultuariè recensitis, præcipua huius sententiæ ratio, ac veluti fundamentum elicitur in hunc modum. Auocatio ista causarũ feudalium via recognoscendi, seu facultas eas auocandi, siue lex, quæ id permittit, est odiosa, & dispensatiua, vt Iurisconsulti loquuntur: debet igitur omninò restringi, ità vt solùm in primo iudicio locum habeat. quæ factè illatio euidens est; quandoquidem odia restringi debere, iura omnia, ac Doctores iubent, vt videre est in *Reg. odia. ibique gloss. de reg. iur. in 6. cũ vulg.* quò scilicet, quoad fieri potest, minus communi iuri, ac municipali derogetur; *cap. 1. §. fin. de filijs Præsbyter. lib. 6.* ibi: *quam exorbitantem* (dispẽsationẽ) *à iure oportet veluti odiosam restringi*; *DD. in c. postulasti de rescript. atque alibi passim:* vide etiam *cap. cùm dilectus, §. cæterum, de consuetud.* vbi etiam in interpretationem Innoc. III. statuit esse amplectendam, quâ nec iuri communi, nec priuilegio derogetur, aut saltem quoad minus fieri potest: vbi alia quoque addit *Glossa, verb. iuri communi*, quæ ad institutum sermonẽ maximè conducunt. Id verò, quod in hoc enthymemate assumitur, puta facultatẽ illam euocandarum causarum feudalium via recognoscendi esse odiosam, manifestè ex ijs ostenditur, quæ antea probauimus, puta causarũ auocationem contrà commune ius, ac municipale Siculorum censeri, & causarum nomine feudales quoque concludi.

14 Sed dices, dispositionem capitulorum Regni, permittentium causarum feudalium extractionem via recognoscendi, potiùs dici debere fauorabilẽ, quàm odiosam, quia iure communi feudorũ directus feudi Dominus, vti est Rex Siciliæ Siculorum feudorum, est index competens in causa feudi inter duos conuassallos, *cap. 1. §. præterea, de probibit. feud. alien. per Frider.* Regni ergo capitula, quæ causarum feudalium auocationem prohibent contrà ius commune feudorum censenda sunt; proindeque quæ illã permittunt via recognoscendi fauorabilia erunt, non odiosa, quippe conformia iuri communi feudorum, atque ideo extendendã potiùs, quàm contrahẽda, ita vt non in vna dumtaxat, sed in pluribus quoque euocationibus locũ obtineat.

15 Respondeo, ius feudorum, quod attinet ad Iudicem competentem causarum feudalium, omninò varium esse, ac penitùs incertum, vti supra *n. 6.* probauimus. Sed quamuis dispositio *§. præterea cit.* quæ feudi domino causæ feudalis cognitionem cõcedit, certa foret; addo tamen, eam à Doctoribus censeri, vocarique extraordinariã, & contrà commune ius, ex quo, inquiunt, à iudice ordinario receditur; proindeque docent restringendam, quia in iurisdictionis ordinariæ derogationem tendit, iuxta doctrinam *Glossæ in Clement. fin. de offic. iud. ordin.* Ita expressim ait *Decius in cap. cæterum, num. 8. 12. 14. de iudic.* atque ibidem *Abbas*, qui etsi *num. 1. & 2.* concedat, iurisdictionem hanc esse ordinariam, quippè à lege tributam; tamen *num. 15. Maximè*, inquit, *quia, cùm ista iurisdictio sit superinducta, & præiudicans iurisdictioni ordinariæ, est restringenda; etiam simile dicit gloss. in Clement. vlt. de offic. ordin.* Adde, quòd in Sicilia, etiamsi

nisi ipsemet Rex de causis feudalibus cognoscit, nec à dispositione iuris feudorum receditur: nam Regia Curia, vti superiùs quoque innuimus, aut tribunal Sacræ Regiæ Cōscientiæ, quod etiam Consistorium Siculi appellant, quæ sunt Curiæ Principis, de ijs cognoscunt.

16 Dices iterum, hæc extractio causarum feudalium via recognoscendi non est auocatio, quæ dumtaxat Regni capitulis, iureque communi prohibetur: non ergo odiosa cēsenda est,

17 Respondeo, Regni capitulis expressè omnem penitùs extractionem interdici, quippè quæ inter vnam, & aliā extractionē minimè distingunt, prindeque omnes includunt: cùm præsertim pro omni penitùs extractione eadē statuendi ratio, tum quoad ius cōmune, tum quoad municipale Siculū perspiciatur, puta nè extrahendis causis litigantes laboribus, expensísque diuexentur, litesque potius restringantur, quàm relaxentur, vt ait *Innoc. III. in cap. nonnulli de rescript.* nosque etiam antea edocuimus. Quare omnino dicendum erit, Regni capitulis, atque etiam communi iure, nedum auocationem, quæ fit via iudicandi, interdici, verum quamcumque prorsus extractionem, quæ fiat, vel via recognoscēdi modo, quo explicuimus, vel alia quacumque ratione, vt si auocetur causa, vnà cum votis, & rationibus, quibus innituntur, seu cum iustificationibus, & interim ordinariorum iudicum iurisdictio suspendatur; etsi de cætero superior auocās litem minimè decidat, sed ad eosdem iudices, à quibus auocarat, remittat terminandam; hoc enim quoque euentu litigatores laboribus, atque expensis fatigantur, litiumque finis protrahitur, ceteraque incommoda penitùs enascuntur, quæ ex perfectissima causarū auocatione, puta quæ fit via iudicandi, sequi animaduertimus; quibus sanè præcidendis eiusmodi euocationes omni iure prohibentur.

18 Quibus addendum est, à Doctoribus causam dici auocatam, etsi superior auocans illam postea ad ordinarium decidendam remittat. Id omniū primus edocuisse videtur *Bald. in l. si vt proponis, vers. nota quod causa, C. quomodo, & quando iud.* quem plures alij sequuntur, quos laudat, ac sectatur *Couar pract. quæst. cap. 9. num. 5. Rebuf. in Constit. Regias, tract. de euocat. nu. 99. 108. 109. 111. art. 1.* ratio potest esse, quia *auocatio est litis pendentis coram inferiore ad Principē, vel superiorem, absque prouocatione, facta translatio*, vt eam definiunt Doctores, præsertim *Couarr. loc. cit. nu. 1. & Rebuf. tractat. cit. de euocationibus, nu. 9.* manifestum est autem, quòd si causa quoquo modo cum votis, & iustificationibus à Principe auocetur, Iudicisque ordinarij iurisdictio suspendatur, eiusmodi causa proprijssimè dicetur ad Principem translata. Vnde *Budæus in forens.* causarum euocationem vocat *litium translationem*. Quin imo in Francia, vt refert *Rebuf. loc. cit. artic. 2. num. 22* statutum est generatim, vt nulla causa euocata in Magno Consilio retineatur, sed ab eo remittatur, nisi partes in retentione consenserint, quæ priuilegio in proprium commodum introducto renuntiare queunt, *l. si quis in conscribendo, C. de Episc. & Cleric.* nec sufficere alterius partis cōsensum *Rebuf.* probat.

19 Perpendere quoq; debemus, quòd causarum euocationes, nedum prohibentur in litigantium commodum, verum etiam nè Iudicum inferiorum iurisdictio suspendatur. Etenim, vti antea diximus post *Rebuf loc. cit. artic. 1. num. 59* si, uti non potest Princeps cuipiam auferre dominium, *l. 2. C. de precib. Imperat. offer.* ita neque propriā iurisdictionem, *l. qui furere, ff. de statu hom. Bald. in l. 1. ff. de const.* Atqui per quamcumque causarum extractionē, nedum per euocationem, quæ fit via iudicandi, Iudicum inferiorum iurisdictio suspenditur, vt experimento com-

comperimus; & docuit *Petr. de Greg. tract. cit. de iud. caus. feud. qu. 39. vers. Etsi Rex. aliique.* omitto, auocationem causarum feudalium via recognoscẽdi expressim à Doctoribus Siculis vocari auocationem, vel saltẽ vim auocationis habere, ac præsertim idem *Petrus de Greg. quæst. 39. cit.* ibi: *Quia ista transmissio processus causa recognoscendi habet vim auocationis causæ ad Sacrum Regium Consilium: sed nunquã Princeps consentit ad se auocare causam pendentem coram suo inferiore, præsertim ordinario, nisi hoc expressè dicat, vt dixit Philippus Francus in cap. vt nostrum, de appell.* Hinc est, quod omnes Siculi Doctores hanc extractionem via recognoscendi Regni capitulis interdici arbitrantur; etsi de cætero nõnisi iudicum vota cum iustificationibus transmittãtur; causæque decisio ad Siculos Iudices remittatur.

§. III.

Aliæ assertionis nostræ rationes, ac decisio Supremi Italiæ Senatus.

SVMMAE.

20 *Secunda ratio nostræ assertionis.*

21 *Quod Principi placet legis habet vigorem.*

Sententia à Principe lata legis habet vigorem.

22 *Tertia ratio assertionis.*

23 Cap. volentes *Regni Siciliæ quando locum habeat.*

24 *Regni capitula in fauorem Regni interpretanda.*

25 *Dispositio* cap. audita, de rest. spol. *refertur.*

26 *Applicatur casui nostro, & n. 27.*

28 *Refertur sententia supremi Italiæ Senatus.*

29 *Instat Regnum, vt causa feudales nonnisi semel via recognoscendi auocari possint.*

30 *Rationes, quas præter hic expositas, proposuit.*

20 PRobatur iterum assertio nostra, quia ita vsus obtinuit, vt nonnisi semel eç ita auocentur. idque pluribus exemplis ostensum est: præsertim Baroniæ Gibillinæ, quod à *Petro Gregorio* refertur, & feudi Magasoli: quod vltimum plurimum traditæ à nobis doctrinæ suffragatur: siquidẽ anno Domini 1524. Antonius Luchisius, litigatorum alter, à Carolo V. Imperatore rescriptum obtinuit, quo cauebatur, vt lis feudi Magasoli, quæ semel in primo iudicio via recognoscendi auocata fuerat, à iudicibus Consistorij in secundo iudicio iterum eadem via recognoscendi ad Sacrum Consilium transmitteretur: atque hoc idem rescriptum anno 1527. idẽmet Imperator confirmauit; addiditque, huic secundæ auocationi nihil obstare Capitulum Regis Alphonsi, causarum euocationem prohibentis: esseque Regi Siciliæ liberam omnino facultatem, causas feudales via recognoscendi, quoties libuerit, euocandi. Sed his nihil obstantibus, idemmet Carolus Imperator anno 1534. instante Ioanne de Luna, litigatorũ altero, vt illud rescriptum, vti contrà iustitiam impetratum, reuocaretur, volens circa hoc, vt ipse Imperator ait, *debitè, & prout decet, & conuenit prouidere*, præcepit, ac mandauit, quatenus Iudices causæ prædictæ, vocatis, & auditis partibus, & alijs, qui vocandi, & audiendi fuerint: *Videatis*, inquit, *& examinetis, si transmissio dicti processus, causa recognoscendi locum habet, vel non*: & reliqua. Qui deinde Iudices, vocatis, auditisq; partibus, & fisco, 10. *Iunij, ann.* 1553. sententiam protulère, quòd præfata causa feudalis minimè ad Sacrum Consilium via recognoscendi iterum transmitteretur. & ita executioni mandatum est. 22

21 Quare impertinens visum est id, quod vir quidam nõ indoctus contrà traditam à nobis doctrinã obiectabat: puta hac in re nullam agnosci debere difficultatem, quando apertè ab Impera-

peratore decisum est, posse feudales causas à Rege, quoties libuerit, auocari: atque hic locum obtinere illud iuris axioma, quod Principi placuit, legis habet vigorem. l. 1. *ff. de const. Princ.* Impertinens, inquam, id visum est: neque enim Imperator vno cognoscens, pura cum causæ cognitione decreuit, neque per sententiam definitiuam, neque cum voluntate legem constituendi; quæ, aliaque plura exiguntur, quo illius legis prima dispositio locum obtineat, vt post *Glossam* omnes alij animaduertunt: quare ipsemet Imperator eandem rem iustitiæ regulis decidendam præcepit; quæ sane decisio potius legis habere vigorem dicenda foret, quam causa cognita, auditisque partibus, eodem ibidem Imperatore, sancita est. Id, quod videtur expresse probari ex *l. fin. C. de legibus*, vbi *Si Imperialis* [illegible] *causam cognitionaliter examinauerit, & vtrisque partibus cominus constitutis, sententiam dixerit, omnes omnino Iudices, qui sub nostro Imperio sunt, sciant hoc esse legem non solum illi causæ pro qua producta est, sed & omnibus similibus*; congruit *cap.* [illegible] *de frigid. & malef.* Hæc igitur iudicantis sententia rescripto illo priori omnino præualere debet, tum ob expositam à nobis rationem, tum quia posterior est, tum etiam quia Principum rescripta sæpe petentium importunitate impetrantur; quam ob causam putauerim Opilium Macrinum statuisse, omnino rescripta veterum Principum tolli, [illegible] non vero rescriptis [illegible] *Capitolin. in Macrino.*

22 Tertio probatur assertio nostra, quia capitula, quæ de hac Regia facultate, auocandi causas feudales [illegible] recognoscendi loquuntur, solum de ijs causis faciunt mentionem, quæ in Magna Curia agitantur, & ne verbum quidem de ijs [illegible] in Consilio [illegible] tractantur [illegible] expostulandi rogati rescriptum seu responsionem post causæ, veterumque recognitionem, eidem Magnæ Curiæ iudicibus præscribitur, vt ex præfatorum capitulorum inspectione liquido constat. Vsus etiam obtinuit, vt nunquam ad eiusdem partis petitionem, altera contradicente, causa feudalis, quæ in primo iudicio auocata fuerat, iterum in secundo auocetur; neque huiusce rei vllum prorsus exemplar videre potuimus, vt etiam nuper animaduertimus. excedere igitur limites capitulorum, de ea auocatione loquentium, ac consuetudinis iam receptæ, minime tutum videbatur: id quod efficacius vrget, si verum est, vt certe censeri debet, & antea probauimus, causas quoque feudales Regni capitulis, causarum auocationem prohibentibus, concludi: hinc enim fit, vt nonnisi causæ in magna Curia agitatæ via recognoscendi auocari queant, cum nonnisi hæ ijsdem Regni capitulis excipiantur: quare in cæteris firma omnino manet aliorum capitulorum dispositio, earum auocationem interdicens, iuxta ea, quæ *cis. 3. num.* [illegible] tradidimus. Quæ quidem ratio non solum probat, harum causarum auocationem nonnisi semel fieri posse; verum etiam non posse auocari, nisi è Regia Curia, non vero ab alijs tribunalibus; cum Regni capitula de ea solum, non item de alijs loquantur.

23 Addidimus, videri in re, qua de agimus, locum obtinere regulam *l. bonis, §. hoc sermone, ff. de verbor. signif.* vt scilicet dispositio capitulorum, concedentium causarum feudalium extractionem, semel tantum adimpleretur; cuius [illegible] plurima exempla apud *Felinum in cap. 2. de tregua, & pace, Luc. de Penn.* [illegible] *Decurio C. de Decurion. lib. 10.* [illegible] *Rebuff. in d. §. hoc sermone cit.* & quæ fusè congerit *Menoch.* [illegible] vbi [illegible] addit *cap. volentes* Regni Siciliæ, quo feudi alienatio permittitur, tam inter viuos, quam in vltima voluntate, in quascunque personas æquè dignas, locum duntaxat obtinere in prima alienatione, pri-

primoque hærede; non verò in ſubſtituto, vel fideicommiſſario. Neque dicas, eamdem eſſe in primo iudicio, & in ſecundo auocandi rationem; proindeque regulam præfatam non habere locum in præſenti difficultate: nè, inquam, id dicas; ſiquidem ſuprà ſatis probauimus, re verà nullam reperiri rationem in re, qua de agimus, præter Regis voluntatem; ac proinde ea doctrina nihil penitus obſtabit.

24 Denique addidimus, capitula Regni in dubio in fauorem, ac commodum Siculorum debere interpretari, vt ipſi *conſ. 2. n. 15.* alibique probauimus: quarè, etſi hæc res dubia foret; ea tamen ità terminanda videbatur, vt Siculorum bono conſuleretur: ex quo exploſa remanebat cuiuſdam obiectio, aientis, in rebus dubijs pro Rege pronunciandum: contrarium enim ipſimet Reges quoad Siculos decreuère, vt dictum eſt.

25 Alia quoque allegauimus, quæ peculiaria erant illius cauſæ, ac præſertim *cap. audita, de reſtit. ſpoliat.* vbi refertur, quòd cum Papa, altera partiū inſtante, quibuſdam iudicibus in partibus commiſiſſet cuiuſdam cauſæ beneficialis deciſionem; iudices verò sẽtentiam protuliſſent; altera pars, quæ ſuccubuerat, alias literas à Pontifice impetrauit, quibus mandabatur, quòd *non obſtantibus literis, à parte altera impetratis, reuocari deberet, ſi quid immutatum eſſet in cauſſa.* Sed pars, quæ primas literas impetrarat, iterum Papæ ſupplicauit; qui abſque partis alterius citatione ità reſcripſit: *Quia non intelleximus, nec intelligi debuit, vt reuocaretur, quod per vos factum eſſet auctoritate literarum noſtrarum; ſed ſi quid præſumptione, vel violentia immutatum eſſet; mandamus quatenus ſententiam, quam protuliſtis ante poſteriorem literarum receptionem, occaſione ipſarum nullatenus reuocare tentetis; & , ſi contrà ſententiam ipſam aliquid ſtatuiſtis, ſtudeatis id, ſublato appellationis obſtaculo, reuocare.*

26 Atque huius quidem *cap. audita* caſum noſtro ſimillimum, quin imo eumdem aiebamus: etenim D. Marqueſius actor *die 14. ſeptembris* 1621. à ſua Catholica Maieſtate reſcriptum impetrauit, in quo D. Rex iudicibus Siciliæ commiſit terminandam difficultatem, ſeu cauſam, de qua agimus: & virtute huiuſce commiſſionis *die 16. Decembris* eiuſdem anni, iudices delegati ſententiam interloquutoriā protulerunt in fauorem D. Marcheſij. Pars aduerſa D. Regi prima vice ſupplicauit, vt tranſmitterentur ad Supremum Conſilium via recognoſcendi non ſolùm proceſſum cauſæ principalis dicti Marchionatus Spaccafurni, vnà cum votis, & iuſtificationibus iudicum Conſiſtorij; verum etiam articulum ſuper tranſmiſſione pendentē, vnà cum votis, & iuſtificationibus illius: ſed id totum prima hac vice denegatum fuit 10. *Februarij* 1623.

27 Sed inſtante eadem parte D. Marchionis, *die 5. Octobris* eiuſdem anni illud totum conceſſum eſt: cuius quidem reſcripti reuocatio à D. Marcheſio petebatur, tum ex prædictis, tum quia erat obreptitium, ac ſubreptitiū; cum articulus eſſet deciſus, non autē pendens, vt in reſcripto dicebatur: tū ex deciſione *d. cap. audita*: declarandum enim videbatur abſque partis citatione, D. Regis intentionem minimè fuiſſe, vt reuocaretur, quod per iudices actum, ac deciſum fuit vigore regiarum literarum; non ſolùm quia articulum *pendentem* auocarat, qui tamen erat deciſus; verum etiam, vt ſeruaretur diſpoſitio *d. cap. audita*, aliorumque, quæ laudat *Gloſſa ibid. verb. intelleximus, & Rebuff. in tract. de reſcript. n. 158. in conſt. reg.*

28 His autem omnibus minimè refragantibus, à Supremo Italiæ Senatu, vnà cum adiunctis Supremi Conſilij Caſtellæ, 18. *Iunij anno* 1630. ita pronunciatum eſt.

En la cauſa, que ſe trata en el Supremo Conſejo de Italia entre Don Mar-

ques

ques Afflicto, y Caruso, Cauallero Siciliano, y Dō Antonio Statella, y Caruso Marques de Spaccafurno, sobre si se han de executar, ò nò, las letras de su Magestad despachadas por el dicho Supremo Consejo à 5. del mes de Octubre 1623. dirigidas al Señor Principe Filiberto, entonces Virrey, Lugartiniente y Capitan General de su Magestad en el dicho Reyno. A 18. de Iunio deste presente año 1630. hauiendose hecho relacion en el dicho supremo Consejo por el Doctor Iuan Baptista Valenzuela Velazquez, vno delos Regentes del dicho Consejo, y Commissario dela causa, interuiniendo por Ajuntos nombrados por su Magestad los Doctores Don Iuan de Frias Mexia, y Don Pedro Marmolejo del Consejo Real de Castilla, y los Doctores Don Alonso Guillen dela Carrera, Esteuan de Torresilla, y Fernando Brancia, Regentes del dicho

Licenciado Don Iuan de Frias Mexia.
Doctor Don Pedro Marmolejo.
Doctor Dō Alonso Guillen dela Carrera.

29 Cum autem iterum anno 1637. casus accidisset extrahendi via recognoscendi causam feudi Casalis Gerardi, ac obtentæ fuerint literæ euocationis directæ ad tribunal Consistorij; quæ tamē causa antea è Magna Curia fuerat euocata; cuius sententia, me patrocinante, ab eodem Supremo Consilio confirmata fuerat, vt dicam, Deo iuuante, in secundo libro consiliorum meorum: institit Regnum, petijtque à D. Rege declarari, non posse eamdem causam feudalem plusquam semel via recognoscendi auocari; atque etiam reuocari omnia rescripta eò vsque emanata. in cuius quidem rei cōprobationem ea omnia, me citato, totidem verbis D. Regi exposita sunt, quæ ipsi superiori, ac præsenti consilio tradidimus, vt patet ex allegationibus impressis, quæ circumferuntur: in cuius quidem fine nonnulla adduntur, quæ hispano idiomate, prout ia-

supremo Consejo proueyeron vn Decreto del tenor siguiente. Que està en manos de Su Magestad mandar, y determinar, que las causas feudales, que se tratan en el Reyno de Sicilia, assi en la Gran Corte, como en grado de appellacion, vengan à este supremo Consejo via recognoscendi, y el proceso, y votos delos Iueces, todas quātas vezes fuere necessario, y Su Magestad quisiere, y le pareciere conuenir. Y que por tanto las dichas letras de Su Magestad, despachadas el dicho dia 5. de Octubre del año passado 1623. como iustas, y conforme à derecho, se deuen poner en execucion en todo, y por todo, no obstante lo opuesto, y pretendido contra ellas por el dicho Don Marques de Afflicto, y Caruso, y que assi, por execucion, y obseruancia de las dichas letras, se escriua en esta conformedad al Virrey de Sicilia.

El Regente Iuan Baptista Valenzuela Velazquez.
Doctor Esteuan de Torresilla.
El Regente Ferrante Brancia.

tent, hic tradere operepretiū visū est.

30 *Estas son las razones, y fundamentos mas principales, en que se funda la pretension del Reyno en este punto. El qual esfuerça aora esta demanda, cō ocasion de auerse alcançado por Don Pedro Bonano, y consortes, segunda vez, vnas letras de auocacion via recognoscendi del pleyto de la Baronia de Casal Gerardo, cōtra Doña Maria, y D. Vicente Alagon Actores, aunque obrepticia y subrepticiamente pues callaron el auerse auocado à su instancia poco tiempo ha la misma causa via recognoscendi, y que vino confirmada por este Supremo Consejo de Italia la sentencia de la Gran Corte, en fauor de los Actores. Con la ocasion pues destas letras, el Reyno se ha resuelto de representar à Su Magestad (como lo haze por sus cartas) no solo el daño, que dellas immediatamēte resulta à los dichos de Alagon, que se impossibilitan à proseguir el pleyto: sino tambien, y mas princi-*
pal-

palmente las vexaciones, que de la execucion dellas resultan à los fieles vassallos de Su Magestad, contra su Real, y Santa intencion, y bien publico de todo el Reyno, con el qual inseparablemente se junta su Real seruicio: pues los que mas interesan en este negocio, son los Titulados, y feudatarios antiguos del Reyno, que son los que de ordinario mas siruen à Su Magestad, cuyos antecessores con sus haziendas, sangre, y vidas, siruiendo à los Señores Reyes passados, merecieron su gracia, y ser honrados con los feudos, de que oy los successores se hallan despojados, con poca, ò ninguna esperança de auerlos à recobrar, siendo los posseedores que los compraron, de ordinario gente rica, y que procuraràn la auocacion via recognoscendi todas las vezes, que pudieren. Y assi los que han hecho instancia al Reyno, para que esforçasse esta demanda, han sido casi todos los Titulados, y feudatarios antiguos, y en particular el Principe de Butera, y el de la Trabia, por tener oy pleytos feudales, que penden en la Gran Corte, y se han mãdado transmitir primera vez via recognoscendi: considerando, que si se diesse lugar à la segũda auocacion, contra los capitulos del Reyno, y la costumbre que hasta oy se ha guardado, se harian estos pleytos eternos, como se ha visto, y tocado con manos, en vno, que se mandò transmitir segunda vez, y es el de Espaccafurno: y con este intento los posseedores, y conuenidos, piden la segunda auocacion, para alargar la restitucion de los feudos injustamente posseidos, è impossibilitar à los Actores à prosseguir los pleytos, y alcançar su justicia. Y si se considera que bien, ò prouecho puede resultar desta segunda auocacion, se hallarà, que no ay otro, sino este particular, è injusto de los conuenidos, de alargarse la decision de las causas, y restitucion de los feudos indeuidamente posseidos contra todo derecho, que tanto encarga la breuedad en las decisiones de los pleytos. Y aunque les parece à algunos soberania del Principe Supremo, que todo lo trayga a si; todauia la Ley de Christò N. Señor enseña, que la grandeza, y soberania del Rey, y Principe Supremo consiste en procurar el biẽ de sus subditos, y que cada vno dellos consiga lo que es suyo sin dilaciones, dexãdo la cognicio de los pleytos à los juezes de las prouincias, de quienes se tiene tanta confiãça, y no sacarlos dellas, a pleytear fuera de su patria meses, y años, con tantos gastos, y trabajos, que muchos para escusarlos dexan de prosseguir sus justas demandas. Y que mas le va a Su Magestad de que conozcan enteramente de los pleytos feudales los Iuezes de Sicilia, ò los de acà, siendo todos ellos elegidos por su mano, y juezes suyos, que conocen, y determinan las causas en su Real nombre? Y si en este punto huuiesse lugar de gratificacion; claro està, que conuendria mucho al Real seruicio de Su Magestad, que la tuuiessen los Actores, que pretenden no aya segũda auocacion, no solo por ser su posicion mas fundada en derecho, y razon, como queda apuntado; sino tãbiẽ por ser ellos la gente mas principal y granada del Reyno, siendo, como diximos, todos los Titulados, y feudatarios antiguos; y los conuenidos, que pretenden la segunda auocacion, comunmente, y los mas gente ordinaria, que por fuerça de dineros se han leuantado con comprar feudos antiguos, y quitarlos a sus legitimos successores. Y bien se echa de ver, que differencia puede auer entre los vnos, y los otros en razon de meritos, y seruicios con esta Real Corona. Y de que seruicio podrà ser à Su Magestad tener desconsolados à los que tãto le siruen, y han seruido todos sus passados, en cosa que no es de prouecho, sino à estos nueuos feudatarios, y tiene tantos inconuenientes, como quedan referidos. Bien pueden esperar los antiguos de la grandeza de Su Magestad buen successo en este negocio, con que quedràn eternamente obligados à seruirle cõ sus haziendas, y vidas, viendo la merced que Su Magestad les haze.

CONSILIVM XXXXI.

Nunquid postquam caussae feudales Siculorum cognoscendae ad Supremum Italiae Senatum transmissae fuerint, noua instrumenta, seu noua scriptura in eodem Supremo Senatu produci, seu praesentari possint.

§. I.

Negans opinio probatur.

SVMMARIA.

1 *Negans opinio ponitur.*
2 *Hae caussae votatae auocantur, ideoque non admittuntur noua scriptura, & n. 3.*
4 *Post votatam caussam, neque restitutio in integrum conceditur.*
5 *Nullitas [illegible], & qua casu post conclusionem in caussa produci queant [illegible] iuramentum ad id requiritur, & n. 6.*
7 *Ad huiusmodi hoc iuramentum est necessarium speciale mandatum, & n. 8.*
9 *Nec sufficit mandatum iurandi de calumnia, & n. 10.*

1 HAec quaestio in supremo Italiae Senatu exagitata est, dum ageretur caussa eiusdem, cuius mentio in *cons. 3. num. 9. & 30. de quo supra n. 1* quaque sane ego partem negantem defendebam, obtinuique. Quam hisce, quae subijciam, rationibus [illegible].

2 Primo quidem, quia certissimum est, atque indubitatum, caussas feudales, quae à Supremo Consilio cognoscendae è Sicilia transmittuntur, eo modo, quo supra eodem cons. [illegible] explicuimus, votatas à Iudicibus Siciliae censeri, vti aperte supponunt omnes ferme Siculi Doctores, praesertim Pet. *de Greg. tract. de iudic. caus. feud. q. 39. n. 3. ibi: & eamdem caussam feudalem conclusam, & votatam ad S. C.* [illegible] *posse ea quae habentur in* [illegible] Solumque euocari, vt haec ipsa iudicum vota à Supremo Senatu recognoscantur, an scilicet ij iuste in illis caussis iudicauerint, necne; ac proinde Supremum Consilium solum de iustitia, vel iniquitate iudicum, atque eorumdem votorum cognoscit.

3 Atqui, si noua acta admitterentur, non posset cognosci de substantia veritatis, vel iniquitate iudicum, qui iudicarunt per ea, quae habentur in *Clem.* [illegible] *appellanti, de appellat.* vt recte pro iudicio reuisionis arguit idem *Petr. de Gregor. Sicul. in tract. de iudic. caus. feu. quaest. 5. num. 11.* cui sane iudicio maxime aequiparanda videtur haec via recognoscendi, cum fundetur ex gratia Principis ad cognoscendum substantiam veritatis super iudicio praecedenti, si per priores iudices in caussa fuit recte iudicatum, per *tex. in l. praefect.* [illegible] *ff. de minorib.* vt pro iudicio quoque reuisionis dixit idem auctor Siculus loco laudato, quamobrem in re nostra nondum vota, verum etiam iudicum iustificationes, quibus ea innituntur, transmitti praecipitur, quo sane intelligitur, Supremum Consilium velle dumtaxat cognoscere, num iuste iudices iudicarint.

4 Adeo vero post votatam caussam noua acta produci prohibetur, vt post aperta puncta, vti de Siculis caussis loquens ait *Petr. de Gregor. eod. tract. de iudic. caus. feud. q. 30. nu.* [illegible] in caussam dispunctam, votatam, & relatam, Domino Proregi, neque restitutiones ex regia ordinatione, pro lapsis restituendis terminis concedi queant, *per tex.* [illegible] *quibus* [illegible] et determinato [illegible] fieri possit, omni tempore partes [illegible] tamen fieri potest, postquam [illegible] & postquam dicti [illegible] iudices fuit de huiusmodi restitutione, vt [illegible] ita dicebat *Matth. de Afflict. in* [illegible] *obscuritatem in q. col.* [illegible] *in integr. restitutionib.* [illegible] *lib. 2.* [illegible]

con-

constit. vt vniuersis in 10. *col. vers.* 10. *tit. de seruando indemnem lib.* 2. vbi dixit, quod post relationem factam de caussa instructa superiori, nihil produci potest, quod sit in facto, vt probat *tex. in cap. dudum* ibi: *iam dicta erant; de elect.* vbi hoc firmat *Card. in* 2. *colu.* tamen ad tollẽdas istas dubitationes, vt ait *Petr. de Gregorio*, vltimo loco emanauit quoddam regni Capitulum à Cæsarea Maiestate Imperatoris, & Regis Caroli concessum in anno Domini 1525. sub *tit. de restitutionibus extraordinarijs post votatam caussam non concedendis* (hodiè est cap. 67. Imperatoris) vbi concluditur, quòd post votatam & relatam caussam feudalẽ, restitutiones extraordinariæ, etiam personis priuilegiatis, non concedantur.

5 Præterea addidi, caussas feudales è Sicilia euocatas, etsi nequaquam votatæ censendæ forent, prout re vera fuit, nihilominus saltem conclusas fore existimandas, solùmque desiderari prædicti Supremi Consilij votum, vt ex se manifestum est. Atqui iure communi instrumenta nonnisi ante cõclusionem caussæ proferri possunt, vt omnes omnino probant ex *cap. cum dilectus de fide instrum.* post alios *Ferrara in pract. in forma product. instrũ. verb. saluo nihilominus, eiusque addit. versic. cõclusum, Paz item in pract. tom.* 5. *septimo tempore, n.* 34 *& octauo temp. nu.* 144. *Couarr pract. quæstion. cap.* 20. *n.* 8. & in caussis feudalibus apertè supponit *Petr. de Gregor. Sicul. tract. tit. de iudicijs cauf. feud q.* 28. *n.* 2.

6 Et quamuis sint, qui opinentur, etiã post caussæ conclusionem esse instrumenta à iudicibus admittenda; id tamen omnes aiunt, locum obtinere, cũ is, qui ea profert in iudicium, iurat, nouissimè ea fuisse reperta, nec prius in eius notitiam, & cognitionem ea peruenisse, etiam post factam diligentem inquisitionem, vt post innumeros animaduertunt Doctores laudati, qui sequuntur *Bart. in l. admonendi n.* 3. *ff. de iureiurando*: etsi non ignorem, plerosq; à *Bartolo* discessisse: quibus, vt ait *Couarruuias*, regia lex patrocinatur in d. l. 24. Madritia, quæ tunc admittit iuramentum istud, & instrumẽta nouissimè reperta, cum nõdum sit in caussa conclusum, etiam quoad interloquutionem, quæ ad probationem faciendam pronunciatur: nihilominus *Bartoli* opinio plurimùm auctoritatis habet ex *cap. pastoralis de except.* & adeo recepta est apud Regia Tribunalia, vt nihil sit in hac forensi concertatione frequẽtius, vt ipse *Didacus* ait: tametsi, subdit, viderim sæpissimè locum ex hoc fieri multis fraudibus, dolis, & litigantium calumnijs, vt tãdem admonẽdi iudices sint, cautè hæc instrumẽta post conclusionem in caussa fore admittenda, quæ passim absque vllo iuramento ante caussæ conclusionem admittũtur. Monet demum idem *Couarr. post Paulum Castrensem*, quem alij quoque recentiores passim sequũtur, *Bartoli* opinionem faciliùs amplectendam, quoties est conclusum in caussa ad eam sententiam, quæ nec appellationem, nec supplicationem admittit; contrà verò difficiliùs, si appellatio post sententiam, supplicatioue supererit.

7 Ex his autem infertur, neq; admittenda esse noua instrumenta in casu, de quo loquimur, hac ipsa saltẽ ratione, quòd eiusmodi caussæ feudales, q̃ via recognoscendi auocantur, si non votatæ, ad minus conclusæ existimãtur. Et licet præfatum iuramentum in nostro negotio proferẽti noua instrumenta suffragaretur, si alia ratio non obstaret; nihilominus neque illud à proferente præstitum fuit, cum productum est nouum instrumentum: neque verò tunc præstari potuit, neque nunc potest: producens enim eiusmodi instrumentum procurator erat, non dominus litis; qui sanè procurator, etsi mandatum haberet generale cum libera potestate, & ad præstandum nomine domini quodcumque iuramentum;

tum;tamen, cum instrumentum protulit, neque iuramentum adhibuit, neq; adhibere poterat; quandoquidem ad iurandum hoc iuramētum nequaquā satis est generale mandatum; sed necessarium omnino est speciale; ità vt ipsi expressè, & specificè facultas à domino tribuatur iurandi in nomine domini, &, vt dici solet, in eius animam, illud instrumētum nouissimè à domino repertum fuisse, nec potuisse illius antea habere notitiam, & cognitionē, etsi de reliquo diligentem adhibuerit inquisitionem.

8 Atque ita generali decreto in Granatensi Prætorio definitum fuisse, *Couarruuias loco cit.* refert, qui id ipsum probat; quia, cum iuramētum alterius nomine præstandum est, speciale mādatum requiritur, vt ipsemet *Didacus* ostenderat in *cap. quamuis pactum, de pactis in 6. p. p. relect.* §. 5. *n.* 8. quod si, vt ipse ait, in hac specie oportet iuramentum fieri super diligentissima inquisitione instrumenti à domino præmissa, & super noua ipsius instrumenti cognitione, ac inuētione ipsi domino contingenti; manifestissimè consequitur, necessarium ad hoc esse speciale mandatum: quomodo enim hanc ipsā rem procurator verè iurare poterit, nisi dominus eumdem de ea instruat, eidemque tribuat expressam super ea iurandi facultatem?

9 Benè etiam probat *Didacus*, ad præstandum hoc idem iuramentum neq; sufficere mandatum ad iurādum de calumnia, etiā speciale in certa caussa; præsertim ex eo, quòd ratione huius mandati non licet iurare aliud, quam quòd domin⁹ principalis nulla vtitur, neque vtetur calumnia, nec malitia in eo iudicio: quod si id ipsū in instrumenti productione iuraretur, nequaquam sufficeret, vt ex dictis constat; cū necessariū sit in eiusmodi productione ea omnia iurare, quæ prædiximus. Nec quicquam refert, subdit idem auctor, consuetudine receptum in plerisque locis fuisse, vt ea extensio fiat; (puta quod satis sit mandatum speciale ad iurandum de calumnia) siquidem ea consuetudo iniqua est, ac perniciosa, in contemptumque religionis iuramenti, & diuinæ reuerentiæ, ideoque non valet, neque est admittenda: nam procurator, qui iurat in animā domini, instrumentum istud nouiter repertum fuisse; asseuerat vt certum, quod apud ipsum incertum est; etenim absque speciali iussu domini non potest ipse in eius animam asseuerare, nouissimè eum habuisse instrumenti cognitionem; ergo de hoc est incertus; asseuerare autem, maximè cum iuramento, vt certū, quod est incertum, temerarium est, & contrà iuramēti religionem.

10 Alias subdit idē *Didacus* rationes, apud ipsum omnino consulendas. qui *vers. sed etsi*, optimè quoque monuit, quandoque boni viri arbitrio, æquissimique iudicis admittenda fore instrumenta absque hoc iuramēto, & seclusa in integrū restitutione post caussæ conclusionem, ad eius sententiæ pronunciationem, qua tota lis definienda est, & à qua nec appellare, nec supplicare licet, si ea instrumenta palā actori, vel reo suffragantur, remq; de qua controuertitur, manifestam efficient; nec enim æquum est, inquit, propter actoris, vel rei negligētiam, eorum ius omnino perire: atque ità non semel vidi hoc admissum fuisse, quo iuris veri Antistites possent in republicæ vtilitatem iustitiæ ministerio famulari, & obsequi. Quod sanè monitum in re nostra locum minimè obtinebat, quippe partibus appellationis remedium supererat. Atque ità omnino concludebam, illud instrumentum nullo modo admittendū.

(:§:)

§. II.

§. II.

Negantis opinionis aliæ rationes, ac decisio Supremi Italiæ Senatus.

SVMMAE.

11 *Nullum exemplum reperitur, quod fuerint noua instrumenta admissa à Supremo Consilio in caussis feudalibus via recognoscendi auocatis.*

12 *Quarta ratio assertionis.*

13 *In iudicio reuisionis noua instrumenta admitti non possunt, & n. 3.*

14 *Neque in secunda supplicatione.*

15 *Neq; in appellatione ab interlocutoria, aut à grauamine iudicis.*

16 *Neque cum adiuncti iudicãt ob paritatem votorum primorum iudicum.*

17 *In caussa appellationis possunt nouæ probationes produci, non item in alijs, & quare.*

18 *Alia ratio efficax assertionis.*

19 *Decisio supremi Consilij.*

11 NEgantem opinionem iterum cõfirmabam, quia, cum omnes antiqui processus caussarum feudalium, via recognoscẽdi auocatarum, qui in Secretaria, vt vocant, Siciliæ reperiuntur, mandato eiusdem Supremi Italiæ Senatus recogniti fuerint, quò intelligeretur, si aliquando noua instrumenta ab eodem Supremo Consilio admissa fuerint in huiuscemodi caussis; factaque diligentissima inquisitione, nullum prorsus huius rei exemplum reperiri potuit: quare videbatur prorsus incongruum, atque omnino perniciosum, hunc morem denuò introducere, Siculorum priuilegijs plurimùm derogantem: ij enim è Regno extrahi non possunt, iuxtà ea, quæ suprà *cons.* 29. fusè tradidimus: planè autem, atque omnino extraherentur, si ab hoc supremo Senatu, post euocatam via recognoscendi caussam feudalem, noua instrumenta admitterentur: tunc enim nequaquam solùm iudicum vota recognoscenda forent; sed ex nouis omnino instrumentis iudicandum; essetq; agere nouam caussam, nõ primam recognoscere: ac proindè cogerentur Siculi extrà Regnum litigare: quod eiusdem Regni priuilegijs interdictum est.

12 Insuper quarto loco partem negãtem ostendebam, quia post votatam caussam nõ, nisi in appellationis iudicio, quæ fiq à definitiua, seu ab interloquutoria, quæ vim obtineat definitiuæ, noua instrumenta à iudicibus admittũtur; in alijs verò iudicijs, quocumque tandem nomine nuncupentur, regulariter noua instrumenta minimè recipiuntur: ergo neq; in nostro casu admitti debent: hæc enim euocatio via recognoscendi nequaquam est appellatio, vt omnes confitemur; sed quoddam remedium extraordinariũ, quod Principis beneficio indulgetur, vti antea monuimus, ad instar cuiuspiam reuisionis eo sanè fine, quo iudices inferiores, cognoscentes sua vota esse à supremis iudicibus recognoscẽda, atque examinanda, studeant ea veris, iustisque rationibus comprobare, nè ignari, vel iniusti, sed potiùs sapiẽtes, atque optimi censeantur, cupidiq; partibus iustitiam ministrare: quod si fortè vota nequaquam essent iuri cõsona, ac rationi, & contrà id, quod ex processu probatur, vt à supremis iudicibus possint in melius reformari.

13 Atqui in iudicio reuisionis noua instrumenta admitti non posse, post alios docuit *Petr. de Greg. Sicul. tract. cit. de iudic. causs. feud. q.* 52. *nu.* 11. vbi ait, quòd hoc iudicium reuisionis expeditur per eadem acta, cum quibus per priores iudices fuit iudicatum: ità dictant verba *Rit. in tit. de modo procedendi in causs. summar. & in cap. item quod à sententijs latis, in fine*: in tãtum, vt ab extra nihil addi possit, etiam ad informationem iudicum delegatorũ. *vide supra n.* 3.

14 Et in Regnis Castellæ reperitur *l.* 2. *tit.* 20. *lib.* 4. *recop.* quæ loquens de secunda

cunda supplicatione, *que los iuezes*, inquit, *à quien las cometieremos, las vean y determinen delos mismos autos del processo, sin recibir escripto, ni peticiõ, y sin dar lugar à otras nueuas alegaciones, ni probanças, ni scripturas, ni dilaciones, ni pedimientos por via de restitucion; ni en otra manera alguna*. id quod expressè etiam docuit *Rebuff. in const. reg. tom. 1. tract. de supplic. q. 10. nu. 80*. vbi ait, quòd hæc supplicatio ex eisdem actis iudicari debet; nec recipiuntur partes ad producẽdum aliquid aliud, ut ex iisdem actis iudicetur: ergo coram iudicibus decidi poterit. Etsi sciam *Matthens. in dialog. relat. 3. p. nu. 48. n. 3*. velle, hoc etiam euẽtu admitti debere nouas probationes; & instrumenta nouiter emergentia, eo adhibito iuramento de quo *nu. 8*. loquuti sumus: quam opinionem æquam, & seruandam docet *Paz. in pract. tom. 1. septima parte cap. vnic. nu. 127*. Id quod tamen voluere, quia partibus post hanc supplicationem nullum prorsus remedium superest, quo suum ius consequi queant, quod in re nostra locum non habet: siquidem post votorum recognitionem, appellationis remedium remanet.

15 Item appellanti ab interlocutoria, vel à grauamine iudicis, nõ licet alias caussas prosequi, quam in appellatione sua nominatim dumtaxat expressas: nec processus primi iudicis ex nouis, aut de nouo probandis, iustificari potest, vel etiam impugnari; sed tantũ ex illis, quæ acta fuerunt, vel exhibita coram ipso: vt totidem verbis sancitum in *Clement. appellanti de appellationib*. monetque post alios *Paz. in pract. tõ. 2. p. 2. cap. vni. n. 18*. ac præsertim post *Bart. in l. ait prætor nu. 3. & 4. ff. de minorib. vigintiquinque ann*. vbi docet, in hac appellatione non obtinere locum regulam illã: *non probata probabo, &c*.

16 Demum refert *Vincent. de Franch. decis. 513*. aliàs fuisse dubitatum, an, existentibus iudicibus in pari voto, additisque alijs iudicibus, si noui additi iudices superuenerunt, ex ijs solũ votare deberent, quæ in processu apparebant tempore, quo primi iudices votauerunt; an etiam ex ijs, quæ de nouo superuenerũt: & in fine decisionis refert, quòd, audito postea Regio fisco, super his, quæ prætendebat, scilicet, quòd etiam ex nouis deberent domini adiuncti votare, fuit conclusũ, quod adiuncti votare deberent super illis tantum, quæ erant in processu tẽpore, quo primi iudices votauerunt; quia erant adiuncti super differentia, quæ fuit inter primos iudices, quando votauerunt, quo tempore non aderãt hæc noua: & ità antiquiores dixisse, semper in similibus casibus fuisse seruatum, & vidisse seruari.

17 Atque horum omnium ratio ea mihi esse videtur, quòd hisce casibus nõ cognoscitur de iniustitia respectu veritatis, vt loquitur *Bart. in d. l. ait prætor n. 3*. in appellatione à sententia definitiua; sed de errore, vel iniustitia primi iudicis, num scilicet iniuriam fecerit, vt idem *Bartolus* ait, loquens de appellatione à sententia interlocutoria: a definitiua verò, inquit idem auctor, potest appellari, etiamsi iudex nullam iniuriam fecerit, sed iustè iudicauerit secundùm actitata in prima caussa: nam in caussa appellationis poterunt nouæ probationes produci, ex quibus apparebit, iniustitiam esse respectu veritatis; non quòd iudex primus iniuriam fecerit. Ex qua *Bartoli* doctrina manifestè animaduertitur discrimen inter appellationem à definitiua, aliosque casus nuperrimè recẽsitos, hac in re, de qua disputamus: ex quibus ipsi non ineptè arguimus ad nostrum, ob eamdem, quam in omnibus perspicimus rationem: quandoquidem, cum via recognoscendi nequaquam sit appellatio, sed modus quidam extraordinarius, quo vota iudicum Siculorũ simpliciter recognoscuntur, non absolutè respectu veritatis, sed præcipuè, vt intelligatur, num ij ob errorem, vel dolum, iniustitiam

fece-

sequeretur, an potius iustè iudicauerint; (nil gradum omninò) erit posse, denuò in hoc Supremo Italiæ Senatu noua instrumenta proferri, ob eas omnes, quas protulimus rationes.

18 His quidem rationibus addita fuit, & alia sanè efficax ab Illustrissimorum Regentium: quia si hoc Supremum Cõsilium ex nouis instrumentis, ac probationibus litem terminarent iudices Siciliæ, quibus vota remitterentur, possent non iniuria detrectare illa exequi, ea potissimum ratione, quòd in hoc negotio supremum Consilium nonnisi eorum vota recognoscere debet, num benè iustificentur ex actis, ac probationibus in processu contentis: atqui nouis instrumentis à Consilio admissis, nõ vota iudicũ Siculorum recognoscerentur, sed omnino ex nouis probationibus lis extrà Regnum contrà eiusdem capitula definiretur; quod sanè incõmodum omninò præcidendum erat.

19 Hisce sanè rationibus, alijsq; quas supplevère doctissimi iudices, decreuerunt, scripturas, de quibus locuti sumus, nullatenus esse admittendas. Id sancitum est 22. *Aprilis* 1633. petijt verò admitti scripturas procurator Illustrissimi D.D. Petri Bonanno, Marchionis Lobgatini Regni Siciliæ, in iudicio reiuendicatorio Baroniæ Casalis Gerardi, quod contrà ipsum mouère Donna Maria, & Don Vincentius Alagona, Barones Bibini Magni, & Casalis Gerardi (quorum illustre genus Aragonia, ac Sicilia satis nouit) eorumdemque procurator intercessit, ne eiuscemodi noua instrumenta admitterentur.

CONSILIVM XXXXII.

De euocatione causarum feudalium via recognoscendi quæstiunculæ selectiores.

IN superioribus, quæ *Cons.* 29. 30. & 31. tradidimus de euocatione causarum feudaliũ via recognoscendi, visum est annectare nonnulla alia, quæ ad eamdem rem rectè intelligendam pertinent, & vtilia esse possunt; quorum aliqua de facto mihi accidère, eorumque decisiones hoc cõsilio referemus; sit igitur.

§. I.

Num sententia lata à Magna Curia, post Supremi Consilij recognitionem, sit sentẽtia Supremi Consilij, an M. C.

S V M M Æ.

1 *A Supremi Principis sententia appellari non licet.*
2 *Resolutio quæstionis.*
3 *Sententia semper est Iudicis, licet eam ferat secundùm consilium sapientis.*
5 *Exemplum Baroniæ Placæ nobis non obstat.*

1 VTilitas quæstionis est, quia si Supremi Senatus censeatur sententia, ab ea, quippe supremi Principis, appellari minimè licebit, *l. vlt. ff. a quib. appel. non liceat, & ad causas longius Gloss. verb. conquirendo C. de appell.* contrà verò si Magnæ Curiæ sententia existimetur.

2 Respondeo, eam Magnæ Curiæ sententiam ab omnibus Siculis Doctoribus censeri. Legendus præ fortiùs *Garmila in prox. tit. de modo procedendi in caus. feud. vers. tertio ab allodialibus,* vbi ait, quod causæ feudales etiamsi remittantur ad Sacrum Cõsilium via recognoscen-

scendi, & postea cognitas iterum remittit ad Magnam Curiam, quæ secundùm quod statuit dictum Sacrum Consilium, sententiam proferre debet, siue contrà propria vota fuerit decisum in Sacro Consilio, siue contrà vota sedis præteritæ, semper dicatur sententia Magnæ Curiæ, adeo vt ab ea poterit appellari.

3 Et quamuis sentētia post transmissionem ferendā sit omnino iuxtà Sacri Consilij vota; (vt modò *Cumia* monuit, probauitque *Petr. de Greg. q.* 40. *loc. cit.* cuius tamen tēpore id non erat, vt hodiè, certum.) nihilominus nequaquam supremi Senatus sententia, sed Magnæ Curiæ dicetur; sicut, vt ait idem *Petr. de Gregor.* si iudex ferat sētentiam secundùm consilium sapientis, quod tenetur petere, & si qui ex forma statuti; illa tunc erit sententia iudicis, & non sapientis, licet secundùm eius consilium feratur; etsi aliter fortè iudici iudicandum fore videretur, per ea, quæ posuit *Bart. in l. Titium, & Mauium* §. *altera ff. de administr. tut. & in l.* 1. §. *si plures ff. de exercit.* eodem igitur modo in casu, de quo agimus, non est sententia Sacri Consilij veluti consulentis, sed Magnæ Curiæ, vt idem auctor docet, eritque causa appellabilis, vt ipsemet ait, sicuti ab alijs sententijs definitiuis causarum feudalium latis per Magnam Curiam appellari consueuit. Interim tamen, dum causa auocata non remittitur; suspensa remanet Magnæ Curiæ iurisdictio, vt post plures annotat eximius Doctor Siculus *Marius Giurba de feud.* §. 2. *glos.* 12. *n.* 93. *vers. tertia conclusio*, vbi etiā docet *vers. quarta conclusio*, intimatis literis auocationis, neque ex consensu partium posse iudices ampliùs in causa procedere.

4 Simile quid ego reperio in *l.* 2. *iuncta Gloss. C. de appell.* vbi statuitur, quod, etsi à rescripto Principis, à iudice super lite consulti, non prouocetur; tamen à iudicis sententia deindè appellari non prohibetur; idemque fermè monet *Glossa in l. iubemus verb. quæstori*; vbi: *contrà hūc* (Imperatoris) inquit, *responsionem non appellatur, vt subijcit, sed contrà sententiam* (Iudicis sequentis illam responsionem) *sic, vt diximus suprà eodem l. nouū*. Cuius sanè rei ratio eadem est, quam modò retulimus, quia scilicet ex sententia non Imperatoris rescribentis, sed iudicis, cui rescribitur, censetur. Atque hac de re hodie in Sicilia nulla prorsus est difficultas. 81

5 Neque obstat exemplum causæ Baroniæ Placæ inter D. Marchionē Florestæ, ac D. Marchionem Spaccafurni, quæ per Supremum Consilium sententia definitiua terminata fuit, ità vt remissio ad tribunal Consistorij, ac proinde appellatio D. Marchionis Spaccafurni denegata fuerit: id enim accidit, quia eam causam non via recognoscendi, sed iudicandi ex consensu partium auocatam Consilium existimauit, *Tap. decis.* 1. *à n.* 28. *& decis.* 4. hæc enim est exceptio regulæ statuentis, causas Siculorum non posse extrahi, de qua diximus *cons.* 29. de eaque videndi Doctores apud *Giurb. de feud.* §. 2. *glos.* 12. *n.* 93.

§. II.

An, si controuersia de feudo quidem, sit, non tamen agatur ex lege feudi, hæc caussa, è Regno via recognoscēdi euocari queat.

S V M M A R I V M.

6 *Vtrum causa propriè caussa feudalis.*

7 *Exponitur feudistarum axioma, idest: quoquo modo causa tangit feudum, est feudalis, & n.* 8.

9 *Cognitio causarum feudalium ad M. C. abdicatiuè spectat.*

6 RESpondeo nō posse. ratio est, quia, eiusce modi caussa à Doctoribus allodialis censetur

fetur, non verò feudalis, quæ dumtaxat euocari eo modo poteſt: quoties enim non agitur ex lege feudi, ſeu nõ ad feudum, vt feudũ eſt, ſed vt quoddam allodium, & ad cõmunes Romanorum leges recurritur, neque opus eſt vti feudorum legibus, cauſſa ab omnibus allodialis, non autem feudalis exiſtimatur, probaturque ab iiſdẽ latè in *cap. caterum de iudic.* & à *Bald. in cap. imperialem de prohib. feud. alien. per Frid.* & *in cap. ſi qua controuerſia, de pace Conſtan. Alex. conſ. 1. num. 3.* & *15. lib. 5.* aliiſque, quos laudat, ſectaturque *Maſtrill. decif. 117. à nu. 7.* & *deinceps lib. 2.* & *decif. 217. à n. 28. lib. 3. Milanen. decif. 6. à nu. 19. part. 1. Caſtill. decif. 15. n. 3. Petr. Greg. loc. cit. de iud. cauſ. feud. q. 1. Schrad. de feud. part. 10. ſect. 2. n. 31. Roſental de feud. c. 12. concl. 2. gloſſ. 4. Muta decif. 70.* & *in ca. 540. Alphonſi n. 25. Giurb. de feud. §. 2. gloſ. 12. n. 92. Doctiſſ. Epiſcopus,* & *Regens D. D. Petr. Corſet. in add. ad Conſ. 30. D. Octauij patris.* Refert *Maſtrill. nu. 9.* Ancharanũ teſtantem, hanc eſſe commu em opinionem. & *nu. 10.* ſubdit, quod ſi aliter diceretur, caſus ferè non daretur, quo cauſa feudalis nõ eſſet, laudatque *Bald. Felin. alioſque,* ac refert ità fuiſſe pluries deciſum. Hi fermè omnes poſt *Baldum* edo & generatim, tunc ſolùm cauſam dici feudalem, cum ſit feudi mentio ad fundandam, coadiuuandam, vel repellẽdam intentionem, agiturque de ablata, vel ſublata poſſeſſione. horum plures citant, ac ſequuntur *Milanen. decif. 6. cit. n. 20. lib. 1. Maſtrill. d. decif. 117. nu. 15. Giurba de feud. d. § 2. gloſ. 12. n. 92. Corſet. ſen. d. conſ. 30. ibique add. Caſtill. decif. 15.* & *201. num. 22. 26* in aliis verò caſibus non eſſe feudalem, veluti ſi agatur ex iure offerendi, vt in *decif. 217. Maſtrilli,* & *decif. 56. Muta*; vel ex nullitate aduerſus feudi venditionem ex contractu, non autem ex natura feudi proueniente, vt in *decif. 70. Muta, Giurba d. nu. 92.*

7 Neque quicquam obeſt commune feudiſtarum axioma, quod ſcilicet quoquo modo cauſſa feudum tangit, feudalis cenſetur, vt poſt Doctores in *cap. caterum, de iudiciis*, & alios, dixit *Petr. de Gregor. loc. cit. qu. 5. Aſſtict. Pariſ. Cõ. Milan. apud Maſtrill. decif. 83. n. 5.* & *9.* & *decif. 117. n. 1.* & *ſeqq. D. Regen. Tap. decif. 4. n. 6. Giurb. de feud. §. 2. gloſſ. 12. n. 92. Galup. de feud. part. 6. cap. vn. n. 14. Mut. decif. 56. nu. 5.* & *in cap. 540. Alphon. n. 2.*

8 Non, inquam, obſtat hoc axioma: etenim exponendum eſt iuxtà eiuſdẽ *Petr. de Greg.* doctrinam, quam habet *qu. 1. cit.* vbi ait, tunc cauſſam cenſeri feudalem, cum agitur conditione ex lege feudi; quod ſi is aliud intelligeret, eius opinio contrà cæterorum ſẽtentiam foret, vt monuit *D. Reg. Corſet. loc. cit. n. 2. Milanen. decif. 6. nu. 28. Giurb. d. n. 92. Maſtrill. d. decif. 117. n. 29.* & ità explicandum eſt illud axioma; aliàs ab eo cauendum *Corſettus* animaduertit.

9 Quamuis autẽ quædam Regni cõſtitutiones, ac præſertim *conſtitutio Baiuli locorum*, ſtatuant, omnes prorſus cauſſas tũm reales, tũ perſonales, quæ ſuper feudis aguntur, eſſe feudales, atque ideo excluſas à cognitione Baiuli locorum, ac reſeruatas Magiſtro Iuſtitiario, in cuius locum Magna Curia ſubrogata eſt, vt ait *Maſtrill. decif. 117. n. 1.* & *deinceps*: nihilominus eiuſcemodi conſtitutiones iuxtà iuris communis diſpoſitionem, & communem Doctorum ſententiam in *cap. caterũ cit. de iudic.* interpretari oportet; ità vt tunc feudales cenſeantur, cum agitur lege feudi, vt idem *Maſtrill. loc. cit. n. 7.* & *8.* monet: & tunc quidẽ ſolùm ad Magnam Curiam abdicatiuè pertinere, puta ad quattuor iudices illiustres quidem cauſarum ciuilium, & vnum ſeniorem criminalium, iuxtà formam capitulorum, & conſtitutionum Regni, de quibus *Petr. de Greg. d. tract. q. 7. ibique add. Maſtrill.* & *decif. 83. n. 1. Giurba d. gloſſ. 12. n. 91.* qui id fusè, ac doctè, vt in omnibus aſſolet,

let, pertractat· vbi de relatione ante sententiæ prolationem D. Proregi facienda: quòdque iurisdictio causarũ feudalium, etiam consentientibus litigatoribus, prorogari non possit. de quo plures apud *Mastrill. decis.* 83. *n.* 11. *Mut. d. cap.* 540. *Alphonsi nu.* 3. *& seqq. Mart. de iurisd. p.* 1. *cap.* 25. *n.* 3. 4. *Sebrad p.* 10. *sect.* 5. *à nu.* 177. aliaque apud doctissimum *Giurbam* consuli debent.

§. III.

An causa reintegrationis bonorum feudalium sit feudalis.

SVMMAE.

10 *Resolutio quæstionis affirmatiua ostenditur, & nu. seqq.*

11 *Pars feudi, legitimè alienata, an remaneat feudalis; an potius fiat allodialis.*

12 *Feuda sunt indiuisibilia, eorumque dismembratio, aut diminutio omnino prohibetur.*

13 *Causa remensurationis factæ ad effectũ reintegrationis rei feudalis, an per iudicem feudalem sit terminanda.*

EX dictis §. *ant.* huius quæstionis resolutio facillimè elici potest: ideo ei illam appendere visum est. nuperrimè verò accidit hic casus inter Excellentissimum D. Comitem de Mohad, & suos vassallos, Caccabenses, aliosque; petijt enim D. Comes remensurationem, & reintegrationem quarumdam terrarum, quas prætendebat iniustè ab illis esse occupatas. In ipso autem litis limine, Caccabenses institère, vt tamquam in feudalibus procederetur, idest per quattuor iudices, modo explicato *num.* 9.

10 Et quidem hanc causam esse feudalem, mihi videtur manifestum; siue de cætero adsint concessiones prædictarum terrarum, seu instrumenta concessionum, siue nõ adsint. Etenim vt §. *ant.* probauimus, vbicumque fit feudi mentio ad fundandam intentionem, aut etiam adiuuandam, agiturq; de sublata possessione, causa feudalis existimatur. Atqui id euenit in nostro casu: agitur enim de bonorum feudalium reintegratione, ac per cõsequẽs, de recuperanda possessione, quæ sublata fuerat, vt patet: id autem petit Baro vti Baro, ac feudatarius; agitq; ad feudum, vt feudum est, idest quid indiuisibile, quod proinde petit sibi reuniri, & reintegrari, quod illegitimè, atque iniustè abscissum à se repetitur.

11 Etenim, quamuis, vt nunc supponitur, pars earum terrarum legitimè, præcedentibus scilicet debitis solemnitatibus, consensu domini, &c. alienata sit; proindeque penes possessores remanserit vti merè allodialis, si scilicet facta sit alienatio, præhabito directi domini consensu, absque expressa directi dominij reseruatione, iuxtà plurium opinionem, idest *Isern. Beluis. Capr. Afflict. Raym. Curt. Ardiz. Blanc.* aliorumque apud *Rosental. de feud. ca.* 9. *concl.* 38. *lit. D.* (quicquid ipse censuerit ibid. n. 5.) *& Tiraq. tract. de retract. lign.* §. 1. *glos.* 9. *à n.* 136. *Vasill. ad decis.* 112. *Afflict. n.* 9. qui ait, esse casũ in *l. si debitor* §. *si in venditione ff. quib. mod. pign. & hypoth.* de cuius intellectu post *Andr. in cap. imperialem col.* 3. *n.* 10. *& in cap. si facta nu.* 3. *si de feud. def. fuer. controu.* latè egit *Roman. cons.* 94. quorum opinio mihi videtur apertè decerni in *tit. quid iuris, si post aliã feud. vass. id recuper.* ibi: *profectò si domini voluntate vendiderit, vel per libellum, vel aliter alienauerit, penes eũ remanebit, non iure beneficij, sed aut iure proprio, &c.*

12 Quamuis, inquam, ea pars iustè, ac legitimè fuerit alienata, atque allodialis remaneat, secundùm hanc opinionem; pars tamen, quæ vltrà æstimationem prætenditur vsurpata, ac petitur feudo reintegrari, proculdubio, & in omnium sententia feudalis re-

remansit, cum iniustè vsurpata supponatur, nec vnquam legitimè fuerit dismembrata; ac proinde lege feudi petitur reintegrari, iuxtà terminos *Constit. Diuæ memoriæ, & cap. volentes, ibi, indiuiso, & integro manente feudo, & cap. 44. Friderici, cap. imperialem, de prohib. feudi alien. per Fider.* quibus sanè iuribus quæcumque prorsus feudi dismembratio, aut diminutio prohibetur, ità vt & ipsemet alienans contrà factum proprium venire possit, vt plures edocent apud *Mastrill. decis. 105. nu. 2. lib. 2.* ac proinde qui petit reintegrationem partis feudi illegitimè dismembratæ, hisce legibus feudalibus vti debet: ideoque patet, hanc causam esse feudalem, vide prædictum *decis. 165. Mastrill. Petr. de Greg. d. tract. de iudic. caus. feud. qu. 1. a. & 5. Castill decis. 15. à n. 4. Giurb. d. gloss. 12. n. 92. Milan. d. decis. 6. n. 59. lib. 2. Mut. ind. cap. 540. Alphons. num. 25. & 43. & omnes in d. cap. cæterum, de iudicijs.*

13 Sed quæres, estnè etiam feudalis causa remensurationis factæ ad effectum, vt superfluum feudo reintegretur? Respondendum videtur affirmatiuè: quod intelligendum esset, quoad effectum, non verò quoad naturam, seu essentiam talis causæ, idi autem est; huiusmodi causam non censeri feudalem ex natura sua, sed solùm veluti per accidens, quatenus dirigitur ad bonorũ feudalium reintegrationem, proindeque eius cognitio ad iudices ipsiusmet causæ feudalis pertinere debet, ea videlicet ratione, quòd iudex præparantis est iudex causæ præparatæ *l. ordinarij, ibique gloss. ac doct. C. de rei vend.* alijsque probat *Mastrill. decis. 119. à n. 7. lib. 2.* sicuti apud eumdem iudicem proponitur actio ad exhibendum, quæ præparat causam iudicij possessorij, vt ex *d. l. ordinarij* alijsq; docet *ibidem gloss. in verb. exhibitis.* sed de hoc alibi: nunc relinquo melius cogitandum. De continentia verò causæ non diuidenda vide *DD. in l. nulli C. de iudicijs, Alciat. 1. parerg. 9. & Menoch. de arbitr. iud. lib. 2. cent. 2. casu 99.*

§. IV.

An via recognoscendi auocari possit causa petitionis feudi virtute pacti de retrouendendo: dotis de paragio, ac vitæ militiæ: fructuum feudi: rei particularis feudi: ac spolij de recenti. item de vsu rescripti, ac prorogatione semestris.

SVMMAE.

14 *Si petatur feudum vi pacti de retrouendendo caussa non est feudalis.*

Cap. nouissimum Imperatoris hac de re.

15 *Caussa vitæ, & militiæ, & dotis de paragio non est feudalis.*

Caussæ alimentorum sunt summariæ.

16 *Fructus feudi non sunt feudales.*

17 *Resolutio quæstionis de caussa rei particularis feudi.*

18 *Caussa spolij non est feudalis.*

19 *Resolutio quæstionis de vsu rescripti.*

20 *Num semestre prorogari queat.*

14 Quod attinet ad causam petitionis feudi virtute pacti de retrouendendo, respondeo, Petr. de Greg. de iud. caus. feud. qu. 4. concludere videtur, hanc causam censeri feudalem, ac proindè in eius sententia auocari optimè posset. Sed quicquid sit de huius, aliorũque Doctorum opinione, hodiè res hæc nullam penitus habet difficultatẽ quoad hanc transmissionem, (quicquid sit an verò sit feudalis, necnè) ob *cap. 314. Caroli Imperatoris*, quod Siculi *nouissimum* appellant, quo apertè statuitur, eiusmodi caussas vti allodiales tractari debere, ac proindè

quod via recognoscendi auocari non possint. quod sanè capitulum deindè idemmet Imperator in *cap. 256.* vlteriùs declarauit. atque ità aiunt omnes Siculi Doctores, quos vide: ac præsertim *Mut. decis. 79. nu. 29. Mastrill. decis. 217. nu. 5. & 6. lib. 2. Giurb. §. 2. glos. 12. n. 93. vers. ex his, in fine*, & ità hodiè practicatur: & ego obtinui in causa *cons. seq.*

15 Item an causæ dotis de paragio, & vitæ, & militiæ via recognoscendi è Regno euocentur; respondeo, eumdē *Petr. de Greg. tract. de vita, & militia q. 8. & tract. de dote de paragio qu. 37.* hasce caussas putare esse feudales, ac proindè posse euocari. Sed hac in re hodiè habemus *cap. 117. Caroli Imperatoris*, vbi apertè sancitur, caueturque, quòd in ijs summariè procedatur, quippeque sunt caussæ alimentorum, quæ summariæ censentur ab omnibus, quorum aliquos citat, sequiturque *Surdus de aliment. tit. 8. priuil. 2.* alibique; & tam in procedendo, quam in decidendo eiusmodi caussas censeri vti allodiales, & ita seruari, ait *Mastrill. in add. ad d. qu. 8. Pet. de Gregor.* præsertim ob pragmaticam à D. Ferdinando Gonzaga olim Siciliæ Prorege editam 12. *Martij ann. 1537.* qui illud expressim decreuit. Etsi ad maiorem cautelam quandoque Principis rescriptum impetretur, quo caussæ illæ instar allodialium decidantur.

16 Præterea an caussa, in qua agitur de feudi fructibus, via recognoscēdi auocari possit; respondeo, fructus feudi nō esse feudales, vti post *Bald. in cap. 1. n. 8. de success. feudi, Curt. iun.* aliosq; docet *Surd. de alimen. tit. 4. q. 10. n. 25. & 26. & Mastrill. in add. ad Petr. de Gregor. tract. de iud. caus. feud. qu. 5.* atque adeo pater in bonis feudalibus filij obtinet vsumfructum; & in feudi fructibus contrà vassallum exequutio fieri potest: ijdemque fructus vendi, obligarique queunt, & absque domini cōsensu alienari: quę sanè omnia post alios edocuit idem *Surd. loc. cit. à nu. 26.*

vsque ad 31. Hinc autem fit, vt caussa hæc, de qua loquimur, via recognoscēdi euocari nequeat.

17 Insuper, num caussa petitionis rei particularis feudi, aut bonorum mobilium, in feudo existentium ad perpetuum ipsius vsum, via recognoscendi auocetur; respondeo, hanc caussam à *Petr. Greg. tract. cit. de iud. caus. feud. q. 5.* censeri feudalem; quam equidem doctrinam interpretor iuxtà generalē *suprà S. 2.* explicatam, puta si agatur lege feudi: nam alioqui feudalis non erit, vti ex ibi allatis elici potest. quarè, cum agitur conditione legis feudalis, via recognoscendi poterit euocari.

18 Ad hæc, an caussa spolij de recenti priuilegiati rei feudalis via recognoscendi euocari queat. Respondeo, hāc caussam non videri feudalem; nō enim in ea agitur lege feudi; sed iure omnibus alijs rebus communi: quarè non videtur feudalis ex ijs, quæ *suprà S. 2.* tradidimus. & quidem *Petr. de Gregor. loc. cit. q. 2.* quærens, num caussa restitutionis possessionis feudi, feudalis dicatur, etsi post alios aientem sententiā amplectatur, vt etiam repetit *q. 17. nu. 5.* nihilominus addit, id fore intelligendum secundùm doctrinam *Iacob. de Sancto Georg. & Baldi*, docentium, id locum obtinere, quando intētatur, inquit, possessio qualificata, idest tamquam feudalis de re feudali, & ex lege feudi. Sed quicquid hac de re sit, hodiè omnino certum esse debet, hanc spolij caussam via recognoscendi euocari non posse, vt ex *ca. 191. Caroli V.* probat *Mastrill. in add. ad qu. 17. cit. Petr. de Gregor. initio*: & ita in Regno hodiè obseruari aut monat in *add. ad q. 39. vers. aduerte in Regno*, & ratio, meo iudicio potest esse, quia, vt omnes Doctores fatentur, spoliator audiri non debet, nisi priùs restituat; audiretur autem, si caussa spolij auocaretur. Atque ità obtinuimus in Supremo Consilio pro D. Marchione Spaccafurni contrà D. Marchionem Floresta.

19 Rursus num alter litigatorum rescrip-

ſcripto huiuſce auocationis ab altero impetrato, atque, eodem inſtãte, executioni mandato, ſeu, vt aiunt, in Regno executoriato; contrà impetrantis voluntatem vti queat. Reſpõdeo *Maſtrillum in add. ad Petr. de Greg. qu. 39. poſt Milan deciſ. 4. lib.* 1. cenſere, non poſſe vti, teſtarique ſic fuiſſe in Magna Curia deciſum. Id tamen mihi dubium eſt, quia hoc reſcriptum, iam mandatum executioni, ità iudicum manus ligat, vt neque ex partium cõſenſu poſſint amplius in cauſa procedere, vt diximus *num. 3. in fin.* vide *Giurb. d. gloſſ. 12. nu. 94.* & quod in ſimili ſcribunt plures apud *Tiraq. de retract. lign. ad fin. tit. n. 24.* doctè etiam agit *Giurba*, an obtinens poſſit huic reſcripto, inuito aduerſario, renunciare.

20 Denique an ſemeſtre, quo regium reſpõſum à iudicibus poſt cauſſæ euocationem expectandum eſt, prorogari queat; reſpondeo hac de re legendum eſſe *cap. 139. Caroli Imperatoris*, qui ſibi hanc temporis prorogationem reſeruat. Sed iam hodiè in more poſitũ eſt, vt à Supremo Italię Senatu paſſim prorogetur: præſertim cum abſque partium culpa cauſſæ feudalis auocatæ recognitio differtur. ità pluſquam ſemel præſtitum fuit in cauſa Baroniæ Babini-Magni, de qua dicam *lib. 2.* conſiliorum meorum.

CONSILIVM XXXIII.

Venditio iuris luendi rei feudalis nulla ipſo iure, niſi cauſa adſit. Tranſactio extinguit antiqua iura, paritque noua: eaq; inualida eſt ipſo iure, ſi falſa cauſa, vel ſuper re certa ineatur, quamuis adſit iuſiurandum, & ex certa ſcientia fiat.

§. I.

Facti ſpecies.

1 QVæ *hoc, & ſeq. conſ.* aſſeremus, operæ pretium fuit diſcutere ob eximiam quamdam litẽ; quę priùs in Sicilia, poſtea in Supremo Italiæ Senatu exagitata diù fuit, ĩ qua equidẽ actoris partes defẽdebã. Cuius quidẽ facti ſpeciẽ referre oportet, quo rectè ea, quæ dicturi ſumus, intelligantur. ea verò eſt huiuſmodi.

2 Titius feudum, quod ex pacto, & prouidentia Principis, vt feudiſtæ loquuntur, poſſidebat, Caio vendidit, addens pactum de retrouendẽdo pro ſe, ſuiſque ſucceſſoribus in perpetuũ. quod ſanè pactum, ſeu potiùs ius ex eo reſultans, Siculi, & alij quoque, *ius luendi* appellare conſueſcunt.

3 Titio vita functo, Sempronius eius hæres, ac ſucceſſor vendidit Scipioni hæredi, ac ſucceſſori Caij etiam defuncti, ius luendi modo relatum.

4 Poſt hæc Pomponius, hæres Sempronij, litem mouit Scipioni, eumque in primo iudicio feudum reuendere coegit, nihil penitus refragante iuris luendi venditione à Sempronio facta, habuitque realem, & actualem feudi poſſeſſionem virtute ſententiæ à iudicibus latæ.

5 Sed cum Scipio ad ſuperiores iudices prouocaſſet; amicorum opera ad tranſactionem deuentum eſt. Itàque Pomponius vi huiuſce tranſactionis re-

restituit feudum Scipioni, ac paciscuntur, vt Scipionis vita durāte, nullo vnquam tempore feudum reuēdere cogeretur: post eius verò obitum, statim feudum, oblato, depositoque pretio, vt moris est, ad Pomponium, eiusuè heredes, & successores rediret; ità vt hi propria auctoritate, &, vt aiunt, de facto, illius possessionem capere possent. atque ità transactum est, & ab vtroque id iureiurando obfirmatum.

6 Inde diem obijt Pomponius, eique hæres fuit, ac successit Iabolenus; cui, cum Papinianus minaretur, se post Scipionis obitum, cui hæres, ac successor futurus certò erat, litem moturū, quò feudum, ritè suis antecessoribus, atque etiam ipsius ius luendi legitimè venditum, apud se maneret; viuente adhuc Scipione, Iabolenus transigere cogitur timore litis futuræ, quam Papinianus minabatur.

7 Itaque ad transactionem hi duo deueniunt, in eaque ita paciscuntur, vt in feudo post Scipionis obitum Papinianus succedat, qui annuum reditum Iaboleno promittit, ipsi tamen, eiusque successoribus exoluendum, quousque pretium conuentum exolueret. ità vt hæc pensio annua interesse non soluti pretij censeretur, ea tamen lege, vt, si quando ipse Iabolenus, eiusuè successores litem Papiniano, vel eius successoribus pro eiusmodi feudi redemptione mouerēt, omnino ante litis ingressum ea omnia restituere obstringerentur, quæ annuatim iuxta modò relatæ trāsactionis formam, a Papiniano, eiusuè hæredibus percepissent; neque ante horum omnium integram restitutionem vllo modo in iudicio exaudiri possent.

8 Iam verò Iaboleno è vitis sublato, successit, hæresque fuit post septimum fermè annum celebratæ ab ipso transactionis, eius filius Modestinus, qui post quatuor, & viginti à morte patris annos, litem moturus Papiniano adhùc viuenti, qui feudum possidebat ob Scipionis mortem, paulò ante post celebratam transactionem, de qua n. 7. secutam, petijt, obtinuitque à Principe, vt nihil obstante pacto, quod nuper d. n. 7. retulimus, ante acceptorum restitutionem, iudicium adire, litemque contra Papinianum incipere, ac prosequi posset. Primo igitur loco Modestinus, facto deposito, vt moris est, petijt feudum sibi reuendi, virtute primæ illius transactionis, de qua n. 5. excepit verò Papinianus se muniens secunda transactione de qua n. 7. sed Modestinus de eius nullitate replicauit.

Hæc sanè facti species, vt patet, plures inuoluit iuridicas difficultates, quas tunc exagitare opus fuit, atque hoc loci earum resolutiones, quas amplexi sumus, afferre in animo est, vnà cum rationibus, quibus innituntur. maioris autem claritatis gratia, transactionem, de qua nu. 5. primam semper vocabimus; aliam verò, de qua nu. 7. appellabimus secundam.

§. II.

Venditio iuris luendi rei feudalis absque causa legitima, ipso iure nulla est.

SVMMARIVM.

9 *Venditio iuris luēdi rei feudalis, nullo, sbiquamuis caussa dotis de paragio fiat.* Nu. 10. 11.

Super iure luendo dos de paragio non debetur, & qua ratione ea taxetur.

12 *Alimenta taxantur habita ratione redituum, non valoris corporis fundi.*

Idem est de alimentis, eius, qui deductione egeat, con[illegible] debet.

13 *Alienatio feudi non valet, nisi fiat domini, & agnatorum voluntate.*

14 *Verba hæc,* non valeat, *an faciant actū ipso iure nullum, controuersum est inter Doctores.*

At hæc, non valet, *certum videtur, facere actum ipso iure nullum.*

Verba præsentis temporis latam, non ferendam sententiam demonstrāt.

15 *Verba verbis sæpè addantur, vt clariùs*

res

res exprimatur.

Verba præteriti temporis absque dubio latam sententiam demonstrant.

16 *Dictio*, nisi, *quando faciat orationem affirmatiuam.*

Dispositio conditionalis formam inducit.

17 *Prohibitio legis nullitatem operatur*, & n. 18.

19 *Transactio post rem iudicatam valet, si appellatum est, vel potuit appellari.*

9 QVamuis quæri potuisset, num prima illa venditio à Titio facta Caio, de qua *n.* 2. valida fuerit; quippe de feudo, in quo ex pacto, & prouidentia Principis succedendum erat, vigore priuilegiorum, ac vinculorũ, quæ exhibita sunt; cum nulla penitus legitima caussa adfuerit; id tamen inquirere omisimus omnino, quippequod clientis victoriæ minimè erat necessariũ. Illud igitur primo loco inuestigandum fuit, num scilicet venditio iuris luẽdi, à Sempronio Scipioni facta, valida, rataque fuerit; an verò nullius penitus momenti.

10 Etenim aduersæ partis patroni validam esse contendebant, vt pote factam caussa soluẽdæ dotis de paragio, ac proindè ex caussa legitima, & efficienti. laudauère *decis.* 2. *Intriglioli*. At ego ostendi manifestè, eam iuris luendi venditionẽ nequaquã soluẽdæ dotis caussa celebratam; neque enim in ipsa venditione, neque alibi eiusmodi caussa explicatur: quin immo in venditionis instrumento, loco pretij, annuus reditus Sempronio venditori à Scipione emptore constitutus est: quo satis innuitur, non caussa dotis restituendæ, sed omninò, quia ità libuit, fuisse ius luendi à Sempronio alienatum. atque ità ex decisione *Intriglioli* argumentum, quod à contrario sensu appellamus, inferebam; siquidem, si nisi iuris luendi venditio valida reputata fuit ipso iure, quodque rescissione indigebat, eò quòd caussa restituendæ dotis facta fuerit: quo igitur tempore non caussa dotis celebratur, ipso iure inualida, nullaque censenda erit.

11 Insuper addi potest, futuram quoque nullam ipso iure, etsi dotis soluẽdæ caussa celebrata fuisset: quandoquidem super iure luendi dotem de paragio non deberi, rectè probat *Petr. Greg. Siculus tract. de dote de paragio q.* 5. *à n.* 1. *vsq. ad nu.* 7. ea scilicet ratione, quòd dos de paragio taxatur solũ attenta quantitate redituum ex feudo prouenientium, non verò attenta quantitate valoris corporis feudi: atq; ità extimare, ac considerare *And. de Isern.* refert idem *Petr. de Greg. n.* 5.

12 Id quod rectè probatur exemplo alimentorum, quæ taxãtur habita ratione redituum ipsius fundi, non verò valoris ipsius corporis fundi, vt docuit *Bart. in l. Imperator. in fine ff. ad Trebell. Ang. in l. qui bonis ff. de cess. bon. cũ concord. per Alex. cons.* 3. *in fin. col. vlt. vol.* 4. qua de re latè *Surdus. de alimentis tit.* 4. *q.* 9. ità quoque dicimus in eo, qui deducto nè egeat, cõueniri debet, vt scilicet ex suo patrimonio alimẽta, attenta redituum quantitate, non patrimonij valore, deducere queat, vti omnes in §. *fin. instit. de actionib.* animaduertũt. Atqui ex iure luendi nulli fructus, nullique reditus enascuntur. vide Petr. *Greg. loc. cit.* aliosque, quos citat ibidem *Mastrill. in add. litt. A.*

13 Et quamuis *Intrigl. decis.* 2. *cit. n.* 9. *post Iul. Clar.* §. *feudũ q.* 42. *n.* 1. doceat, feudi alienationem à vassallo absque legitima caussa factam, absque consẽsu agnatorum, ac successorum, præhabita tamen venia domini directi, nequaquam inualidam esse, sed omnino firmam validamq; etsi de cætero eius rescissio, ac reuocatio à successoribus peti queat *arg. cap.* 1. §. *Titius, si de feud. defun. contr. fuer.* Nihilominus equidem in feudistico iure reperio §. 1. *tit. de alien. pat. feud.* vbi hæc habentur: *Alienatio feudi paterni non valet, etiam domini voluntate, nisi agnatis consentientibus. & tit. de inuest. de re alien. fact.* §. *è contrario*, meliorem feudi

di conditionem, non item deteriorem absque domini, & agnatorum voluntate, vassallum facere posse, decretum est,

14 Hic verò perpendenda est dictio illa, *non valet*, quæ præsens tempus significat: quamuis enim magna sit inter Doctores controuersia, num dictio illa, *non valeat*, actum ipso iure nullũ decernat, an verò iudicis sententia requiratur, & vtraque sententia aiens, negansque à pluribus defendatur, vt animaduertere licet apud *add. ad Abb. in cap. nonnulli § sunt, & alij, lit. C. de rescrip. & Mandosium in reg. 22. cancell. q. 6. n. 3.* aliosque; constans tamen est fermè omnium sententia, verba hæc, *non valet*, actum ipso iure nullum efficere, Iudicis sententia nequaquam expectata: sunt enim præsentis temporis, quæ latam, non ferendam sententiam demostrant, vti omnes fermè profitentur, quorum innumeros laudat, sectaturque *Tiraquel. in l. si vnquã verb. reuertatur. n. 21. C. de reuocand. donation.*

15 Et si verò eorum quoque nonnulli, parum sibi constantes, contrarium doceant, vti animaduertit idem *Tiraq. ibid n. 24.* prima tamẽ opinio crebrior est; neque horum ratio illi quidquam refragatur: quod enim aiunt, sæpè in iure verbis præsentis temporis eas dictiones addi, *eo ipso, ipso iure, omno*, atq; eiuscemodi alias, vt patet ijs iuribus, quæ retulit *Tiraquellus n. 25.* quo satis illis Doctoribus innui videtur, verbis præsentis tantum temporis nequaquã latam sentẽtiam indicari; alioqui frustrà penitus relatę modo dictiones adderentur, quæ latam sententiam demonstrarent, contrà *l. 1. S. sed in hoc studium C. de vet. iur. enucl.* Id, inquam, quod aiunt, parui momenti est; quandoquidem sæpissimè in iure verba verbis adduntur, non quòd necessaria omnino existimentur, sed vt clariùs, & distinctiùs id exprimatur, quod absque illis quoque intelligeretur, vt benè probat *Tiraquell. n. 26.* qui nu. 27. etiam monuit, sæpè dictiones illas verbis præteriti temporis annecti: quæ tamen absque vllo prorsus dubio latæ sententiæ ab omnibus existimantur, vti ipsemet ostendit *ibid n. 32.* qui omnino hac in re consulendus est: latissimè enim illã pertractat.

16 Addo, orationem illam laudati textus, *non valet, nisi agnatis consentientibus*, resolui in enunciationem conditionalem affirmatiuam, vt sit sensus, *valet*, si agnati consentiant; nam dictio illa, *nisi*, si eam oratio negatiua præcedat, affirmantem orationem efficit, vt in *l. verum est, de verb. signif. l. actione. C. de transact.* alijsque probat *Rebuff. in d. l. verum est, verb. nisi*, & ità edocent innumeri apud *Barbos. dict. 217. n. 5.* Atqui cõditionalis dispositio formam inducit, qua minimè seruata, actum nullum reddi, post alios docuit *Mandos. d. reg. 22. q. 6. n. 6.* qui ibidem *n. 10.* addit, clarissimam esse iuris conclusionem, quòd solemnitas à lege in ipso actu requisita, & clausula, *non valet*, appositę solemnitati, inferunt, seu operantur ipso iure. de formæ verò defectu, quòd nullum reddat actum vide *Barbos. Axiom. 100. n. 3.*

17 Sed in re nostra, vt nulla penitus rei feudalis venditio censeatur, satis esse videtur ipsius legis prohibitio, vt in re simili arguit idem *Mandosius in reg. 15. cancell. q. 6. n. 5. post Bart. Abb. Felin. Decium*, aliosque & *Ant. Gama decis. 222. n. 4.* post plures ostẽdit, alienationem contrà legis prohibitionẽ, factã adeo nullam esse, vt ipsemet alienās ei contrauenire queat.

18 Ex his verò, quæ hùcusque probauimus, constat satis, venditionem illã iuris luendi nullam penitus fuisse, ac proindè malè ab aduocatis Papiniani nullam censeri primam transactionẽ à Pomponio, & Scipione celebratam; quippe, vt ipsi opinantur, super iure omnino certo ex parte Scipionis interiectam, cum, inquiunt, ad hunc pleno iure feudum pertineat post iuris luendi venditionem; non animaduer-

ten-

rentes hanc prorsus inualidam esse, vel saltem rescindendam, etiam iuxtà opinionem *Intriglioli*, cui ipsi maximè innituntur; idque satis omnino fuisse ad cõstituendum ius Scipionis dubiũ, & incertum; ità vt rectè potuerit super eo transigere, & absque vitio nullitatis. Quin, si quod erat ius certum, id ad Pomponium pertinebat, quippequi realem, actualemque feudi possessionem obtinuerat, vt initio *nu.* 4. recensuimus; & iuris luendi venditio, etsi nulla minimè fuisset, reuocari, rescidi; facillimè poterat, vti monitũ est.

19 Sed reuera ius dubium erat ex parte vtriusque, Pomponij scilicet, & Scipionis; etsi enim Pomponius pro se haberet sententiam, & rem iudicatam; tamen, quia partibus alia supererant remedia, puta ad superiores iudices prouocatio, iure transigere poterãt: nam post rem iudicatam transactio valet, si vel appellatio intercesserit, vel appellari potuerit *l. & post rem ff. de transact.* ibique omnes Doctores, & in *l. post rem ff. eod.* quod etiam argumentum protuli cõtrà aduersæ partis patronos, qui, non rectè intellecta facti specie, falsò asserebant, Scipionẽ pro se habuisse rem iudicatã, ac proindè transactionem ab eo factam super iure certo, & nequaquam dubio interiectam; etenim appellatio, quæ supererat, satis dubium ius constituebat; ac valori transactionis penitus suffragabatur; etsi ipsis gratis omnino datũ fuisset à Scipione sletisse rem iudicatam: id quod tamen euidentissimè falsum ostendi, vt ipsimet posteà ingenuè confessi sunt.

§. III.

Trãsactio antiqua iura penitus extinguit, paritque noua.

S V M M AE.

20 *Ransactio tollit omnem veterem obligationẽ, & in nouam trãsfert.*

21 *Non retractatur nouis repertis instrumentis, vel probationibus.*

22 *Transactione omnia vetera instrumenta tolluntur.*

23 *Principis rescriptum ius competens virtute transactionis tollere nequit, neque ipsam transactionem.*

20 EX iis, quæ §. 2. tradidi proximè infertur, primã illã transactionem validam omnino, ratamque fuisse. Ex hoc ipso autem duo alia, quæ certissima esse debent, à nobis inferuntur: primum quidem hac eadem transactione omnia prorsus vtriusque partis antiqua iura extincta penitus remansisse, vt satis probatur ex *l. fratris C. de transaction.* indubitatum enim est, transactionem tollere omnẽ veterem obligationem, atque in nouam transferre, vt patet *ex cap. 1. ibiq; DD. de transact.* cuius aperta verba sunt: *post salubrem decisionem de controuersia vestra factam, decreuimus, vt omnia instrumẽta, vel si quidquid aliud est, quod partibus quoquo modo, vel ex temporis præscriptione, seu aliter opem de lege, aut quocumque priuilegio ferre poterat, sit vacuum, & omni virtute cassatum, & sola pactorum inter vos nũc habitorum pagina validum perpetuumque robur obtineat*, videndus *Menoch. cons. 508. n. 1. lib. 6.*

21 Hinc fit, vt neque nouis repertis instrumentis, & probationibus transactio retractetur, vt post *Gloss. in cap. 1. cit. verb. sit vacuum*, probant omnes *ex l. sub prætextu C. de transact.* aliisq; consulendus quoque idem *Menoch. de præsumpt. lib. 3. præsump. 134. n. 42.* vbi post alios ait, transactione fieri nouationem.

22 Atque ex hac prima illatione vlterius elicitur, extinctum quoque fuisse ius illud, quod Scipioni ex emptione iuris luendi competere potuisset; gratis etiam dato, quòd ista venditio valida fuisset. Id quod, vltrà doctrinam modo traditam, probatur quoque ex *Baldo in rub. de transaction. nu. 1.* vbi

docet, per transactionem tolli omnia vetera instrumenta, & quicquid eis qualitercumque annexum, vel accessorium est. Itaque hodiè ineptè eo iure Scipionis hæredes vti contendunt.

23 Alterum, quod inferimus, est, virtute huiusce primæ transactionis ambabus partibus enatum esse ius omnino clarissimum petendi eiusdem transactionis, omniumque in ea contentorum executionem, absque eo, quod altera pars obstare cum effectu queat. quæ sanè illatio certissima est, eamque omnes fermè Doctores amplectuntur: sequiturque ex prima nuper probata: si enim per illa omnia prorsus antiqua iura partibus extincta remansère; clara igitur, atque indubitata sunt, quæ ex ipsa oriuntur. quod adeo verum est, vt nè ipsa quidem Imperatorum rescripta ius competens virtute transactionis tollere queant *l. caussas C. de transact.* vbi *Glossa finalis*, eiusmodi rescripta ait nulla esse, atque inualida: quia, inquit, exhauriunt in totum ius alterius, laudatque alia quoque iura conducentia ad idem institutum. hinc plures edocuère, nequaquam posse Principes rescriptis tollere transactiones. eos recenset *Menoch. cons. 507. nu. 5. lib. 6.* Atque hanc eamdem illationem eiusdem partis aduersæ patroni probauère; etsi ad aliud institutum. Quemadmodum ergo hæc eadem transactio Scipioni ius certum, & clarum contulit, vt feudum, eius vita durante, apud ipsum remaneret; ità & Pomponio, eiusque successoribus ex ea certissimum, atque euidens ius enatum est, quo ad ipsos, & nullo modo ad alios, post Scipionis mortem, feudum spectaret, soluto, ablatoue pretio, prout moris est; ac nemo penitus contra illos litem iustam, sed omnino calumniosam mouere potuisset.

§. IV.

Transactio est inualida ipso iure, si falsa causa, vel super re certa ineatur, quamuis adsit iusiurandum, atque ex certa scientia fiat.

SVMMAE.

24 *Transactio est ipso iure nulla, si ex falsa causa inita est.*

25 *Item, si deficiente caussa, secundùm aliquos.*

Quamuis dicatur ex certa scientia, &c.

26 *Transactio super re certa est ipso iure nulla: quamuis adsit iuramentum, &* n. 28.

27 *Mouens litem super re certa, calumniosè mouet.*

28 *Nec officit si partes dicant, litem subesse.*

29 *Neque earum assertioni, aut notariis stadum erit.*

30 *Nec de partium consensu de re certa transigi potest, &* n. 31. 32.

32 *Dubietas est forma transactionis.*

Forma dat esse rei.

33 *Obiectio præcluditur.*

34 *Qui super re dubia transigit, non dicitur lædi.*

35 *Transactio rei iudicatæ æquiparatur.*

Sententia prætextu læsionis non retractatur.

36 *Primus feudi acquisitor potest illud alienare, prout libuerit, habita tamen licentia domini directi.*

37 *Neque feudi forma ligatur.*

IAm verò ex dictis §. *ant.* apertissimè sequitur, nullam omnino fuisse ipso iure secundam transactionem, à Iaboleno cum Papiniano celebratam, de qua *n. 7.* (quod secundo loco inuestigandū est) quippequæ facta fuit timore litis, quam Papinianus Iaboleno minabatur; quam timés Iabolenus, falsòque putans, eam fore alicuius ponderis, ac momenti, transigere coactus est. Cum igitur Papinia-

piniani dolus caussam dederit transactioni, labolenusque ex falsa causa inductus sit ad transigendum, inualida omnino ipso iure, nullaque eiusmodi transactio censenda erit, vt omnes probant ex *l. in summa post initiũ ff. de condit. indeb.* monetque post alios *Vrsill. ad decis. Afflict.* 149. *n.* 15. *Menoch. consf.* 91. *n.* 46. *lib.* 1. idem repetit *consf.* 320. *num.* 19. & 346. *num.* 10. & 11. *lib.* 4. & *consf.* 618. *n.* 5. *lib.* 7. & *consf.* 750. *n.* 2. & 1. *lib.* 8 *Barb consf.* 16. *lib.* 3. *Roland. consf.* 13. *n.* 32. alijq; passim.

25 Imo plures non solum falsa, verum etiam deficiente caussa, nullam ipso iure volunt esse transactionem ex *l. cũ his §. vult igitur ff. de transact. l. qui sine caussa ff. de conditione sine caus. Rom. consf.* 258. *Alex consf.* 12. *n.* 8. *lib.* 1. *Dec. consf* 350 *n* 4. & *consf.* 401. *nu.* 8. quam etiam doctrinam & ipsi contrariç partis aduocati amplexi sunt. Quæ sanè falsa causa tunc quoque obtinet locũ, cum in ipsa inest transactione dictum, *sua ex certa scientia, visis & consideratis omnibus*: sicuti enim ad contrahendum errore fuit quispiam inductus, ità & ad renũciandum ipsi erroris exceptioni induci potuit, vt post alios probat *Mascard. conclus.* 1270. *n.* 28. præterquamquòd eæ clausulæ solùm probant, errorem absuisse præsumptiuè, ideoque probationem in contrarium non excludũt, *Ruyn. consf.* 167. *nu.* 21. *lib.* 2. *Surd consf.* 37. *n.* 18. *lib.* 1. & *decis.* 130. *n.* 4. & 5. *Grass. except.* 8 *nu.* 4. & *seq. Bec. consf.* 90. *lib.* 1. *Gratian. discept.* 788. *à n.* 2. *lib.* 4. eademque doctrina procedit, etsi esset iuris error, dummodo de uitando damno agitur *l. iuris ignorantia ff. de iur. & fact. ignor. Salic. in l. si militem n.* 3. *C de cond ob caus.*

26 Iterum huiusce secundæ trãsactionis nullitas ostenditur, quia super certo, claroque iure, seu super re certa, & euidenti, non verò dubia, & incerta celebrata est, vt ex dictis euidentissimè patet. Atqui vel ipsi iidem aduersarij confessi sunt, huiuscemodi transactiones inualidas ipso iure cen-seri. qua de re consulendus omnino *Roman. consf.* 371. *n.* 1. vbi ait, ad esse transactionis requiri illam fieri super re dubia, vel lite incerta, vel vbi de lite non calumniosè in futurum mouẽda dubitatur *l.* 1. *ff. de transact. l.* 2. *C. eod.*

27 Idem *Roman. consf.* 517. *nu.* 18. alia iura laudat, additque, quòd mouens litem super re certa, censetur calumniosè mouere, vt propterea ad transactionem deueniatur: certum autem esse, quòd, quando dolus committitur in calumniosè litigando, vel fingitur esse, vt ad transactionem deueniatur, ipsa transactio nulla est, vt est expressum in *l. cum his §. si cum his ff de transact. & l. in summa vers. sin autem euidens ff de condit. indeb secundùm intellectum Iacob Butr. & Bart ad illum tex. quem ponunt ibi, & in l. sub prætextu C. de transact. & quem etiam ponit Gloss. in l.* 2. *C. eod. vide Addit. Roman. & Anton Fabr. Conject. lib.* 7. *cap.* 4. *Socin. iun consf.* 144. *n.* 8. & 16. *part.* 1.

28 Addit *Socin. d. consf.* 144. *nu.* 17. post alios, neque iusiurandum huiusmodi transactioni posse tribuere firmitatẽ, laudatque *l. non dubium C. de legib.* aliaque iura, Doctoresque idem docuit *Paris. consf.* 96. *nu* 19. & 20. *lib.* 1. *Castr consf.* 377 *n.* 2. *lib.* 2. *Bec. consf.* 90. *lib.* 1. *Surd. consf.* 37. *nu.* 6. & *seqq. lib.* 1. *Ruin. consf.* 167. *n.* 13. 21. & *seqq. lib.* 2. *Crauet. consf.* 26. *n.* 9. & 10. *lib.* 1. vbi id etiam locum obtinere autumat, quãuis actus alia ex caussa sustineri potest, *Grass excep* 8 *Menoch consf* 91. *à n* 40. *lib.* 1. *Gratian discept* 788. *a n.* 2. *lib.* 4. consule quoque *Surdum decis.* 132. *n.* 19. & 20. vbi post alios monet, requiri ita verè litem subesse, vt nequaquam sufficiat id à partibus affirmari, citatque *Bald Arg. Cuman.* aliosque: idemque repetit *decis.* 185. *nu.* 9. 10. & 11. vbi alios quoque recenset.

29 Legendus etiam *Paris. consf.* 12. *nu.* 31. 32. 33. & 34. *lib.* 2. vbi post alios docet, nullam omninò esse transactionem: *cum*, inquit, *inter partes nulla lis*

reperitur, neque vllus timor futuræ litis de præsenti; licet in asserto transactionis instrumento fieret mentio timoris futuræ litis, tamen in veritate nulla erat lis; nec aderat timor instantis litis; nec aliqua coniectura vrgentes de præsenti, vt essem⁹ in potentia propinqua, & cessabat caussa probabilis ad credendum futuras esse lites. Atque hinc infert Parisius, transactionem, de qua ipse loquebatur, fuisse nullam l. 1. de transaction. & l. 1. C. eod. vbi Angelus infert ad practicam notariorum dicentium, esse litem, vel de ea dubitari, vt procedat, quando in veritate ità erat: nam aliàs partes possent ità dicere, & fingere, & super lite ficta transactio non valeret l. cum hi §. sed cum lis, vbi Ang. Castr. & alij not ff. de transact. inferentes etiam ad prædictam notariorum practicam, cui lex resistit sequitur Alexand. in l. si caussa cognita col. fin. vers. 5. limita C. de transact. nec assertioni partium, seu notarij standum erit, secundùm Ang. & alios vbi suprà, & iuxtà not. per Bar. in l. si fortè ff. de Castr. pecul per Gloss. & Doct. in l. si donatione C. de coll. & ad idē multa deducit, vt transactio non valeat, & sit nulla Dec. in rub. C. de transact. & cons. 351. in casu, col. 2. & 3. n. 1. & cons. 479. in controuersia col. fin.

30 Consulendus quoque Menoch. cons. 618. n. 1. lib. 7. vbi ait, certum esse nullam, & inualidam esse transactionem super re clara, & super quā nō est, nec esse potest probabilis contentio; laudatque plurima iura, doctoresque, & cons. 1158. nu. 1. lib. 12. idem penitus inculcat, vbi n. 1. id ipsū monet, quod ipsi nuper ex alijs tradidimus; puta nequaquam partium assertioni credēdum esse, dicentium subesse litem, aut subesse posse, si re ipsa non est, neque esse potest: & n. 3. post Iason. in d. l. 1. n. 5. ff. de transaction. docet, quòd nec partium consensu de re certa transigi potest. & Angel. cons. 94. n. 6. dixit, trāsactionem nullam esse, inualidamque ipso iure, cum lis super re clara mouetur; quia tunc calumnia euidens censetur. idem dixère Abb. Socin. Rom. Riminal. Sen. Dec. Paris. Alban. Cranett. alijque locis citatis a Menochio consil. 1158. cit. n. 4.

31 Videndus etiam Roder. Suarez alleg. 22. vers. sed habeo, vsque ad finem; cuius verba, quia plurimū instituto sermoni conferunt, hoc loci referre operæpretium duxi. sed habeo legē, inquit, super hoc prouidentem, quod si appareat aliquem iniustè, & calumniosè litigasse, & super tali lite sit transactio, in qua vigore transactionis talis iniustè, & calumniosè litigans aliquid recepit, ità quod in aliquo transigens fuisset deceptus, & damnum incurrisset, quod hoc casu transactio esset ipso iure nulla, dato quod cessaret remedium d. l. 2. & alia. hic est casus famosus in l. in summa ff. de condition. indeb. in princip. ibi: sin autem euidens calumnia detegitur, & transactio imperfecta est, & repetitio dabitur. itàque quando dolus committitur in calumniosè litigando, non valet transactio super tali lite. nec est facienda differentia inter actorem calumniosè litem mouentem, aut reum calumniosè se defendētem, vt Rogerius ibi dicit, quem Bart. ibi sequitur post Iacob. Butri. & quia dicta lex indistinctè loquitur, & satis constat ex litera secundum eum: nam cum recedere à lite sit illud, propter quod datur, vel remittitur tā ex parte actoris, quam ex parte rei, ille, qui calumniosè litigabat, debebat gratis recedere: ergo quod accepit, turpiter accepit, vt tex. dicit in l. penul. de condit. ab turp. caus. & sic tenetur non solum condictione indebiti, sed etiam condictione ob turpem caussam secundùm Bart. & certè est famosa consulti consideratio ad euitandas fraudes, quas quotidie committūt tam actores mouendo iniustas, & calumniosas lites, quam rei calumniosè se opponendo liti, & per fas, & nefas se defendendo, vt saltem per has calumnias transigatur cum eis: quod valdè aduertere debēt iudices timoratæ conscientiæ, & cætera, quæ sequuntur.

32 Demum hæc opinio communis est, nec

nec quicquam considerationis ei refragatur. Ratio autē esse potest, quia, vt ait *Gutierez par. 3. de iuramen. confirmat cap 4. n. 1.* dubietas est forma trāsactionis, *l. 1. ff. de transaction.* aliisque. si ergo hæc deficiat; forma quoq; trāsactionis deficiat, necesse est; proindeque illa nullius erit ponderis, ac momenti: forma enim est, quæ dat esse rei *l. Iulianus § si quis ibi*: nā, mutata forma, prope interimi substantiam rei *ff. ad exibendum, cum concord. apud Barbos. axiom. 100. n. 1.*

33 Neque hisce omnibus quidquam obstat, quod refertur in dicta secunda transactione, puta Papinianum litē Iaboleno moturum, ideo quòd in prima transactione Scipio, eiusq; successores passi sunt enormissimam lęsionē; quia ad ipsos, & neminem alium, feudum post mortem Scipionis pertinebat; tum virtute primæ venditionis, de qua *n. 2.* tum etiam alterius, de qua *n. 3.* qua ius luendi vendirum fuit: nō, inquam, id obstat, quia lis, quam Iaboleno mouisset Papinianus, proculdubio fuisset iniusta, & calumniosa, vt clarissimè ex dictis infertur: liquet enim, nullam penitus læsionem Scipionem, eiusque successores passos fuisse ob primam illam transactionē; &, si quam passi fuissent contrahentes ea transactione, illam proculdubio passus esset Pomponius, qui actualem feudi possessionem virtute sententiæ obtinebat. & quamuis in hac eadem sententia iura Scipioni reseruata fuissent, ea tamen erant incerta, ac maximè dubia, nè dicā verè inania, nullusque momenti; quandoquidem illud, cui ipse ferè vnicè inniti poterat, nonnisi illud erat, quod ei virtute venditionis iuris luendi competebat: quam tam. n venditionem ipso iure nullam, vel saltem omnino rescindēdam, vt pote celebratam in damnū, & præiudicium successorum absque causa legitima, & afficiente, superius ostendimus copiosè.

34 Et quamuis hoc ipsum nequaquam euidens foret, vti re vera clarissimum censeri debet; nihilominus litem, seu litis euentum satis dubium efficiebat: qui verò super re, seu iure dubio trāsigit, nequaquam læsum existimandū esse, post Doctores in *l. de fideicommisso C. de transact.* per illum textum docuit *Menoch. cons. 154. nu. 9. lib. 2. & Socin. Iun. cons. 32. lib. 3. n. 14. post Alex. cons. 42. lib. 1.* ait, quòd, licet aliàs quilibet alius contractus veniret rescindēdus, puta ratione enormis læsionis; non tamen rescindi transactionem fauore litium finiendarum; licet quis fuerit grauiter læsus: ei enim, inquit, satis commodi accessit, cum à lite recesserit; citat quoque *Dec. cons. 216.*

35 Atque ipsimet aduersæ partis patroni hanc eamdem doctrinam pluribus probauère: præsertim, quia transactio rei iudicatæ æquiparatur *l. non minorem C. de transactionib. l. 2. ff. de iureiur.* sententiam verò, seu rem iudicatam sub specie læsionis non retractari, statuitur in *l. sub specie C. de re iudic.* Sed quia hac de re inferiùs iterū redibit sermo, ibique explicaturi sumus, quam veritatem contineat istæc doctrina; in ea ampliùs non morabor. solum addiderim, lęsionem, quam Papinianus aiebat sibi suffragari, in eo consistere, quod ad Scipionis successores feudum post huius obitum spectaret: id quod ex hactenus relatis abundè refellitur. Et sanè Papiniani ratiocinatio peccabat petitione principij, & circulo vitioso, vt Dialectici loquuntur: siquidem aiebat, Scipionis successores læsos fuisse, quia ad eos feudum spectabat virtute venditionū factarum ante primam trāsactionem: tum asserebat hanc transactionem esse inualidam, quia Scipio eiusque successores ea lęsi fuère: vbi, quod semel ponitur in antecedente, iterum ponitur in consequēte; & cōtrà: quod à logicis petitio principij, & circulus vitiosus appellatur.

36 Et quod Papiniano nullum penitus ius remanserit primam transactionem ce-

celebratam, quo litem Iaboleno mouere posset; iterum probaui, quia, si quod ei potuisset competere, maximè illud fuisset, quod virtute venditionis iuris luendi sperare potuisset: sed hinc nullum penitus ipsi competebat: etenim Scipio, qui primus hoc ipsum ius luendi sibi emit, & acquisiuit, illud vtique alteri vendere, donare, alienareque alio modo, iure poterat, ea ipsa ratione, quia primus erat acquisitor; docent enim omnes feudorum periti, nemine discrepante, quos sequitur *Iulius Clarus in S. feudum q. 41. n. 2. Sygismundus cons. feud. 52. num. 1. Giurb. de feud. prælud. 5. nu. 41. 60. 61. 62.* posse primum feudi acquisitorem illud pro sua libera voluntate vendere, alienare, vel aliter, prout libuerit, disponere, in damnum, & præiudicium suorum hæredum, & successorum, habita domini venia, absque eo, quòd huiusmodi alienationi alius consentiat: quia, inquiunt, id, quod ego acquiro, possum pro mea voluntate alienare.

37 Quamobrem omnes fermè docent, eundem primum feudi acquisitorem feudi forma minimè ligari. *Milanens. decis. 8. nu. 16. lib. 1. Petr. de Gregor. de feud. concess. part. 3. q. 7. Corset. cons. 3. n. 15. Giurba loc. cit. & decis. 108. num. 18.* aliique: quanto igitur magis Scipio primus acquisitor, non feudum ipsum, sed ius luendi vendere, alioue modo alienare poterat? quod si re ipsa Pomponio reuendidisset; clarissimum est, quòd nullum penitus ius eiusdem Scipionis successoribus remansisset, quo feudum ad ipsos spectare posset; sed solum in suo robore permansisset prima feudi venditio cum pacto de retrouendendo, de qua *nu. 2.* cum igitur id venditionis contractu accidere potuerit; cur sanè negetur, id ipsum euenire potuisse per transactionem, quæ super re, vel iure dubio celebrata fuit, habita domini venia; quin ab ipsomet Principe transactionis confirmatione impetrata? quando, igitur cætera deficerent; id certè firmum omnino remanet: iure scilicet potuisse Scipionem suis hæredibus, ac successoribus præiudicare, si nō alijs, certè hoc nomine, seu titulo, quod erat primus iuris luendi acquisitor, vt satis expositum est.

CONSILIVM XXXIV.

Transactio super re clara, quæ non valet, vt transactio, neque valet vt pactum, quamuis iuramento obfirmetur.

Agnoscentes aduersæ partis aduocati, secundam illam transactionem, de qua superiori consilio loquuti sumus, præsertim *n. 7.* nullam esse, vti transactionem; aiebant, illam, vti pactum, omnimodā obtinere firmitatem. Sed eos ostendi falsos, ex ijs, quæ hoc consilio dicemus.

§. I.

Refertur, & explicatur sententia *Bartoli,* aientis, hanc transactionem valere vti pactū: eligiturq; sententia negans *Baldi.*

SVMMAE.

1 *Transactio super re clara, quæ nō valet, vt transactio, neque valet, vt pactum.*

2 *An idem si iurata fuit.* *Sententia* Bartoli *aiens, valere tunc vti pactum.*

3 *Contraria, negans valere vt pactum, est* Baldi, *eiusque ratio.* *Vna species contractus se ipsa in aliam transire non potest.*

4 *De qua trāsactione loquatur* Bart. Bald. *aliique, & n. 27.*

Aio

1 Alio igitur, transactionem, quę super re clara, iureque minimè dubio celebratur, neque in vim pacti posse sustineri, per *l. 3. ibique Bald. Castr. Iason. cæterique C. de repud. hered. Bart. in l. 1. ff. de transact.* aliijque innumeri. Cuius sanè rei ratio ea mihi videtur, quam leuiter tetigit *Glossa in d. l. 3. verb. donationis*; puta, quia qui transigit, donare non intendit, sed transigere. quarè contractum, quem celebrat transigendo, defectu voluntatis, & consensus, pactum gratuitum esse nullo modo potest.

2 Sed, vt hęc res penitus intelligatur, aio, quando in transactione nullum intercessit iuramentum, eam, secundū communem omnibus opinionē, nullā censeri, neque vti pactum valere, vt rectè monuit *Guttierez de iurament. part. 3. cap. 4. nu. 5.* quando verò iuramento obfirmata fuit, variè Doctores opinati sunt. Et *Bartolus* quidem in *l. si quis maior n. 9. C. de transact.* aientem sententiam videtur amplecti hisce verbis: *Item dico, quod iuramentum habet vim illius clausulæ, si non valet iure transactionis, valeat omni iure, quo valere potest, vt l. cum pater §. filius matrem ff. de legatis 2. & ideo puto, quòd si transactio non valebat iure transactionis, valeat iure pacti propter iuramētū.* Bartolum sequuti sunt aliqui, quos laudat, sequiturq; *Couarr. in cap. Raynaldus §. 3. n. 10. vers. sexto hinc, de test. Guttierez loc. cit. n. 6. Mierez par. 4. de maiorat. q. 22. nu. 56. Osasch. decis. Pedem. 91. nu. 24.* sed meliùs, me iudice, quam cæteri, hanc *Bartoli* opinionē probat, explicatque *Curtius Iunior in l. si caussa cognita à n. 38. C. de transact.*

3 Contrariam tamen opinionem, quę nobis verissima videtur, absque dubio amplectitur *Baldus in d. l. si quis maior n. 12.* vbi eam *Bartoli* doctrinam referens: *illud vltimum,* inquit, *non approbo, nec improbo; quia §. filius matrem loquitur, quando actio non potest valere ex propria specie ex defectu solemnitatis; sed quando non potest valere ex defectu substantialitatis, vel prohibitionis, nihil dicitur ibi: vnde videtur standum regulæ, qua ponitur ff. si certum petatur; l. si ego & l. non omnis, in princip. cum similibus.* Vbi sanè monent omnes fermè Doctores, vnam contractus speciē se ipsa in aliam transire nō posse. quod quidem *Baldi* argumentum à *Curtio* stringere dicitur; illud tamen ipse potius eludit, quam dissoluat, vt mox vberiùs ostendemus.

4 Sed antequam hac in re, quæ maximam habet difficultatem, nostram sētentiam ostendamus, moneo, *Bartolū, Baldum,* cæterósque fermè omnes loqui de ea transactione, quæ post rem iudicatam celebratur, quæ alteri contrahentium fauet, alteri refragatur; atque apertè supponunt, transigentes huiuscemodi rei iudicatæ notitiam, atque scientiam habere; qui nihilominus tamen transigere volunt: quandoquidem, si hanc rem iudicatam minimè scirent, cum transigunt, sed post transactionem perfectam, ob nouà reperta instrumēta, ea in eorum notitiā veniret; sanè transactio valida foret, etiam vti transactio, neque nouis repertis instrumentis, & probationibus retractari posset, vt omnes probant ex *l. sub prætextu C. de transactionib.* atq; ipsi suprà monuimus. Ex hoc autem monito infrà *n. 17.* ostendam neque nobis officere *Bartoli* opinionem.

§. II.

Probatur assertio nostra, & *Curtius iunior* reijcitur.

SVMMARIVM.

5 Ratio Baldi à Curtio *diluitur.*
6 *Hac Curtij dilutio impugnatur.*
7 *Quomodo intelligatur illud, defectus formæ est maior, quam defectus materiæ, & n. 8. 9. 10. 11.*
12 *Genera & species existere nonnisi in suis indiuiduis queunt.*

Im-

13 *Impugnatur* Curtius,& n.14.15.
16 *Ratio* Fulgosij, *qua Baldi sententiam probat, ab impugnatione* Curtij *defēditur.*
In dubio contra regulam fieri non debet.

5 AIt igitur *Curtius* loco nuper laudato, vt *Baldi* argumentū refellat, quòd in transactione post rem iudicatam non deest consēsus: *immo, inquit, intercedit, & adest consensus, & substantia obligationis, seu liberationis l. obligationum substantia ff. de actionib. & obligationib. ergo verū est fateri, quod solum est defectus in materia, super qua fit transactio, quia materia debet esse dubia, & nō liquida, l. 1. ff. eod. modò sic, vt fatentur omnes, etiam aduersi, iuramentum supplet defectum etiam in forma, & solemnitate: tex. est solemnis in d. §. filius matrem: ergo fortius debet supplere defectum in materia, quia major est defectus formę, quam materię l. an inutilis in princip. & ibi not. Doct. ff. de acceptil. & ista respōsio multum eneruat, & tollit argumentum Baldi, & aduersantium.*

6 Sed equidem aio, *Curtij*, docti de cætero viri, doctrinam neque eneruare, neq; tollere doctissimi *Baldi* argumentum: etenim ipse *Curtius* apertè loquitur tātùm de solemnitatis defectu, & cæteri de forma ad eam pertinente, aiuntque iuramento suppleri posse ex *§. filius matrem cit.* cuius sanè rei ratio esse posset, quia hoc euentu forma actus substantialis remaneret, quamuis hæc veluti accidentalis, & extrinseca ei deesset, *ad trad. per Alciat. in cap. cum contingat n. 260. de iureiur.* At verò, cum de ea forma loquuntur, quæ ad actus substantiam spectat, expressè eam iuramento suppleri posse, inficiantur, neque *§. filius matrem cit.* de hac forma veluti substantiali loquitur; sed solùm de solemnitatis defectu. Ait igitur rectissimè *Baldus*, iuramentum posse quidem supplere in transactione istum solemnitatis defectum, atque extrinsecam formam; non verò formam intrinsecam, & substantialem; quę nihil aliud est in re nostra, nisi esse dubiam rem illam, super qua transactio celebratur: dubietas enim à Doctoribus forma trāsactionis agnoscitur; sine qua eam consistere posse penitus negant, vti suprà *cons. 33. nu. 32.* monuimus.

7 Id verò, quod *Curtius* addit, formæ defectum maiorem esse, quam materiæ ex *l. inutilis cit.* non vndequaque verum censeri debet. Et quidem primùm lex ista à Doctoribus diuersimodè legitur, vt fermè nihil certi sit, quid tandem decernere velit, vt facillimè apud Auctores illam interpretātes animaduertere licet. Deindè intelligendum illud est locum obtinere, quoad formam intrinsecam, & substātialem; non verò quoad extrinsecam, accidentariā, & ad solemnitatem pertinentem: siquidem magis omninò spectat materia, quam forma accidentaria, & extrinseca ad totius alicuius constitutionem, vt, cum in rebus physicis, tum in rebus moralibus, quisque facili negotio deprehendere potest.

8 Præterea illud ipsum intellexerim locum habere, cum verè defectus materiæ suppletur; non verò quo tempore suppleri debet, non defectus, sed forma, ipsam materiam constituens, sine qua ipsamet materia consistere nequit: tunc enim nequaquā erit supplere materiæ defectum, sed materiā ipsam, quæ absque forma, ipsam constituente, cōsistere nullo modo potest. Id quod exemplo explicauerim in hūc modum: materia venditionis est res vendibilis, vt omnes profitentur: quæ quidem ratio vendibilitatis, vt ità loquar, forma substantialis, & intrinseca huiusce materiæ censetur, qua hæc ab alijs aliorum contractuum materijs distinguitur, ac discriminatur; atqui hæc eadem forma iuramento neutiquam suppleri potest: si enim res quæpiam vendatur, quæ nequaquam vendibilis est, etsi iureiurando venditio obfirmetur; nihilominus istud esse

se vendibile eodem iuramēto suppleri minimè potest, eritque procul dubio venditio ipsa inualida, nulliusq; momenti.

9 Ad eumdem ergo modum censendum est in re, qua de agimus; quia enim materia transactionis est res dubia, ac proĩde dubietas forma est substantialis, & intrinseca huiusce materiæ, sine qua hæc materia consistere nequit; sanè si res nequaquam dubia sit, sed omnino clara; nullo penitus modo iusiurandum supplere poterit istud esse dubium, seu hanc dubietatem: non enim suppleret materiæ defectum, sed materiā ipsam: quod omnino impossibile videtur: absque enim propria materia, & propria forma, actus consistere nequit; etsi de reliquo esse prorsus queat, si dumtaxat solemnitas desit. atqui materia illa non dubia impossibile esset, quòd transactionis materia foret.

10 Id verò proinde euenire mihi videtur, quia cuiuslibet actus materia suā formam propriam substantialem, & essentialem habere debet, qua ab alijs aliorum actuum materijs penitus discriminetur: tum ex ea, ità per propriā formam constituta, atque ex forma ipsiusmet actus, totum ipsum componitur, & exurgit: quod in moralibus respondet compositis physicis naturalibus, quæ à Philosophis accidentalia nuncupantur, quorum materia suam peculiarem materiam, & formā habet, à forma totius compositi omnino distinctam, vt ipsi vberiùs exponunt. Quod verò materiæ quoque defectus, sicuti formæ, attendi plurimum debeat, probat *Alciat. in l. 2. §. quis ità n. 34. & 35. ff. de verb. obligat.*

11 Cum igitur *S. filius matrem ctt.* nequaquam de supplendo defectu essentiali, & intrinseco loquatur; sed de solemnitate, & extrinseca forma; in re verò nostra supplenda sit forma intrinseca, & essentialis; euidens remanet *Baldi* illatio, quòd scilicet in casu, de quo loquitur, alijsque similibus, locum omnino obtinere debet regula *l. si ego, & l. non omnis ff. si certum petatur*, puta vnam contractus speciem se ipsa in aliam minimè transire. transactio igitur, quæ contractus est non gratuitus, in aliam speciem cōtractus gratuiti, seu, quod idem est in re, de qua agimus, in pactum gratuitum transire nullo modo potest.

12 Neque his omnibus obstat, quod subdit *Curtius n. 25.* nimirum pactum, & trāsactionem nequaquam esse species contractus distinctas, vti nobis placet: *imo, inquit, pactum est nomen generis, & tamquam genus comprehendit sub se transactionem, quæ fit aliquo dato, &c. & pactum in specie sumptū; quod fit gratis, vt declaraui post gloss. in rub. supra eod. & not. doct. post gloss. in l. 5. ff. eod. & ideo, quòd transactio valeat vt pactum in genere, non dicitur transire in aliam speciem contractus:* Non, inquam, id obstat: etenim plurimum peccat *Curtij* ratiocinatio, atque ex principijs logicis apertè refellitur: constat enim ex ijs, genus nunquam penitus obtinere posse existentiam actualem, nisi in indiuiduis suarum specierum: eodemque modo neque hasce actualiter existere, nisi in ijsdē indiuiduis. quam sanè doctrinam nedum Philosophi, ac Theologi, cæterique aliarum scientiarum professores; verum etiam & iureconsulti omnes amplectuntur, vt post *Bart. Bald. Aretin.* aliosque probat *Mantica de coiect. vlt. volunt. tit. 4. n. 2.* cæteriq; passim.

13 Atque hinc proximè sequitur, trāsactionem, qua de loquimur, nullo penitus modo valere posse vti pactum genericum, seu, vt *Curtius* ait, vt pactū in genere; quandoquidem ipsam, & pactum, cuius vim obtinere deberet, necessariò actualem existentiam habere oporteret: loquimur enim hoc loci de rebus actualiter existentibus, non verò per nostrum intellectum abstractis, & præcisis, vt phylosophicè in re penè phylosophica loquamur: pactum autem in genere actualē exi-

 sten-

stentiam habere non potest, nisi indiuiduetur: debet igitur esse necessariò indiuiduum aliquod alicuius speciei sub illo comprehensæ: atqui indiuiduum transactionis esse non potest, vt hic supponimus, cum omnes non valere quatenus trāsactionem fateamur: erit ergo indiuiduum alterius speciei sub pacti genere contentæ: sicq; transactio ista, de qua agimus, se ipsa ad aliam pacti speciem transibit, contrà regulam legum laudatarum.

14 Id quod vlteriùs roboratur, & explicatur, quia, vel pactum istud, cuius vim obtinere docet *Curtius* trāsactionem, est gratuitum, vel non est gratuitum: si primū *Curtius* eligat; statim inferam ego, habere nos id, quod intendimus, puta transactionem ad aliā contractus speciem se ipsa transire, quod euitare *Curtius* cupiebat; qui quoque apertè ait, pactum gratuitum speciem esse pacti generici, à transactione omnino distinctam, vti nuper retulimus. quod si secundum propositi dilemmatis membrum *Curtius* eligat, puta pactum illud gratuitum non esse; tunc ego iterum aio, habere nos id, quod intendimus: nam tale pactū non erit eadem transactio, quam *Curtius*, alijque omnes valere vti transactionem penitus inficiamur: ac proinde erit alia species contractus non gratuiti; reditque idem argumentū, nimirum vnam contractus speciem in aliam se ipsa transire.

15 Quod si *Curtius* respondeat, vt certè respondere veluti tacitè videtur *n.* 54. pactum istud neque gratuitum esse, neque non gratuitum; sed præscindere, vt aiunt Philosophi: si, inquam, id respondeat; aio, nos hic loqui de rebus existentibus, & indiuiduis, vt sæpè monuimus; hæ verò à terminis cōtradictorijs neutiquam præscindere queunt: vel enim sunt, vel non sūt: neque medium reperire licebit: præcisiones verò illæ nonnisi in rebus, intellectus nostri operà abstractis, & præcisis; non verò in rebus existētibus, & indiuiduis locum obtinere queunt, vt omnes prorsus Philosophi sæpissimè animaduertunt.

16 Hinc etiam proximè infertur, rationem *Fulgosij*, qui *Baldi* sententiam amplectitur, *in l. si quis maior cit.* validissimam esse, neque à *Curtio d. n.* 54. labefactari: pbat enim *Fulgosius Baldi* opinionem, quia in transactione aliquid datur, vel retinetur: ergo, sinō valet vt transactio, nō valebit tanquā pactum; cum pactum debeat esse gratuitum: cui *Curtius* respondet, transactionem fore pactū genericum, quod præscindit ab esse gratuito, & non gratuito: quod nuper ostendi esse non posse. Hanc quoque *Baldi* sententiam sequitur, quin, teste *Curtio nu.* 44. sibi ascribit *Roman. in l.* 1. §. *si quis ità ff. de verb. obligationib.* cuius tamen doctrinam alijs quoque locis referam infrà: & *Aretin.* vt ipse quoque *Curtius* fatetur, opinionem *Baldi* de iuris subtilitate ait esse fundatam; quia, inquit, regula est pro eo, & in dubio contrà regulam non debet fieri: *not. in l. quod verò ff. de leg.*

§. III.

Vlterius probatur assertio nostra, & explicatur §. *Filius matrem l. cum pater ff. de leg.* 2. Item illud: *si non valet, vt agitur, valeat, vt valere potest*; & quam vim tribuat actui iuramentum.

SVMMAE.

17 Explicatur §. filius matrem l. cū pater ff. de leg. 2.

Codicilli pars sunt testamenti, & suum robur à testamento recipiunt, & cum eo eadem dispositio cēsentur, & n. 18.

19 *Vltimæ voluntates largiùs, quam cæteræ dispositiones interpretantur; & coniectura, quæ in ijs procedunt, in alijs locum non habent.*

20 *Iuramentum in actu supplere non potest con-*

consensum.

Eximia doctrina Romani ꝑ Baldi *opinione*, & n. 21.

21 *Iuramentum est instar iudicij.*

22 *In damno vitando non nocet error facti etiam proprij, nec error iuris.*

23 *Exceptio clausulæ, si non valet, vt ago, valeat, vt valere potest*, & n. 24.

25 *Error facit deficere consensum.*

Iactare suum nemo præsumitur.

26 *Quid operetur iuramentum in obligationibus.*

17 QVod si attentè perpẽdatur §. *filius matrem*, cui vnicè aduersarij innituntur, eis nihil penitus suffragatur: illius enim dispositio nequaquam probat, iusiurandum eam vim, ac robur obtinere, vt vnã contractus speciem in aliam trãsferat; sed solùm demonstrat, illud supplere testamẽti solemnitatem; quò scilicet hoc valeat codicillorum iure: id quod minimè est, vnam speciem in aliam trãsire: codicilli enim pars sunt testamenti, eodemque iure censentur *l. pen ff. quemdam testam. aperi*; *l. ab intestato in fin. ff. de iure Codicillor. Mantica lib. 1. de coniect. vltim. volunt. tit.* 8. *n.* 2. alijq; passim: ac suum robur à testamento recipiunt, cum quo eadem dispositio censentur, *l.* 2. *§.* 1. *&* 2. *l.* 3. *§. vlt. ff. de iure codicillo. Mantica loc. cit. & lib.* 6. *tit.* 4. *n.* 8. Itàque testatoris iuramentũ, vt aliqui censent, vel hæredis, vt alij opinantur (de quibus videndus *Guttierez part.* 2. *de iuram. cap.* 2.) efficit, vt testamentum, quod defectu solemnitatis valere nequit quatenus testamẽtum, valeat tamquam Codicilli, qui eodem vti pars concluduntur; atque vt vna, eademque dispositio censentur.

18 Et sanè, si verum fateri velimus, equidem non video, paragraphum illum *filius matrem* decernere, iuramẽtum supplere solemnitatis defectum; sed solùm ex eo inferri, testatoris voluntatem fuisse, vt testamentum tamquã codicilli robur obtineret eo euẽtu, quo vti testamentũ valere nequiret. iusiurandum igitur eo casu censeri debet veluti argumentum, & coniectura ad hanc testatoris mentem, ac voluntatem inferendam; vt apertè, ni fallor, elicitur ex ratione, quam ibidem subdit iurisconsultus, ibi: *nam enixæ voluntatis preces ad omnem successionis speciem porrectæ videbantur.*

19 Omitto, huius paragraphi casũ esse peculiarem quoad vltimas decedentium voluntates; quibus iura plurimũ fauent; neque inde posse argumentũ desumi quoad cæteras dispositiones, & contractus: vltimæ namque voluntates largiùs, quam reliquæ dispositiones, & contractus interpretantur, vt rectè ostendit *Mantica lib.* 3. *de coiect. vlt. volunt. tit.* 18. *num.* 1. *&* 2. vbi post alios etiam monet, coniecturas, quæ in vltimis volũtatibus procedũt, in contractibus locum minimè obtinere. vide *Hieron. Gabriel. cons.* 140. *n.* 31.

20 Sed quicquid tandem sit de huiusce paragraphi recto intellectu; certissimum omnino esse debet, iuramentum supplere in actu nequaquam posse contrahentium consensum *l. fin. C. de non num. pecun. cum concord. additis ab Imola in cap. cum contingat n.* 75. *de iureiur. Mantica de coniect. vlt. volunt. lib.* 1. *tit.* 9. *nu.* 13. quo loci citat *Aret. cõs.* 24. *n.* 5. *Iason. in l. eam quam, n.* 18. *vers. secundo limita* C. *de fideicomm. Roman. cons.* 117. *veriùs* 517. *num.* 24. cuius sanè doctrinam, quia ad transactionem spectat; totidem verbis, vti promisimus, referre operæpretiũ est.

21 *Huic conclusioni, inquit, vnum solum videtur refragari, scilicet id, quod notat Bart. in l. si quis pro eo ff. de fideiuss. & in l.* 1. *§. si quis ita ff. de verb. obligation. dicens, allegando tex. not. in l. cum pater §. filius matrem ff. de leg.* 2. *iuramentum habere virtutem illius clausulæ, si nõ valet quod ago, vt ago, valeat vt valere potest: igitur, quamuis non valeat hæc remissio dotis facta marito, vt transa-*

ctio, neque vt pactū liberatorium propter caussam erroneam, quia scilicet putabat se ad alimenta sibi præstita teneri; valeat saltem vt simplex donatio. & infra: *respondeo hoc non refragari, quia ille §. loquitur, cum adijcitur iuramentum actui, in quo est defectus solemnitatis; non autem quando adijcitur actui, qui non potest valere ex defectu substantiæ, vel deficientis consensus: quoniam tunc non facit actum valere, vt valere potest; sed standum est regulæ l. si ego ff. si certū petatur, volentis vnam conuētionis speciem non posse transire in aliam ex se ipsa. Primò, quia, si iudicium, cuius instar habet iuramentum l. qui iurasse, in fine cum simil. ff. de iureiur. non habet vim clausulæ, si non valet, quod ago, vt ago, &c. & est casus not. l. suus C. de repud. heredit. ergo pari ratione nec iuramentum. Secundo, quia, licet iuramentum suppleat defectum solemnitatis; non tamen supplet defectum substantialitatis: vndè, licet validet contractus minoris, non obstante defectu solemnitatis; non tamen validabit contractum infantis, vel furiosi, eo quia deficit consensus, qui est de substantia obligationis, vt l. obligationum substantia ff. de actionib. & ita concluditur in Auth. sacramenta C. si aduers. vend. cap. 1. §. item sacramenta, de pace iurā. firm. in vsib. feudi. Vnde dicamus, quod huiusmodi liberatoria cōuentio, quæ non valet vt agitur, propter defectum ineptæ conceptionis per suprà dicta, non valet vt valere potest, vt in l. cum inutilis in princ. secundùm veram literam ff. de acceptil. & quòd not. in l. si vnus §. si acceptilatio ff. de pactis.*

22 Hāc Romani doctrinam alij plures amplectuntur, quos retulit *Add. ad eiusd. cons.* 520. *in fine*, *Guttierez part.* 2. *de iuram. cap.* 2. *n.* 8. Monet verò rectissimè *Roman. dict. cons.* 517. & 520. nihil referre, quod caussa erronea sit errore iuris; quia, vt ipse ait, quemadmodum in damno vitando non nocet error facti etiam proprij, vt *l. sed si ff. de condit. indeb.* ità nec etiam in damno vitando nocet error iuris, vt *l. iuris error ff. de iur. & facti ignorantia.*

23 Insuper addidi, clausulam illam, *si non valet, &c.* intelligendam esse, cum actus aliquo tandem modo valere potest, vt ex verbis subsequentibus, *valeat, vt valere potest*, non obscurè colligi potest. Arqui actus, cui consensus deficit, nullum penitus robur, ac vim obtinere potest, vt est manifestū: quoad illū ergo præfata clausula minimè procedit. Quin *Crauet. cons.* 26 *n.* 9. & 10. *lib.* 1. docet, cū error adest, ac proindè deficit cōsensus, actus nequaquā valet, quamuis ex alia caussa sustineri possit, vt suprà quoque animaduertimus. consulendus *Parisius cons.* 96. *lib.* 1. præsertim *n.* 24. ibi: falsa caussa tollit vires iuramenti appositi super ea, *arg. l. non dubium C. de legib.* & eorum, quæ ponit *Petr. de Anchar. cons.* 331. *in* 2. *dub. & Alexan. in l.* 1. *§. si vir ff. de acquiren possess. faciūt not. in l.* 1. *C. si falsa caus. adiect. leg.* cum alijs adductis per *Alexād. in l. si diuortio col.* 1. *ff. de verb. obligation. & quæ ponit Bart. in l. non fatetur ff. de confess. & Doct. in l. si superstitis C. de dolo.* Parisium laudat, sequiturque *Menoch. cons.* 91. *nu.* 34. *lib.* 1.

24 Neq; verò hoc loci omiserim eiusdem clausulæ exceptionem, quam rectè tradidit *Alciat. in l.* 1. *§. si quis ità, n.* 42. *& seq ff. de verbor. obligatiō.* vbi: *tertio*, inquit, *limita, nisi sustinenda actū, vt valere posset, fieret transitus ad speciem penitus diuersam, vt probat l. multum, infra eodem.* Id verò in nostro casu euenire plusquam certissimū est, vt satis antea probauimus: transiret enim contractus nō gratuitus ad gratuitum; quæ sunt species omnino diuersæ; quin immo sibi inuicem repugnantes.

25 Atque ex his ſanè omnibus in re nostra inferebam, iuramentum nullo penitus modo potuisse secundam trāsactionem, de qua *cons. ant. nu.* 7. confirmare, seu illi robur aliquod tribuere, neque vt transactioni, neq; vti pacto gratuito, neque vt alij contractui; 81 in ea enim defecit alterius contrahentis

tis consensus,& voluntas, puta Iaboleni, qui falsò putans, Papinianum ius in feudi successione obtinere; ad transactionem deuenit, vt suprà monitum est: vbi verò adest error, ibi & consensus absit, necesse est *vulg. l. si per errorē ff. de iurisd. omn. iud. cum concord.* neq; satis intelligi potest, quo tandem modo Iabolenus Papiniano feudum prædictum, quod excellēs erat, gratis omnino concedere voluerit, cum nemo iactare suum præsumatur, *vulg. l. cum de indebito ff. de probation.*

26 Certè qui nō alium habuit animū, quam transigendi, nequaquam gratis donandi habuisse censendus erit, vt monuit rectè *Glossa in l. 3. verb. donationis C. de repud. hæred.* neque iusiurādum hunc effectum operari potuit; quia vt egregiè docet *S. Thomas in supplem. 3. p. q. 46. art. 1. ad 4.* iuramentum aliquid operatur, non nouam obligationem faciens, sed factam cōfirmans. & in *corp. art.* iuramentum, inquit, adhibetur ad confirmationem dictorum vndè illud tantū confirmat, quod in dictis significatur, nec significatum mutat. quibus adde, quod superiùs monui, puta iusiurandum nullo modo posse supplere contrahētium consensum ex *l. fin. C. de non numer. pecun.* alijsque relatis *nu.* 20. vide etiam *Barbos. axiom.* 134.

§. IV.

Ostenditur, *Bartoli* opinionem nobis non aduersari.

S V M M Æ.

27 *De qua transactione loquitur* Bart. & Bald.

28 *In rebus Maioratus, & feudalibus transigi non potest in præiudicium successorum*: & n. 29.

30 *Iuramentum duos defectus supplere non potest; sed vnum dumtaxat.*

31 *Contractus iuratus, cui ius resistit, nec valet, vt agitur, nec vt valere potest,* n. 35.

Num pactum nudum iuramēto vestiatur, pareatque actionem, remissiuè.

27 Ex dictis etiā colligitur id, quod suprà in fine *nu.* 4. ostendere promisimus, nimirum *Bartoli* opinionem nobis non aduersari: ipse enim, & qui illum sequuntur, expressim de ea iurata trāsactione loquūtur, quæ fit post rem iudicatam, cuius quidem hi auctores supponunt notitiam, ac scientiam illum habere, in cuius fauorem pronunciatum est, vt ipsi quoque superiùs admonuimus: ac proindè, hac scientia nihil penitus refragante, transigentes nihilominus contrahere volunt, reque ipsa contrahunt. quamobrem hic nequaquam deesse contrahētium consensum *Curtius* monet; sed solum materiæ dubietas deest: vndè iura hanc transactionē nullam volunt, ac decernunt, ob debitæ materiæ defectum: quoniam verò adest iusiurandum, laudati Doctores inferunt, adfuisse contrahentium consensum, vt actus iste, si nō vti trāsactio, saltem vt pactum gratuitum valeret, cum is, qui rem iudicatam obtinebat, nihilominus tamen contrahere voluerit: quare per iusiurādum solùm suppletur materiæ defectus. Atqui transactio, qua de agimus, nedum inualida censenda erit debitæ materiæ defectu, sed maximè ob deficientem consensum, vt satis hactenus explicuimus.

28 Item nos loquimur de transactione super bonis feudalibus, seu maioratus; de quibus annotanda erit doctrina *Mierez. part. 4. de maioratu q. 22. num. 50.* vbi, etsi asserat transactionem iuratam, quæ vti transactio valere nequit, valere tamen vt pactum; transactio tamen, subdit, facta super bonis maioratus, sicut non valet vt transactio in præiudicium successorum, non valebit vt pactum: vbi etiam laudat *August. Beroium cons. 70. n. 36. & seqq. lib. 2.* qui probat, transactionem, etiam accedente imperiali consensu, nequaquam

quam præiudicare successoribus transigentis, & renunciantis.

29 Legenda quoque sunt, quæ latè tradidit *Molina de primog. lib. 4. ca. 9.* vbi quærit, num super rebus maioratus transigi queat: quo loci etiam probat, neque de re feudali transigi posse in præiudicium successorum. Et quāuis certis quibusdam casibus transigi posset; tamen de ijs pacta gratuita in successorum præiudicium celebrare omnes penitus fieri posse inficiantur. quarè, cum transactio, de qua loquimur, vti transactio non valeat, debitæ materiæ, & consensus defectu, neque vt pactum gratuitum valere queat in præiudicium successorum, consequēs est, vt nullam prorsus obtineat firmitatem. Cui sanè congruit, quod post plures alios tradidit *Tiraquel. in præfat. l. si vnquam C. de reuocand donationib. n. 164.* puta contractum infirmum ob ius alterius, nunquam iureiurando contrahentium confirmari.

30 Præterea addi potest, iuramentum nequaquam supplere posse duos defectus, sed vnum dumtaxat, vt post *Socin. Dec. Ruin.* aliosque dixit *Menoch. cons. 29. n. 40. lib. 1. Seraph. de priuileg. iuram priuileg 83. num. 44. Surd. decis. 153. num 12.* in re autem nostra duos omninò supplere deberet, puta materiam debitam, & formam, seu consensum, vt explicatum est.

31 Denique nos loquimur de contractu, cui ius resistit; qui quidem contractus, etiam iuramento confirmatus, nec valet, vt agitur, nec vt agi potuit, vt post *Domin.* aliosque probat *Sanch. lib. 1. de matrim. disp. 20. n. 3. Alciat. in l. 1. §. si quis ita n. 42. ff. de verb. obligation.* resistere verò iura videntur transactioni super re certa celebratę, quippe quę transactionem fieri necessariò debere volunt super re dubia, litéque incerta *l. 1. alijsque ff. de transact.* & quod vna contractus species se ipsa in aliam minimè transferatur *l. si ego ff. si certum petatur*, vt suprà animaduersū est, omitto hoc loci perpendere, num pactum nudum iuramento vestiatur; ac proindè num trāsactio hæc, de qua loquimur, si vti pactum sustineatur, pareat actionem: sunt enim hac in re contrariæ Doctorum opiniones, de quibus *Guttierez part. 1. de iuram. cap. 34.* alijque apud ipsum.

Hæc autem omnia, quæ hoc §. diximus, locum non habent in casu *Bartoli*, & aliorum, qui illum sequuntur.

CONSILIVM XXXV.

Probabile est, transactionem reddi ipso iure nullam, ob enormissimā læsionem, neque iureiurādo validari. Item nullitas per viā replicationis deduci potest.

§. I.

Ostenditur prima assertio ratione, & auctoritate.

SVMMAE.

1 *Enormissima læsio nullum reddit ipso iure contractum, quia dolū cōtinet saltem præsumptum, qui tamen dolo vero æquiparatur: neque iureiurando validatur*, & nu. 2. 3. 4. & seqq.

4 *Tres comites iuramenti, absque quibus seruari non debet.*

5 *Veritas deest iuramento, cum iurās falsa caussa, & dolo inducitur ad iurandum, vt accidit, cum enormissimè læditur.*

6 *Quando iudicium deficiat.*

Iuramentum maiorem efficit, non sagacem.

7 *Quando iustitia desit iuramento.*

8 *In casu enormissimæ læsionis non est necessaria absolutio iuramenti.*

9 *Obiectio soluitur* nn. seqq.

10 *Mira Doctorum variatio in casu enormis læsionis:* & n. 11.

12 *Discrimen inter sententiam, & transactionem.*

Rot.

13 Rot. Rom. auctoritas.

1 His omnibus, quæ cons. 33. & 34. latè tradidimus, ad ostendendam nullitatem secundæ transactionis, de qua cons. 33. nu. 7. addidi enormissimam læsionem, quam Iabolenus in ea transactione passus est: feudum enim quod octoginta tunc temporis æstimabatur, Papiniano pro decem dedit: quæ sanè læsio in magno excessu vltra dimidiũ iusti pretij existimãda est. Hanc autem ipso iure nullam reddere transactionem, probatur, quia dolum continet saltem præsumptum, vt ostendit *Mascard. de probation. cõcl. 532. à n. 25. vsque ad 30. ex l. omnes §. Lucius ff. quæ in fraudẽ credit. l. si superstite C. de dolo*, alijsque multis apud illum consulendis. idem per ead. iura docet *Rota diuers. decis. 102. n. 2. part. 2.* vbi *n. 3. & 12.* ait, hunc dolum, etsi præsumptum, dolo verò, & ex proposito commisso in casu enormissimæ læsionis æquiparari.

2 Et hac quidem in re ità concludit *Cagnol. in l. 2. n. 81. C. de rescind. vend.* ibi: *ex quibus pulchrè, vtiliterque infertur ad declarationem, & limitationem istius legis, & l. dolus, infrà eod. totiusq; materia, quod data læsione vltra dimidium iusti pretij in magno excessu, contractus nullus erit ipso iure; quemadmodum vbi dolus ex proposito contractui caussam dedit, & sic in potestate conuẽti non erit supplere, quod deesset iusto pretio, & rem retinere secundum dispositionem istius legis; immò erit in facultate læsi repetere rem cum fructibus perceptis, per tex. in l. eleganter in princip. ff. de dolo, ex l. si res §. 1. ff. de iure dot. cum dictis suprà de dolo ex proposito interueniente.* Vide *Molfes. cons. 4. n. 42. l. 1.*

3 Et quidem, quando adest enormis læsio, contractum metu gestum non valere ipso iure, dixit *Baldass. Mongollon. de metu cap. 9. n. 23. Carl. Ant.* Pute. *cons. in inter consil. Sforz. Odd. nu. 10.* vt eos refert *Add. Carol. Graff. except. 11. nu. 18.* & videdi hac de re *Corn. cõs. 189. col. 5. vers. & dato lib. 1.* vbi loquitur de transactione, & *cons. 214. n. 4. & 5. lib. 3.* vbi loquitur in muliere, quæ pro florenis 250. paternę hæreditati mille florenorum renunciarat; *Alex. Raud cons. 9. n. 93. lib. 2. Thesaur. decis. 165. n. 6. & 7. Anchar. cons. 330. n. 10. Cephal. cons. 137. n. 60. & 61. lib. 1.* qui etiam in transactione loquitur; *Couarr. lib. 2. variar. resolut. cap. 4. n. 5. Socin. Iuni. cons. 129. num. 40. lib. 1.* loquens de transactione, *Ludouic. decis. Perus. 18. nu. 55.* in numeros recenset *D. Giurba decis. 105. n. 1. Castill. decis. 14. n. 6. & seq. & n. 11.* quodque dolus in enormissima læsione dolus ex proposito dicatur; præter recensitos, ait *Mastrill. decis. 247. num. 3. & seq. p. 3.* vbi expresse ab ijs recedit, quæ dixerat *decis. 33 part. 1.* quando læsio in magno excessu vltra dimidium reperitur. & latissimè *Regens Scuderus in iustificationibus pro Baronissa Bisaræ impressis post decis. 247. cit. Mastrill. Menoch.* quicquid alibi innuat, *consil. 439. nu. 29. & 30 lib. 5.* qui de transactione loquens, concludit, quod quãdo adeo excessiua est læsio, vt non sit verisimile hominem sanæ mentis absque dolo ex proposito, & machinatione in eam incurrisse, tũc transactio nõ valet: & *n. 39. & 44.* ait neque iureiurando validari.

4 Quod sanè vltimũ clarè probatur, quia hoc euentu iuramentum nequaquam haberet tres comites, puta veritatem, iudicium, & iustitiam; ac proinde seruandum non erit *cap. etsi Christus. de iureiur.* & si vnum desit, nullo penitus modo obligare, statuitur *cap. & iurabunt 22. qu. 1.* post plures *Mascard. de probation. concl. 1270. n. 28.*

5 Quod verò in re nostra veritas desit, ex ijs, quæ hactenus diximus, satis elicitur: illa enim tunc deficit, cum iurans ad iurandum dolo, ac falsa caussa inductus est; *Castr. cons. 122. n. 4. lib. 2.* id, quod in casu nostro euenisse supponitur, cum in eo enormissima læsio reperiatur *l. si quis cum aliter, ibique doct.*

doct. ff. de verb. obligation. Anchar. cons. 83. *Federic. de Senis cons.* 272. *Bened. in cap. Raynutius vers. duas habēs filias n.* 264. *de testam*, vbi ait, iuramentum ciuilem, & æquam interpretationem recipere, ne quis immoderatè lædatur *l. si libertus ff. de oper. liber. cap. veniens, & ca. quanto, de iureiur*, alijsque ab eo relatis; *Camil. Borrel. cons.* 4. *n.* 6. *Frāch. decis.* 665. *n.* 6. *Ceuall. com. cōtr. com. qu.* 763 *n.* 43. *doctiss. Cancer. variar. lib.* 1. *cap.* 13. *n.* 11. *Sforz. de restit. in integr. q.* 14. *n.* 60. *&* 70. *P. Molin. de contract. lib. disp.* 349. *nu.* 10. *Asin. de execut.* §. 9. *cap.* 330. *Peregr cons.* 81. *n.* 14. *lib.* 1.

6 Deficit quoque iudicium, idest discretio iurantis, quo casu iuramentū est nullum, *Castr. d. cons.* 122. *n.* 4. *lib.* 2. Deficit autem, quia enormissima læsio manifestè præsefert maximam iurātis indiscretionē, *Asin. post alios tract. cit.* §. 9. *cap.* 339 *n.* 3. & licet iuramentum faciat maiorem; tamen sagacem efficere nequit, vt post *Decium* dixit *Benedictus loco nuper laudato.*

7 Deficit demum iustitia, ratione præsumptæ, imò veræ deceptionis, *Asin. loc. cit.* alijque Doctores laudati: quāobrem aiunt fermè omnes, iusiurandū neutiquam obligare, vbi enormissima læsio reperitur, vt ijdem auctores laudati dixère; & post innumeros alios *Mascard. loc cit. Socin. cons.* 47. *nu.* 16. *lib.* 4. *Pinel. in l.* 2. *par.* 3. *c.* 1. *de rescind. vend. Crauet. cons.* 188. *&* 613. *n.* 29. *& seq. Villalob. comm. opin. verb. iuramentum n.* 137. pluresq; citat *Asin. loc. cit. n.* 4. *& Ceuall comm contr com. q.* 115. *n.* 4. *Rota diuers decis.* 102. *n.* 1. *parte* 2. *Paris cons.* 96 *num.* 19. *&* 20. *lib.* 1. *& Carol de Grass except.* 11. *n.* 7.

8 In casu autem enormissimæ læsionis absolutionem iuramenti necessariam non esse, docuère *Butr. in ca. cum contingat col.* 8. *vers. quartus casus de iureiur. & cons.* 45. *& Abb. in d. c. vers. nonus casus*, *Cuman. cons.* 180. *Castr. cons.* 196. *vol.* 2. *Corn. cons.* 358. *lib.* 2. *Gabriel de iure dot. concl.* 1. *n.* 12. *lib.* 3. plures alios citat *Osach. decis. Pedam.* 40. *Mattien. in l.* 1. *gloss.* 8. *n.* 48. *&* 49. *tit.* 11. *lib.* 5. *Guttierez de iuram. confir. p.* 1. *cap.* 26. *n.* 7. *Nata cons.* 166. *nu.* 3. *lib.* 1. *Ludou. decis. Perus.* 18. *num.* 67. *Thesaur. decis.* 165. *n.* 8. *& decis.* 223. *n.* 18. *Rota diuers. decis.* 624. *nu.* 3. *p.* 1. *Mascard. concl.* 522. *n.* 26. alijque plures apud ipsos, alibique passim.

9 Sed contrà hanc vltimam rationē, ex enormissima læsione desumptam, obiecère contrariæ partis aduocati, quia transactiones validæ censendæ sunt, quamuis in ijs enormis, vel etiā enormissima læsio interuenerit: transactio enim, inquiunt, rei iudicatæ æquiparatur *l. non minorem C. de transactionibus l.* 2. *ff. de iureiur.* atqui sentētia, seu res iudicata, propter læsionē minimè retractatur *l. sub specie C. de re iudic.* laudarunt plures Doctores antiquos, & recentiores, quorum multos citat *Anton. Gabriel. comm. concl. lib.* 3. *tit. de empt. vend. concl.* 1. *nu.* 68. vbi innumeros quoque recenset aduersæ opinionis patronos, quam *Bartolus* amplexus est.

10 Respondi, verè nos transactionis, qua de agimus, nullitatem satis ostēdisse, etiam prescindēdo ab hac enormissima læsione, & hanc postremam rationem abundè addidisse: quę tamē, in plurimorum saltem sententia, vim, ac robur obtinet non exiguum. Hac enim in re mirum in modum Doctores variant, ac sæpè sibi ipsis aduersantur, quod est vitium iurisconsultis familiare. certè pro vtraque parte innumeri laudantur, vt apud *Gabrielem loco nuper citato* animaduertere licet, quas sanè opiniones *nu.* 69. post alios conciliare nititur iste auctor, aiens locum obtinere *Bartoli* sententiam, cum læsio magna est; cum verò parua, procedere aliorum opinionem.

11 Hanc conciliationem amplecti videtur *Menoch. cons.* 401. *n.* 158. *lib.* 5. vide eumdem *cons.* 6. *n.* 7. *lib.* 1. videndus quoque *Arias Pinellus in l.* 2. *C. de rescind. vend. part.* 1. *cap.* 4. *à nu.* 12. *& deinceps*, qui vtriusque partis patronos re-

recenset: & *num.* 15. monet, plurimos hac in re sibi ipsis aduersari: quos inter enumerat *Ang. Panorm. Alexand. Decium, Alciatum*, aliosque, & *nu seqq.* rectè ostendit, veram esse *Bartoli* opinionem, & obiectiones refellit. & *nu.* 29. etiam animaduertit, hanc *Bartoli* sententiam esse securiorem, cum læsio personis simplicibus, vti militibus, rusticis, mulieribus infertur: idē monuit *Molina lib. 4. de primog. cap. 9. n. 36.*

12 Vide quoque *Petr. Rebuff. in const. Reg. tract. de resciss. contract. gloss.* 15 vbi sequitur *Bartolum*, respondetque rationi in obiecto propositæ, discrimē constituens inter sententiam, & transactionem; quia à sententia appellare pars potest; secus in transactione: *&* *ista* subdit, *est æquior, & sic in iudicando, & consulendo tenenda, &c. & eam audiui multis arrestis curiæ confirmatam* vide etiam *Mattien. in l. 1. tit. 2. glos. 8. à n. 53 lib. 5. recop. & Guttierez lib. 2. pract. quæst.* 141. *Burgos de Paz. senior. cons.* 19. vbi ait, *Bartoli* opinionē esse communiorem, ac magis receptā; atq; etiam in Regnis Castellæ sequēdam, cum læsio enormissima est, nihil penitus obstante *l.* 34. *tit.* 14. *part.* 5. quæ cōtrarium innuere videtur; eamque contrà *Gregorium Lopezium* interpretatur, idemque præstitit *Mattiens. in dialogo relat. & Adu.* 3 *p. ca* 20. atq; eamdem opinionem *Guttierez* minimè improbat, quin *n.* 4. *vers. nihilominùs*, ait, quibusdā casibus omnino sequendam; cum scilicet euidenter de enormissima læsione constat.

13 Nec omittenda, quę tradidit *Andr. Gail. lib. 2. obseruat.* 70. vbi *Bartoli* sententiæ fundamenta recēset, additque, illam absque dubio locum obtinere, cum læsio apparet, & transactio malà fide, doloque, vel vero, vel saltem prę sumpto, celebrata est. Hanc eamdem *Bartoli* sententiam sequutus est *Anton. Gam. decis.* 116. *nu.* 15. alijque recētiores, quos laudat *Mierez de Maiorat. part. 4. q. 22. n.* 75. & quod magis est, eam obseruat *Rota Romana*, vt refertur *prim. part. decis diuers. decis.* 102. *n.* 2. cuius auctoritas cæteris omnibus præfertur, vt monuit *Doctiss. Ascanius Tamburinus de iure Abb. tom. 1. disput.* 14. *q.* 8. *nu.* 1. *ex Sarnens. in proœm. ad Reg cancell. q. 2. vers. 4. Surd. cons.* 403. *nu.* 83. & ipsa sola facit magis communem opinionem, vt notat idem *Tambur. ex Ceuall. comm. cōtra com. in præf. n.* 26. *Gratian. discep forens. cap.* 104. *n.* 26. *Viui. decis.* 401. *n.* 53.

14 Etsi verò plerique laudatorum Doctorum de remedio agant *l. 2. tit. C. de rescind. vendit.* num scilicet locum habeat in transactione, vbi læsio vltrà dimidium reperitur; eorum tamen doctrinam retulimus, non quia inde probare velimus id, quod intendimus; sed vt dissolueremus aduersariorum obiectum, qui ferè vt certissimum contrà nos proferebant, enormissimam læsionem transactionibus nihil penitus obesse, neque in ijs legem secundam modo laudatam locum vllatenus obtinere: id quod ostendimus, vel omnino falsum, vel saltem non ità certum, vt ipsi existimabāt. Nouissimè enormissimā læsionē inducere nullitatē ipso iure, tradit *D. Fontanel. decis* 64.

§. II.

Præcipua assertionis ratio vlteriùs cōprobatur; agiturque, an contractus, cui error, vel dolus causam dedit, sit validus.

SVMMARIÆ.

15 **V**Bi adest læsio enormissima, dolus præsumitur.

16 Quando dolus dat caussam contractui, is ipso iure irritus est.

Dolus & error causat inuoluntarium.

17 Nihil volitum quin præcognoscatur.

Error circa personam irritat iure naturæ matrimonium.

Errantis nullus est consensus.

18 Probabile est, dolum antecedentem, & dantem caussam contractui, irritos reddere contractus, non solum bonæ fidei, sed etiam stricti iuris, & n. 19.

20 *Ratio Doctorum auctoritati praevalere debet.*
Et communi opinioni.
21 L. dolo C. de inutil. stip. *explicatur*.

15 SEd quicquid sit de huiusmodi Doctorum opinionibus; equidē ex dictis probo, laesionem enormissimam inducere nullitatem ipso iure; quia, vti monuimus, vbi adest laesio enormissima, dolus praesumitur, vt post alios plures docuit *Mascard. d. concl. 532. n. 25. & seqq.* vbi refert *Decium cons. 480. n. 6.* aientem, paria esse hoc euentu, quòd dolus praesumatur, & quòd re ipsa, & ex proposito interueniat, hancque esse communem opinionem, idem docuit, vt praediximus, *Rota Romana d. decis. 102. nu. 2. & 12. p. 2. diuers.* vbi ait, hoc communiter, & passim admittere Doctores, probarique *ex l. si quis cum aliter, ibique omnes tradidère ff. de verb. oblig.* cuius verba, id apertè ostendentia, haec sunt: *idem est, si nullus dolus intercesserit stipulantis; sed ipsa res in se dolum habet, &c.* rem autem in se dolum habere, est, esse dolum praesumptum.

16 Atqui, vbi adest dolus, ac dat caussam contractui, puta quando, hoc dolo secluso, ac cognita veritate, contrahendum minimè foret, ibi contractus irritus est, ac nullus ipso iure, si bonae fidei existat, vt omnes probant ex *l. & eleganter ff. de dolo*, quorum aliquos citat, sectaturque *Sanchez lib. 1. de matrim. disp. 64. n. 3.* etsi pauci contrarium tueantur, quos sequitur *Lessius lib. 2. de iust. & iure cap. 17. dub. 5. nu. 51.* Cuius sanè rei ratio est, quia sic deceptus, doloque inductus ad contrahendum, nequaquam contracturus consensurus erat, sed dolo ductus cōsensit: hic autem dolus, caussat inuoluntarium, vt omnes Theologi explicant, in 1. 2. *S. Thom. cum de volūtario & inuoluntario.* certū autem est, quod, vbi voluntas, & consensus deficit, contractus ipso iure nullus, atque omnino irritus censetur.

17 Eadem prorsus doctrina locum obtinet non solum in errore cōcomitāte, de quo loquuti sumus; sed etiam in errore contractum antecedente; nimirū, qui caussam praebet contractui, ità vt, eo non existente, nequaquam contraheretur: tunc enim ipso iure contractus irritus erit, ob eamdem fermè rationem; quandoquidem iste error, actum antecedens, caussat inuoluntariū vt benè probat *S. Thom. ead. 1. 2. qu. 6. art. 8.* nihil enim volitum esse potest, quin praecognoscatur: quare iste error, vt ait Sanctus Doctor, inducit ad volendum, caussaque est actus, seu est caussa volendi, quod aliàs homo non vellet. id quod ibidem vberiùs Theologi omnes exponunt. Probat verò *Sanchez lib. 7. de matrim. disp. 18. num. 12.* iuncto *n. 5.* hunc errorem circa personam irritare iure naturae matrimonij contractum; quia, inquit, libertatē, & consensum aufert *l. si per errorem ff. de iurisd. omn. iud.* & errantis nullus est consensus, nec voluntas *l. cum testamentum l. non ideirco C. de iuris, & facti ignoran.*

18 Ex his verò quispiam, fortassis non ineptè, colligeret, dolum, & errorem antecedentem, & qui dat caussam cōtractui, non solum ipso iure, irritos, nullosque reddere contractus, quos *bonae fidei* appellamus, de quibus loquuti sumus, & agit Imperator *in §. actionum autem, instit. de actionib.* verum tales quoq; reddere *stricti iuris* contractus; vbi enim consensus deficit, actus re ipsa, iureque naturae corruat necesse est; atque impossibile est, iura humanis contractibus vim tradere, si consensus deficiat; quamobrē statuunt nullos huiusmodi contractus *l. inter stipulantem ff. de verb. obligat. & per eam Bart. in l. & eleganter n. 6. ff. de dolo malo & l. consensu ff. de act. aliisque.*

19 Quare nullum videtur discrimen cerni inter vtriusque generis contractus: quod enim ait *Bart. loco cit.* contractus bonae fidei, dolo, erroreque ini-

initos, nequaquam propter defectum consensus esse irritos, nullosque, quia, si id esset, eadem ratione, inquit, diceremus, nullum contractum stricti iuris, quia consensus deficit *d. l. inter stipulantem, de verb. oblig.* Id, inquam, obstare minimè videtur; quandoquidem per id, quod est in quæstione probaretur illud ipsum, quod inquirimus, & ab aduersarijs ea ipsa fieret illatio, quam ipsi cupimus: ità enim arguerent: si contractus bonæ fidei, dolo, erroreque initus, ob defectum consensus, irritus ipso iure foret; sequeretur, & stricti iuris contractum, dolo, atque errore initum, ipso iure nullum, atque irritum fore: atqui hæc illatio non est admittenda: ergo, &c. responderet verò quispiam, verissimam esse, ac omnino firmam illationem: sed minorem esse omnino negandam, quam ipsi nõ nisi doctorum auctoritate probare possent, qui re vera fermè omnes post *Gloss. Bart. aliosque in d. l. & eleganter*, illam profitentur.

20 Atqui Doctorum auctoritas non eius debet esse ponderis, vt rationi præualeat: non enim ex multitudine auctorum, quod melius, & æquius est, iudicari debet, vt ait Imperator in *l. 1. §. sed neque C. de veter. iur. enucleand.* neque Doctoribus, quantumcumque doctrina pollentibus, credẽdum est, si carent fundamento, vt dixit *Ioan. Lupus in cap. per vestras, de donation. int. vir. & vxor. notab. 3. §. 20. n. 12.* quem laudat, sequiturque *Sanchez lib. 3. de matrim. disp. 44. n. 2. & Anton. Maria Coras. de com. opin. lib. 2. tit. 9. cas. 17. tom. 4.* quem citat, sectaturque *Hyeron. de Armencol. in resp. in caussa feudi Placa Regni Siciliæ sect. 1. art. 1. n. 8.* concludit, ex communi scribentium calculo *in cap. 1. de cõstitutio.* rationem viuam, & efficacem, præualere communi opinioni.

21 Et si de cætero non ignorem, Doctores hosce inniti dispositioni iuris ciuilis in *l. dolo C. de inutilib. stipulatiõ. & instit. de exceptionibus, initio*, quæ iura contrà cõtractus, dolo initos, doli mali exceptionem concedunt: quæ tamen iura solũ de stipulatione loquuntur, non verò de alijs stricti iuris contractibus, si qui sunt præter stipulationem, qua de re vide *Couarr. in Reg. possessor 2. p. §. 6.* Sed iam validissima ratione naturali probatum videtur, actum, ob dolum, & errorem illum antecedentem elicitum, omninò censeri debere inuoluntarium; ea scilicet ratione, quam *S. Thomas ex S. Aug. & Aristotele* amplectitur, quòd impossibile est, quidpiã esse volitum, quin præcognoscatur: qui verò errat, nihil penitus præcognoscit.

§. III.

Soluuntur obiecta contrà doctrinam §. *ant.*

S V M M AE.

22 *Obiectio ex* Bartolo *diluitur*, & n. 23.
24 *Obiectio ex* Conrado *diluitur* nn. seqq.
25 *Quodnam strictũ ius dicatur; & quod hodie non videtur admittendum: nisi sequatur æquitatem*; & n. 28.
Summum ius summa iniuria.
26 *Ius est ars boni & æqui.*
Quid sit scire leges, & quis in fraudem legis agat.
Quid sit æquitas.
27 *Omnis contractus bona fide subsistere debet.*
29 *Omnes contractus iure Pontificio sunt bonæ fidei.*
30 *Et saltem in foro animæ.*
31 *Obiectio ex* Couarr. *diluitur*, & nn. seqq.
32 *Matrimonium dolo initum, qui irritum censeant*, & n. 33.
34 *Sententia probabilis in præsenti quæstione.*

22 Quod si dicas cum *Bartolo*, nequaquam verum esse dolũ impedire consensum circa

contractum, nec errari in contractu, sed errari in caussa, propter quam quis inducitur ad contrahendum: quarè error videtur circa aliquid extrinsecũ contractui, & caussare solùm inuoluntarium secundùm quid, non autem simpliciter, vt voluit *Lessius lib. 2. de iust. & iure cap. 17. dub. 5. n. 34.* Si, inquam, id dicas, occurri potest, *D. Thomam art. 8 cit. in corp.* docere, errorẽ, qui actum antecedit, caussare inuoluntarium simpliciter, quamuis error nõ sit in ipso actu, sed in caussa volendi, & ob ignorantiam solius circumstantiæ actus exemplum enim ponit in homine, qui ignorat aliquã actus circumstantiam, & ex hoc aliquid agit, quod non faceret, si sciret; aitque hũc actum esse omnino, & simpliciter inuoluntarium.

23 Et quamuis dolus, & error immediatè circa caussam contrahendi versetur; nihilominus ipsum quoque contractum, vti illius caussæ effectũ, propriè attingere videtur: qui enim errat in caussa, ideo contrahit, quia errat; atque ideo error est caussa contractus, ac proindè in eo etiam erratur; quamobrem *S. Thomas* solum cõsiderauit errorem, qui actum antecedit, quique est caussa volendi illud, quod alioquin homo non vellet; docetque, hunc errorem caussare inuoluntarium simpliciter in ipsomet actu, etsi non circa ipsum actum, sed circà caussam agendi erretur. Cuius sanè ratio videtur esse, quia error cuiusuis circumstantiæ tollit voluntarium, vt docuit *Aristoteles 3. eth. cap. 3.* si ergo quis ignoret aliquam actus circũstantiam, & ex hoc aliquid agat, quod nõ faceret, si sciret; hæc sane ignorantia caussat inuoluntarium simpliciter, & non secundùm quid, vt expressè loco citato *S. Thomas* edocuit.

24 Quod si iterum dicas cum *Conrado in summ. oper. de contract. lib. ad quæst. 57. dist. 3.* vbi Petrum de Bellapertica reprehendit, quòd contractum stricti iuris, cui dolus caussam dederit, ipso iure nullum esse inferebat, si bonæ fidei contractus ex hoc nullus esset, vt refert *Couarr. in d. reg. possessor 2. part. §. 6. n. 6. vers. septimo hinc & illud*; eò quòd ius ciuile voluerit, contractum bonæ fidei, cui dolus caussam dederit, ipso iure nullum esse: non tamen idẽ voluerit de contractu stricti iuris, etiã quoad consensus defectum omnino pari, nempè quia dolus cõtractui caussam dederit: vnde, etiamsi ex natura rei ob deficientem consensum hi contractus bonæ fidei, & stricti iuris pares sint; tamen quoad iuris ciuilis remedia, & dispositionem liberam, impares censentur; cum liberum legi fuerit, hoc vni concedere, & alteri denegare.

25 Si, inquam, id cum *Conrado* dicas: responderi potest, ius ciuile nequaquã potuisse contractibus iure naturæ irritis vim tribuere, ac robur: contractus verò stricti iuris, cui dolus caussam dedit, irritus est naturæ iure, si ei deficiat alterius contrahentis consensus; vt certè deficere hùcusque probatum est. Deindè, si contractus strictĩ iuris ideo sic nũcupatur, quod in ijs strictũ ius obseruatur, puta ius, quod strictè, ac proindè ad corticem literæ, absque vlla benignitate, & humanitate, est intelligendum, & interpretandum; opponiturque propterea æquitati, ac bono, & æquo, vt post alios dixit *Couarr. d. §. 6. n. 2.* sanè hodie, cùm non corticem legum, sed maximè legum conditorum, ac proinde ipsarum legum mẽtem spectamus, ac spectare debemus; eliminandum omnino videtur strictũ istud ius, quod potius vti summũ ius à veteribus sæpè appellatũ est, summa iniuria foret andigitandum, vt certè iuit in prouerbium *Ciceronis* quoque tẽpore, qui *lib. 1. off.* de eo iure loquẽs: *illud*, inquit, *summum ius summa iniuria factum est iam trito sermone prouerbium*: cuius præterea meminère *Columella lib. 1. de re rust. cap. 7. Valer. Maxim. lib. 8. cap. 2.*

26 Et quidem quo pacto censeri, appel-

pellariq; iustè poterit ius, quod æquitati, bono, & æquo aduersatur; cum ius nihil prorsus sit aliud, quam ars boni, & æqui, vt illud definiuit *Celsus*, quem citat, sequiturque *Vlpianus in l.1. ff. de iust. & iure*, aliique iuris consulti? item scire leges, vt ait idem *Celsus in l. scire ff. de legib.* non est verba earum tenere, sed vim, ac potestatem: in fraudem quoque legis facit, qui, saluis verbis legis, sententiã eius circumuenit, vt dixit *Paulus in l. contrà ff. eod.* hæc verò iuris præcepta strictũ istud ius penitus euertit; quippequod nullam admittit interpretationem; sed prædurè leges, nè latum quidem vnguem à litera discedens, interpretatur, contrà omnem æquitatem, quam admirabile quoddam tẽperamentum iura, Doctoresque passim vocant, quod ex perfecta ratione omnia moderatur *l. diuus ff. de hered. instit.* explicatque *Corasius lib. 2. Miscellan. cap. 18. Couarr. loc. cit. nu. 3.* vbi summum ius appellari ait, quoties de verbis legis contenditur; nec spectatur, quid senserit, qui scripsit, aut qui loquutus est: quo in genere plerumque sub auctoritate iuris perniciosè erratur, vt dicebat *Celsus* adolescens relatus *à Paulo in l. si seruum §. sequitur ff. de verb. obligationib. Coras. ca. 18. cit. num. 12.*

27 Et nihilominus Christiani iurisconsulti huiusce iuris rationem habendã esse volunt, & secundùm illud contractus quosdam stricti iuris censeri, & appellari, in quibus non quid æquitas, ratioque præcipit, dictatque, obseruandum sit; sed strictum istud, subtile, summumque ius, quod æquitati ipsi, bono, & æquo opponitur, vt ait *Couarr. nu. 2. ex l. 2. §. item Varrus ff. de aqua pluu. arcẽ. l. placuit C. de iud. l. in bis ff. de condit. & demonstr.* tradit eleganter *Budæ in l. 1. colũ. ff. de iust. & iure.* cùm præsertim & omnes omnino contractus bona fide subsistere, fulcirique debeant *l. bonam fidem C. de actionib. l. bona fides ff. depos.*

28 Quod si dicas, quandoque strictũ istud ius nihil prorsus statuere contra æquitatem: quin imo sequi bonum, & æquum, rectæque rationis dictamen: id quidem rectè: sed tunc ius hoc, non strictum illud, sed ars boni, & æqui censeri debet: proindèque iustum, ac sanctum, in quo æquitas, ac ratio suum obtinet locum; non quale aduersarij comminiscuntur. Vide *Coras. Budæ Couarr.* aliosque apud illos.

29 Hinc sanè elici videtur, nequaquã improbabilem esse, nec falsam, vt eã *Couarruuias* appellat, *Baldi* opinionẽ, aientis in *cap. 1. de plus pet. in fine*, Pontificio iure omnes penitus contractus bonæ fidei censeri, eos etiam, qui stricti iuris à ciuili nominantur: proindeque iure canonum sublatam prorsus esse hanc contractuum distinctionem stricti iuris, ac bonæ fidei, omnesque huius secundi generis censeri: Cuius opinionem sequi videtur *Iason. in §. quadrupli n. 90. instit. de actionib.* vbi refert *Bald. loc. cit.* qui dicit, sæpè putare, quòd de æquitate canonica, omnes contractus mundi sunt bonæ fidei in effectu, & ità dolus omni casu vitiat ipso iure. quod dictum *Baldi* idẽmet *Iason. in §. actionum nu. 4 eod. tit.* vocat Magistrale.

30 Eamdem sententiam *Couarruuias* tribuit *Lancell. Galiaula in l. 4. §. Cato, col. 18. ff. de verb. obligation.* & *additio ad Oinotomum §. actionum n. 29 lit. A. instit. de actionib.* ait, idem probare *Boerum ad l contractus c. 2. n fin ff. de reg. iur.* nec videtur à iure pontificio expresse, vt censet *Couarr.* istæc Cæsarei distinctio probari in *cap. cum venerabilis, de except.* quandoquidem ibi Pontifex solùm nominat contractus bonæ fidei; non quidem in dispositiuis, sed in narratiuis; seu refert id, quod altera pars in sui fauorem proponebat, nihil de cætero approbans, reprobansuè. Et ipsemet *Couarr. in vers. nono deducitur*, monet, hanc contractuum distinctionem in foro animæ lo-

locum non obtinere: quod & animaduertit *Lessius cap. 17. tit. dub. 5. nu. 31. vers. probatur 2.*

31 Demum, si cum *Didaco Couarru.* dicas, ad contractum matrimonij consensum, & quidem liberum omnino pro eius substantia esse necessarium, *cap. cum locum, de sponsalib.* & tamen si quis dolo inductus fuerit, falsis persuasionibus, & caussis, vt Mariā vxorem accipiat, in eamque vxorem accipiendam consentiat, alioqui dubio procul non consensurus: si certus esset, caussas sibi expressim significatas falsas esse; hunc matrimonij contractum validum esse, non alia ratione, quam quòd substantialem consensum habeat, qui ad coniugium necessarius est.

32 Si, inquam, id cum *Didaco* dicas; occurri potest, quia sunt, qui non improbabiliter censeant, huiuscemodi matrimonium esse omnino irritum, ac nullum. Hi sunt *Praeposit. in cap. fin. in fine, de coniug. leprosor. Metina de restit. q. 33. paulo post princip. vers. quibus praemissis*; & cogitandum reliquit *Euerard. in suis topicis, loco a matrimonio spirituali ad carnale n. 2.* vt eos omnes retulit *Sanch. lib. 7. de matrim. disp. 18, n. 17.* etsi ipse post alios contrariam opinionem amplectatur, qui iterum *nu. 19.* laudat *Abb. Curt. Ang. Syluestr. Perez*, aliosque, docentes, irritum esse matrimonium dolo initum, cum dolus tantus esset, vt consensum auferret.

33 Certè licet dolus, vel error sit circa accidens matrimonij, ac circumstantiam, non verò circa substantiam, vt *Sancius* exponit; nihilominus defectus, qui ex hoc dolo oritur, videtur ad matrimonij substantiam pertinere; cum cōsensum liberum ad eam requisitum attingere videatur: neque enim vir in hanc mulierem consentit, nisi quatenus sub hac, illaué qualitate apprehensam; &, si aliud cognosceret, in eam minimè consentiret: id quod secundùm *D. Thomae* doctrinam inuoluntarium simpliciter caussare videtur. de qua tamen re vlterius agere est alterius instituti. de ea tamen vide *doctiss. Basilium Pontium Legionensem lib. 4. de imped. matr. cap. 21.* Nobis satis est, rationem illam, ex enormissima laesione desumptam, vtcumque *hoc consil.* firmasse: quam tamen, vt monui, non vti nobis necessariam, sed abundè proposuimus; cum satis aliundè probauerimus, eius transactionis nullitatem, vt ex dictis *consil. 33. & 34.* liquidò constat. vide *Socin. Iun. consil. 144. tom. 1.* vbi probat, transactionem quamdam nullam esse ipso iure, eiusque rationes casui nostro quoquo modo aptari non incongruè possunt.

34 Illud tamen hoc loci monere minimè praetermiserim, vt ingenuè, quod sentio, profitear, hac in re, quam à *n. 15.* hùcusq; tractauimus, illud quidem mihi videri certum, nullam prorsus differentiam constituendam esse inter bonae fidei cōtractus, ac stricti iuris, quibus dolus, vel error dederit causam, quod pertinet ad valorē: vel enim omnes irriti sunt ipso iure, vti hactenus, saltē probabiliter ostēdimus: vel omnes ipso iure validi, quāuis rescindi queant, vt benè ostendit *Lessius d. cap. 17. dub. 5. à nu. 31.* cuius opinionem admodum probabilem puto, quam alibi probabimus.

§. IV.

Ostenditur secunda assertio, idest, posse nullitatem per viam replicationis deduci.

SVMMAE.

35 *NVllitas per viam replicationis deduci potest.*

36 *Ius dicendi nullum ad haeredes transmittitur, etsi non praeparatum.*

37 *Num facultas reuocandi donationem ex l. fin. C. de reu. don. ad haeredes transmittatur.*

Exhaeredatio iniuria est personalis.

38 *In nepotem tamen transmittitur querela*

la inofficiosi.

39 *Remedium à lege tributum, etsi nō agnitum, ad hæredes transmittitur*, & nu. 40.

41 L. caussas C. de transf. *explicatur*.

35 IAm verò probata *conf.* 33. 34. *&* *hoc* 35. secundæ trāsactionis nullitate, quæ euidens est, ac notoria, vt ex dictis satis liquet; neque altiorem indaginem requirit; intuli, eā iure optimo opponi posse, ac replicari in iudicio hoc sūmarijssimo, vt certè Modestinus, Iabolenī hæres, replicauit, sicuti initio *conf. 33. nu.* 8. retulimus: tum nullam penitus nec in iure, nec in facto recipiat probabilem dubitationē, iuxtà eximiam *Bartoli* theoricam, quam tradidit in *l. filio præterito, num. 24. ff. de iniust. & irrit. testam.* vbi hunc modum per viam replicationis deducendi nullitatem plurimùm commendat. idemque repetit in *l. quæ sub conditione* §. *fin. ibique sequitur Castren. 9. ff. de condition. instit. Bald. in l. fitus hæres C. de repet. hæred. Cald. conf.* 161. cum alijs per *Vant. de nullit. tit. quot. & quib. mod. null. propon. poss. n.* 20. vbi ait, ità quotidiè practicari in Romana Curia, *Socin. Iun. conf.* 18. *n.* 21. *lib.* 1. *Cagnol. in Auth. ex caussa nu.* 9. *C. de liber. præter. Zuchard. in l. fin. nu.* 296. *C. de edicto D. Adrian. tollen. Bened. de Barl. tract. de exec. instr. part.* 2. *q.* 15. *circa finem*, *Menoch. de adipiscen. possess. remed.* 4. *nu.* 614. *Gratian. discept.* 339. *nu.* 15. *lib.* 2. *D. Giurba decis.* 2. *n.* 18. *& decis.* 64. *n.* 16. *Muta. decis.* 54. *n.* 20.

36 Monui quoque, hoc ius dicēdi nullam præfatā transactionem à Iabolenō in Modestinum hæredem suum fuisse transmissum; & si ab eodem Iaboleno non fuerit præparatum, quicquid contrà patroni aduersæ partis obiecerint, innixi in *Iosephi Ludouici decis. Perus.* 93. *n* 40. *Bardel. conf.* 57. *nu.* 27. *& seq. lib.* 1. *Pancirol. cons.* 123. *nu.* 28. *& in l. posthumus* §. *si quis instituta ff. de inoff. testam.*

37 Etenim ostendi primùm *d. decis.* 93. laudatosque Doctores, &, si qui sunt alij, expressè loqui de facultate reuocandi donationem virtute *l. fin. C. de reuocand. donation.* quam sanè facultatem, quippe personalem, aiunt non nulli, ad hæredes nequaquam transmitti, etsi alij contrarium opinentur, quorum sententiam communem vocat *Anton. Gabr. lib.* 3. *comm. concl. tit. de transact. concl.* 1. *nu.* 42. legem verò *Posthumus cit.* respondi, de querela loqui inofficiosi testamenti, quæ etiā remedium personale est, cum exhæredatio iniuria sit personalis, vt ait *Alciat. in l. cum mota nu.* 7. *C. de transact.* probatque *lib.* 4. *Paradoxorum ca.* 16. *n.* 9. *ex l. Papinianus ff. de inoff. testam.* ac proinde ipsi exhæredato propriè sit; quam ipse moriens remisisse censetur; vt probat idem auctor ex *l. scimus in fin. C. de inoff. testam. & l. scripto ff. vnde liberi*.

38 Sed hodie querela, etiam non præparata, in nepotem transmittitur *l. si quis filium, & l. scimus cit. in fin. C. de inoff. testam.* vt benè quoque ibidem explicat *Alciat.* sed meliùs *loco citato Paradoxorum*, consulēdus etiam *Menoch. conf.* 412. *n.* 106. *& seq. lib* 5. vbi post alios plures ait, ius oppugnandarum transactionum, nihil *lege Posthumus cit.* refragante, ad hæredes transmitti.

39 Deinde addidi id eo prorsus modo euenire, quo beneficium, ac remedium quodcunque, à lege tributum, ad hæredes transmittitur, etsi à defuncto neque agnitum, neque fuerit præparatum, vt ex *l. si pactum ff. de probation.* tradit *Iason. in l. si arrogator num.* 14. *& seq. ff. de adop. Crauet. conf.* 142. *n.* 29. *& conf.* 185 *vers. fin. Decius conf.* 202. *n.* 7. *Corn. conf.* 27. *lib.* 4. *Menoch. d. conf.* 412 *n.* 106. *Riminal. conf.* 5. *nu.* 240. *lib.* 1. *Cancer. var. lib.* 3. *cap.* 2. *nu.* 198. *& cap.* 15. *nu.* 121. *& seq. & cap.* 21. *n.* 132. *Paris. conf.* 75. *lib.* 3. *Gratiā. decis.* 235. *in add. n.* 2. *&* 3. *Rota Romana decis.* 102. *nu.* 18. *part.* 2. *diuers.* vbi

aduersariorum argumentum refellit.

40 Non obstat, inquit, quod ius impugnandi, & rescindendi renunciationem ad hæredes non transit, *arg. l. fin. vbi Ripa q.61. C. de reuocand. donation.* nam illa facultas reuocandi est personalis, & non transit ad hæredes vt per *Host. in summ. tit. de donation. §. qualiter vers. ha autem reuocationes, latè Tiraq. in l. si vnquam verb. susceperit liberos nu. 121. & seq. C. eod.* At secus, addit Rota, in casu nostro, in quo, quemadmodum Claudia, si viueret, posset contrà suam renunciationem venire, ità etiam debent posse eius hæredes, qui eadem persona cum illis reputantur: imo multò magis, quia iuramentum Claudiæ ad eius hæredes non porrigitur: & sic absolutio à iuramento, quæ in persona Claudiæ fuisset necessaria, in eius hæredibus non requiritur, *cap. veritatis, de iureiur. & ità in proprijs terminis nostris tradit Decius cons. 202. prope fin. vers. ex quibus omnibus, post Corn. cons. 17. n. 11. vers. sed nos loquimur lib 4.* & hoc idem in specie voluit *Aymon. cōs. 142. in fine.* Adde *Rimin. Iun. cōs. 5. n. 241. Osach. decis. Pedem. 40 n. 4. Ludou. decis. Perus. 15 n. 12. Gabr. de iure dot. cōclus. 1. n. 18. Graff. excep. 12. nu. 27. & 28.* aliosque innumeros, apud *Bonel. in summ. decis. tit. 61. n. 41.*

41 Hic obiecère aduersarij *l. caussas C. de transact.* vbi decernitur, caussas, & lites, transactionibus legitimis finitas, imperiali rescripto resuscitari non oportere: hæc vero caussa, qua de agimus, transactione terminata fuit. Sed respondi, consultò in ea lege additam fuisse vocem illam, *legitimis*, quò daretur intelligi, non idem esse ius, si transactiones nequaquam legitimæ sint, vt monuit quoq; *ibid. Gloss. verb. legitimis*, vbi citat *l. cum postea C. de pactis*. Atque ità accidit in casu præsenti, vti *cons. 33. 34. & 35.* probatum est. Addidi, legem illam de rescriptis imperialibus loqui, non verò cum partibus aliquod ius competit, quo lites contrà initas transactiones resuscitari queunt.

CONSILIVM XXXVI.

An Princeps possit alicui indulgere, vt, nihil obstante pacto in transactione posito, ante acceptorum restitutionem in iudicio audiatur.

OCcasione eiusdem litis, cuius facti seriem retulimus *cons. 33. §. 1.* inuestigandum fuit, num ritè, ac iustè potuerit Princeps Modestino indulgere, vt nihil obstante pacto, ante acceptorum restitutionem ipse Modestinus in iudicio audiretur, litemque cōtrà Papinianum incipere, ac prosequi posset, vt diximus *d. cons. 33. n 8.* volebat enim aduersa pars, id Principem nequire. Sed ego cōtrarium, quod attinet ad casum nostrum, ostendi rationibus, quas hoc cōsilio afferre operepretium duxi; obtinuique.

§. I.

Prima ratio sententiæ affirmantis; agitur que quādo Princeps ius quæsitum auferre potest.

SVMMAE.

1 *PRinceps regulariter nemini ius quæsitum auferre potest.*

2 *Potest, tum minimum est præiudicium: quæ est prima exceptio.*

Damnum minimum in iure non est in consideratione.

3 *Princeps quam dilationem concedere potest.*

An requiratur partis citatio.

4 *Secunda exceptio.*

5 *Tertia exceptio.*

Sen-

1 SEntentię igitur affirmãtis prima ratio potest esse, quia, etsi Princeps, qui neminem superiorem recognoscit, regulariter nulli ius quęsitum auferre queat, vt nos alibi ostẽdimus, traditque post alios *Anton. Gabriel. de iure quæsito non tollendo cõcl. 1.* plures apud *Barbos. clau∫. 41. nu. 24.* cum Principis concessio, saluo tertij iure, & absque eius pręiudicio, intelligi debeat, *l. 2. §. merito, & §. si quis à Principe ff. nè quid in loco publico*, alijsq; apud *Decium cons. 373. nu. 10. Afflict. decis. 334. n. 3. Mandos. in Reg. cancell. de iure quæsito non toll. q. 1.*

2 Licet, inquam, hæc verissima sint; nihilominus tamen hæc regula deficit primùm, cum minimum est damnum, & præiudicium. tũc. n. omnes edocent, posse Principem alteri præiudicium inferre, ex *l. quoties C. de precib. Imper. offer. Innoc. in cap. quæ in ecclesiarum, & Felin. ibid. n. 47. de constit. Iason. in l. quo minus, nu. 16. ff. de flum. Alex. cons. 216. lib. 2. Aponte de Potest. proreg. tit. 2. §. 4. n. 8. & seq. Gabr. loc. cit. concl. 1. n. 24. lib. 3.* ratio est, quia minimum damnum in iure non est in consideratione *l. si debitori ff. de iud. cum cõcord. per Barbos. axiom. 150.*

3 Hinc sanè probant Doctores, posse iustè Principem concedere debitori dilationem annalem, & quinquennalem: quam sanè dilationem, *moratoriam cautionem*, vocat iurisconsultus in *l. cum possessor §. fin. ff. de cens.* & *moratoriam præscriptionem* Imperator in *d. l. quoties C. de precib. Imper. offerend.* qua de re videndus *Rebuff. in constit. Reg. tract. de literis dilatorijs artic. 1. gloss. 1.* vbi *nu. 8.* rectè probat ex *Bart. Bald.* alijsque, in eius concessione nõ requiri aduersæ partis citationem. In re verò nostra minimum esset damnũ, si aliquod adesset, vt reuera non adest, vti mox ostendemus: solùm enim in finem litis acceptorum restitutio differretur; quod minimum est præiudicium, *ad trad. in d. l. quoties*, vbi *Cyn. Bart.* alijque notant illud vulgatum, *quod differtur non aufertur*: cui concordat *c. ancillam 32. qu. 2. cap. nemo, de pœnit. dist. 7.* Ità *Alex. d. cons. 216. num. 14. & seq. Caputaq. decis. 61. p. 2. Gram. decis. 19. Gratian. discept. forens. 26 num. 19. Crauet. cons. 182. nu. 13. & 14. Bursat. cons. 162.*

4 Secundò hæc eadem regula de iure quæsito non tollendo locum obtinet in eo, quod purè, ac simpliciter, non verò sub conditione acquisitum, seu potius acquirendum est, vt docuit *Roman. cons. 256. ibique add. Paris. cons. 82. n. 37. & seq. lib. 4. Sarnes. in Reg. cancell. de iure quæsito non tollendo q. 4. nu. 11. & ibid. Mandos. q. 5. Petr. de potest. Princip. cap. 30. nu. 54. & seq.* & ratio mihi euidens videtur, quia verè, ante conditionis implementum, ius quæsitum non est, ac proindè poterit Princeps illius natiuitatem præuenire, atque etiam impedire; quia sic nòn tollit ius quæsitum, sed potiùs quærendum; quod potest, ac debet facere, si adest causa, vt innuit *Seraph. dec. 922. nu. 8.* Atqui ius, quod is obtinet, qui transegit, ea, quæ tradidit, repetendi, nequaquam purum, ac simplex censeri debet; sed conditionale; ea scilicet lege, si alter transigentium veniat contrà transactionem, vt eodem penitus modo in terminis transactionis, *& l. si diuersa C. de trans.* arguit *Seraph. d. decis. 922. n. 6.* omnino legẽdus.

5 Tertiò deficit quoque ea regula, cũ caussa adest, cur ius quæsitum tollatur, vt edocent fermè omnes, post *Gloss. in l. fin. C. si contr. ius, vel vtilitatẽ publicam, & in cap. quæ in ecclesiarum, de constit.* latè *Gabriel. loco cit. concl. 2. lib. 3. Aponte de potest. Proregis tit. 2. §. 4. nu. 9.* in re verò, qua de loquimur, sufficiens caussa adfuit, cur illud Princeps indulserit: siquidem Modestinus licitè potest sibi retinere id totum, quod Papinianus soluit vi secundæ transactionis, vti mox ostendetur. Prætereà quamquod pacta, in ea transactione adhibita, nimis à iure aberrantia, seu

vt aiunt, exorbitantia fuère, quo laboleno, eiusque successoribus nulla penitus via remaneret, qua suum ius cōsequi possent. id quod sufficiens fuit, vt Princeps iustè id, quod retulimus, indulgeret, vti etiam arguit *Seraph. d. decis. 922. cit n.* 8. quò caussæ merita agnoscerentur; sicque *Rota* ibi decidit, actorem esse audiendum, ante receptorum restitutionem.

§. II.

Secunda ratio sententiæ affirmantis, & exponuntur tres exceptiones ad *l. si diuersa C. de transact. cum simil.*

S V M M A R.

6 Exceptio ad l. si diuersa C. de transact. & simil. *cum scilicet id quod receptum est, quocumque casu debetur,* & n. 13. & 14.

7 *Aequitas* l. curabit C. de act. empt.

8 *Emptor rem, & pretium retinere non potest:* & n. 9. 10. & 11.

12 *Quando quis uti queat instrumento, quod impugnat.*

15 *Alia exceptio ad* d. l. si diuersa.

16 *Item alia. & nuperrima decisio.*

6 SEcundo loco illud Principis decretum fuisse iustissimū demonstratur, quia, quamuis verissimum sit, eum, qui transactioni à se initæ contrauenerit, debere ante omnia restituere, quæ huiusce transactionis occasione recepit ex *l. si diuersa, l. vbi pactum C. de transact. l. cum te C. de pactis int. empt. & vend. l. ex empto §. si quis virginem ff. de action. emp.* hoc tamen iuris enunciatum nequaquam perpetuum est; sed deficit non rarò. Et primùm quidem cum id, quod solutū est, omnino ei debetur, cui solutum est, qui illud ipsum quocumque tandem euentu recipere, atque exigere iustissimè posset; & ad eum planè modum, quo possessio reo, pendente iudicio, iustè adimi nequit, ità & actori id, quod recepit, auferri nullo modo potest, vt ex *Gloss Parisien. & cap. laudabilem, vt lite penden.* probat *Franch. decis.* 373. vide etiam *decis.* 296. & 303. *D. Giurb. decis.* 63. *à nu.* 1. & *decis.* 55. *nu.* 11. & *decis.* 100. *Castill. decis.* 63. & 195.

7 Certè in casu, de quo agimus, efficax admodum ratio perspici videtur; quia aut Modestinus caussam perdet, vel obtinebit: si primum eueniat, feudū apud Papinianum remanebit: quod sanè vt iustissimum sit, eumdem Papinianū pretium soluere rei, ac fructuum, quos sibi retinet virtute secundæ trāsactionis; quod si accidat secundum, vel Papinianus ad feudi vnà cum fructibus restitutionem condemnabitur; atque isto euentu id, quod solutum est, ipsis fructibus compensabitur: quod si ad feudi dumtaxat, non item fructuū restitutionem damnabitur; tunc sanè iustissimum erit, Papinianum ad mēsuram temporis, quò fructus percepit, soluat quoque pretium, seu feudi onera, & pretij interusuria, ex æquitate *l. curabit C. de action. emp.*

8 Nam, vt ait *Mastrill. decis.* 160. *nu.* 12. *lib.* 2. cū emptor percipiat fructus, quorum occasione debetur pensio; vtique censum soluere tenetur, nē re, & pensione fruatur; ex *Gloss. Bart. Bald. Gozadin.* alijsque pluribus. Cum igitur debitum fuerit id totum, quod vi præfatæ transactionis Papinianus exsoluit; poterit sanè Modestinus illud ipsum sibi iustissimè retinere, dum adhuc pēdet iudicium nullitatis eiusdem transactionis, ac petere futurarū pensionum solutionem, vti decisum refert *Franch. decis.* 373. *cit.* præsertim ex decisione *Gloss. Parisien. in §.* 35. *vers. vlterius dico nu.* 28. *vbi ponit,* inquit Franch. *hanc quæstionem in indiuiduo, & dicit quod lite pendente super petitorio, posset dominus iura dominicalia exercere per modum promissionis, & sine præiudicio petitorij: & dicit, quod hoc non est repugnans ex quo, lite pendente in petitorio, quemadmodum reus de-*

bet

bet possidere, ità tenetur præstare ea, ad quæ ex lege contractus tenetur; quia interim contractus debet hinc inde exequi, & sortiri effectum: & sicut interim vendicans nihil debet innouare ex parte sua, ità nec reus l. vni C. in interg. restit. postul. nè quid, &c.

9 Cum præsertim in re nostra ea annua pensio pretium feudi sit, seu pretij loco habeatur, *ad trad. à Mastrill. decis. 160 cit. n. 8. post Bald. in l. 1. n. 5. C. de bon. mater. Castr. cons. 46. nu. 12. lib. 1. aliosque*; iniustissimum verò sit, Papinianum frui pretio, reque ipsa empta vti, contrà *l. emptorem §. qui autem, & l. bona fides ff. de action. empt.* probatque *Mastrill. loc. cit. n. 12.* & rectè, vt asserit *Anton. Faber in C. de action. empti lib. 4. tit. 33. definit. 11. n. 4. & 5.* vbi *nec vllo casu, inquit, æquum esse potest, vt emptor & rem, & pretium retineat, nec consequẽter vt rei fructus, pretijque commoda nanciscatur.*

10 Atque hinc manifestè colligitur, iniquissimum omnino esse, atque penitus nullius momenti pactum illud in prædicta secunda transactione positum; quippequod contrà omne ius, naturalemque æquitatem, & rationem esse, animaduertitur. ac proindè locũ hìc habere non debet dispositio *d. l. si diuersa*, quæ æquitati nititur, vt in textu dicitur. qua de re consulendus omnino *Georg. alleg. 24. Velasc. consult. 85.* ac præsertim *Seraphin. decis. 922. cit.* quæ est integra huius difficultatis solutio: qui quoque addit, exceptionem *ad d. l. si diuersa*, in pluribus caussis fuisse à *Rota Romana* receptã: & ità decisum cernitur *decis. 102. nu. 3. & 4. p. 2. diuers.* vti etiã monuit *Beltraminus in addition. ad Ludouis. decis. 354. num. 17. vers. limitatur quarto & Ricci. collect. 3131. vers. limitatur quinto par. 7.*

11 Vnde *decis. 440. ead. p. p.* Doctoresque ab ea laudati, qui contrariam doctrinam innuunt, intelligendi sunt loqui, cum actor nullum prorsus ius habet, quo illud, quod recepit, retinere queat: quod si aliud ij docerent, eorum opinio foret periculosa, vti eã appellauit *ead. Rota Romana d. decis. 102. n. 5.* loquẽs de *Afflicti decis. 220. n. 4. & 5.* vide quoque *Curt. seniorem in d. l. si diuersa n. 4. & seqq.* ibique etiã *Iuniorem n. 1. & 2. Cephal. cons. 677. n. 6. lib. 5. Mantic. de Tacit. lib. 26. tit. 9. n. 40. Beltramin. loco cit. Guttier. de iuram. confirm. p. 1. cap. 2. n. 23. Thor. in comp. decis. verb. instrumentum tom. 1. fol. 276. Intrigl. sing. 155. lib. 3. Caualc. decis. 37. n. 42. p. 3. Mastrill. decis. 160. d. n. 13. vol. 2.* Tanto magis, quòd Papinianus plurimùm instabat, quò trãsactio illa secunda obseruaretur: quo sanè casu absque dubio ea exceptio procedit, vt probat *Fontanel. de pact. dotal. tom. 1. claus. 4. gloss. 9. p. 5. n. 217. vers. hac resolutione supposita.*

12 Quamobrem optimè poterat Modestinus eadem vti transactione, vt sibi retineat, quod recepit; quamuis de cætero eamdem impugnaret, posito quod Papinianus hanc impugnationem nõ admittit, quin illam refellit, vt patet ex doctrina *Felin. in ca. capitulum, præsertim n. 13. de rescript. Cephal. cõs. 152. n. 42. Ruyn. cons. 21. n. 6. lib. 1.* aliorumque apud ipsos, & *Anton. Gabr. commun. conclus. lib. 6. tit. de reg. iuris concl. 1. num. 40.* cum, pendente iudicio, transactio ab vtraque parte obseruari debeat, vt monuit *Franch. loc. cit.* non enim hinc eadem transactio approbatur *arg. l. 3. § scio ff. de minorib.* quando præsertim exactio est actus necessarius, & contractus dolo initus ostenditur *ad trad. à Mascard. de probation. concl. 261. nu. 55. & 56.* vbi post *Socin. & Hieron. Gabriel. cons. 13.* ait, dolum præsumptum abundè sufficere: quin imò docet post *Bart. aliosque Menoch. cons. 508. n. 24. lib. 6.* posse iudicem ex officio iuuare ex instrumento impugnato intentionem eius, qui illud impugnauit. Neque verò obstat pactum illud, quòd, casu molestiæ adueniente, actor recepta restituere teneatur: illud enim iniquissimum est, cum iniustissimum quoque sit, eumdẽ

rem, eiusque pretium retinere, ex *Seraph. Georg.* alijsque superiùs recensitis.

13 Equidem eamdem huculque expositam exceptionem collegi *ex Glossa in d. l. si diuersa, verb. pecunia,* vbi docet, condictionem indebiti competere ad repetendum id, quod solutum est, ex *l. eleganter §. si quis ff. de condic. indeb.* quando igitur illud, quod soluitur, debitum est, nullum ius, nullaque actio ad illud repetendum competere potest, lege *§. si quis, modo laudatum*: vbi Vlpianus: *cum ergo*, inquit, *repetitio oritur, transactionis exceptio locum nõ habet: neque enim vtrumque debet locũ habere; & repetitio & transactionis exceptio.* Quapropter vel Papinianus repetere vult, quod exsoluit; & tunc trãsactionis exceptione minimè vti poterit; vel hac exceptione vult vti, vt certè vult; tuncque repetere nullo penitus modo potest.

14 Laudauere Papiniani aduocati *Paul. Gal in prax. tut. part. 2. rub. 4. nu. 18. ibi: est tamen verum, quod si transigeret absque decreto, & pupillus inde acceptis nummis ex caussa transactionis, vellet rescindere transactionem, si factus est locupletior, debet prius restituere, quod accepit, & deinde agere*: hic tamen auctor Modestino plurimũ fauet: ait enim, pupillum debere restituere, *si locupletior factus est*: si id igitur nõ eueniat, minimè restituere deberet, iuxta illius opinionem. Atqui in re nostra Modestinum factum nequaquam esse locupletiorem, patet: quo enim pacto locupletior ille fieri dicatur cum aliena iactura, qui nihil aliud recepit, nisi quod sibi ipsi debebatur; ita verò accidit in nostro casu, vti iam ostensum est.

15 Deficit iterum illud iuris enunciatum ex *l. si diuersa*, alijsque superiùs relatis depromptum, cum is, qui oppugnat transactionem, ad transigendum dolo inductus fuit. *ita Bald. in l. vn. n. 2. C. de repud. ibique Salicet. in 3. oppos.* alijque apud *Beltram. in add. ad Ludouis. decis. 354. n. 17. vers. limitatur quinto, & Ricc. collect. 3131. initio part. 7.* vbi laudat *Costam decis. 118.* Atqui in re nostra dolum adfuisse, iam satis probatum est *cons. 35.*

16 Demum idem iuris enunciatum deficit omnino, cum transactio ipso iure nulla, irritaque reperitur: ea enim lex ipsomet iure supponit valere transactionem, vt docuit *Alexand. consil. 4. lib. 3. Roland. cons. 7. n. 3. & 4. lib. 3. Cephal. cons. 207. nu. 13. lib. 2. Nata consil. 631. n. 4. & 5. lib. 4. Rimin. Iun. cons. 5. n. 71. lib. 1. Decian. cons. 32. lib. 4. Georg. alleg. 34. n. 12. 17. 19. Milanens. decis. 13. nu. 22. & 23.* vbi ait, in Siciliæ Regno hac de re non amplius disputari; alijque apud *D. Giurb. decis. 103. nu. 1. Ricc. d. collect. 3131. part. 7.* vbi laudat *Rot. Rom.* Atqui transactionem, quã de loquimur, nullam esse iure ipso, satis quoque, ni fallor, ostensum est *cõs. 33. 34. 35.*

Nuperrimè hoc punctum decisum fuit affirmatiuè in causa Laliæ inter Excellentissimum Dominum meum D. Principem Catholicæ, & Illustrissimum D. Marchionem S. Crucis, causã cognita, & partibus auditis.

CONSILIVM XXXVII.

Ostenditur, caussam hanc non esse feudalem. Nonnulla de pacto retrouenditionis: ac de illius, & trãsactionis præscriptione.

§. I.

Ostenditur assertio.

SVMMAE.

1 *Hæc caussa non est feudalis.*

2 *Successor in feudo vti potest pacto de retrouendendo, ab antecessore facto.*

3 *Verbum, remanet, continuationem significat, & perseuerantiam in eodem*

Sta-

Statu.

4 *Dictiones* prout, & quemadmodum, *denotant omnimodam similitudinem, & quandoque identitatem*, & n. 5.

6 *Pactum de retrouendendo quomodo verbis directis inducatur*, & n. 7.

8 *Quid sit vendere, & quid reuendere.*

9 *Contractus non ex denominatione contrahentium, sed ab effectu iudicatur.*

10 *Contractus censuales pactum de retrouendendo includere debent.*

1 TAndem occasione eiusdem litis, cuius seriem retulimus *cons.* 33. n. 1. vltimo loco quærendum fuit, num hæc caussa, seu lis, qua de agimus, feudalis censenda esset, an verò allodialis. Et Papinianus quidem feudalem esse intendebat; contra verò Modestinus: huius equidem intentionem ostendi, quia hic lege feudi non agebatur, sed communi iure negotium expediri debebat: quarè caussa allodialis omnino censenda fuit: quæ sanè illatio euidens est ex ijs, quæ latius dixi *cons.* 35. n. 2. Antecedens probaui; quia Modestinus primæ transactionis executionem petebat; intercedebat verò Papinianus, aiens, illã transactionem reuocatam penitus fuisse alia transactione, quæ fuit secunda: insurgit Modestinus, atque, hãc transactionem esse nullam, irritamque iure ipso, ijs rationibus, quas *consil.* 33. 34. 35. vberiùs explicuimus: quæ sanè omnia, non feudorum legibus, sed communi iure determinãda sunt, vt manifestum est.

2 Addidi præterea, Modestinum feudum petijsse virtute pacti de retrouendẽdo; quo sanè optimo iure vti potest, nedum vt hæres Iaboleni patris, verũ etiam vt successor in feudo, iuxtà id, quod dispositum est in *cap.* 2 14. *Caroli Imperatoris*, quod à Siculis, *nouissimũ*, nuncupatur, traduntque omnes Siculi Doctores, præsertim *Capizz. & Cãnet in alleg. in caussa Castri ad mare de Golfo*. in qua fuit pro hac opinione decisum; *Intrigl. decis.* 1. *nu.* 31. *& seq.* atque ita *cons.* 32. *n.* 14. ipsi monuimus, caussas hasce virtute pacti de retrouendẽdo motas nequaquam feudales, sed omnino allodiales hodiè apud Siculos censeri.

3 Pactum verò, cuius vi feudum petijt Modestinus, illud idem censeri debet, quod in prima feudi venditione, de qua *cons.* 33. *n.* 2. appositum est: etsi enim postea transactum denuò fuerit, vt diximus *cons.* 33. *n.* 3. hac tamen trãsactione nihil aliud præstitum fuit, quã terminum reuenditionis extendi, seu prorogari vsque ad obitum Scipionis: in ea enim expressè conuentum fuit, vt feudum apud ipsum Scipionem, dũ uiueret, remaneret. quod sanè verbũ *remaneret*, suapte natura actus continuationem, atque in eodem statu perseuerantiam significat, vti omnes probant ex *l. sed et si manente, iuncta lege præcedente in fine ff. de precario l. si cum dies, initio ibi: mãsit arbiter ff. de recept. arbi. l. sed hoc ita ff. de re iud. cap. si ex bono, de pœnit. dist.* 4. alijsque multis ostendit *Rebuff. in l. alienatum verb. manet, & verb. remanere ff. de verb. signif. Sanchez lib.* 8. *de matrim. disp.* 8. *n.* 24. *Brison. lib.* 11. *de verb signif. verb. manere, & lib.* 16. *verb. remanere.*

4 Cum præsertim in eadem transactione addita sint verba quædam relatiua ad primam illam venditionem de qua *cons.* 33. *nu.* 2. cum dictum sit, *prout, & quemadmodum fuit venditũ, & alienatum anno. &c.* quæ quidem, nedum sunt relatiua ad omnia in relato contenta; vt in *l. edita C. de eden. alijsque apud Menoch. cons.* 177. *n.* 16. *lib.* 2. *Barbos. dict.* 296. *n.* 1. *&* 313. *n.* 1. *Tusch. concl.* 347. *nu.* 1. *&* 53. *lit. D.* & denotant omnimodam similitudinem referentis cum relato ex *gloss. not. in cap. quamuis verb. prout, de off. ordin. lib.* 6. *Bertach. de claus. instrum. claus.* 5. *gloss.* 2. *n.* 1. *Menoch. cons.* 1. *n.* 20. *Surd. cons.* 335. *n.* 38. *Barbos. loc. cit.* verũ etiã significant identitatem, *ex trad. per Asol. in loc. com. verb. dictio, n.* 13. *in fin.*

5 Et quidem opinatus est *Decius cons.*

362.

362. & *conf.* 497. quem sequutus est *Crauet.conf.* 987. & *Berret.conf.* 74. dictiones illas, *prout* & *quemadmodum* significare identitatem, ac veritatem inducere, nedum similitudinem, vel contra *Decium* docuit *Socin. iun. conf.* 75. *lib.* 3. quas sanè doctorum virorum sententias non incongruè conciliauit *Casanat.conf.* 56. & 57. qui ex doctrina *Bald. in extrauag. ad reprimendum verb. prout n.* 4. hunc fermè in modum rem istam explicauit; vel in secunda dispositione aliquid noui ponitur, diuersumque, quodque omnino ab eo differat, quod primo loco dispositum fuit, vel nihil denuò ponitur; si secundum *Decij* aliorumque, qui illum sequuntur, sententia verissima est; si verò primum; tunc locum obtinere *Socini* opinionem.

Atqui in nostro casu nihil noui penitus additũ est, quod spectat ad pactum, de quo loquimur; quandoquidem ad primam feudi venditionem relatio haberi placuit: quin imò & expressè pactum illud positum fuit, per ea verba, quæ Siculis familiaria sunt, *Charta tamen gratia redimendi.*

6 Sed quicquid hac de re sit, certè *Socini* sententia omninò locum obtinere in nostro negotio debet; quandoquidem saltem similitudinem ex dictiones significare debens, quod sanè pactum, nedum verbis nuperrimè recitatis appositum intelligitur; verum etiam alijs, quæ fortius illud ipsum inducunt verbis directis in vim, & formam legis commissoriæ, puta illis, *defuncto Scipione sasiaque deposito, feudũ intelligatur, & sit assignatũ, reuersum, redonatum, restitutum, ac retrotraditũ Pomponio, eiusque hæredibus, &c.* prout in ea transactione legebatur; atque hæc verba inducere fortius illud pactũ &c. docent *Doct. in l.* 1. *ff. de donation.* ac post alios rectè explicat *Couar. var. lib.* 3. *c.* 8. *n.* 1. 2. & 3. *Tiraq. de retract. conuent.* S. 1. *glos.* 7. *nu.* 14. *Mantic. de taci. lib.* 4. *tit.* 32. *n.* 66. & *seq.*

7 Quæ sanè verba apposita fuere fauore Pomponij, eiusque hæredum, & successorum, quò faciliùs reuenditio procederet, cum clausulis ipso iure translatiuis dominij, & possessionis. id quod facilius admittitur in pacto de retrouendendo, verbis directis concepto *Castr. in l. si a te C. de pact. int. emp. & vendit. Cuman. in d. l.* 1. *ff. de donat. Alex. in l. qui absenti* S. 1. *nu.* 7. *ff. de acquir. hæred. Deci. cons.* 187. *nu.* 4. *Iason. cons.* 211. *n.* 2. *lib.* 2. & *cons.* 128. *n.* 41. *lib.* 4. vbi ait, hanc esse communem opinionem; eamque communiorem vocat *Tiraquel. d. gloss.* 7. *n.* 13. & de iure veriorem *Couarr. loc. cit. nu.* 2. *vers. verum & in hac specie*; latè *Mantic. loc. cit. n.* 61. & *seqq.*

8 Certè, quòd ijs verbis pactum de retrouendendo inducatur, patet, quia, sicuti vendere nihil est aliud, quam alienare, trãsferre, & tradere rem medio pretio; ità retrouendere nihil erit aliud, quã retrotradere, vt ità loquar, ac retrotransferre, eamdemque rem restituere medio pretio; id quòd clarissimè colligere licet ex *l.* 2. *C. de pact. int. empt. & vend.* ibi; *si fundum parentes tui ea lege vendiderunt, vt siue ipsi, siue hæredes eorum emptori pretiũ quãdocũque, vel intrà certa tempora obtulissent, restitueretur, &c.* vbi, etsi nè verbum quidem de retrouenditione apponatur; nihilominus nemo est, qui, illud esse pactum de retrouendendo, inficietur.

9 Id ipsum colligitur ex *cap. nostr am de empt. & vendit.* omniaq; ferè iura, quæ à Doctoribus ad hoc pactum inducendum passim laudantur, ità etiam loqui, ex eorumdem inspectione manifestè quisque animaduertet; in ijsq; verbum reuendere, aut retrouendere minimè reperitur; omnes verò fatemur, contractus non ex contrahentiũ denominatione iudicari, neq; ex verborum formulis, quibus ij vsi sunt; verum ab effectu, qui ex ipsius cõtractus substantia colligitur ad *l. insulam ff. de præscript. verb. Bald. in l.* 1. *n.* 2. *C. commod.* latè *Rom. cõs.* 509. *n.* 1. & *deinceps.*

Quam

10 Quãuis autẽ in prima transactione, de qua *cons. 33. n. 5.* nihil propriè venditum fuerit, ac proindè non videatur locum habere pactum de retrouendẽdo, quod necessariò supponit venditionem; nihilominus aio primùm, eam transactionem fuisse expresse relatam ad venditionem prędictam: atq; ideo illam ipsam venditionem fuisse innouatam, seu confirmatam, ac etiam prorogatum terminum reuenditionis, vt explicatum est: vel saltem fuisse initã nouam feudi venditionem, si non explicitam, saltem interpretatiuam ex fictione *l. singularia ff. de reb. credit.* ad eum planè modum, quo docent omnes fermè Siculi Doctores in contractibus censualibus, quos *Bullares* vocant, pactũ de retrouendẽdo apponi necessariò debere: quod tamen affirmant reperiri quoque, cum census nõ quidem venduntur, sed donatione, transactione, dote legato, alijsuè similibus nominibus constituũtur; in quibus nonnisi interpretatiua venditio fingi potest.

§. II.

Soluuntur obiectiones.

S V M M AE.

11 P*Actum de retrouendendo secum trahit aliud de stando colonis.*

12 *Obesse non debent, quæ dubitationis tollendæ caussa fiunt.*

13 *In dubio caussa an feudalis, & n. 14.*

14 *Cognitio caussæ feudalis ad dominum pertinet.*

Derogatio ordinariæ iurisdictionis est odiosa & restringenda.

15 *Pactum de retrouendendo an perscribatur, & n. seqq.*

16 *Perpetuum est.*

illud nullo vnquam tempore præscribitur.

17 *Contrà transactiones nonnisi triginta annis præscribitur.*

18 *Ei qui agere impeditur, præscriptio opponi non potest.*

19 *Quibus casibus heres possit transactiones testatoris oppugnare,* & n. 20.

11 OBiecère primùm aduersarij, quia pactum de retrouendẽdo secum necessariò trahit aliud, quod vocant de stando colonis, *Bald. in l. 1. C. de iure fisci lib. 10. Tiraquel. de retract. conuent. §. 3. gloss. 1. n. 14.* alijque. cum ergo in prima trãsactione expressim appositum fuerit prædictum pactum de stando colonis, signum est euidens, quòd in ea minimè aderat aliud de retrouendendo; quia alioquin frustratorium, inaneq; fuisset illud apponere de stando colonis.

12 Respondi tamen, appositum illud fuisse, vt omnis prorsus difficultas tolleretur, litiumq; occasio omnino præcideretur, cum ea *Baldi* doctrina non vndequaque certissima censeatur, vt ex ijs colligitur, quæ loco citato tradidit *Tiraquellus*; atque adeo id nocere non debet *l. testamentum C. de testam.* nec enim obesse possunt, quæ dubitationis tollendæ caussa fiunt *l. quæ dubitationis ff. de reg. iur.* vbi *Decius*, alijq; & *Tapia decis. 2. n. 48.*

13 Iterum obiecère, quia, si dubium est, num caussa hæc feudalis censenda sit, an verò allodialis; sanè determinandum erit esse feudalem. laudarunt *Petr. de Gregor. Sicul. tract. de iudic. causs. feudal. q. 5. aliosque.*

14 Sed respondi primùm, nè verbum quidem hac de re apud *Petrũ de Gregorio* loco ab ijs laudato à me reperiri. Deindè certissimum esse, non verò ambiguum, caussam istam non esse feudalem, vti modò probauimus. Demũ etsi foret dubium, vti ipsi exoptant, nihilominus videri cõtrarium verius, quam ipsi opinentur: etenim cognitio caussę feudalis ad dominum directum pertinet ex dispositione feudistici iuris, vti ipsi *cons. 30. n. 14. & 15.* monuimus; tolliturque ordinariæ iurisdictioni; cuius derogatio, cum sit odiosa, id totum, quod in illam tendit, omnino re-

restringendum videtur, iuxtà *Glossam* ab omnibus receptam in *Clement. fin. de offic. iud. ordin. Abb. Dec. aliique in cap. caterum, de iudicijs.* vide quæ loco citato dixi.

15 Insuper obiicere, quia nequaquam Modestinus vti potest pacto de retrouendendo, posito in prima transactione; quia ei quinquaginta annorũ præscriptio obstat, & triginta solùm satis essent, *ad trad. per Molin. lib. 4. de primog. cap. 9. n. 37. & seq.* imò decem, vel viginti quoque sufficerent, *cap. contingit, de transact.* ibi: *si fuerit aliquot annis obseruata*; & vt præscriberetur vi secundæ transactionis, transcursus lõgi temporis sufficiens fuisset, *Alciati cons. 1. à nu. 57. vsque ad 61. lib. 3.* vbi laudat *Anchar. cons. 135. & Deci. cons. 474.*

16 Respondi, aduersarios omnino falsos videri: etenim, vel quinquaginta annorum præscriptio ad primam trãsactionem refertur; & tunc ij manifestè decipiuntur, dum putant, eam Modestino refragari: quin imo eidem maximè suffragatur; quia, si ea transactio quinquaginta fermè annis obseruata fuit, iam præscripta remanet, neque amplius oppugnari potest, sed omnino custodienda est, quod Modestinus exoptat. Quod si existiment, præscriptum fuisse pactum de retrouendendo, in ea transactione positum; falluntur quoque; siquidem illud perpetuum est, vti probat *Couarr. lib. 1. var. cap. 9* vel saltem non minus, quã triginta annis præscribi potest, vti nõ nulli opinantur; qui sanè incæpisset quo tempore è viuis Scipio sublatus fuit; cuius mors post annum ab hac celebrata transactione euenit: eo enim temporis redemptio, seu feudi reluitio, & non antea locum obtinere poterat, iuxtà id, quod in præfata prima transactione conuentum fuerat inter ipsum Scipionem, ac Pomponium, vt *cons. 33. n. 7.* recensuimus; ac proinde ex tunc triginta anni currere incæpissent: cum tamen Modestinus litem Papiniano mouerit post sexdecim, vel viginti annos ad summùm à celebrata transactione. Omitto, quòd pactum de retrouendendo, si fuerit iureiurando obsirmatum, vti certè accidit in casu nostro, nonnisi quadraginta annis præscribi potest, vti post alios monuit *Couarr. loc. cit. nu. 7.* Sed in re nostra, cum de caussis Siculis loquamur, illud pactum nè mille quidem annis vlloue vnquam tempore præscribi potest, vt apertè statutum est in *cap. 2. Caroli V.*

17 Vel præscriptio quinquaginta annorum ad secundam transactionem refertur, ità vt ipsi putent, eam quinquaginta fermè annis fuisse obseruatã: tuncque non minus ij decipiuntur quandoquidem Modestinus, vt sæpè dictũ, post 20. annos litem mouit Papiniano: qui tamen nullo penitus modo satis censentur, vt actiones, ac remedia, quæ contrà transactiones cõpetunt, excludãt; saltem enim triginta requiruntur, vt ostendit *Molin. n. 37. loc. cit.* id quod approbare quoque videtur *Pinellus in l. 2. C. de rescind. vend. 1 p. cap. 4. n. 31. Gammma decis. 49. n. 4.* qua de re copiosius *Tiraqu. de retract. conuent. §. 1. glos. 2.* Doctores verò, qui ab aduersarijs laudati sunt, aliique, quos citat *Mierez de maiorat. part. 4. q. 22. n. 50.* dicuntque, quod longi temporis transcursus sufficiat, scilicet nequaquam recensentur: ij enim minimè ex præscriptione transactionis valorem ostendunt, sed illum alijs omnibus, ac rationibus benè fundatum, transcursu quoque longi temporis cõfirmant; vtunturque aduerbio, *maximè*, vti *Alciatus, Decius, Ancharanus*, aliique: & eadem quoque *Glossa in ca. contingit cit. verb. aliquot annis*, docet, supplendum esse aduerbium, *maximè*, quia, inquit, idem effectu, si non fuisset seruata.

18 Addidi tempus præfatæ præscriptionis Modestino currere incepisse ab anno, quo Iabolenus eius pater mortuus est; neque antea huiuscemodi præ-

præſcriptio contrà illum currere poterat; quippe qui filiusfamilias erat, vt ſtatuitur in *l.* 1. §. *fin. C. de ann. excep.* vbi: *apertiſſima*, inquit Imperator, *definitione ſancimus, filiusfamilias in omnibus his caſibus, in quibus habent res, minimè patribus ſuis acquiſitas, nullam temporalem exceptionem opponi, niſi ex quo actionem mouere potuerint; id eſt poſtquam manu paterna, vel eius, in cuius poteſtate erant conſtituti, fuerint liberati: quis enim incuſare eos poterit, ſi hoc nō fecerint, quod, etſi maluerint, minimè adimplere, lege obuiante, valebāt?* vide *Molin lib. 4 de primog. cap.* 10. *n.* 3. aliosque ab eo recenſitos. Demum dixi, ſecundam tranſactionem nullo penitus tractu temporis firmari poſſe, cum iure ipſo, vti probaui, ab initio nō ſubſiſtat *vulg. reg. non firmatur, de reg. iur. in 6. ibique Gloſſ. & Dyn. l. quod ab initio, atque ibid. etiam gloſſ. Deci. aliſque ff. eod.*

19 Denique aduerſarij contrà Modeſtinum inſurgebant, aientes, illum nequaquam oppugnare iuſtè poſſe ſecundam tranſactionē, à Iaboleno eius patre celebratam, cum eius hæres fuerit, atque hæreditatem adiuerit *l. venditrici C. de reb. alien. non alien. l. ſi ub ea C. de neg geſt. l in ſucceſſores C. de ſolution. l ſi vxor C. de bon. auct. Iud. poſſ. l.* 1. *ff. de reiuend. ibique Gloſſ. Bald. Caſtr. aliſque Andr. ab Exea de pactis n.* 227. *Tiraq. de retract. ligna §.* 1. *gloſ.* 9. *num.* 48. *Pinel. in l.* 1. *par.* 3. *nu.* 79. *C. de bon. maternis Molin. lib.* 4. *de primog. cap.* 1. *n.* 16. *aliſque.*

20 Reſpondi tamen, hanc quidem doctrinā plurimas habere exceptiones, quæ apprimè Modeſtino fauent, vt non ideo ab oppugnatione tranſactionis excludendus ſit, quòd paternam adiuerit hæreditatem, quas benè expoſuit *Pinel. in l.* 1. *cit. C. de bon. mater. par.* 3. *à n.* 79. *& deinceps, Ant. Gabriel, de reg. iuris concl.* 11. Atque, cæteris omiſſis, ea perpendenda erit, quam tradit *Pinel. nu.* 38. *verſ. limitatur decimò*, quandò, inquit, actus eſſet nullus, vt faciens contrà eum venire poſſet; ità enim admittetur hæres, quia ceſſat diſpoſitio dictæ legis, & iurium ſimilium, nec magis debet hæres repelli, quam originarius faciens, vt ſētiunt *Gloſſ. Bald. & alij in d. l. cū à matre C. de reiuend. per l. quemadmodum C. de agricol. & cenſit.* ibique alios *Pinellus* recenſet quibus addendi ſunt plures alij, quos laudat, ſequiturque *Rota Romana diuerſ. part.* 2. *deciſ.* 110. quæ integra hac in re legenda eſt. eodem igitur modo, quo, ſi viueret Iabolenus, poſſet eam tranſactionem vti nullam impugnare; ità ſanè id præſtare poterit eius hæres Modeſtinus, qui eadem perſona cum illo exiſtimatur, *Auth. de iureiur. à mor. præſtan.*

CONSILIVM XXXVIII.

Inſtrumento legitimationis num quiſpiam illegitimus oſtendatur.

1 IN *caſu præſenti ſententia negans defenditur.*

2 Baldi *doctrina hac in re, & Pauli* Caſtrenſis, & n. 3. *quæ explicatur à n.* 12.

4 *Quid doceat Romanus.*

5 *Præceptum, qui ſibi relaxari petit, ligamen approbat.*

Patria poteſtas emancipatione oſtenditur.

Qui petit licentiam exeundi monaſterium, ſe eſſe monachum fatetur.

Qui mulierem repudiat, matrimonium fatetur.

Inſtrumento treguæ guerra probatur.

Aditio hæreditatis inſtrumento renunciationis probatur.

6 *Priuatio præſupponit habitum.*

7 *Qui legitimationem petit, expreſsè ſe eſſe illegitimum fatetur.*

Non valet legitimatio, niſi explicetur quo genere nefandi coitus legitimandus fuerit procreatus.

Qui petit abſolutionem, ſe eſſe excōmunicatum fatetur, an ſit verum n. 10.

Cõfessio in libello, Principi porrecto, præiudicat.

8 *Excipiendo, vel replicando non fatemur aduersæ partis intentionem.*

9 *Nunciatio noui operis remittitur, licet nuncians nullum ius nunciandi obtineret.*

10 *Qui veniam petit, non propterea delictum confitetur.*

Bonarum mentium est timere peccatũ, vbi non est.

11 *Manumissio non ostendit quem fuisse seruum.*

12 B*aldi doctrina nihil obest casui, de quo agitur, & n.13.*

14 *Confessio in ijs, quæ à voluntate non dependent, non nocet.*

15 *Ancilla post mille annos probare poterit, se non esse talem.*

16 *Confessio in parte falsa tota talis præsumitur.*

17 *Sententia super statu lata etiam non citatis obest.*

1 AD euertẽdã Titij mei clientis, seu potiùs illius auiæ legitimitatem, post latam in eius fauorem super ea sententiam per Supremum Aragoniæ Senatum; pars aduersa in iudicio reuisionis quoddam instrumẽtum protulit legitimationis, quo Carolus Imperator auiam ad certorum dumtaxat bonorum successionem, atque ad honores natalibus restituit, seu legitimauit. hinc autẽ euertiputabant aduersarij auiæ legitimitatem, innixi doctrinæ *Baldi in l. 2. C. de iure ann. aureor.* & aliorum, qui illũ sequuntur. Sed reuera eos falsos, plusquam certissimum est.

2 Et quidem, quod attinet ad Baldũ, is loco citato nu. 1. *Item nota*, inquit, *quod, qui producit instrumentum legitimationis, ex hoc probat se illegitimè natum; quia omnis dispensatio præsupponit veritatem in cõtrarium esse; quod est notatu dignum* Atque hoc *Baldi* enficiatum exponens *Paul. de Castr. in l. decẽ n. 4 ff. de verb. obligation. si non produceret*, inquit, *instrumentum, sed diceret, se legitimatum, non fateretur, se propterea illegitimè natum tacitè, per iam dicta: & quando producit, tunc fundatur intentio aduersarij ex ipso instrumento, non ex tacita confessione producentis; quia vt plurimum in talibus instrumentis continetur confessio eius, qui fecit se legitimari, quod non est natus de legitimo matrimonio: & illa est confessio expressa, quæ nocet.*

3 Baldi quoque doctrinam amplectitur *Alexand. in l decem cit. num. 34. & Iason ibidem n. 18. vers. quarto per instrumentum illam approbare videtur:* etsi in *l. 1. nu. 4. vers. per illa ff. de oper. nou. nunc.* eam putet dubiam; quamuis indè aliquam præsumptionem insurgere fateatur. *Decius* quoque in *l. non videtur rem amittere n. 3. ff. de reg. iuris*, eamdem *Baldi* doctrinam amplecti videtur; ab eaque minimè dissentire Felinum in cap. literas n. 19. de præsũpt. refert *Mascard. de probation. cõcl. 974.* qui tamen *Baldi* opinionem neque approbat, neque improbat.

4 At *Romanus in l. 1. nu. 7. ff. de oper. nou. nunci.* expressè docuit, falsam esse *Baldi* doctrinam, vti refert *Mascard.* loco nuper laudato, & concl. 883. nu. 6. vbi vtriusque sententiæ meminit; & *Baldi*, aliorumque opinionem retulit quoque *concl. 798. in fine*: sed eam vti veriorem amplectitur *concl. 974. cit. n. 3.* probatque tum exẽplis, tum etiã ratione.

5 Exemplis quidem, quia is, qui petit sibi relaxari præceptum, ligamen approbat, & fuisse paritum demonstrat, *Glossa 11. cap. significauit, de censibus.* instrumento quoque emancipationis ostenditur, præcessisse patriam potestatem, *Bald. in l fin. C. de sen. pass. ex tex.* ibi: *lenitatis paternæ testem bebent.* itẽ eum, qui veniam obtinuit exeundi monachatum, vt loquitur *Mascardus*, & ad strictiorem regulam transeundi, hinc fuisse monachum probatur, *Bal. & Salic. in l. moueor C. si seru. export. venun.* Præterea mittens mulieri repudium, matrimonium cum ea præces-

cessisse confitetur, *Bart. in l. legata inutiliter ff. de adim. leg. & in l. si mihi, & Titio ff. de leg. 1. Bald. & Imo. in l. tale pactum §. fin. C. de cond. & demonstr.* (fortè in *l. cum tale ff. de cond.* nam in *Cod.* neq; hic titulus, neque lex reperitur) per *l. Iulianus ff. de diuort. & §. quoniam Auth. quib. modi nat. eff. leg.* insuper instrumento treguæ probatur guerra, vt Iurisconsulti loquuntur: pro quo *Mascardus* neminem laudat: sed *Iason. in l. decem cit. nu.* 18. (ex quo, & *Felino*, alijsq; locis citatis *Mascardus* ea fermè omnia, quæ retulimus, transcripsit) citat *Bart. in l. legata inutiliter ff. de adim. leg. Bald. & Imol. in l. cum tale § fin. ff. de condit. & demonstr.* Demum instrumento renunciationis hereditatis, eius aditio probatur, *Socin. cons. 34. n. 2. lib. 4. & Soc. Iun. cōs. 129. n. 22. lib. 1.*

6 Ratione autem probat *Mascardus Baldi* doctrinam, atque ea omnia, quæ retulimus *nu.* 9. quia, inquit, priuatio præsupponit habitum, *cap. ad dissoluendum de despon. impub. cap. quod verò nō formatum 32. q. 2. l. Titio vsusfructus in prin. ff. de cond. & demonstr. l. manumissiones ff. de iust. & iure §. seruus in Inst. de capi. dimin.* quibus adde omnes fermè Doctores id animaduertentes, in *l. decem cit. ff. de verb. oblig.* aliosque apud *Barbos. Axiom.* 189.

7 Sed propior, ac particularis huius rei ea est ratio secundum *Mascard. n.* 10. quam assignat *Pau. in l. decem ff. de verb. oblig.* quia in legitimationibus is, qui legitimatione cohonestatur, expressè fatetur, se esse ex illegitimo parentum amplexu conceptum, ac editū, quod, nedum in genere, & indefinitè dicere sufficit, verum specificè, ac singulariter dicere debet, an ex incestu, stupro, vel alio genere nefandi coitus fuerit procreatus: alioquin subreptitia diceretur legitimatio, & esset nulla, prout tenuere huius palestræ athletæ *Alber. de Rosat.* aliique plures, quos nu. 11. *Mascard.* laudat; ac n. 12. concludit, eiusmodi confessionem confitenti nocere, seu præiudicare sicuti, inquit, petens simpliciter absolutionem ab excommunicatione, se excommunicatum fatetur, *gloss. 2. per illū text. in cap. venerabilem, de elect. vbi But.* & post eum alij notant; ipseque *Mascard.* docuerat latè *cōclus.* 13. Demum ait *Mascard.* generalem, veramque esse conclusionem, quod confessio in libello Principi porrecto præiudicat *l. cum precum C. de liber. caus. vbi id notant Bald. & Salic.*

8 *Baldi* deindè doctrinam extendit *Mascardus*, alios secutus, quos laudat *n. 13. & 14.* vt locum item obtineat, etiamsi instrumentum illud legitimationis vti nullum, & inualidum defectu solemnitatis, nedum impugnetur, verum etiam id obtineatur. Sed mox *n.* 15. subijcit exceptionem: *limita*, inquit, *primò hanc conclusionem, si dicens se legitimatum, non producat instrumētum legitimationis, sed excipiendo, aut replicando in iudicio dicat, se legitimatū; quia excipiendo, vel replicando non fatetur intentionem agentis, vel excipientis l. non vtique ff. de except. cap. exceptionem de Reg. iur. lib. 6. ibique Doctores*, alijque, quos *Mascardus* recenset: qui *n.* 18. hanc eamdem exceptionem vlteriùs declarat, aiens, procedere tantum, quando excipiens simpliciter excipit, quod fuit legitimatus: secus si plus dicat, se illegitimè natum, sed postea fuisse legitimatum; quia tūc non tantum excipit, sed fatetur principaliter: quod approbant omnes Doctores. aliam, quam *nu.* 17. subijcit exceptionem, inferiùs ipsi perpēdemus.

9 Hæc equidem omnia retulerim, vt intelligatur, primum *Baldi* doctrinā, cui pars aduersa vnicè innitebatur, à *Romano* viro doctissimo falsam omnino, & à *Iasone* dubiam censeri, paucosque iureconsultorum *Baldum* expressè sectari. Sanè noui operis nunciatio remittitur, licet, qui nunciauit, nullum prorsus ius nunciandi obtineret *l. 1. §. 1. ff. de oper. nou. nunciatione*, ibique passim doctores: vbi *Iason* optimè in-

 fert,

fert, quòd à Iudice petens nunciationis remissionem, non proindè eam iustè factam confitetur.

10 Hinc infert quoque *Bart.* vt ait *Iason*, quòd petens absolutionem ab excommunicatione, non ideo se legitimè excommunicatum confitetur: qua de re latiùs agit *Bart. in l. decem cit. ff. de verb. oblig. & Doctores in cap. venerabilem, de elect.* & quo tandem modo id sit intelligendum, benè docuit *Couarr. in cap. alma mater, prio. par. relect.* §. 12. vbi doctorum opiniones conciliat: & *Mascard. cōcl.* 13 *cit.* Similiter, vt ait *Iason*, qui petit veniā, vel indulgentiam delicti, non per hoc videtur fateri, se deliquisse, *glos. in cap. exhibita verb. postulauit de homic.* adde *Farinac. lib. 1. pract. & theor. crimin. qu. 5. à n. 18.* & deinceps, qui latè exagitat quæstionem: *Mascard. concl.* 501. & 502. aliosque ab ijs laudatos: qui fermè omnes id ostendunt illo satis vulgato iuris axiomate: bonarum mentium est timere peccatum, vbi non est, *cap. ad eius in fine dist. 5. cap. consilium §. cum autem, de obseru. ieiun.* aliaque iura, ac Doctores citat *Mascard. concl.* 502. *n.* 4.

11 Ad hæc, manumissio, quem esse liberum, aut seruum fuisse, non ostendit *l. 2. C. de ingen. manumiss. & §. fin. instit. de ingenuis*, vbi: *sapissime*, inquit Imperator, *constitutum est, natalibus non officere manumissionem.* Et quidem ipsemet *Baldus in l. 2. modo laudata n.* 2. ita ait: *recipiendo absolutionem ab excommunicatione, non videor me confiteri excommunicatum, nisi aliter cōstaret; nec videor me confiteri, excommunicatorem esse meum iudicem. sicut hic recipiendo manumissionem, non videor confiteri, manumissorem esse meum dominum, nisi quoad quamdam præsumptionem item not. ex hac lege arg. quod plus valet veritas, quam opinio.* Atque hæc omnia, aliaque eiusmodi satis dubiam reddunt *Baldi* doctrinam, vti *Iason* animaduertit.

12 Deindè ea retuli, vt clarè cōstaret, *Baldum*, eiusque sectatores de eo legitimationis instrumento loqui, quod ab ipsomet legitimato producitur: innititque, vel tacitæ producentis confessioni, ea prorsus omnia confitentis, quæ instrumento illo continentur, vel ab eo necessariò supponuntur, ac proindè se illegitimè natum, quod omnino instrumentum præsupponit: vel expressæ eiusdem producentis confessioni, quod probabilius est, exponitque, post *Paulum Castrensem*, *Mascardus*, vti retulimus; non quidem quæ tunc fiat, cum producitur instrumentum; sed quæ omnino præcesserit, quo tempore à Principe legitimationem ipse petijt, qui nunc producit, vt rectè monuit *Mascardus* à nobis laudatus. Atque ità quoque ea omnia exempla, quæ hic idem auctor recenset, huic eidem expressæ partis producentis confessioni innituntur, vt quisque, illa eadem perpendens, deprehendere facillimè potest: & consulenda sunt ea, quę *Mascard.* tradidit *plurib. concl. verb. cōfessio.*

13 Atqui in nostro casu nulla prorsus interuenit Titij confessio: non quidem tacita, etsi illa alioqui sufficeret, quia non ipse, sed alter litigator legitimationis instrumentum producit. neque sanè interuenit expressa, quandoquidem non auia Titij, de cuius agitur legitimatione, eam sibi à Carolo Imperatore obtinuit; sed eiusdem auiæ pater impetrauit, vt ex ipsomet legitimationis instrumēto liquidò constat: cujus sanè confessio, quòd ea illegitimè nata fuerit, eidem nocere minimè potest: neque enim parentum confessioni, si dicant filios illegitimos, credendum est in præiudicium liberorū, vt probat post alios *Mascard. conclus.* 366. & *con.* 883. presertim post *Bald. in l. filium n. 11. ff. de is, qui sunt sui, vel alien. iur.* confert fortassis illa iuris cōclusio, quam probat *Mascard. conclus.* 386. puta, confessionem vnius nihil probare in alterius præiudicium.

Sed,

14 Sed,vt omnis penitus tollatur difficultas, animaduertendum est *Baldi* doctrinam ab omnibus ità exponi,vt locum dumtaxat obtineat ad inducendam præsumptionem contrà legitimatum, donec contrarium fuerit probatum,non autem quoad veritatẽ irrefragabiliter probandam, vt rectè post alios monuit *Mascard. d. conclus.* 974.*n.*17.Nam, vt ipse ait,non obstãte huiusmodi præsumptione, poterit probare veritatem esse in contrarium, quod immo legitimè natus fuerit. rectè enim monent Doctores fermè omnes in *d.l.decem ff. de verb. oblig.* confessionem in ijs omnibus, quæ à nostra voluntate minimè dependent, quod sint, vel non sint, nequaquam ea verè facere,nisi præsumptiuè, atque hãc præsumptionem eoùsque nocere confitenti, quousque contrarium ostendatur.

15 Sanè huic rationi niti videtur decisio *l.interrogatam C. de lib.caus.*vbi: *interrogatam*,inquiunt Imperatores, *& professam apud acta se esse ancillam,huiusmodi factum defensionem libertatis non excludit.* huic non absimilia iura laudat *Glossa ibid. verb. non excludit.* confert, quod docuit *Glossa in l. ingenuam,verb.ancillam C.de ingenuis manumissis*, puta non censeri ancillam, etiamsi per mille annos, inquit, steterit vt ancilla,si parata sit probare contrarium *l.fin.C.de long.temp.præscrip. quæ pro libert.*

16 Addiderim,quæ à Doctoribus notantur in *l.cum falsa, C. de iur. & fact. ignoran.*vbi decernitur, falsa demonstratione,veritatis substantiam immutari minimè posse; indèque Imperatores inferunt, filium in bonis maternis hypothecaria actione, vt voluit *Glossa*, vel etiam personali ex testamento, vt *Iasoni* placuit, conuentum,respondẽdo id, quod paternum erat, ex maternis esse bonis, nihil penitus egisse. Id quod adeo verum est, vt si confessio solum in parte falsa ostendatur, tota prorsus talis præsumatur, vt edocuère *Decius conf.*536.*n.* 10. alijque, quos laudat,sectaturque *Mascard. conclus.* 382.*n.*2.

17 Hoc igitur ità constituto, satis apparet, instrumentum illud legitimationis, quod nunc denuò profertur, nihil penitus Titio obesse,eiusuè aui legitimitati; quandoquidem in primo iudicio satis apertè ostensum est, eam fuisse legitimam; quam ob caussam ità à iudicibus pronunciatum est, vti initio monuimus. Cuius quidem sententiæ tanta vis est,vt nedum ei obsit, contrà quem lata est; verum omnibus prorsus etiam non citatis noceat: huius enim virtutis esse sententiam, super statu personæ latam, omnes fermè profitentur; quorum aliquos laudat, ac sequitur *Surd.decis.*289.*num.*17.at præsertim legendi sunt *Felin. in cap. quãuis n.*9.*de sent. & re iud. & Tiraq. tract.res inter alios acta limit.*27.*num.* 63. quippequi expressim de legitimatione loquuntur. Sed in re nostra res certior est; siquidem ea sententia cõtrà eumdem, qui instrumentum nunc profert, pronunciata est.

Quoniam verò huiusce quoque litis occasione plura circa matrimonij materiam discutere opus fuit;cõsilijs, quæ sequuntur, ea exponere operepretium duxi.

CONSILIVM XXXIX.

Num matrimonium coram testibus, & parocho, absque tamen denunciationibus initum, censendum sit clandestinum.

ET, primo quidem loco controuersum fuit, num matrimonium palàm, & publicè corã testibus, & consanguineis contrahẽtium, & Parocho celebratum, absque eo, quod denunciationes in ecclesia præcederent, dicendum esset clandestinum, quoad eas pœnas incurrẽdas, de quibus latè *Sanchez lib.*3. *de matr. disp.*2.

§. I.

§. I.

Prima assertio ostenditur.

S V M M AE.

1 Vot modis, quibusque dicatur matrimonium clandestinũ.

2 Matrimonium coram Parocho, & duobus testibus contractum, omissis denunciationibus, clandestinum est: eiusque ratio.

A ueteri iure non receditur, nisi expressè nouo corrigatur.

3 Alia ratio assertionis.

4 Quid sit esse clandestinum, & n.7.

Publico aduersatur.

Tale etiam dici id, quod à pluribus scitur.

5 Quid sit palàm *aliquid fieri.*

Plures sunt duo.

6 Clàm fieri quandoque id dicitur, quod duobus, vel tribus præsentibus fit.

Quod dicatur publicè factum.

8 Plures quãdoque non soli duo esse possũt, & quibus casibus id eueniat.

9 Publicum dicitur omnibus patens.

10 Quando instrumentum publicum rem quoque publicam efficiat.

Quid dicatur fieri clam n.11.12.

13 Obiectio ex Molina *soluitur* nn.seqq.

14 Olim matrimonia clandestina valida erant, & n.15.

1 ET quidem, alijs clandestini matrimonij modis ab aliquibus adinuentis, penitus explosis; solum duos cum *Sancio*, alijsq; pluribus ab eo laudatis *loc. cit. disp.* 1. *n* 3. agnoscimus, puta illum, quo matrimonium absque testibus contrahitur; atque eum, quo ijs quidem adhibitis, & Parocho, sed absque denunciationibus, ab ecclesia requisitis, neque ad id petita ordinarij venia, celebratur. Et primò quidem modo cõtractum omnes prorsus clandestinum profitentur, ac proinde de eo nulla restat difficultas; quin tale omnino censeatur. Illud verò, quod secundo modo initur, controuersum est apud Doctores, num clandestinum existimandum sit. Existimo tamen, hoc idẽ matrimonium duobus iterum modis coram testibus, & Parocho posse celebrari: primò quidem, vt duobus, tribusuè solum testibus vocatis, & Parocho, cæteris verò ciuibus omnino nescientibus, ineatur: secundo autẽ, vt non modò præsente Parocho, & coram pluribus, sed sciente tota ciuitate, vel saltem maiori viciniæ parte celebretur. Moneo quoque, vtramque sententiam in vtroque casu probabilẽ à *Sancio* rectè existimari; licet ipse alterem amplectatur. Pro quæstionis solutione sit.

2 Prima assertio. si matrimonium coram Parocho, & duobus saltem testibus, omissis tamen denunciationibus, absque ordinarij venia, contrahatur, omnino clandestinum putandum est. Hæc assertio defenditur ab innumeris, quos citat, sequiturque *Sãch. disp.* 1. *cit. n.* 7. *Aegid. de Coninch. de sacr. matr. disput.* 27. *dub.* 2. *Basilius Pontius de matrim. cap.* 37. ab ijsque diuersimodè probatur. & Sanchez quidem ostendit primum ex verbis *cap. fin. de clãdest. despons.* vbi, postquã concilium generale Lateranense sanciuerat, matrimonio denunciationes præmitti, eo, quod ecclesia clandestina matrimonia detestatur: *si quis verò*, subdit, *huiusmodi matrimonia clandestina, seu interdicta inire præsumpserit*, & cætera, quæ sequuntur. quo sanè loco satis innuitur, matrimonium absque denunciationibus, clandestinum à concilio appellari, cum de eo paulò antè egerit, subdatque ea verba, *huiusmodi matrimonia clandestina*, quibus proculdubio illud, de quo antea tractauerat, coërcetur; vti etiam ibidẽ monuit *Glossa in* §. *si quis verò verb. clandestina* [illegible] *idest*, inquit, *non præmissa denunciatione, vt dictum est supra*, puta §. 1. *verb. clandestina*. Atqui à iure veteri non receditur, nisi expressim nouo corrigatur *l. præcipimus C. de*

C. de appell. quod enim non mutatur, quarè ſtare prohibetur? *l. ſancimus C. de teſtam.* hodiè igitur quoque dicendum erit, eſſe clandeſtinum, cum nullibi ius illud correctum reperiatur.

3 Equidem addo & aliud argumentum ex *eod. cap. fin.* deprompum: poſtea enim quàm Concilium clandeſtina hæcce coniugia inhibuiſſet: *prohibetes etiam,* ſubdit, *nè quis ſacerdos talibus intereſſe præſumat.* Quod ſi connubia cum aliorum præſentia inita, abſque denunciationibus nequaquā clandeſtina forent; eo ipſo quod ſacerdos quiſpiam ijs intereſſet, ſtatim clandeſtina eſſe deſinerent; ac proindè non clandeſtinis coniugijs ſacerdos ille intereſſet: id quod ſolùm concilium prohibere voluit: ſentit igitur, vel adhibita aliorum præsētia, nihilominus matrimonium eſſe clandeſtinū. Hinc verò reijcitur quorūdam reſpōſio, aientium, *d. cap. fin.* loqui de clandeſtino matrimonio, quod tale eſt ob defectum teſtium ſufficientium: conſtat enim ex illius inſpectione loqui de clā leſtino ob defectum denunciationum; vt etiam notant ibi *Doct. poſt Gloſſ.* de clandeſtino autem ob defectū teſtium loquitur caput antecedens. Alias huiuſce ſententiæ rationes conſule apud *Sanch.* alioſque ab eo receſſitos: neque enim eas hoc loci tranſcribere in animo eſt.

4 His tamen addo rationem ex natura rei petitam: etenim nomen *clandeſtinum* nequaquā id ſignificat, quod velut ſolitariè, & abſque aliorum conſortio fit; ſed id, quod non fit publicè, quodque non omnibus patens eſt; ità vt clandeſtinum *publico* aduerſetur. id quod euidētur ex *Cicerone* pluribus locis oſtendo: is enim *in libris de oratore: cur clandeſtinis,* inquit, *conſilijs nos oppugnant?* atqui plures fuiſſe, qui hiſce conſilijs intererant, conſtat ſatis ex plurali numero, quo *Cicero* vtitur. item in *orat. pro P. Syl. exercitus,* ait, *perditorum ciuium clandeſtino ſcelere conflatus.* cuius ſanè ſceleris plures quoque conſcij fuēre, vt ex orationis inſpectione liquet. demum in *lib. de fin.* cum hoſtibus clādeſtina colloquia vocat, quę procul dubio à pluribus fieri oportet. adde carmen *Manilij primo Aſtronomicon,* ibi:

Et clandeſtinis ſurgentia fraudibus arma.

Et *Silij Italici in libris Punicorum,* ibi:

Ceu clandeſtino traheretur fœdere bellum.

vterque enim ſatis apertè innuit, clādeſtinum dici quoque, quod alijs præſentibus fit: & *Bern. in cap. quia propter §. fin. gloſ. fin. de elect.* clandeſtinam electionem vocat, quæ fit occultis conuenticulis, vt retulit *Prateius in lex. verb. clandeſtinam electionem:* conuenticula verò pluribus conflantur. & eiuſcemodi ſexcenta alia apud probatos auctores inuenies. quis ergò clandeſtinum neget matrimonium, quod ſolùm coram duobus, tribuſuè teſtibus, & parocho, cæteris penitus neſcientibus celebratur?

5 Etſi verò aduerbium, *clam,* à quo originem ducit nomen *clandeſtinum* à *Briſſonio* aduerbio, *palam,* aduerſari dicatur, & palam fieri *Vlpianus* velit, quod coram pluribus fit *l. palam ff. de verb. ſignif.* plures autem duo dumtaxat eſſe queant *cap. is, cui, & cap. non poteſt, de præb. in 6. l. vbi numerus ff. de teſtibus,* alijſque probat *gloſ. in cap. ſingularis de reg. iur. in 6. & Rebuff. in l. palam cit. verb. pluribus;* atque hinc ſanè ſequi videatur, matrimoniū, quod coràm duobus contrahitur, dici optimè palam fieri, ac proindè neque clā, neque clandeſtinum iure appellari.

6 Etſi, inquam, hęc ità ſe habeant; nihilominus aio, primùm nō videri certum id, quod *Briſſonio* placuit; quandoquidē ſæpiſſimè clàm fieri dicitur, quod coram duobus, vel tribus fit, modo publicè non fiat, vt ex communi loquendi vſu didicimus. Certè *Vlpianus in l. 2. §. ſi in re ff. vi bon. rap.* ait, clam eum facere, qui ſuum delictum celat; cui aduerſari docet eum, qui illud

lud publicat, & crimen publicum admittit. & Paulus *in l. 1. ff. de furtis*, ait, furtum dici, quod clam perpetratur; cum tamen vt plurimum à pluribus illud fiat. itaque præpositio, seu mauis cum *Prisciano lib. 14.* aduerbium *clā*, non aduerbio *palàm*, sed, *publicè*, aduersatur: nisi palàm pro publicè sumatur; quod accidit sæpè; publicè verò factum dicitur, quod coram populo fit, vt monuit *Alciat. in l. palàm ff. de verb. signif. n. 9.* quem sequitur *Prateius in lexi verb. publicè fieri.*

7 Secundò aio, nomen clandestinum (quicquid sit de aduerbio *clàm*) dici aliquid, quamuis alijs conscijs, modò non publicè fiat, vti nuper monuimus; & præterea apertè, ni fallor, probatur ex *l. ab Anastasio paulò post initium C. mandati* ibi; *nec per artes clandestinas pecunias suscipere, publicè autem simulatam donationem celebrare*: vbi Iustinianus expressim clādestinum ei contraponit, quod publicè fit; & nihilominus artes illas clandestinas pateferi posse supponit, quòd scilicet earum alij quoque conscij fuerint. Et Imperator Constantinus in *l. lata, alias data C. de donation.* clandestinas, & domesticas fraudes vocat, quas præsertim necessariæ, coniunctæque personæ moliuntur, donationibus absq; actorū testificatione conficiendis: vbi, vt patet, clādestinum vocat, quod pluribus præsentibus, & interuenientibus fit, si actorum testificatio, quæ rem facit publicam, desit, & *Bald. in l. cum fratre n. 1. C. de his, quib. vt indign.* crimen clādestinum vocat, quod rarò inuenitur sine tortura, vt ipse loquitur: quandoque igitur crimen clandestinum absq; quæstionibus inueniri, siue probari potest; puta testibus, qui illud sciuerint.

8 Demum aio, ius nequaquam perpetuum esse, quòd dictio, *plures*, solū duobus contēta sit: deficit enim, quādo, vt ait *Rebuff. in d. l. palàm vers. primo derogatur*, materia subiecta requirit numerum maiorem; *l. veluti §. 1. ff. de edend.* tunc enim in his dictionibus, & alijs, legis declaratio sequenda est. *l. prospexit ff. qui, & à quib. Felin. in cap. exceptionem col. pen. de except.* mox idē auctor docet, illud ius iterum deficere, quando, inquit, constaret de mente proferentis; illā enim nos sequi oportet *l. non aliter ff. de leg. 3. Domi. in cap. cum plures, de off. deleg. in 6. l. in conditionibus ff. de cōdit. & demonstr.* & generatim vnamquamque dictionem secundùm materiam subiectam intelligi debere, docuit, probauitque *Rebuff. in l. sæpè §. ex re ergo ff. eod.*

9 Atqui cum dicimus, matrimonium debere palam, idest coram pluribus celebrari, vt non censeatur clandestinum, rem ipsam, seu materiam subiectam, maiorem numerum, quam binarium, similemuè exigere, patet, quia illud requiritur, quo matrimonium non occultè contrahatur, sed publicè, vt impedimenta, si quæ sint, detegantur; occultum autē verè dicitur, quod tribus tantum est cognitum; & facillimum est duos, vel tres impedimēta nescire. Insuper hac in re habemus legis declarationem, quia, vt vidimus, *cap. fin. de clandest. despons.* clandestinum decernit matrimonium, quod nō præmissis denunciationibus contrahitur, proindèque, quod non publicè, idest coràm populo initur, seu, quod idem est hac in re, cuius notitia ad populum minimè perueniat: ideo enim ibi statuitur, vt illud *in ecclesijs per presbiteros publicè proponatur*: quibus sanè verbis nobis quoque mens proferentis innotescit, volentis omnino, vt eius notitia ad populum perueniat. cōmuni enim vsu, vt ait *Rebuff. in l. inter publica ver. alijs in locis ff. de verb. signif.* publicum dicimus omnibus patens *§. consequens instit. de susp. tutor.* vbi *gloss. verb. quasi publicam*, ait, publica dici quasi populica. quod idem monet in *§. 1. verb. publica instit. de public. iudic.*

10 Atque id totum comprobauerim eximia doctrina *Bartoli in l. non intelligetur §. tacita n. 1. ff. de iure fisci*, vbi,

si,

si, inquit, *esset instrumentum publicum, iam non esset factum clam, sed palam, vt suprà ead. l. in princ. in eo, quod dicit,* si apparet testamento, vel codicillis: *pro hoc suprà de leg. 1. l. in tacitis: quod tene menti ad ea, quæ dicuntur l. fin. de rit. nupt.* & infrà: *quod si est factum inde publicum instrumentum, non videtur factum clam; quod videtur durum. Puto autem, quod etiamsi publicum instrumentum esset factum, tamen celaretur, vt fit quotidiè per notarios quosdam amicos, tenendo in secreto, quod videtur factum clàm: clam enim dicitur fieri id, quod taliter fit, quod non potest deuenire in notitiam aduersarij, vt vidistis in l. clam possidere in prin. suprà de acquir. possess. & l. prohibere §. clã sup. quod vi, aut clam.*

11 Hanc *Bartoli* doctrinam, eo tamen minimè laudato, amplectitur *Menoch. lib. 2. de arbitr. iud. cent. 2. cas. 194. post Ruyn.* pluribus locis, ac præsertim *cõs. 128. n. 5. lib. 4.* qui tamen *Bartolum* citat, additque, idem tenere *Ang. & Imo. in l. in tacitis ff. de leg. 1.* vbi dicũt, vt ait *Ruynus*, videri factum palam, & bona fide, quando extat instrumentũ publicum *d. l. nõ intelligetur §. 1.* quod est intelligendum secundùm eos, nisi esset scriptura publica secretè facta, puta coràm testibus multum domesticis, & coram notario multum amico, &c. etsi igitur quidpiam fiat coram testibus, de eoque instrumentum conficiatur, si hoc non publicetur, vt ait *Menochius*, sed secretò, celatèque retineatur; tunc neque instrumentũ, neque testes efficiunt actum palàm esse celebratum. atque ita exponendos censet auctores, qui contrarium innuere videntur. Et volunt contrariæ sententiæ patroni, matrimonium dici publicum, & minimè clandestinum, quòd coram duobus testibus, & Parocho ineatur: cum grauissimi hi Doctores velint, neq; instrumentũ, quod sui natura publicum est, actum facere publicum, si aliundè ad aliorum notitiam pertingendã ineptus censeatur.

12 Neq; hoc loci prætereunda est alia eiusdem *Bartoli* doctrina, quam etiam *Ruynus* amplectitur *n. 6.* putà *in l. 2. C. de his, qui ex publi. ration. lib. 10. nu. 1.* vbi ait, quòd si de consuetudine aliquid consueuit fieri publicè, vt matrimonia; si fieret coràm duobus testibus, diceretur fieri clàm, vt *ff. de rit. nupt. l. fin.* clàm enim dicitur fieri quicquid taliter fit, quod non possit venire ad notitiam eius, cuius interest, vt *l. clã possidere in princ. de acquir. possess.* Quia igitur, concludit *Ruynus*, matrimonium, de quo agitur, non fuit cõtractum publicè, & secundùm consuetudinem ciuitatis, sed coràm paucis testibus, & notario; absque dubio dicitur clàm factum. quòd si alibi contrarium innuit *Ruynus*, omnino exponendus est, vt loquatur in casu sequẽtis assertionis: vel intelligendus est loqui iuxtà *Menochij* expositionem, nuperrimè relatam.

13 Dices, cum *Molina tom. 1. de iustit. tract. 2. disp. 176. vers. obserua hodiè*, alijsque, quos citat *Sanchez loc. cit. nu. 6.* & contrariam profitentur opinionẽ, quos citat, ac sequitur doctus *P. Hurtado de matrim. disp. 5. diff. 22. nu. 80.* dices, inquam, post Concilium Tridentinum inutilem videri propositã quæstionem; quandoquidem, si absque testibus, & Parocho matrimonium celebretur, nullum erit, non clandestinum: quod si coràm Parocho, & testibus ineatur; nullo modo videtur clãdestinum: siquidem Parochus assistẽs persona publica est, vicemque ecclesiæ gerit, ac testes quoque ecclesiæ nomine adsunt.

14 Respondeo tamen, neque olim testium præsentiam, & sacerdotis, matrimonium de cætero validum, quò minus clandestinum foret, omissis denunciationibus, effecisse, vt suprà ipsi monuimus. Et nihilominus etiam tunc temporis testes illi, ac Sacerdos ecclesiæ nomine adesse poterant: clãdestinum autem censebatur, quia nõ publicè contrahebatur. quæ sanè ratio

tiò etiam nunc locum habet, si solùm coràm duobus testibus, & Parocho celebretur, omissis omnino denunciationibus, quæ publicum illud efficiût, secundùm ecclesiæ morem, & institutum. Esse igitur validum matrimoniû nihil omnino efficit, quò minus sit clandestinum, si de cæterò clàm corã duobus, aut tribus solùm celebretur.

15 Fuisse verò valida olim matrimonia clandestina, apertè decernit *Concil. Trident.sess.24.cap.1.initio,de reform. matrim.*traduntque passim cęteri omnes. Esse verò hodie, si coram duobus saltem testibus, & parocho contrahatur, rectè ostendit *Sanch.lib.3.cit.disp.* 5.quicquid dixerit *Menoch.cons.69.n.* 71.*vsque ad* 67.*lib.* 1. quem expressè sequutus est *Dominicus Bonsius consil.* 398.*n.*1.*inter consilia eiusd. Menochij vol.*4.qua de re nos infrà *cons.seq.*Neque dicas parochi præsentiam à Tridentino adhibitam, vt clandestinitas tolleretur: contrarium enim censuit *Rota*,quæ refertur inter consilia *Menochij cons.*398.*n.*53.*lib.*4. quoniam, inquit, potuissent plures testes requiri,& alia,si hoc fuisset; non autem restringere se ad proprium Parochum: idemque supponunt cęteri,qui nostrã sententiam amplectuntur.

16 Demum moneo cum *Sancio n.* 6. *in fine*,malè opinionem nostræ assertioni contrariam tribui *Couarruuiæ, Abbati, Oldrado*,alijsque pluribus: hos enim expressè loqui in casu sequentis assertionis, manifestè is deprehendet, qui attentè illos perlegerit.

§. II.

Secunda assertio probatur.

S V M M Æ.

17 *Matrimonium publicè, & sciente maiori saltè vicinię parte initum,non est clandestinũ, eiusque ratio* n.16.& seqq.

19 *Conditio seu modus potest per æquipollens adimpleri,si effectus sequatur.*

20 *Quodnam publicum dicatur.*

21 *Consanguinei conscij impedimentorum, & soluitur obiectio* n.22.

23 *Preceptum detegendorum impedimentorum matrimonij omnes scientes obstringit.*

Criminum denunciationes ad omnes, nedum ad Prælatos pertinere.

24 *Quando dicatur clam fieri, quod omissis à iure requisitis fit.*

25 *Mira Doctorum varietas hac in re.*

26 *Quæ verè dicatur opinio communis,quæ verè non; quamuis habeant plures Doctores.*

27 *Doctores aliorum morem amplectuntur, quæ vnam volantem sequuntur.*

28 *Continuatio consilij sequentis.*

17 Secunda assertio.si matrimonium publicè,sciente tota ciuitate, vel saltem maiori viciniç parte, celebretur,pręsentibus parocho,& testibus, omissis tamen denunciationibus,non videtur clandestinum,quoad illius pęnas incurrẽdas. Hic fuit cardo difficultatis in controuersia, quam retulimus; & vtriusque partis patroni suam opinionem,& auctoritate, & rationibus comprobarunt.

18 Equidem positam assertionem defendi hunc fermè in modum. Ideo ius antiquum, ac nouum denunciationes, matrimonio celebrando præmitti exigit,vt non dicatur clandestinum, quò scilicet illud publicũ fit, &, si quæ adsunt impedimenta,detegantur, vt cõstat ex *cap. fin. tit. de clandest. desp.* & *Trid.sess.*24.*cit. cap.*1. *de reform. matrim.*atque ipsi suprà sępè monuimus: atqui effectus ille publicitatis,vt aiût, & detegendorum impedimentorum æquè attingitur, si matrimonium sciente maiori parte viciniæ contrahatur, ac si denunciationes præmitterẽtur: eo igitur euentu non erit matrimonium clandestinum.

19 Hæc illatio euidẽs videtur: etenim nihil prorsus refert,conditionem, seu modum per aliquid æquiualens adimpleri,modo effectus sequatur:id quod con-

congruè probatur *l. si mater C. de instit.* vbi dicitur, quod si mater filium suum instituat hæredem sub conditione emãcipationis, filius verò alio modo, non emancipatione, potestate patria liberetur; nihilominus filius ius adeundæ hæreditatis acquirit: vbi *Glossa* optimè monet, effectum, non modum considerari: nihil enim, inquit, refert, quòd de æquipollentibus fiat, id quod alijs iuribus ostendit: idẽque aiunt cæteri omnes, quorum aliquos citat, sequiturque *Mantica de coniect. vltim. volunt. lib. 11. tit. 16. nu. 4. & Couarr. pract. quæst. cap. 39. nu. 7.* quod præsertim locum obtinet, quoties apparet, proferentem potius effectum respexisse, quam modum, & formam à se præscriptam, vt ijdem Doctores animaduertunt. hùc quoquo modo pertinet, quod aiunt huiusce nostræ sententiæ patroni, puta, etsi varietur iuris solemnitas, si substantia est eadem, iuris dispositionem minimè variari *l. ordo ff. de publ. iud.*

20 Iam verò minor primi syllogismi probatur, quia publicum est, quod ad omnium notitiam suapte natura peruenire potest, reque ipsa plurimi sciunt, & maior viciniæ pars, vt sæpè diximus, pluribusq; ostendit *Ioan. Lup. in cap per vestras, notab 3 §. 21. n. 14. 15. 16. de donationib. inter virum, & vxorem:* vicinis verò scientibus, facillimum est detegi, si quæ sunt impedimenta: hæc enim vicinis notiora, quã alijs præsumi debent, *arg. eorum, quæ docuit Bald. in l. 1. §. cum igitur col. 6. vers. & nota, quòd vicini C. de iure de lib per tex. in l. dominos horreorum ff. locati. & l. 1. §. 1. ff. de flum. Mascard. concl. 1049. n. 36. & concl 1159. num. 23. & 24.* latè *Menoch. de præsumpt. lib. 6. præsump. 24.*

21 Certè impedimẽtorum conscij cõsanguinei potius, quam extranei præsumuntur: ideoque ij potius, quam hi hac in caussa admittuntur, vt ex *cap. 1. 35. q. 6.* monuit *Gloss. in d. c. fin. verb. voluerit, de cland. desp.* sanè in Ecclesijs ideo matrimonia per præsb. iteros publicè proponuntur, comp etenti termino præfinito, vt infra illum, qui voluerit, & valuerit legitim um impedimentum opponat, vt ait *Concilium Generale Lateranense* suprà laudatum: cuius decretum hac in re expressim approbat *Tridentinum*: in ecclesijs nãque euulgata faciliùs ad cunctorum notitiam perueniunt, qui, si quodpiã sciuerint impedimentum, pandere queant. denunciationes autem nõnisi propter ignorantes fieri, rectè edocuit *Glossa in d. cap. fin. verb. voluerit:* si igitur & hæc notitia in casu, quo de agimus, nedum haberi possit, verum etiã teneatur, cum matrimonium contrahendum maior viciniæ pars, vti ponimus, sciat, proindèque facili negotio impedimenta, si quæ adsunt, detegi possint; fit sanè consequens, vt effectus ille publicitatis matrimonij, & detegendorum impedimentorum æquè à denunciationibus, atque à viciniæ scientia habeatur.

22 Neque dicas cum *Sancio lib. 3. tit. disp. 1. n. 10.* faciliùs detegi, præmissis denunciationibus, impedimenta, quã sciẽte maiori viciniæ parte, quod maior fidelium numerus confluat in templum, timeatque præceptum, quo detegi impedimenta præcipitur; & quia, quando non præmittuntur hæ denunciationes, quilibet se à denunciando impedimenta retrahit, quasi sua non interfit: nè, inquam, id dicas: etenim primùm nõ videtur certum, quod ait, maiorem fidelium numerum in templum confluere: is enim numerus, si ad maiorem viciniæ partem referatur, minor omnino videtur: siquidem in ecclesiam parrochialẽ, de qua hic loquimur, nonnisi vicinia confluit, & huius minima pars ad missarum solẽnia festiuis diebus, quo sanè tempore fieri denunciationes *Tridentinum* iubet, vt experimẽto comperimus: plures enim aliò confluunt; plures præueniunt missarum solemnia; plures, ijs expletis, accedunt; aliqui, & vtinam

pauci, neque ipsis festiuis diebus sacris intersunt; ità quotidiè cernimus cum maximo piorum animi dolore, sæpè missarum solemnia vnum, aut alterum, vel paucissimos, præsertim in ecclesijs parrochialibus, vti prædiximus, venerari.

23 Deinde præceptum detegendorum impedimentorum æquè omnes scientes obstringit, siue de cætero denunciationibus, siue aliter ad eorum notitiam matrimonium contrahendum perueniat: etsi enim Concilium Generale Lateranense in *d. cap. fin.* dicat, qui *voluerit*, legitimum impedimentũ opponat; optimè tamen ibidem admonet *Glossa*, quemlibet saltem teneri denunciare, *cap. cum in tua, de sponsal. & cap. tua, de spirit. cogn.* vbi *Glossa fin.* ait, criminum denunciationes ad omnes, nedũ ad Prælatos, pertinere.

24 Neque iterum dicas cum eodem *Sanch. Bartolum in l. fin. ff. de ritu nupt.* docere, id fieri clàm, quod, omissis iure requisitis, efficitur. Aio enim, id verè dici, quoties neque per æquipollens requisita supplentur. Addo, tunc dici clàm factum, quod absque solemnitate fit, quando hæc eadem solemnitas illud publicum facit, cum alioquin esset clandestinum; secus verò, cum illud suapte natura publicum est, ità qui aurum fiscale mutuò sumit, occultè id facit, aut facere præsumitur, ex *Glos. ibid.* quod si licentia Principis adsit, publicum id fiet, quæ est solemnitas requisita *à l. 2. C. de his, qui ex publ. ration. lib. 10.* quam citat *Bart. loc. cit.* secundùm quam eius doctrina exponenda est ad trad. *cons. 19. n. 27.*

Alijs quoque rationibus hanc secũdam nostram assertionem probant illius patroni, qui innumeri penè sunt, quorum aliquos refert *Sanch. loc. cit. n. 9.* qui tamen *seq. n.* contrariam opinionem magis approbat, laudatque plures alios, illam profitentes.

25 Sed, quod attinet ad vtriusque sẽtentiæ patronos, equidem moneo, miram esse hac in re, vt in cæteris multis, iurisconsultorum varietatem: siquidẽ eorum plures nunc vnam, nunc aliam opinionem amplectuntur. ex horum numero est *Ruynus*, qui *cons. 14. n. 10. lib. 3.* sentit, huiuscemodi matrimoniũ quoad pęnas esse clandestinum; at verò *cons. 108. n. 2. eod. lib. 3.* contrariam profitetur opinionem: eamdemque docere videtur in *cons. 11. n. 15. lib. 5.* *Cephalus* quoque *cons. 503. n. 26.* vult, illud matrimonium esse clãdestinum; id ipsum deindè negat *cons. 647. n. 12.* Et, quod magis puto, *Abbas in d. cap. fin. de clandest. despons.* matrimonium huiusmodi esse clandestinum inficiatur; cum tamen contrarium doceat in *cap. quod nobis, qui fil. sint legit.* vti etiã monuit *Pute. decis. 257. n. 5. lib. 3.* hac de re tota videndi, præter relatos à *Sãcto, Menoch. cons. 69. cit. à nu. 70. cons. 199. à n. 40. cons. 442. à n. 75. cons. 521. n. 1. & cons. 622. nu. 15. Honded. consil. 87. Pute. d. decis. 257. Bertaz. cõs. crim. 283. num. 28. & ibi Add. lib. 2. Sot. in 4. dist. 28. q. vn. art. 2. vers. de bannis verò*, vbi ait, bannorum ritum aufferre saluberrimum fore. Sed tunc fortassis *Concilium Tridentinum* perfectum nõ erat: *Thom. Triuisan. decis. 36. n. 7. lib. 1. Peregr. de fideicom. art. 24. num. 65. Iacob. de Graff. 1. p. decis. lib. 2. cap. 86.* Sed præ cæteris consulendi omnino *Mascard. concl. 1036. nu. 4. Socin. Iun. d. cons. 86. num. 56. & 57. lib. 2. Ceuall. com. cont. com. q. 5. à nu. 8. vsque ad fin.* sed præcipuè *q. 697.* vbi rem exagitat copiosè, alijque, quos hic idem auctor laudat, apud quem vtramque opinionem esse communem, proindèque satis probabilem, animaduertere potes.

26 Sed monuerim hìc veluti obiter, optimè docere Iustinianum *in l. vn. S. neque C. de vet. iur. enuclean.* nequaquã ex multitudine auctorum, quod melius, & æquius est iudicari oportere; cum possit, inquit, vnius forsan, & deterioris sententia multos, & maiores aliqua in parte superare. quamobrem iure *Menoch. de præsũpt. lib. 2. præsũpt. 71.*

71. *nu.* 39. *&* 40. existimauit post *Alciat. in tract. de præsumpt. reg.* 1. *præsūp.* 51. *nu.* 2. *vers. item intellige*, *& lib.* 4. *Parerg. iuris, cap* 17. eam dici communem opinionem, quæ plures auctores habet eā firmātes arguendo, & disputando; non autem quæ habet plures, qui nulla disputatione habita, sed perfunctoriè simpliciter, & per transennā quodammodo opinionē illam sequūtur: ij enim, qui aliquid dicunt incidenter, & vt fit, ad colorem sui propositi, præsertim in responsis reddendis, non dicuntur verè approbare illam opinionem.

27 Ait insuper idem *Menoch. num.* 40. *cit.* egregiè scripsisse *Nauarr. in manuali cap.* 27. *n.* 289. communiorem se existimare opinionem, quam sex, aut septem auctores classici, rem ex professo tractantes, assererent, quam probatā à quinquaginta, sola ferè auctoritate priorum ductis. Vndè illud emanauit, sæpè Doctores auium morem amplecti, quæ vnam volantem continuò sequuntur, vt plures dixère, quos *Menochius* recenset. cuius doctrinam refert quoque, ac sequitur *Sanch. lib.* 3. *de matrim. disp.* 44. *n.* 2. additque aliam *Ioan. Lup. in cap. per vestras*, *de donation. int. vir. & vxor. notab.* 3. §. 20. *n.* 12. aientis, non esse credendum Doctoribus, quantumcumque doctrina polleant, dum carent fundamento.

Hæc verò omnia monuerim, vt intelligatur in questione, quam præ manibus habemus, sæpè Doctores vnam, aut alteram opinionem perfunctoriè, &, vt *Menochius* ait, per transennam amplecti, neq; diutiùs rationibus vestigandis immorari: indè verò non benè colligi communem, vel cōmuniorē opinionem, sed aliundè eam inferri oportet, iuxtà expositam modo doctrinam.

28 Addidi tamen in clientis fauorem, omnino deceptos contrarij litigatoris aduocatos, dum putarunt, se firmissimè ostendisse, Auię clientis illegitimitatem, comprobando Sancij, & aliorū opinionem, puta matrimonium parētum auiæ, etsi sciente maiori viciniæ parte, coram Parocho, & testibus celebratum, fuisse nihilominus clandestinum eò, quòd denūciationes à *Tridentino* præscriptæ, omissæ fuerint. id verò ostēdi clarissimè rationibus, quas *cons. seq.* subijciam. præmoneo tamen, illos quoad medium terminum, vt logicè loquamur, in ea probanda illatione omninò discrepasse: quidam enim in hunc fermè modum arguebant: matrimonium illud, absque denūciationibus initum, etsi validum, clandestinum tamen fuit: ex eo igitur nati illegitimi censendi sunt. alij verò ità: matrimonium illud, absque denunciationibus, quamuis coram testibus, & Parocho celebratum, nullum omninò fuit: nati igitur ex eo illegitimi sūt. Et primos quidem deceptos probauimus, non quidem omnino in eo, quod assumunt, seu in antecedente propositi enthymematis, cum illud probabile sit, vt ex modo expositis liquet; sed in consequentia, quam pessimè ex eo antecedente inferebāt, vt *sequenti cōs.* manifestum erit: secundos verò in antecedente falsos ostēdi; ijs rationibus, quas *eodem cons.* quod sequitur, exponam. Sit igitur.

CONSILIVM XXXX.

Filios, ex matrimonio clandestino valido habitos, legitimos censeri. Matrimonium corā testibus, & Parocho, omissis denunciationibus, initum, validum fore.

§. I.

Prima assertio probatur.

SVMMAE.

1 *Sententia docens, filios, ex matrimonio clādestino valido habitos, illegitimos esse.*

2 Cap. fin. de clandest. desp. *quot, & quæ* requi-

requirat, vt filij ex aliqua matrimonio nati illegitimi sint.

3 Glossa, Palud. & Archid. *nequaquam sententiam* n. 1. *positam amplectuntur.*

4 *Malè* Sotus Panor. Innoc. ac Syluestrũ *reprehendit.*

5 Glossa *docet, prolem ex matrimonio clandestino valido susceptam, legitimam esse.*

Est opinio magis recepta.

6 *Probatur ex* cap. 2. de cland. despons.

7 *Approbatio matrimonij ab ecclesia facta retrotrahitur.*

8 *Nati ex matrimonio clandestino, postea ab ecclesia approbato, legitimi sunt.*

9 *Matrimonium clandestinum validum etiã filios antea susceptos legitimat.*

Qui contrarium docere videntur, explicantur.

10 *Matrimonium clandestinum validum, verè matrimonium est, & Sacramẽtum.*

11 *Vnde habere queat matrimonium, vt filios antea susceptos ligitimet.*

12 *Legitimatio per matrimonium cæteris fauorabilior est.*

Diutina clandestina habitatio sufficiens est ad prolem legitimandam.

Legitimationi in re dubia fauendum est.

1 PRobabant sanè primi suam illationem ex *cap. fin.* §. *si quis verò, de clandest. despons.* vbi aiebant, decerni, filios ex clandestino matrimonio habitos, illegitimos fore. idemque asseuerabant, tenere *Glossã* ibidẽ, eãq; sequutos *Palud. & Archidiac.* qui, vt refert *Sot. in 4. dist. 28. q. vni. art. 2. vers. aliæ sunt censuræ*, voluère, eamdem illegitimitatis pęnam incurri propter solam denunciationum, seu, vt ipsi loquuntur, bannorum omissionem, vbi eorum cõsuetudo viget. sed expressè hanc sententiam profitetur *Maurus Antonius Corona confessorum*, quem tamen eorum nemo laudauit, *part. 2. de sacram. ordin. tit. de suscipientibus ordinem n. 16.* vbi autumat, natos ex matrimonio clandestino valido, vti non præmissis denunciationibus celebrato, illegitimos esse: quem non audiendum probat *Sanchez lib. 3. de matrimonio disp. 42. nu. 8.*

2 Verùm, vt hæc res perfectè intelligatur, simulque illorum error detegatur; moneo, Concilium generale Lateranense relatum in *d. cap. fin.* duo omnino requirere, vt filij ex aliquo matrimonio nati, quoad præsens negotium, illegitimi sint, ac censeantur: primum quidem, vt eiuscemodi matrimonium clandestinum sit; alterum verò, vt postea nullum, & inualidum appareat, ob impedimentum dirimẽs denuò detectum; etsi ambo contrahentes illud penitus ignorauerint: vultque, parentum ignorantiam filijs quoad legitimitatem hoc euentu minimè suffragari; vti certè euenisset, si non clandestinè, sed publicè illud matrimonium contraxissent, vt infrà *cõs.* 42. ostendemus. Hæc verò duo Concilium exigere, euidens est, ac facillimè deprehendet, qui verba Concilij perpendet.

3 Iam verò Doctores omnes eadem duo requirunt, vt filij ex eo matrimonio habiti illegitimi sint: discrepant autem, quòd eorum aliqui volunt, matrimonium tunc solùm dici, censerique clandestinum, cum secretò absque testibus, & denunciationibus cõtrahitur; alij verò putant, nedum hisce casibus, verum etiam quando publicè, & coram pluribus initur, si denunciationes absque ordinarij venia omittantur. Itá *Glossa in d cap. fin.* §. 1. *verb. clandestina*, quia existimat matrimonium dici clandestinum, nisi denũciationes præmittantur, docet, filios ex eo natos, detecto impedimento dirimente, illegitimos fore. censet igitur *Glossa* prolem tunc illegitimam in casu, de quo agimus, existimari, cum matrimonium clandestinum fuit, ac præterea nullum apparet ob impedimentum dirimens, quod denuò detegitur. Quòd autem de impedimento dirimente ea loquatur, patet; siquidẽ de eo loquitur, de quo Concilium in

§. *si*

§ *si quis verò*, vt ipsamet sese explicat: atqui Concilium de dirimente loqui, ex ipsius verbis liquet, adhibita quoque omnium ferme doctorum interpretatione. Quibus apertè constat, patronos illos *Glossæ* auctoritati pessimè innixos, cum ea de matrimonio clandestino inualido: ipsi verò de valido, ac firmo loquantur.

4 Atque eodem modo intelligendi sunt loqui *Palud. & Archid.* qui illam sequuntur: quicquid dixerit *Sotus loco nuper laudato*, qui immeritò tū eos hallucinatos censet in illius textus intellectu; tum etiam *Panormit. Innoc. ac Syluestrum*, eos laudantem *verb. matrimonium 2. §. vlt.* qui vtrumque, à nobis explicatum, etiam requirunt: sed addunt, non esse clandestinum matrimonium, quod publicè contrahitur, quamuis denunciationes omittantur; ac proinde aiunt, sobolem ex huiuscemodi matrimonio, publicè inito, omissis edictis, habitam non fore illegitimam, etsi postea impedimentum detegatur, non quidem quòd illud matrimonium validum sit, cum apertè supponant, nullum detegi ob impedimentum denuò detectum, & antea à cōtrahentibus ignoratum; sed quia isti, vt expressè ait *Syluester*, non contraxerunt clandestinè, ex quo in faciem ecclesiæ, nemine prohibente, contraxerunt: secus, si ambo sciuissent impedimentum, vt ibi, puta *d. cap. fin. §. si quis verò*.

5 Sed præterquam quod ea *Glossæ* doctrina illis minimè suffragatur, vt ostensum est; illa apertè nobis fauet in *cap. quod nobis, verb. fuerint. Qui filij sint legitimi*, docens, prolem, ex matrimonio clandestino valido susceptam, legitimam esse, quam laudat, ac sequitur *Syluest. verb. filij q. 8. n. 8.* eamdemque doctrinam sequutus est *Mantica lib. 11. de coniect. vlt. vol. tit. 12. nu. 13.* qui alios citat, & *Menoch. conf. 199. n. 57. lib. 2.* qui *Cephalum* refert aiētem, hanc esse magis receptam opinionem, quam etiam amplectitur *Sanch. lib. 3. de matrim. disp. 42. num. 8.* qui plures quoque laudat tum Theologos, tum iurecōsultos, quibus adde *Mascard. de probation. concl. 798. n. 6.*

6 Probat autem hanc communem opinionem *Syluester*, ac post eum cæteri omnes ex *cap. 2. de clandest. desponſ.* vbi: *si matrimonia*, inquit Alex. 3. *ita occultè contrahantur, quòd exinde legitima probatio nō appareat: ij, qui ea contrahunt, ab ecclesia non sunt aliquatenus compellendi*: putā, vt *glossa* interpretatur, si alter, vel vterque se contraxisse negauerit, cogi non debet, vt simul maneant, ex quo, inquit, non probatur, quia ecclesia non iudicat de occultis, *cap. erubescant dist. 32. & cap. christiana 32. q. 5. & d. cap. 2.* vnde à contrario sensu; cum publicè cōram testibus (vti certè illud, de quo agimus, initum est) matrimoniū cōtractum fuit, proindeque exindè legitima probatio appareat, ab ecclesia, vt simul maneant, compellendi sunt: ideoq; ipsamet ecclesia eiusmodi matrimonia approbare debet, ex eoque proles suscepta legitima erit, *cap. quod nobis, qui filij sint legitimi*.

7 Sed infra idem Alexander Pontifex rem clarius expedit hisce verbis: *verum, si personæ contrahentium hoc voluerint publicare, nisi rationabilis caussa præpediat, ab ecclesia recipienda sunt, & comprobanda, tamquam à principio in ecclesiæ conspectu contracta*: quia, vt ait: *Syluester. post Abb. in cap. quod nobis nu. 5. qui fil. sint leg.* quem ipse minimè citat, approbatio retrotrahitur, & perindè est, ac si à principio fuisset contractum in faciem ecclesiæ: etsi enim quòad ecclesiam tunc primò validum declaretur, quoad Deum tamen semper firmissimum fuit; vt ibidem monuit *Gloss. fin.* Atqui, si ab initio in ecclesiæ conspectu celebrata fuissent, proculdubio indè habita proles legitima foret, vt etiam docuit *Abb. loc. cit.* ergo etiam talis erit; cum publicetur. quin tanta est vis matrimonij, vt qui anteà sunt geniti, quamuis nedum

pror-

prorsus neque clandestinum, aut præsumptum præcesserit matrimonium, post contractum legitimi habeantur, vt ait idem *Alex. 3. in cap. tanta, initio, qui filij sint legitimi, ibique Glossa verb. legitimi*, cæterique omnes.

8 Addidi, quoad casum, de quo agebatur, matrimoniũ illud publicè primò, & coram pluribus initum fuisse; postea ad maiorem contrahentium, ac liberorum cautelam in facie ecclesiæ, adhibitis omnibus prorsus solemnitatibus à iure requisitis, celebratum, ab eaque penitus vti legitimum approbatum; ac proinde filij, qui ex eo habiti fuerant, legitimi censendi sunt, nedum ob matrimonium subsequutũ; verum etiam, quia, si qui de clandestino matrimonio, postmodum ab ecclesia comprobato, generati fuerint, eos legitimos, & hæredes iudicari præcepit *Alex. 3.* sæpè laudatus in *cit. cap. quod nobis, qui filij sint legitimi* quod omnes penitus amplectuntur, quando nullum postea detegitur dirimens impedimentum, vt monet *Abbas ibid. n. 5.* vti certè nullum in casu nostro detectum est.

9 Demum addidi ad euertendã omnino eorum doctorum rationem, matrimonium clãdestinum validum eius vis, ac virtutis à Doctoribus agnosci, vt nèdum filios ex eo, vel post illud habitos, verum & antea susceptos natalibus restituere, seu legitimare valeat: vti legitimat quodlibet aliud in ecclesiæ conspectu celebratum; quicquid pauci opinentur; quorum tamẽ aliqui, qui pro contraria sententia citari solent, rectè ostendit *Sanch. lib. 3. cit. disp. 44.* pessimè pro ea laudari, cum fermè omnes loquantur, vti loquitur *Hostiens. in summa tit. qui filij sint legitimi §. 2. nu. 3. & tit. de clandestin. despons. §. fin. n. 8. in fin.* puta de matrimonio clandestino inualido ob aliquod, quod denuò detegitur impedimentum, estque casus *§. si quis verò, cap. fin. de clandest. despons.*

10 Sed quicquid sit de horum auctorũ opinione, certè ea, quæ docet, matrimonium clandestinum validum vim obtinere legitimandi prolem antea susceptam, à pluribus defeditur, quos citat, sequiturque *Sanch. loc. cit.* ac validissimis nititur fundamentis: etenim primùm *cap. tanta, qui filij sint legitimi*, statuens, tantam esse vim matrimonij, vt, qui antea sunt geniti, post contractum matrimonium legitimi habeantur, etsi indefinitè loquatur, tamen apud iurisconsultos perpetuũ est, propositionem indefinitam canonis, legisuè, præsertim, quæ regulã tradit, vniuersali propositioni æquipollere, vti ipsi probauimus *cons. 3. n. 2.* matrimonium verò clandestinum validum, verè matrimonium esse, nemo ambigere potest; id enim statuit *Trident. sess. 24. cap. 1. de reform. matrim.* & esse omnino sacramentum, docent omnes cum *S. Th. in 4. dist. 28. q. vn. art. 3.* & rectissimè, vt assolet, ostẽdit *Bellarm. tom. 2. controuers. lib. 1. de matrim. Sacram. controuers. 2. cap. 6. 7. & 8.* contrà *Canum lib. 8. de locis Theolog. cap. 5.* aliique, quos citat, sequiturque *Sanch. lib. 2. de matrim. disp. 6.* qui loquitur quoad tempus ante, & post *Conc. Triden.* Cum ergo illud nullibi inueniatur ab ea regula exceptum; neque ei pęna imposita, vt non legitimet sobolem antea susceptam; consequẽs fit, vt id omnino præstare debeat: quãdoquidem passim iura præcipiunt, iuris correctionem euitandam; penamque, quippe odiosam, nemini imponendam; nisi iure exprimatur *cap. is, qui in ecclesia §. 1. de sentent. excom. in 6.* nullum verò ius reperiri, quod eam matrimonio clandestino valido pęnã imponat, optimè *Sancius* probat.

11 Deinde eãdem prorsus rationem legitimandæ prolis antea susceptæ in matrimonio clandestino valido, atque in ecclesiæ cõspectu celebrato perspici, plusquam certissimum est: etenim, siue eam vim coniugium obtineat virtute, & valore matrimonij, vel vt cõtractus talis est, vel vt Sacramentum

est;

est; siue canonum iure, quod id priuilegij matrimonio indulsit; siue demum tacito contrahentium consensu, volentium iuris præsumptione ab initio matrimonium contrahere, iuxtà varias Doctorum opiniones, de quibus *Sanch.lib.3.de matrim.cit.disp.44. n.2.vers.secundò principaliter*; quocũque, inquam, ex expositis modo eã vim habeat; eamdem obtinere debet clandestinum, modò validum sit; siquidem ipsum validum est, atque etiã Sacramentum, vt monuimus, proindèque ius Pontificium generatim, atque vniuersè loquens, de eo, quoque loqui, atque etiam de illud contrahẽtibus eumdem tacitum præsumere cõsensum, existimandum est.

12 Postremò legitimatio per matrimoniũ ab omnibus fauorabilior cęteris, ac potentior censetur, vti monet *Mãtica lib. 11. de coniect. vlt. volunt. tit. 11.n.1.* vbi ait, eam fauorabilissimam dici à *Tiraq.de iure primog q.34.num. 28.* qui à Principe Principum, hoc est, à Deo, eam fieri autumat. Atquè illud adeo verum est, ait *Sanchez*, vt quamuis diutina clandestina habitatio non sit sufficiens matrimonij præsumptio, in odium delicti parentum; est tamen sufficiẽs fauore legitimationis prolis, *Abb.* alijq; ab eo relati: atq; ideo in re dubia legitimationi fauendũ est, vt edocuit post alios *Menoch. cons.18.n.15.& seq.lib. 1.* hinc autem fit, vt quamuis res, qua de agimus, dubia foret, omnino asserendum esset matrimonium clandestinum validum, prolem antea susceptam legitimare, quo scilicet legitimationi faueatur, quoad fieri potest.

Atque ex his omnibus explosa omnino remanet ratio primorum, qui illegitimitatem ex matrimonio clandestino, etsi valido, ostendere conabantur.

§. II.

Secunda assertio probatur.

SVMMAE.

13 *Sententia docens, matrimonium coram Parocho, & testibus initũ esse nullum, si defuerint denunciationes; quam primus omnium docuisse videtur* Menochius. *contraria vera, qua probatur* n.16. & seq.

Caussa limitata effectum limitatum parit.

Ablatiuus absolutus conditionem importat; cõditio autem formam operatur: vide n.20. & seq.

14 *Exceptio regulam firmat.*

15 *Quid sit forma essentialis iurisconsultis. Factum cõtrà legem pro infecto haberi, quando verum;* & n.22.

16 *Declarationes Cardinalium hac in re.*

17 *Ab antiquo iure non recedendum, nisi quatenus nouo exprimatur.*

18 *Casus omissus remanet in iuris communis dispositione.*

Speciale est in matrimonio ne ex simplici prohibitione absque clausula irritãte annulletur.

19 *Quæ actum præcedere, aut subsequi, & omitti etiam possunt, ad illius substantiam pertinere non possunt.*

20 *Soluuntur argumenta* Menochij.

21 *Excommunicatio valida est, licet iniusta, si trina monitio omittatur, & in scriptis non feratur.*

Mutatio solemnitatis sententiam inualidam non reddit.

22 *Forma, quam indicat ablatiuus absolutus non est substantialis, sed accidẽtalis, qua omissa, non perit actus substantia.*

NVnc reijcienda est altera cæterorum ratiocinatio, qui volentes, matrimonium clãdestinum, puta omissis denunciationibus, etsi coram Parocho, & testibus contractum, nihilominus inualidum esse, indè inferunt, prolem ex eiuscemodi

Ooo

modi matrimonio susceptam illegitimam fore. quæ sanè illatio vim obtineret, si illud, quod assumunt, verū esset, vti ipsi opinantur.

13 Illud autem ostendere nitebantur doctrina *Menochij cons. 69. nu. 71. & pluribus seq. lib. 1.* quam totidem verbis refert, atque amplectitur *Dominicus Bonfius cons. 398. n. 1.* quod ex varijs doctorum virorum responsis cōpactum est, inter cōsilia eiusdem *Menochij lib. 4.* laudat quoque idem *Bonfius Cephalum cons. 421. lib. 3* idemque docet *Ceph. d. cons. 398. nu. 19. & 20.* nec improbat *ibid. n. 41. Aloysius Tirzaghus*. Syllogismus *Menochij*, quo id probare conatur, totidem verbis huiusmodi est. Contrahens matrimonium sine parocho nulliter contrahit, vt expressum in Concilio est, ibi, *qui aliter, quam præsente parocho, &c.* Sed parochus nō dicitur parochi personā, sed priuati sustinere, cum, omissis sine causa antecedentibus denūciationibus, matrimonium celebratur: ergò nulliter agit. Minorem iure communi, verbisque concilij, ait apertè probari: iure quidem communi, quia neque Episcopus ipse potest sine causa dispensare, nè fiant denunciationes, vt scribit in specie *Henr. Bott. in tract. de Synod. Episc. par. 1. n. 158.* hincque infert, multò minus Parochum id absq; caussa posse præstare. Sed hæc quidē illatio non est minor illa, quæ *Menochio* probanda foret. Verbis autem Concilij id ostendit: nam, inquit, à Concilio limitata est potestas ipsi Parocho, vt scilicet possit matrimonio iungere masculum, & fœminam, præcedentibus denunciationibus: causa verò limitata limitatum effectum parit *l. in agris ff. de acquiren. rer. domin.* Accedit, quod illa verba, *denunciationibus factis*, ablatiui absoluti sunt, proindèque conditionem indicant *l. à testatore ff. de condit. & demōstr. omnes in rub. soluto matrim.* conditio autē formam operatur, vt scribit *Bald. in Auth. matri. & auia C. quand. mul. tut. off. fungi potest*, alijsque laudatis à *Sanch. lib. 3. de matrim. disp. 5. num. 2. & Mandosi in reg. 17. cancel. q. 24. nu. 13.* omissio autem formæ, etiam leuis, actum vitiat *l. 1. in fin. ff. de ventr. inspic. omnes in l. 1. ff. de lib. & posth.*

14 Tum hæc confirmat *Menochius* exceptione illa, quam subijcit Conciliū, *quod si aliquando fuerit probabilis suspitio, &c.* quæ sanè exceptio regulam firmat *Dec. l. 1. n. 1. ff. de reg. iur.* nosque probauimus *cons. 3. à n. 159.* cōcludit tandem hic auctor: si ergo, inquiens, hæc est forma, si hæc est potestas limitata, sequitur necessariò dicendum, quòd factum ab isto Parocho non dicitur à Parocho, sed à priuato factū; & tantum actus iste gestus valet, quātum, si à priuato foret gestus: quemadmodum videmus, quando iudex procedit vltrà fines suæ potestatis, nō vt iudex agit, sed vt priuatus, vt copiosè ex multorum sententia scripsi *in tract. de retiņe possess. remed. 8. nu. 15. & 17.* quibus inde sequitur, matrimonium, vtpote celebratum à priuatis tantum personis, quorum actus à Cōcilio annullantur, nullum videri.

15 Hæc *Menochius* in illius sententiæ confirmationem, quam sequi *Fulu. Pacian. lib. 2. de probation. cap. 16. nu. 63.* ait *Sanch. loc. cit.* vbi alias quòque addit eiusdem opinionis rationes, puta quia ordo ille à Concilio præscriptus, vt scilicet denunciationes matrimonij contractum præcedant, &c. videtur forma essentialis, quippe hæc est ordinata series rem ad substantiā deducens, vt tradit post *Bald. Decius l. hac consultissima n. 10. C. qui test. fam. facere poss. Alciat. lib. 5. Paradox. cap. 16. initio*. Addit insuper *Sanchez* iurisconsultorum enunciatum, puta factum contrà legem pro infecto haberi *l. non dubium C. de legib. cap. quę contrà, de reg. iur. in 6.* has verò omnes rationes benè *Sancius* euertit, atque opinionem contrariam ostendit. rectè quoque à *Menochio* hac in re cauendū monet *Guttierez lib. 2. pract. quæstio. 4. num.*

num. 13. *Salzedo cap.* 73. *pract. crimin. canon lit. B. verb. suspenditur ab officio. vers. primo ante omnia, in fine*, alijque. Et hanc quidem contrariam sentētiā, quæ verissima censeri debet, plurimi amplectuntur, quorum aliquos laudat, sequiturque *Sanch. loc. cit. nu.* 3. *P. Hurtado de matrim. disp.* 5. *diff.* 18. *Basilius Pontius de matr. lib.* 5. *cap.* 3. *alijque passim.*

16 Equidem illam primùm probaui quadam Sacræ Congregationis Concilij Tridentini declaratione, quam refert *Marzilla lib.* 3. *tit.* 15. *cap.* 2. *lit. D.* vbi sic habetur. *Declar. Cardinal. denunciationes si omitterentur, per hoc matrimonium irritum non est, seruatis tamen cæteris requisitis. idem censuit Congregatio decis.* 18. Refert quoque *Salzedo cap.* 73 *pratica crimin. canon.* eamdem sacram congregationem hac de re Episcopo Salamantino ità rescripsisse: *de parocho autem, qui, omissis tribus denunciationibus, sine ordinarij licentia, aliquos desponsauerit, an matrimonium teneat; Congregatio censuit, matrimonium quidem valere, sed parochum ab ordinario puniri posse.* Videant aduersarij, num *Menochij* doctrina expressæ Congregationis declarationi præualere queat: cum præsertim is auctor, ac *Cephalus* non satis propriæ fidant consultationi, vt in consiliorum calce innuunt, si credēdum est *Claudio Bertazolio Bartholomæi filio in addition. ad cōs.* 283 *Patris, lit. D. in fine*, vbi etiam laudat *Borgnin. decis.* 29. *n.* 18. *de iud.* aiētē, ità indicatū. Vide *Rebell. lib.* 2. *de matr. q.* 7. *n.* 8.

17 Ratio autem, cui nostra sententia firmissimè innititur, est, quam tetigit *Nauarrus cons. Octauius vir diuers.* 22. *de sponsalib. lib.* 4. *n.* 5. alijque, quam hunc in modum formauerim. Ante *Concilium Tridentinum* matrimonium absque denunciationibus celebratum validum erat, si cætera aderant, quæ ad illius substantiam requiruntur, vti sancitur ab eodem *Trident. sess.* 24. *ca.* 1. *de reform. matrim. cap. cum inhibitio de clandest. desp.* Ergo & hodiè validū, ratumque censeri debet. quæ sanè illatio probatur, tum quia ab antiquo iure recedendum non est, nisi quatenus nouo exprimatur *l. præcipimus C. de appell.* iure autem nouo Concilij fit nullum matrimonium ob clandestinitatem, vt ait *Nauarrus*, quando non fuit contractum præsente Parocho, & duobus testibus: idque manifestè innuunt Concilij verba, vt optimè monuit *Salcedo, & Sanchez*: volens enim concilium docere, quo tandem euentu matrimonium irritum, nullumque foret, decreto irritante vtitur, non quidem cum denunciationes, etiam illicitè, omittuntur; sed cum parochi, testiumque præsentia desideratur: nihil de cætero decernens circa denunciationum omissionem; quod vtique, si voluisset, absque dubio expressisset, vt in re simili non absimili modo arguit *Innocent.* 3. *in cap.* 2. *de translat. Episc. post medium*, ibi: *vndè, si circa translationem idem fieri voluisset; quod de cessione dixerat; & de translatione, poterat expressisse: & quod non est Sanctorum patrum decreto sancitum, superstitiosis non est adinuentionibus præsumendum.* conferunt quæ ipsi tradidimus *cons.* 3. *n.* 3.

18 Insuper Cōcilium illud ipsum insinuat, cum, loquens de denunciationibus: *Sacri*, inquit, *Concilij Lateranensis vestigijs inhærendo, &c.* id ipsū igitur statuit, atque innouat, quod olim Lateranense sanciuerat: hoc autem concilium matrimonium, absque denunciationibus initum, ratum, firmumque habebat, vt dictum est: tum quia vulgare est apud iureconsultos, casum omissum in iuris communis dispositione remanere, vti omnes probant ex *l. cōmodissimè ff. de lib. & posth.* alijsque relatis à *Mandos. in reg.* 20. *q.* 3. *nu.* 9. alibique: quia, si voluisset annullare, inquit *Salzedus*, expressisset *l. item apud Labeonem §. ait prætor ff. de iniur. cap. ad audientiam de renunt.* tū quia, vt ait *Rota diuers. decis.* 750. *n.* 3.

lib. 1, post Decium, speciale est in matrimonio, nè ex simplici prohibitione, absque clausula irritante, annulletur, vt etiam ait *Sanch.nu.3.* si ergo olim validum erat id, de quoloquimur; etiam hodiè firmissimum erit; quandoquidem Tridentinum præcipiens edicta, nequaquam decreto illo vtitur, vt admonitum est.

19 Tum denique quia, si nullum foret matrimonium, omissis denunciationibus, id sanè eueniret, quia eæ ad illius formam, ac substantiam spectant: atqui, vti olim tales illæ non erant, vt probatum est, itá neque hodiè huiuscemodi existimari debent, cum nihil omnino hac in re nouo iure immutatum sit, vt monuimus. Id q; vlteriùs firmatur, quia quæ actum præcedere, ac subsequi, quin & penitus omitti queunt, manẽte actus substantia, non ad illius formam; sed ad solemnitatem pertinere, probat *Felin.in cap.cum delicta nu.6. de rescript.* alijque quos laudat, sequiturque *Salved.loc.cit.* Atqui Tridẽtinum ordinario facultatem indulget omittendarũ, vel prorogandarum denunciationum, prout ipsi visum fuerit expedire. Atq; itá rationes omnes, quas huiusce sententiæ patroni veluti diuersas separatim tradidere, commodè modo exposito in vnam, eamdemque coagmentauimus.

20 Neque verò quicquam obstant, quę à *Menochio*, alijsque obiectantur. Id quod, vt rectè intelligatur, recolenda est distinctio potestatis, quam *conf. 29. à n.41.* tradidimus, in merè physicam, mediam, & moralem. Etenim obiecta benè concludunt, denegari contrahentibus matrimonium, ac parocho ei assistendi in casu, de quo loquimur, potestatem moralem, itá vt nequeant ritè, honestè, ac licitè illud matrimonium, omissis absque causa denunciationibus, celebrare; non verò negari mediam, quæ actum validũ attingit: satis enim probauimus, eo euentu validè contrahi, etsi illicitè.

21 Vt autem parochus parochi personam agat, satis illi est, vt obtineat mediam illam potestatem, vt patet; probaturque non incongruè ex *cap. 1. de sentent.excomm.lib. 6.* vbi, etsi iudici præcipiatur, vt in scriptis, præmissaq; trina monitione, & non aliter excommunicationis sententiam ferat; si hæc tamen à iudice omittantur, valida nihilominus erit excõmunicatio, quã uis iniusta: mutatio enim solemnitatis neque sententiam inualidam reddit, vt *not.in l.prolatam, ibique Gloss. Bald.alijque C.de senten.& interl.*

22 Forma verò, seu conditio, quam ablatiuus absolutus indicat, non est substantialis, sed prorsus accidentalis, quæ non valorem, sed honestatem matrimonij respicit, vt ex dictis facillimè elici potest: cum verò illa mutatur, vel penitus omittitur, nequaquam actus substantia perit ad *trad. per Mandos.in reg. 27 cancell.qu.8.nu. 13.* & proculdubio istæc forma eodẽ prorsus modo à *Tridẽtino* requiritur, quo ab antiquo iure exigebatur, vt patet ex ijs verbis, *vestigijs Sacri Concilij Lateranensis inhærendo*: ab hoc verò nonnisi ad honestatem, non autem ad matrimonij valorem edicta requirebantur; etsi de cætero alijs verbis à

23 *Tridentino* exprimatur; cuius tamen mentem satis colligimus non esse, ijs verbis formã substantialem inducendi, cuius omissione matrimonium nullum reddatur. hincque sequitur, totũ illum ordinem à *Tridentino* præscriptum minimè esse substantialem, cum ex ipsius verbis contrarium eliciatur: quo sanè casu locum minimè obtinere *Baldi, Decij*, aliorumq; doctrinam superiùs relatam, optimè *Sanchez* animaduertit: qui *nu.4.* illud iurisconsultorum enunciatum, factum contrà legem pro infecto existimari, benè etiã monet, tunc procedere, quando lex statuit formã actus substãtialẽ: nõ verò cum aliud colligitur. atq; itá explosimus contrariorum ratiocinationes.

CON-

CONSILIVM XXXXI.

An, & quo euentu post Concilium Tridentinum *præsumptum matrimonium dari queat.*

§. I.

Præmonita quædam.

SVMMAE.

1 *Quomodo ante* Concilium Tridentinum *sponsalia impuberum in matrimonium transibant.*

2 *Hoc matrimonium, præsumptum, dicebatur, & quare.*

3 *Sententia negans, dari matrimonium præsumptum post* Conc. Trid. *explicatur.*

4 *Qui actum facit, præsumitur facere ex caussa præcedentis obligationis.*

5 *Contrà hoc præsumptum matrimonium non est probatio admittenda.*

Sæpè in caussa matrimonij confessioni coniugum statur.

6 *Delictum non est præsumendum.*

7 *Ad matrimonij valorem non sufficit consensus internus, sed debet externo signo aperiri.*

Externa signa ad essentiam matrimonij non spectent.

8 *Satis est, hûc consensum signis exprimi, nec verba desiderari.*

Consensu contrahitur obligatio.

Legatum nutibus relinqui potest.

9 *Nec verba Ecclesiæ præcepto in matrimonio requiruntur.*

10 Conc. Florent. *explicatur, quatenus in matrimonio verba requiri innuit.*

Per nutus homines loqui in sacris literis quandoque dicuntur.

Ioan. 13. *nutus verba appellantur.*

Equidem hac de re ab amico viro consultus, respondi, dari posse. quod vt rectè intelligatur.

1 Moneo primùm, ante *Concilium Tridentinum*, cum duo puberes sponsalia inibant, vel cum vterque, aut alter impubes matrimonium contrahebant per verba de præsenti, quo sanè casu vti spōsalia censebantur, vt ostendit optimè *Sanch. lib. 1. de matrim. disp. 21. n. 2. &* 5. moneo, inquam, istæc sponsalia in matrimonium transijsse, si illa ij actus sequebantur, quibus iuris præsumptione præsens consensus, ad matrimonij valorem necessarius, explicabatur, vti copula, coniugali affectu habita: traductio sponsæ ad sponsi domum, ea solemnitate facta, qua vxores ad virorum domos traduci solent: cohabitatio sponsi, & sponsæ: de quibus sanè omnibus, alijsque præsumptionibus, ac coniecturis, quibus matrimonium contractum præsumatur, rectè, ac copiosè egit *Menoch. de præsumpt. lib. 3. præsumpt.* 1. innumerique alii apud ipsum.

2 Hoc autem matrimonium *præsumptum* à iure in *cap. is, qui fidem de sponsalib.* alijsque, & à cæteris Doctoribus nuncupatur: non quòd verè matrimonium, cum sit quid facti, præsumatur, vti post *Bart. Corn. Alex.* pluresq; alios, edocuit idem *Menoch. loc. cit. n. 1. & cons. 199. num. 2. lib. 2.* sed quia, cum illud probare debeat is, qui asserit, esse contractum; alteroque ex duobus modo id præstari queat, puta aut veris, aut certè præsumptis probationibus; id quidem, quod hoc secundo modo probatur, *præsumptum* rectissimè appellatur, vt ab illo discriminetur, quod *verum* ab omnibus dicitur, propterea quod veris probationibus ostenditur, vt optimè animaduertit *Ioa. Lup. tract. de matrim. part. 1. n. 25.* & post eum *Menoch. præsumpt. 1. cit. n. 2. 3. & 4.* Hoc autē matrimonium secundùm omnes dici debet *præsumptum*, cū copula fit animo fornicario. An autem dici possit *verum*, cum copula fit affectu coniugali, alij aiunt, vt *Sanch. & Henriquez*; alij negant,

gant, vt *Bassolus, Basilius Pontius*, & *Hurtado disp. 3. de matrim. diff. 14. nu. 52.*

3 Moneo secundò, plures reperiri, qui nihil expressim distinguentes de modo, quo ij actus adhibentur, puta nũ coram parocho, & testibus, num verò absque horum præsentia adhibeatur, docent, post *Concilium Tridentinum* istæc præsumpta matrimonia locum non obtinere. Quos equidem censeo loquutos, cum absque parochi, & testium præsentia ij actus adhibentur: etenim fermè omnes hoc præsumptũ matrimonium hi Doctores ideo inficiantur, quia clandestinum putant, vt ex eorum inspectione constat, vt, præter à *Sancio* recensitos, videtur docere *Bellarmin. tom. 2. lib. 1. de matrim. cap. 5. vers. ex qua sententia in fin. Valen. in 3. p. D. Th. disp. 10 qu. 2. punt. 4. versic. dixi autem:* clãdestina verò matrimonia à Concilio reprobari, omnes profitemur. Atqui nos non de clandestinis matrimonijs loquimur, quæ olim, post illos actus secretò, & occultè habitos, ab ecclesia præsumebantur, sed de matrimonijs, quæ præsumuntur quidem, non tamen post illos actus occultè habitos; sed publicè coram parocho, & testibus, vti mox explicabimus: quarè hi, Doctores nobis aduersari minimè censendi sunt: eorũ plures laudat, sequiturque *Sanch. lib. 3. cit. disp. 40. n. 3.* Quod si quispiam obstinatè contendat, eos nobis omnino aduersari; aio primùm, expressim aliquos nobis fauere: deidè, quicquid ipsi senserint, nostram opinionem nobis penitus arridere, & contrariam omnino displicere, ob rationem, quã mox subijciemus.

4 Moneo tertiò, ecclesiam ideo præsumptiones hasce olim introduxisse, quia censuit carnalem copulam post sponsalia habitam, solemnem traditionem, cæterosque actus suprà recensitos, esse sufficiens signum præsentis consensus, atque ita illis actibus satis indicare contrahentes, se velle ad effectũ perducere illam sponsalium promissionem: ità innuunt Doctores passim, præsertim *Couar. in epitome de sponsal. lib. p. p. cap. 4. §. 1. nu. 1. Menoch. præsump. 1. cit. n. 7. qui nu. seq.* id ipsum non incongruè confirmat, quia lex præsumit, quòd faciens actũ, præsumitur facere ex caussa præcedẽtis obligationis *l. quadã ff. de rei vẽd. Bart. in l. cum solut in fi. ff. de vsucap. Ruyn consf. 122. n. 7. lib. 4.* alijque.

5 Adeo verò firmam hanc eamdem præsumptionem existimant iura, præcipuè cum copula sponsalia sequitur, vt, si quis aliam post illud matrimonii præsumptum, etsi in facie ecclesiæ duceret, & cognosceret; ad primam tamen redire compellatur, vt apertè statuitur in *cap. is qui fidem, de sponsal.* alijsque: *quia, licet præsumptum,* inquit ibidem Pontifex, *primum matrimonium videatur, contrà præsumptionem tamẽ huiusmodi non est probatio admittenda:* id ipsum edocuit ibi *Glossa, ac Doct.* præsertim *Menoch. d. præsumpt. 1.* ità vt, licet sæpè in caussa matrimonij, testimonio, ac confessioni coniugum fides adhibeatur, vt latissimè exposuit idem *Menoch. lib. 2. de arbitr. iud. cent. 2. caf. 103.* in casu tamen, quo de agimus, eorumdem confessio, puta quòd non coiuerint animo matrimonij contrahendi, non admittatur, vt explicat auctor laudatus loco nuper laudato, & *præsump. 1. cit. n. 9.* quicquid innuat post alios *Couarr. loc. cit.*

6 Quin fermè omnes censent, hanc eãdem præsumptionem locum obtinere, etiamsi sponsus protestetur, præsente, & consentiente ipsa sponsa, se nolle per coitum matrimonio consentire: adhuc enim, si copula sequatur, præsumitur propter coitum sponsos ab hac protestatione recessisse. Ità *Glossa in cap. per tuas de cond. appos.* ibique cæteri omnes, alijque passim, quorum aliquos laudat, sectaturque *Menoch. loc. cit.* Benè tamen hac in re *Aret. consf. 142. n. 8. ver. tertia conclusio*, monuit, hanc doctrinam minimè procedere quan-

quando de ijs actibus ageretur, qui absque peccato mortali fieri possent ob spem nuptiarum: si enim hi protestationem sequantur, contracti matrimonij præsumptionem non inducere, rationibus *Aretinus* ostendit. Etenim ideo ea sponsi protestatio apud Doctores non est in consideratione, quia per ea mortale peccatū induceretur, si effectum obtineret: atqui delictum præsumendum non est *l. Quintus ff. de donation. inter vir. & vxor. l. meritò ff. pro socio*: atque ita docuere *Menochius*, & *Couarruuias sæpè laudati*: vbi ergo peccati præsumptio cessaret, & contracti quoque matrimonij præsumptio conquiesceret.

7 Demum moneo, etsi verissimum sit ad matrimonij valorem, quippe contractus inter homines, interiora cordis ignorantes, celebrati, & sacramenti, signi sensibilis, nequaquam satis esse consensum dumtaxat internum, nullo penitus externo signo patefactum; sed omnino requiri hunc eumdem interiorem consensum signo aliquo exteriori aperiri; siue de cætero externa istæc signa solum se habeāt ad matrimonij constitutionem vti cōditio sine qua non constitueretur, vt aliqui opinantur; siue, quod probabilius puto cum pluribus, quos laudat, sequiturque *Sanch lib. 2. de matrim. disp. 30. n. 3.* ea ad ipsius essētiam spectent, quò scilicet perfecto humano actu, perfecta, exteriorque corporum mutua contrahētium traditio habeatur.

8 Etsi, inquam, id verissimum sit; nihilominus certum quoque esse debet, sufficere hunc matrimonialem consēsum signis exprimi, nec necessariò ad id præstandum verba desiderari, nedū in ijs, qui loquela carētes, quod verbis non possunt, signis declarare valent, *cap. cum apud sedem, & cap. tua fraternitati, de sponsalib.* verum etiam in ijs, qui, loqui valentes, vel vterq; signis suum patefacit consensum; vel, altero verba proferente, alter nutibus annuit. Etenim verba neque ex natura contractus requiruntur; cuius ratio perfectè consistit, si mutua contrahētium voluntas signis dumtaxat patefiat: in quibuscumq; enim negotijs sermone opus non est; sufficiente consēsu, inquit *Paulus* relatus in *l. in quibuscumque ff. de actionibus*, alijsque probat *ibid. Glossa*: & sæpè dicimus, cōsensu obligationem contrahi; quia neque verborum, neque scripturæ vlla proprietas desideratur; sed in ijs contractibus sufficit eos, qui negotia gerunt, consentire, vt docuit *Caius* relatus in *l. 2. ff. de action. & oblig.* quia hi contractus, vt subdit *Paulus in l. si stipuler §. fin ff. de verb. oblig.* non tam verbis, quam consensu confirmatur: quo iure rectè monuit generatim *Glos. in l. 1. §. si quis ità verb. annuisset ff. de verb. oblig.* in ijs, quæ consensu fiunt, verba minimè desiderari. Ità sancitū est in *l. nutu ff. de leg. 3.* legatum nutibus relinqui posse; & in *l. 1. §. assignare ff. de assignat. libert.* assignari libertum, quibuscumque verbis, vel nutu. Matrimonium autem perfici consensu, nemo inficiari potest.

9 Neque verò verba ecclesiæ præcepto requiruntur: vel enim ecclesia verba exigit ad matrimonij valorem, & firmitatem, ità vt absque verbis matrimonium ecclesiastica lege nullum reddatur; vel ea exigit ad matrimonij conuenientiam, & honestatem, ità vt validum quidem illud fit, absque verbis celebratum; non item licitum, cōueniēns, & honestum. & si primū quidem ab aduersarijs eligatur; sanè ab ijs iure aliquo apertissimo probari debet, ab ecclesia irritum reddi matrimonium absque verbis celebratum: siquidem iura omnia, quæ ab illis nobis obijci possunt, rectissimè à *Sancio disp. 31. lib. 2. cit.* ostenditur, nihil penitùs vrgere; apud quem horum iurium declarationes consulendæ sunt: neque enim hoc loci actum agere in animo est. Quod si secundum eligant; prætérquamquod illud nobis, solùm de matri-

trimonij valore, ac firmitate nunc disputantibus, non item de honestate, nihil penitus obesset; nihilominus benè quoque *Sancius loc. cit. nu. 9. & 10.* probat, certius esse, nullum hac de re præceptum ecclesiæ reperiri; atque iura, quæ contrarium innuunt, factum dumtaxat enarrare, & exemplificatiuè loqui; laudatque *Præposit.* aliosque. consule *Sancium*, qui hisce de rebus latiùs differit.

10 Minimè tamen prætermiserim, quò facillimè omnia prorsus obiecta dissoluantur, animaduersionem *Bellarm. tom. 2. controu. lib. 1. de matrim. Sacrã. cap. 8. in solut. 2. obiect.* vbi doctissimè monet, in *Concilio Florẽtino* per verba, quæ ad omnia Sacramenta ab illo requiruntur, intelligi non solùm verba propriè dicta, sed etiam ea signa, quæ vicem verborum gerunt. Nam ideo, vt ait *Bellarminus*, idem Concilium, cum singula sacramenta sigillatim exponeret, non dixit in matrimonio necessariò verba requiri, sed ait, regulariter verba coniugum adhiberi. addidit verò illud, *regulariter*, quia nonnunquã nutus adhibentur, quæ locum verborum teneant. Neque inusitatum, aut præter scripturæ diuinæ morem esse, ait, vt per nutus homines loqui dicantur, & proindè nutus verborum vicem teneãt, vt *Ioa. 13.* ibi: *innuit Simon Petrus Ioanni, & dixit*: quem locũ, enarrans *Augustinus* scribit, Petrum innuendo dixisse, & ipsos nutus à diuina scriptura verba appellari. eamdẽ doctrinam amplectitur *Sanch. disput. 31. cit. n. 8.* etsi *Bellarminum* minimè laudet. Demum addo, *Concilium Tridentinum*, præter solemnitatem parochi, ac testium adhibendam, nihil prorsus antiqui iuris immutasse, vt benè post vtrumque *Ledesmium* edocuit *Sancius lib. 5. de matrim disp. 1. n. 1. in fine.* vbi ergo istæc solemnitas adhibetur, in reliquis prisca iura firmissima manẽt.

§. II.

Statuitur, posse post *Conc. Trid.* dari matrimonium præsumptum.

SVMMAE.

11 *Nihil expressius, quam copula, consensum significare potest.*
12 *Post* Cõc. Trid. *dari posse matrimonium præsumptum.*
13 *Declaratio Cardinalium, quæ huic sententiæ fauet, exponiturque* nu. 14. 15. 16.
15 *Actus legitimi conditionem non recipiunt, neque diem.*
17 *Professio religionis signis tantum fieri potest.*
18 *Nihil refert, quòd quidpiam ex æquipollentibus fiat.*
19 *Inter B. Virg. ac S. Ioseph. verum coniugium absque carnali copula intercessit.*
20 Cap. non dubium, & cap. cum societas 27. q. 2. *emendantur.*
21 *Copula coniugalis, neque Sacramentum est, neque pars illius.*

11 His ità breuiter præmonitis, ac nihil omnino statuẽres, quænam tandem signa aptá sint consensui contrahentium exprimendo, sed omnino supponentes, aliqua dari hodiè, sicuti olim ante *Concilium Tridentinum*, de quibus abundè *Menoch. præsũpt. 1. cit.* & copulà, post spõsalia affectu coniugali habità, vt exẽplo vtentes, quippe quæ iuxtà omniũ sententiam sponsalia in matrimoniũ transire dicebantur, iurisque præsũptione præsens cõsensus explicabatur, vti suprà monuimus; cum nihil expressius, quam ea consensum significare queat, vt rectè docuit *S. Th. in supp. 3. p. q. 46. art. 2. in corp.* proindèque præsumptum matrimonium dici consueuerat.

12 Aio, nobis videri certum, etiã post Concilium Tridentinum agnoscenda esse matrimonia præsumpta, atque huiu-

huiuscemodi fore, (quod exempli gratia ponimus, vti nuper monuimus) si cum sponsalia, quæ de futuro appellantur, tum copula inter hos sponsos coram eodem Parocho, ac iisdem duobus, vel tribus testibus fiant. Dixi, si & sponsalia, & copula coram iisdem Parocho, & testibus habeatur: si enim hęc desint, nequaquam erit matrimonium præsumptum, cum Parochus, & testes minimè de vtraq; re testimoniũ ferre queant, vt docuit post *Petr. de Ledesma Sancius lib. 3. disp. 40. num. 6. Hurtado disp. 3. diff. 14. n. 53.* aliique. Probo autem positam assertionem in hunc modum: consensus contrahentium mutuus, ac præsens, etsi non verbis expressus, sed sufficienti signo externo coram parocho, ac duobus, tribusuè testibus manifestatus, satis omninò est ad matrimonium cõstituendum, vti probauimus: atqui copula illa post contracta sponsalia est sufficiens signum præsentis, mutuique contrahentium consensus, vti itidem ostendimus: quo igitur tempore hæc copula coram parocho, ac testibus habetur, legitimum hodiè matrimonium constituet. Ità censet *Sanch. lib. 3. cit. disp. 40. nu. 7.* refertq; *Petr. de Ledesma de matrim. q. 46. art. 2. dub. 2.* ità quoque existimasse quemdam doctum virum, aliosque, qui id ipsum videntur edocere, refert idem *Sanch. & Henriq. lib. 11. de matrim. cap. 3. n. 7.* & nouissimè, post hæc scripta visus, eamdẽ sententiam amplexus est Illustrissimus Dominus Inquisitor *D. D. Didacus Garcia de Trasmiera in suo eruditiss. tract. de poligamia, & polyuiria lib. 2. q. 4. nu. 10. 11. 12. & 13.* cuius eximiam literaturam, aliasque non vulgares animi dotes Sicilia tota demiratur. licet contrariam opinionem tueantur etiam docti viri, vt *Aegid. disp. 21. nu. 21. Hurtado disput. 3. diff. 14.* & alii apud *Barbos. de pot. Episc. alleg. 32. num. 148.* quorum tamen aliqui non benè pro hac opinione laudantur, veluti *Sãchez*, qui à *Barbosa* pro se citatur, & tamen nostram amplectitur opinionẽ.

13 Sed ego reperio quamdam Cardinalium declarationem, qui Concilij Tridentini interpretationi præsunt, quam citat *Bellar. in ca. 1. de ref. matri. sess. 24.* vbi eam firmat, quæ plurimùm fauet traditæ à nobis doctrinæ; proindèque totidem verbis illam referre operepretium duxi. *A.* inquit, *cum N. coram parocho, ac testibus contraxit matrimonium per verba de præsenti. Sed hac tamen conditione, inquit A. si id saluo honore fieri potest, & si fratribus meis placuerit: deinde, non expectato conditionis euentu copulam habuit cum N. affectu maritali & copula scitur à multis. quæritur an per hæc sit iam firmatum verum matrimonium de præsenti, nec oporteat expectare conditionis euentum. & ratio dubitandi est, quoniam contractus ille coram parocho, & testibus, cum fuerit per appositam conditionem suspensus, non potuit habere vim matrimonij rati de præsenti, sed sponsalium de futuro; & copula cũ affectu maritali subsequuta, quamuis ostendat recessum fuisse à conditione; tamẽ non sufficit ad matrimonij veritatem, nisi de præsenti contrahatur coram parocho, & testibus, qui interfuerint quidem cõtractui antea inito, qui contractus non habuit vim matrimonij de præsenti, sed sponsalium de futuro: Concilium autem Tridentinum videtur exigere, vt non solùm de futuro, sed etiam de præsenti coram parocho, & testibus contrahatur. Congregatio Concilij censuit, in casu proposito matrimonium valere, nec requiri, vt de nouo coram Parocho, & testibus contrahatur.*

14 Fauet, inquam, hæc Cõgregationis declaratio nostræ assertioni, quia, si ipsa eius vis, atque virtutis censuit copulam esse, vt consensum conditionatum, proindèque penitus imperfectũ, omnino perficeret, ità vt matrimoniũ perfectissimè constare censuerit; si ea copula sciretur à multis; certè nemo dubitare iure poterit, quin idem Congregatio potiori iure responderet, si il-

la copula nedum à multis sciretur, verum etiam coram parocho, ac testibus haberetur, Nam congregatio videtur censere, matrimonium illud ità cōtractum, non vim matrimonij de præsenti, sed sponsalium obtinere, quæ in matrimonium transeat, copula affectu habita coniugali.

15 Certè consensus ille conditionatus coram parocho, ac testibus expressus, primùm non videtur cōsensus de præsenti, licet per verba de præsenti euidentiùs exprimatur, qui in alieno arbitrio, non habito, sed habendo consistit, vt ait Vrbanus tertius relatus in *cap. super eo, in fine de condit. appos.* & sicut cōditionatus consensus ad spōsalia minimè sufficit, *cap. vni §. fin. de sponsali. lib. 6.* ità neq; ad matrimoniū satis esse, censendum est: vel quia est sacramentum nouæ legis, ac proindè à futuro euentu pendere non potest, vti cætera omnia pendere minimè queunt: vel meliùs, quia actus legitimi conditionem non recipiunt, neque diem *Reg. actus, de reg. iur. in 6. & l. actus ff eod.* cum enim à iure sint instituti, vt statim suum effectum consequantur; conditio, dic sed, quæ id suspendunt, ipsorum substantiæ aduersantur, vt post *Sot. Couarr.* aliosq; docuit *Sanch. lib. 5. cit. disp. 1. n. 5.* vbi rectè proindè censet, consensum quidē matrimonialem posse à conditione pendere, non item matrimonium ipsum; quod tunc verè constitui censēdum est, cum conditio adimpletur; siue de reliquo tunc nouus consensus requiratur, vt penè omnes Theologi putant, quos citat, sequiturque *Henriq. cap. 11. Basilius Pontius lib. 3. c. 14.* refellitque *Sanch. lib. 5. cit. disp. 8. à nu. 3. vsque ad nu. 9.* siue ille minimè exigatur, sed statim, conditione adueniente, absque nouo cōsensu matrimonium fiat, vt omnes ferè iurisconsulti opinantur, quos laudat, sequiturque *Sanch. loc. cit. Hurtado disput. 7. diff. 3.* alijque.

16 Itaque verissimum est, consensum illum coram parocho, ac testibus manifestatum, siue sponsalia constituat, siue non, omnino imperfectissimum esse, atque insufficientem: quem tamen perfici à copula, ità vt verum, ac legitimum matrimonium constituat, congregatio censuit. cur ergo in casu, de quo ipsi agimus, non idem arbitretur? certè imperfectior omnino videtur esse consensus quicumque conditionatus, q̄ quilibet alius absolutus, etsi in tem futuram referatur: quandoquidem hic certum esse, ac determinatum habet: at ille ad esse, & non esse habere se potest *l. si ita stipulatus 5. ff. de verb. obligat. alijsque.*

17 Iterum confirmatur assertio nostra, quia spirituale matrimonium, à quo ad carnale argui licere, docuit *Euerardus loco à matrimonio spirituali, alijque apud Barbos. in locis comm. loco 70.* puta professio religionis, signis dumtaxat fieri potest, vti certè fit professio tacita religiosi habitus delatione *cap. vidua de regularib.* eodem igitur modo, & carnale matrimonium fieri potest. Id quod vlteriùs roboratur, quia verba ad matrimonij constitutionem requiruntur, vt consensus contrahentiū cognoscatur, vt ex ipsa rei natura, ac verbis quoque Concilij elicitur, præsertim ibi: *& eorum mutuo consensu intellecto, cap. 1. sess. 24. cit.* vndecumque igitur consensus ille cognoscatur, & intelligatur, siue verbis, siue alijs quibuscumque signis, satis omnino erit ad matrimonij firmitatem.

18 Etenim nihil referre, quòd quid ex æquipollentibus fiat, docent passim iura, doctoresque *cap. licet ex quadā de testib. l. si mater C. de institut. alijsq;* relatis ibidem *à Glossa, & à Mantica lib. 11. de coniect. vltim. volunt. tit. 16. n. 4. Couarr. pract. quæst. cap. 39. nu. 7.* quod præsertim locum obtinet, cum apparet, legis conditorem effectum potius respexisse, quam formam, modumuè, à se præscriptum, vt ijdem doctores animaduertunt. Certum autem est, iura in matrimonio con-

tra-

trahendo verba requirere, vt consensus contrahentium intelligatur: quo quidem intellectio, nihil ipsis refert, num verbis, an verò signis sufficientibus id habeatur: *quod enim interest*, inquit Iulianus relatus in l. de quibus ff. de legib. *suffragio populus voluntatē suam declaret, an rebus ipsis, & factis*? nihil autem esse, quod expressiùs possit significare consensum, quam carnalis copula consequens sponsalia, diximus suprà cum *S. Thoma in supp. 3. p. q. 46 art. 2. in fin. corp.*

19 Sed contra positam à nobis assertionem quispiam objicere posset, indè sequi, copulam illam esse partem sacramenti essentialem, ità vt matrimonij sacramentum, quoad partes essentiales, nequaquam plenum, ac perfectum sit, nisi carnalis copula subsequatur? quod nemo Catholicorum dicere audet; cum omnes penitus, secuti *S. Aug. lib. 2. de consens. Euangelist. cap. 1.* inter B. Virginem MARIAM, ac S. Iosephum, verum côiugium absque carnali copula agnoscant: de quo latè *Rebellus p. 2. de oblig. iust. lib. 2. de matrim. q 13. & S. Ambros. lib. de instit. virg. cap 6.* Non deflorationem virginitatis coniugium facere, sed coniugalem pactionem, asseuerat: id quod refertur in *cap. cum initiatur 27. q. 2.* vbi alia quoque plura huiuscemodi reperies.

20 Etsi de reliquo verissimū sit, quosdam eorumdem Catholicorum penitùs inficiari, copulam illam sacramētum esse, partemuè sacramenti; sed docere, actum solùm esse, siue officiū matrimonij, atque adeo respectu sacramenti matrimonij esse quid prorsus accidentarium; alios verò concedere, esse quidem sacramenti partem, sed integrantem, non autem essentialem; proindèque ante copulam matrimonium ratum dici, non verò consummatum, vt refert *Bellarm. tom. 2. lib. 1. de matrim. sacram. cap. 5. in resp. ad sextum argumentum*, vbi optimè monet, duo capita à *Gratiano* laudata *caus. 27. q. 2. cit.* puta *cap. non dubium, & cap. cum societas*, quæ copulam partem esse sacramenti innuunt, deprauatè à *Gratiano* allegari, sicuti & à *Magistro lib. 4. sentent. dist. 26.* addunt enim hi negationem, quæ in *epist. 90. & 92. Leonis ad Rusticum Narbonensem*, vndè ea loca desumpta fuère, minimè reperitur, nec reperiri potest, si Sancti Leonis sententia perpendatur, vti rectè *Bellarminus* ostendit. Id quod & in calce *cap. cum societas* hisce verbis annotatum est. *In codicibus epistolarū Leonis impressis, & manuscriptis in epist. 90. & 92. ad Rusticum cap. 4 itēque apud Bucchardum, & Iuonem, longè aliter habet hic locus. Cum societas*, inquit, *nuptiarum ità ab initio constituta sit, vt præter sexuum coniunctionem haberet in se Christi, & ecclesiæ sacramētum, dubium non est, eam mulierem non pertinere ad matrimonium, in qua non docetur nuptiale fuisse mysterium.* Gratianus verò hoc loco manifestè vtitur deprauato, vt in *Decreto* animaduertere licet. Firmum igitur manet, coitū neque sacramentum esse, neque partē sacramenti essentialem; quicquid inaniter blaterer contrà catholicos *Caluinus*, alijque nostri temporis hæretici, ac si id Catholici edocerent.

21 Respōdeo, & nos quoque hanc verissimam ortodoxorum sententiā mordicùs tueri, neque contrarium exposita à nobis assertione colligi iure posse: etenim copula illa côram parocho, ac testibus habita eo euentu vicem verborum, seu aliorum signorum, consensum exprimentium, tenet; ac proindè in ea ad eum planè modum ratiocinādum est, quo & in verbis philosophamur: neque hæc difficultas nobis solū hoc tempore obest, sed omnibus prorsus Catholicis soluenda est pro eo tēpore, quod Concilium Tridentinum antecessit. Aio igitur, matrimonium tunc verè perfici, cum vtriusque côtrahentis adhibetur consensus: externa verò signa, quibus hic consensus exprimitur, vel sunt conditio sine qua

Ppp 2 non,

non, vt aliqui censent, quos retulit *Sanchez lib. 2. disp. 30. n. 2. & Hurtado disp. 3. diff. 12. nu. 45.* & in horum opinione nulla erit difficultas; quandoquidem tunc temporis copula illa erit quidem conditio, sine qua non constitueretur matrimonium; non autem sacramentum, aut pars essentialis sacramenti: vel ea signa pertinent ad matrimonij formam, & rationem, vt alij opinantur, quos ibidem sequitur, citatque *Sanch. nu. 3. Hurtado loc. cit. Basilius lib. 1. cap. 6. Aegid. disp. 24. dub. 8.* & tunc quidem copula interiorem, mutuumque contrahentium consensum exprimens, ac manifestans, ad matrimonij formam pertinebit, non vt coitus est, sed vti signum sufficiens exprimere interiorem cõsensum: quo sanè casu non est absurdum asserere, inquit *Bellarminus loco cit. vers. ex qua sententia*, ad initium illius copulæ gratiam diuinam infundi, nisi coniuges obicem ponant. Hinc verò solum sequitur, quãdoque, puta in eo peculiari casu, coitum ad formam sacramenti matrimonij pertinere, vt signum consensum internum manifestans: quod nullo modo absurdum videri debet; non verò vniuersè, ac generatim esse illius sacramenti partem essentialem, vt coitus est. quod solum absurdum, falsumque censeri debet.

CONSILIVM XXXXII.

Num filij ex matrimonio putatiuo habiti legitimi quoad omnia censeantur.

§. I.

Aiens sententia probatur.

SVMMAE.

1 *Facti species refertur.*
3 *Filij ex matrimonio putatiuo nati, legitimi quoad omnia censendi sunt*, & n. 3. & seq.
4 *Quamuis ad successionem vocentur filij ex legitimo matrimonio nati*, & n. 5.
6 *Matrimonium putatiuum, etsi fortè verum dici nequeat, tamen legitimum est, appellarique debet*, & n. 7.
Legitimum dicitur, quod iure aliquo approbatur.

1 Facti species, quod annis superioribus euenit, deditque ansam responso, ità se habuit. Petrus nobilis Hispanus cum Maria matrimonium contraxit, iuxtà ritum, ac formam à Sacro Concilio Tridentino præscriptam; sed post aliquot annos, impotente ipso reperto, iudiciali sententia matrimonium irritum, ac nullum declaratum fuit; atque vtriq; nubendi licentia a Iudice impertita; Mariæ quidẽ, vt cuilibet nubere posset; Petro autem, vt nonnisi cum corrupta matrimonium iniret: neuter à sententia prouocauit: sed Maria quidem ibidem, vbi sententia lata fuerat, præmissis denunciationibus, cæterisque adhibitis, quæ à Tridentino præscribuntur, alteri nupsit, puta Francisco, filiosque procreauit: Petrus verò in remota ciuitate mulierem quãdam Victoriam nũcupatam, quæ virgo habebatur, sibi matrimonio copulauit, ex eaque filios habuit. id nonnisi post multos annos patefactũ est; quo sanè tempore Mariæ consanguinei petière, vt matrimonium inter illam, ac Franciscum initum, nullum omnino declaretur, filijque ex eo habiti illegitimi censerẽtur, proindeque inhabiles ad succedẽdum in maioratibus, in quibus filij ex legitimo matrimonio nati vocantur. idque propterea, quia Petrus verè potens postea compertus est, ideoque primũ matrimonium inter ipsum, & Mariam initum, validum erat: quarè secundũ inter hanc, & Franciscum contractum, nullum penitus fuisse, probare conabantur.

2 Consulti fuère hac de re plures docti viri, & primarij Matritensis Curiæ ad-

uocati: & licet vnus, aut alter eos filios illegitimos esse putauerit; cęteri omnino mecum sensère, qui filiorum legitimitatem defendebam. Qua quidem in re omisi libenter illud discutere, num verè secundùm illud matrimonium inter Franciscum, ac Mariam initū nullius momenti declarari posset; sed eo gratis penitus dato, quòd minimè necessarium filiorum legitimitati existimauerim; eam ostendi ratiocinatione, quam mox subnectam: præmissis, probatisque primùm duabus iuris conclusionibus, quæ verissimæ censeri debent.

3 Prima quidem conclusio est, filios habitos ex matrimonio, quod *putatiuum* appellant, ob vtriusque, vel alterutrius ignorantiam, seu bonam fidem, esse legitimos, proindeque habiles, vt suis parentibus succedant; etsi deinde nullum, atque omnino irritū eiusmodi matrimonium iudiciali sententia declaretur. Hæc sanè conclusio, etsi contrariam nonnulli amplexi sint, communis est penè omnibus, probaturque manifestè ex *cap. ex tenore, ibique Gloss. verb. ignaram. & verb. legitimam cap. 2. cap. referente, alijsque, qui filij sint legitimi.* item *Glossa in cap. tanta, verb. aliam, cap causam verb. alij eod. tit. in cap. cum inhibitio, verb si ambo parentes, de clandest. desponf & 45. q. 7. initio l. qui contrà, vers. exceptis tā feminis; ibiq; Gloss. cum addit. & Bald. C de incest. nupt. & l. qui in prouincia §. diuus ff. de rit. nupt.* alib ique passim. *Abbas*, quicquid aliqui de eo sēserint, *in cap. tanta n.* 8. & 10. & *in cap ex tenore n.* 1. & 3. *qui filij sint legitimi*, atq; alibi: & ità fuisse decisum *in Rota Romana*, refert *Cassad. decis. vni. de sposal. lib. & matrim.* idem statuūt leges Hispanæ, *part. 4. tit. 3. l. 3. & l. 1. tit. 13.* docentque plures Doctores Hispani, quos laudat, sequiturque *Sanchez lib. 8. de matrim. disp. 34. n. 46.* rectè quoque de eadem re *Decius cons. casus de quo quæritur* 153. vbi antiquiores allegat, alios quoque citat, sequiturque *Mascard. de probation. concl.* 798. *nu.* 5. vbi *n. 6.* eamdem doctrinam restringit, nisi matrimonium illud fuisset clandestinè contractum; *cap. cum inhibitio §. si quis verò de clandest. despons.* alios neutericos laudat, sectaturque *Farinac. decis.* 354. *n.* 3. quæ habetur post *lib. 2. respons.* & ità fuisse decisum, refert *ibid. decis.* 257. *n.* 1. *in fine*.

4 Consulēdus quoque *Molina lib. 3. de primog. cap.* 1. vbi *n.* 12. ait, in maioratus successione præferendum esse primogenitum habitum ex matrimonio putatiuo, bona fide ab ijs contracto, qui impedimentum ignorabant; dummodo in facie ecclesiæ initum sit; laudatque iura, quæ id ostenduntiad; ditque *n.* 13. sufficere bonam alterutrius coniugis fidem, recensetque *Gloss* & Doctores, qui id ipsum profitentur: & *n.* 15. docet, eamdem doctrinam locum obtinere quoque in maioratu, ea lege relicto, vt nonnisi filio legitimo, atq; ex legitimo matrimonio nato deferatur: quandoquidem eiusmodi matrimonium quoad prolis legitimationem iuris dispositione verum, legitimumque censetur, filijque ex eo habiti verè, ac propriè, non autē fictè, atque impropriè legitimi sunt, vti ostendit *Deci consil.* 153. *cit.* cuius opinionem alij sequuntur, quos *Molina* recenset. tametsi, inquit hic auctor, contrariam sententiam amplectatur, atque subtiliter defendat *Curt. Iun. cons.* 27. *nu.* 6. & *cons.* 64. *nu.* 11. cuius opinionem in quodā amplissimo Hispaniarum primogenio iamdudum satis controuersiam vidimus. Adde *Mierez de maiorat. part. 3. q.* 15. *n.* 129. & 130. qui post plures alios, quos laudat, docet, filios hosce ex putatiuo matrimonio habitos succedere, cum quoad possessionem, tum quoad proprietatem: idem quoque concedit, saltem tacitè, *Menoch. cons.* 442. *n.* 68. & *seq. lib.* 5. vbi laudat quoque *Molinā* aliosque: & ex instituto hanc rem auctor iste pertractat de *præsumpt. lib. 4. præsumpt.* 77. fauetque traditæ à nobis do-

doctrinæ. legendi quoque *Couarr. in epit. de sponsal. par. 2. cap.* 8. §. 1. alijque ab his auctoribus recensiti.

5 Sed quoniam in maioratu, de quo agebatur, filij ex legitimo matrimonio nati vocabantur; operepretium fuit discutere, num prima hæc conclusio hoc etiam euentu locum obtineret. Hanc sanè difficultatem eximiè expediuit *Decius cons.* 153. *cit.* vbi aiētem sententiam amplectitur, probatque; ac *Decium* sequuti sunt ferè cæteri omnes, vt apud *Molinam, ac Menochiū* animaduertere licet, vno *Curtio Iuniore* excepto, qui mordicus cōtrariam opinionem tueri nititur in *cons.* 17 *n.* 6. & latiùs in *cons.* 64. *à nu.* 11. Decijque rationibus respondere conatur: at ipsius rationibus, & argumentis abundè satisfacit *Socin. Iun. cons.* 39. *à num.* 18. *& cons.* 63. *lib.* 3. vti etiam *Menochius* animaduertit; atque firmissimè quoque probat *Socinus Decij* opinionem. Et quamuis aduersæ partis aduocati contra nos in medium tūc protulerint omnes *Curtij* rationes, ipsique illis responderimus cum *Socino*, nihilque ferè neque ab ijs, neque à nobis vtriusque Auctoris doctrinæ additum sit; superuacaneum tamen esse existimaui hoc loci & *Curtij* argumēta, & *Socini* solutiones, ac fundamenta transcribere, cum apud illos vtraq; facili negotio consuli queant.

6 Illud dumtaxat hic monuerim, aduersariorum rationes fermè omnes vnum vti certum supponere, quod, me iudice, falsissimum censeri debet; puta matrimonium putatiuū nequaquam dici posse legitimum, ac verum; sed omnino fictum, & à lege improbatum: cuius tamen contrarium rectissimè *Socinus* ostendit. Etsi enim eiusmodi matrimonium fortassis verū nequeat appellari, vti edocuisse videtur *Bald. in l. falsus tutor* §. *an etiam in patrem ff. quod fals. tut. auct. ac Decius cons.* 153. *cit.* quos laudat, ac sequitur *Menoch. de præsūpt. lib.* 4. *cit. præsumpt.* 77. *n.* 7. *&* 8. legitimum tamen verissimè nuncupari, nemo iure inficiabitur: etenim id verè legitimū dicitur, quod iure aliquo approbatur *l. legitima, ibiq; omnes ff. de pactis*: atqui matrimoniū putatiuum ab ecclesia, & pontificio iure, quoùsque impedimentum detegatur, omnino approbari, satis constat ex iuribus, quæ superiùs recensuimus.

7 Neque dicas, iura quidem filios, ex isto matrimonio habitos, legitimos sanè existimare, non tamen ex legitimo matrimonio natos: quandoquidem, præter id, quod vltimo loco diximus, aio, id consistere non posse: tum quia proles legitima ex illegitimo matrimonio haberi nō potest: qui ergo legitimam prolem ex matrimonio aliquo pronunciat; & ipsum matrimonium legitimum esse concedat, necesse est: tum quia, ni fallor, clarissimè id innuit *Cælestinus in cap. per venit, qui filij sint legitimi*: cum enim viduæ illi ab aduersarijs obijceretur, quòd non esset ex legitimo matrimonio suscepta, quò à paterna hæreditate eam amouere possent; vidua verò proponeret, inter ipsius parentes matrimonium fuisse legitimè celebratū; quicquid denuò illi obijci posset; Pontifex mandat, si est ità, dictam viduā legitimam iudicandam. Sanè, si in re, qua de agimus, differet esse legitimum ab esse ex legitimo matrimonio natū; nihil prorsus Pontifex viduæ fauisset: etsi enim eam legitimam pronunciasset; non tamen eam ex legitimo matrimonio susceptam declarasset; quod ei maximè necessarium fuisset. sed verè Papa illam legitimam asserendo, ex legitimo quoque matrimonio natam ostēdit.

(: † :)

§. II.

§. II.

Quodnam sit matrimonium putatiuum: & illatio in casu præsenti.

SVMMAE.

8 *Matrimonium putatiuũ quodnam dici posit*, & n. 9.
10 *Bona fides in ijs præsumitur, qui publicè matrimonium contrahũt.*
Cessat fraudis præsumptio, vbi contractus palam celebratur.
Quomodo palam gesta excusent, remissiuè.
11 *Iustè possidet, qui Iudicis auctoritate possidet.*
12 *Præsumitur pro sententia.*
Matrimonium contrahi non impedit litis pendentia, vel appellationis.
13 *Bona fides causatur ex titulo putatiuo.*
Bona fides semper præsumitur, & ignorantia.
14 *Iura, quæ hanc rem determinant.* & n. 15. & 16.
17 Puteus *explicatur.*
Decisio.

8 SEcunda conclusio est, matrimonium inter Franciscum, & Mariam initum, fuisse *putatiuum*. Hæc conclusio mihi quoq; certissima est: quam vt ostendam, præmittere oportet id, quod ex dictis hùcusque non obscurè quoque colligitur, docètque fermè omnes, quorum aliquos retulit, ac sequutus est *Menoch. cõs. 199. nu. 39. lib. 2. & de præsumpt. lib. 4. præsumpt. 77. cit. nu. 3.* puta duo omnino requiri, vt matrimonium aliquod putatiuum censeatur, ità vt filij ex illo procreati legitimi existimẽtur; etsi de reliquo postea nullum, atque irritum declaretur: primum quidem est, vt nõ fuerit clandestinè celebratum: secundum verò, quod saltem in alterutro coniuge bona fides adfuerit. ità expressim statuitur in *cap. cum inhibitio §. si quis verò, iuncta glos. de cland. desp.*

9 Et quidem matrimonium illud inter Franciscum, & Mariam initum, nõ fuisse clandestinè contractum, sed publicè in facie ecclesiæ, præmissis denunciationibus, & omnino seruata forma *Trident. sess. 24. cap. 1. de refor. matr.* ex facti specie initio relata supponitur. Quod verò bona fides in cõtrahentibus adfuerit, certissimum esse debet, eliciturque ex hoc ipso, quod modò diximus: si enim publicè, & in facie ecclesiæ hocce matrimonium celebratum est; omnino censendum erit, contrahentes bonam fidem habuisse: sicuti ex matrimonij clandestinitate malam fidem colligunt passim Doctores ex *cit. cap. cum inhibitio §. si quis verò de cland. desponſ.* plures apud *Menoch. conſ. 199. a nu. 39 lib. 2. & conſ. 442. n. 77. lib. 1.*

10 Etenim bona fides, atque error in his præsumitur, qui palàm, & in facie ecclesiæ matrimonium contrahunt, licet inualidè, vti rectè probat *Socin. Iun. conſ. 39 cit. n. 1 ex l. fin. vbi Doct. ff. de rit. nupt. & cap. ex tenore, & cap. 2. qui filij sint leg.* atque, conferre *d. cap. cum inhibitio.* idem per eadem ferè iura docuit *Ruyn. conſ. 108. nu. 1. lib. 3.* vbi laudat *Oldr. conſ. 257. Ioa. And. in addit. ad Specul. tit de clandest. desp. in princ. Abb. in d. cap. cum inhibitio.* idẽque repetit *Ruyn. conſ. 51. n. 15. & 16. lib. 5.* vbi citat quoque *gloss. in l. 1. C. de interdic. matrim.* atque, id ipsum plenè declarari à *Bart. in l. si adulterium cum incestu in princ. de adult.* vti etiam cessat fraudis, dolique præsumptio, quando contractus palam celebratur, *l. cum ipsa ff. de contrah. empt. notatque Bart. in l. si pupillus §. fin ff. de auct. tut. & in l. frater à fratre ff. de cond. indeb. vide Ruy. d. conſ. 51.* quomodo autem palam gesta excusent, præsertim in matrimonij contractu, explicuit *Menoch. lib. 2. de arbitr. iud. cent. 3. caſ. 244. & de præsumpt. lib. 6. præsumpt. 23. n. 26.* atque ità decisum à *Rota Romana* ob hanc ipsam rationem, refert *Farin. decis. 354. cit. n. 4.*

11 Iterum probatur, bonam fidem in casu, de quo loquimur, adfuisse, quia Fran-

Franciscus, & Maria matrimonium contraxère post latam sententiam nullitatis prioris matrimonij, vt initio retulimus: iudicialis verò sentẽtiæ ea est vis, vt iuste possidere dicatur, qui auctore prætore possidet *l. iustè possidet ff. de acquir. poss.* ibique latè *Iason* exponit. & in re, qua de agimus, *Socin. Iun. d. consf. 39. n. 9. in fin. & 10.* ait, esse textum expressum in *cap. perlatum, qui filij sint legit.* ibiq; tradere omnes doctores; post facti enim relationem, ità *Alexander tertius* in eo cap. decernit: *Ideoque mandamus, quatenus si cõstiterit, quod Episcopus inter eos sententiam diuortij tulerit* (puta probato impedimento perpetuo, vt ibidem exposuit *Glossa verb. promulgauit*: non autem ob solam viri absentiam, vt aliqui falsò existimarunt) *filios, quos sustulit de alio, ad cuius copulam auctoritate prædicti Episcopi migrauit, legitimos iudicetis, eos hac occasione ab hæreditate nõ patientes excludi*: quicquid tandem sit, num Episcopus ille benè, an malè processerit, proindeque nũ matrimonium illud validum fuerit, necnè: de hoc enim ibi minimè quærebatur; sed solùm an filij, ex eo habiti, legitimi fuerint; respondetque Pontifex, legitimos esse, vt benè ibidẽ monuit *Glossa verbo promulgauit*.

12 His adde, quæ tradidit *Bald. consil. quædam mulier, quod est tertium inter consilia matrimonialia Ziletti num. 11. & seqq.* vbi aptè probat, matrimonium huic simile, de quo disputamus, legitimum esse, prolemque ex eo susceptã: *quia*, inquit, *fuit à primo* (viro) *separata* (mulier) *per sententiam cum auctoritate ecclesiæ: præsumitur enim pro sententia ff. de euiction. l. Herẽnius §. Caia; etiamsi per appellationem sit suspensa, quousque fuerit rescissa ff. de inoff. testã. l. suspecta §. 1. & patet in Clement. 1. de sequestrat. possess. & fruct. ad hoc de renunc. cap. in præsentia ff. de probation. l. ab ea parte.* quibus sanè, alijsque iuribus, ac rationibus *Baldus* tuetur, validum esse, ac legitimum matrimoniũ post latam nullitatis sentẽtiam, ratione impotentiæ viri, contractum, filiosque ex illo habitos legitimos censeri; quamuis ea sententia, per appellationem à viro interpositam, fuerit suspẽsa; litis enim pendentia, vel appellationis, vt ait *Baldus n. 13.* non impedit matrimonium contrahi *cap. veniens, de sponsal. & cap. cum in apostolica, de matrim. contr. cont. interd. eccles.* & nu. 17. in ijs contrahentibus bonam fidẽ fuisse, ex eo arguit, quòd cum ecclesiæ auctoritate contraxerunt, *arg. ff. de noxal. l. & generaliter ff. de acquir. possess. l. iustè possidet, de infami. l. furti §. qui iussu, & l. interdum, de administr. tut. l. qui tutores §. interdum,* de qua tamen re uide DD. quos citat *Couarr. in epit. lib. 4. decret. cap. 8. §. 1. n. 8. 2. p.*

13 Adde quoque *Anchar. in d. cap. perlatum, qui filij sint legitimi*, vbi optimè monet, sententiam diuortij in primo matrimonio constituere præsumptionem bonæ fidei in eo, qui cum soluta à lege prioris coniugij ex ratione illius sententiæ matrimonium contrahit: etiamsi sententia sit lata ex falsis testibus, & pecunia corruptis: *Ancharanum* laudat, sequiturque *Couar. loc. cit. vers. hinc etiã apertissimum est.* Et certè, si bona fides præsumitur, causaturque ex titulo putatiuo, orto ex errore, etiam iniusto, & ex temerarijs rationibus acquisito, vti docuère plures, quos laudat, sequiturque *Mascard. de probation. concl. 228. nu. 4. & Menoch. de præsump. lib. 3. præsumpt. 130. nu. 2. & 3.* quantò magis ea præsumenda est post sentẽtiam, legitimè, ritèque prolatam? Demum addi potest commune illud iurisconsultorum axioma, quod habetur apud *Mascard. loc. cit. concl. 224. n. 1.* putà bonam fidẽ præsumi semper, nisi mala ostendatur: itemque semper præsumi ignorantiã, nisi scientia probetur: de quo idem *Mascardus loc. cit. concl. 879. & Barbos. axiom. 113. n. 12.* cum præsertim
13 in re nostra Frãciscus vir optimè præsumi possit ignorasse matrimoniũ Petri

tri cum Victoria virgine, quippe in loco remoto initum, *arg.* à contrario sensu *cap. quosdam de præsumpt. & cap. fin. qui matr. acc. pos.* proindeq; verè ignorasse præsumitur, si quodplam hinc oriretur impedimentum.

14 Iam verò ex hisce duabus iuris conclusionibus ità expositis, probatisque, in re, qua de agimus, hunc ferme in modum argui potest; vt filiorum ex matrimonio, inter Franciscum, ac Mariam inito, susceptorum legitimitas ostendatur. Filij, ex matrimonio putatiuo habiti, verè legitimi censendi sunt, habilesque, vt parentibus in bonis quoque maioratus succedant, vti in prima conclusione probatum est: atqui filij Mariæ, & Francisci coniugū tales sunt, vt in secunda conclusione ostensum est satis: legitimi ergo erunt, atque omnino habiles, vt suis parentibus etiam in bonis maioratus succedant.

15 Sanè res hæc videtur omnino expedita in *cap. 2. qui fil. j sint legitimi*, vbi Alexander tertius ità loquitur: *cum inter I. veterem, & T. mulierem diuortij sententia canonicè sit prolata, filij eorum non debent exinde sustinere iacturam; cum parentes eorum publicè, & sine contradictione ecclesiæ inter se contraxisse noscantur. Ideoque sancimus, vt filij eorum, quos ante diuortium habuerunt, & qui concepti fuerant ante latam sententiam non minus habeantur legitimi, & quòd in bona paterna hæreditario iure succedant, & de parentum facultatibus nutriantur*. Vbi apertè Pontifex statuit, quòd etiamsi matrimonium nullum omninò, atque irritū declaretur; si tamen illud publicè, & sine ecclesiæ contradictione celebratum sit, vt in nostro casu euenit, filij ex eo habiti, quin & lite pendente, ante tamen latam sententiam, concepti, omnino legitimi, habilesque censentur, vt parentibus succedant: quia scilicet, qui publicè, & absque ecclesiæ contradictione contrahunt, bonā fide habere præsumuntur, vti suprà probauimus, quia potis est filios facere legitimos, vt ex dictis manifestum est.

16 Rem quoque apertè videtur expedire *Innoc. 3. in d. cap. ex tenore qui filij sint legitimi*, vbi post facti narrationē: *intelligentes, inquit, quod pater prædicti R. matrem ipsius in facie ecclesiæ ignorans, quod ipse aliam sibi matrimonialiter copulasset, duxerit in vxorem, et dū ipsa coniux ipsius legitima putaretur, dictum R. susceperit ex eadem; in fauorem prolis potius declinantes, memoratū R. legitimum reputantes*. Sanè in casu, de quo agimus, contrahentes ignaros fuisse, habuisseque bonam fidem, & in facie ecclesiæ contraxisse, iam probatum est satis: proindeque in tota ciuitate Maria semper vxor Francisci legitima existimata est, vt etiam innumeris testibus ostensum fuit: cur ergo eorum filij non erunt legitimi existimādi?

17 Sed contrà hucusque à nobis tradita aduersæ partis aduocati, duas Puteï decisiones obiectère, puta decis. 98. & 118. lib. 2. quibus ipsi vnicè innitebantur. Sed ego vno verbo respondi, illos eximiè falsos in illarum decisionum intellectu: etenim apertè illæ decernunt, quòd, stante publica voce, & fama impedimenti, publicitas matrimonij contrahentes à mala fide nequaquam excusant: id quod etsi verissimum sit, cum vox illa publica, & fama contrahentes, volentes, nolentes in mala fide, & ignorantia, quam affectatam vocant, constituat: in illarum verò decisionum casibus fama illa, vox que publica probata fuerit, vt patet ex earumdem inspectione: etsi, inquam id verissimum sit; nihil tamen nobis obstare, manifestum est; quandoquidem nedum fama illa publica minimè adfuit, verum etiam notoriū erat in ea ciuitate, primum illud matrimonium inter Petrum, ac Mariam initum, ritè, ac legitimè irritum, nullūque fuisse declaratum, sicque in denūciationibus, quæ secundo matrimonio inter eādem Mariam, & Franciscum

celebrato, præmissæ sunt iuxtà Concilij formam, nemo prorsus eiusmodi impedimentum obiecit: quarè impertinens omnino fuit aduersariorũ obiectum.

Atque his omnibus à iudice perpẽsis, filios illos legitimos, atque ex legitimo matrimonio natos, pronunciatũ est.

CONSILIVM XXXXIII.

An condemnatus ab Inquisitoribus hæreticæ prauitatis aliquo crimine, ad eorum cognitionem pertinẽte, à beneficijs, dignitatibus ecclesiasticis, siue secularibus, alijsque huiuscemodi honoribus obtinendis repellendus sit.

1 *INfamibus dignitatum portæ patere non debent.*

2 *Damnatus de crimine publico, est infamis.*

Quod nam sit publicum crimen.

3 *Iure Pontificio crimina omnia publica sunt.*

4 *Crimina, de quibus cognoscunt Inquisitores, quæ sint.*

5 *Hæresis crimen publicum est, & infamat, & incapacem reddit omniũ dignitatum.*

6 *Maleficium, & sortilegium sunt crimina publica, infamant, & incapacem reddunt omnium dignitatum.*

Pœna consulentium magos, &c. si clerici sint.

7 *Clericus incantationes exercens degradatur.*

Sortilegus, maleficus, sacrilegus sunt infames, & beneficiorum incapaces, &

9 *Obiectio soluitur* nn. seqq.

10 *Iuramentum purgationis quem habeat effectum.*

11 *Publica pœnitentia irregularem facit, cum pro crimine imponitur.*

1 HAc de re olim à Præsule quodam amicissimo interrogatus, breuiter respondi, eum videri omnino repellendum. Ratio autem, qua motus sum, fuit, quia infamibus dignitatum portæ patere nõ debent; *cap. infamibus, de regulis iuris lib. 6. cap. inter dilectos, de excess. Prælator,* alijsque, & Constantinus Imperator in *l. 2. C. de dignitatib. lib. 12.* neque famosis, & notatis, & quos scelus, aut vitæ turpitudo inquinant, & quos infamia ab honestorũ cætu segregat, dignitatis portas patere debere, decernit. Id verò, nedum intelligendũ est, si dignitas ecclesiastica sit, verum etiam si secularis, vt *cap. infamis, alijsque 3. q. 7. vide Gloss. in cap. infamibus, cit.*

2 Infamem verò esse eiusmodi condẽnatum, videtur manifestum: etenim iudiciali sententia is infamia notatur, qui crimen publicum commisisse conuincitur, siue ciuiliter, siue criminaliter, *l. infamem ff. de publi. iud.* ibique monuit *Gloss. & in cap. infames 3. q. 7. verb. infamia, Farinat. pract. & theor. crimin. lib. 1. tit. 3. q. 18. num. 9.* alijque passim: atqui crimina, ob quæ condẽnare, punireque solent hæreticæ prauitatis Inquisitores, publica sunt: est enim publicum crimen illud, cuius accusatio, vel persecutio è populo cuilibet permissa est, & quando delictum principaliter fit in Dei offẽsam, vt docet *Iul. Clar. recept. sentent. §. 1. pract. crim. n. 1. & 2. Farin. loc. cit.* alijque omnes.

3 Quin imo iure Pontificio, quod maximè ab Inquisitoribus attenditur, crimina omnia publica sũt, vt animaduertit *Gloss. in cap. infames verb. fures 6. qu. 1.* atque ita affirmant omnes fermè canonum interpretes, vt ait *Bald. alijque apud Clar. & Farin. locis nuper laudatis*, Nemo autem negare iure poterit, quin accusatio eorum criminum, ob quæ Inquisitores puniunt delinquentes, illosque condemnant, cuilibet è populo permittatur; & quod prin-

principaliter in Dei offensam perpetrentur. Firmatur non incongruè id ipsum, quia infames eas personas esse dicimus, quæ pro aliqua culpa notātur infamia, idest omnes qui christianæ legis normam abijciunt, & statuta ecclesiastica contemnunt, vt ait Stephanus Papa relatus in *cap. infames cit. 6. q. 1. ex quo ca. patet*, inquit Gloss. cit. verb. fures, *quod omne crimen infamat secūdùm canones*. quibus sanè omnibus constat satis, condemnatum, de quo loquimur, infamem censeri debere, proindeque ab ijs honoribus repellendum.

4 Et hæc quidem ratio vlteriùs confirmatur, quia crimina ad Inquisitorū cognitionem spectantia, & ob quæ ipsi puniunt, atque condemnant, esse solent hæresis, maleficium, sortilegiū, sacrilegium, aliaque huiuscemodi, ad quæ alia reduci possunt, quæ hæresim aliquo modo sapiant: vniuersè enim, ac generatim loquendo ipsi cognoscūt de crimine hæreseos, alijsq; illi accessorijs, vt probat *Nauarrus cons. 1. de hæret. per cap. accusatus de hæreticis in 6. Director. Inquisit. 3. p. q. 45. ca. excōmunicamus §. credētes, & §. adijcimus, de hæreticis, alijsque*, ac propria ipsorū iurisdictio ex officij natura est, quòd habeant, & cognoscant vniuersitatem causarum fidei, vt rectè ostendit doctissimus Inquisitor *D. Trasmiera de polygamia lib. 3. q. 2. n. 7.*

5 Atqui hæresis crimen publicum est *cap. ius publicum, ibique Glossa dist. 1.* omnesque concedunt; proindèque de eo condemnatus, infamis erit, incapaxque omnium prorsus beneficiorum ecclesiasticorum, secularium officiorum, ceterarumque quarumcumque dignitatum, *tot. vtroque tit. de hæretic.* alijsque multis comprobat *Farinat. Fragmen. crimin. par. 1. lit. C. à n. 335.* præsertim legēda sunt verba *Alexād. 4. in cap. 2. de hæret. in 6. §. hæretici*, vbi: *hæretici autem*, inquit, *credentes, receptatores, defensores, & fautores eorum, ipsorumque filij vsque ad secundam generationem, ad nullum ecclesiasticum beneficium, seu officium publicum admittantur: quod si secus actum fuerit, decernimus irritum, & inane*. Consulendus omnino hac de re *Farinac. loc. cit.*

6 Insuper maleficium, sortilegium, aliaque eiuscemodi crimina publica sunt, vt monuit *Glossa in cap. constituimus 3. q. 5. verb. malefici per l. 2. & fin. C. de pagan. sacrif. & templ. eor.* ac proinde maleficos, atque sortilegos infames esse, ac beneficijs, omnique honore priuandos, probatur ex *cap. Episcopi, & duobus sequentib. 26. qu. 5. l. etsi excepta, alijsque C. de malefic. & mathem.* quin & si quis Episcopus, aut præsbiter, siue diaconus, vel quilibet ex ordine clericorum, magos, aut aruspices, aut incantatores, aut ariolos, aut certè augures, vel sortilegos, vel qui profitentur artem magicam, aut aliquos eorum similia exercentes, consuluisse fuerit deprehensus, ab honore dignitatis suæ suspensus (idest, depositus, inquit *Glossa*, vt patet per sequētia) monasterij curam (vel, vt alij volunt apud *Loaysam* mox laudandū, pęnam) suscipiat, ibique, pęnitentiæ perpetuæ deditus, scelus admissum sacrilegij soluat, vt decernit Concilium *Toletanum IV. cap. 28. apud Gratianū in cap. si quis Episcopus 26 q. 5.* sed *cap. 29.* apud *Loaysam in collect. Cōcil. Hispan.* vbi pro *suspensus* benè legit *depositus*: eodemque pacto legi in omnibus Conciliorum editionibus, ac manuscriptis exemplaribus, in annotatiunculis ad *d. ca. si quis Episcopus*, animaduersum est: monetque idem *Loaysa*, idem sancitum fuisse in *Conc. Anciran. 2. cap. 23.*

7 Clericum quoque incantationes exercentem degradari, statuitur in *cap. admoneāt 26. q. 7.* id quod de sortilego etiam intelligit *Decius in cap. at si clerici nu. 39. de iudicijs*, citatque alia iura, Doctoresque. id quod probari quoque potest ex *cap. 2. de sortileg.* etsi enim ibi Præsbiter, istæc exercēs, solùm ad tempus ab altaris ministerio

arceatur; benè tamen monuit ibidem *Glossa finalis*, id intelligendum ex dispensatione: *nam*, inquit, *de iure communi debuit remanere priuatus, & Episcopus de iure contrà illum processit* 26. *q.* 5. *non oportet, & ca. si quis Episcopus, & cap. aliquanti*. Sed quia bono zelo per simplicitatem deliquit, Papa mãdat, ipsum restitui: vndè *Panor. in d. cap. n.* 4. ait, pęnam ibi statutam non esse ordinariam. Sortilegos verò, maleficos, sacrilegos, aliosque huiuscemodi criminosos, esse infames, probat quoque *Abbas in cap.* 1. *in fine de sortileg. per cap. constituimus* 3. *q.* 5. *& cap. quisquis* 2. *qu.* 8. *Delrio disquis. magic. lib.* 5. *sect.* 16. *Farinat. pract. qu.* 20. *n.* 92. alijque, & beneficiorum ecclesiasticorum incapaces, ostẽdit *Rebuff. tract. de pacif. possess. nu.* 202. per eadẽ ferè iura, quæ hùcusque retulimus.

8 Demum sacrilegos esse infames, nuper post *Abbatem* monuimus, per *cap. constituimus* 3. *q.* 5. proindeq; eos iura ad beneficia, sacrosque ordines inhabiles reddunt *cap. venerabilem vers. numquid enim, de elect.* monetque *Rebuff. tract. cit. n.* 203. qui alia de sacrilegis refert: eosdemque ab alijs legitimis actibus arcet *gloss. in d. cap. venerabilem verb. sacrilegum per cap. nulli* 3. *q.* 4. vide plures apud *Barbos. de potest. episc. alleg.* 72. *n.* 100.

9 Objcies *decisionem* 51. *Rotæ Romanæ*, quæ habetur apud *Farin. ex* 140. quæ habentur post eius *consilia lib.* 1. incipitque *recusarunt capitulum*, quæ integra videtur esse contrà traditam hùcusque doctrinam: etenim decernit, de hæresi suspectum, & de vehementi abiurantem, iniuncta sibi pęnitentia, ea demum peracta, beneficijs obtinendis habilem fore: cum regula, inquit, stet pro habilitate personæ, ad *gloss. in l. si quæramus ff. de testam.* neque quispiã inhabilis reputari debet, nisi causa inhabilitatis probetur, & exprimatur *Gloss. in extrauag. execrabilis §. alioquin verb. beneficia de præbẽ.* aliaque addit apud ipsum consulẽda.

10 Respondeo, decisionem istam nihil penitus nobis obesse: etenim ipsa de eo loquitur, qui non verè illo crimine ab Inquisitoribus dãnatus fuerat; sed ob solam hæresis suspicionẽ, licet vehementem, ei pęnitentia est imposita, à qua sanè suspicione se abiurando purgauit, iuxtà formam traditam ab *Emeric. in direct. inquisit. par.* 3. *in* 5. *mod. fini. proces.* iurans scilicet, quòd nunquam credidit, nec credit hæresibus, de quibus suspectus habitus est. quod sanè iuramentum *Rota* censuit esse purgationis, quo, innocẽtia detecta, prior illa suspicio aboleatur, iuribus à *Farinacio* recensitis. Atqui nos loquimur de eo, qui verè, ac propriè ijs criminibus condemnatus est, quia confessus, & conuictus; non verò de eo agimus, cui pęnitentia iniungitur, non ob crimen, à quo se purgauit, sed ob scandalum, vt scilicet quos scãdalizauerit verbo, aut facto, vt ait *Farinacius*, ædificaret publicè abiurando, & pęnitentias humiliter acceptando, juxtà *text. in cap. inter, uers. in pęnam, cap. literas in fine, de præsump.* de hoc enim fortè vera sunt, quę laudatus auctor in ea decisione recenset; & nobis potiùs fauent, quam aduersentur.

11 Quod enim ait, axioma illud iurisperitorum, condemnatum scilicet caussa criminis publici, etiam post pęnam persolutam, infamiam comitari, *cap. infames §. porrò* 3. *q.* 7. *Speculat. tit. de testam. §.* 1. *n.* 85. *& tit. de sentent. §.* 2. *n.* 10. quod, inquam, ait, hoc axioma procedere ratione criminis per sentẽtiam declarati, vti legitur *in d. §. porrò, & in l. athletas §. calumniator ff. de his, qui not. infam.* nobis penitus suffragatur: siquidem ipsi, vti monuimus, de ijs criminosis loquimur, qui tales per sententiam declarantur, Eodemque pacto nobis etiam fauet, quod auctor ille subdit, puta publicam penitentiã, quæ per sententiam iniungitur, irregularem reddere pęnitentem, *cap. ex pęnitentibus, cap. illud, & cap. placuit dist.*

dist. 50. idque solùm obtinere locum, quo tempore publica illa, solemnisq; pœnitentia pro crimine imponitur, *d. cap. placuit*, notatque *Archid. in cap. in capite quadragesimæ dist. 50. cit.* hoc enim loci expressim ponimus, pœnitētiam ob crimen imponi. Quibus omnibus benè perpensis, tunc censui, & nunc quoque existimo, condemnatū illum, de quo loquuti sumus, omnino censendum esse incapacem beneficiorum, ac dignitatum, penitusque à cæteris honoribus repellendum.

CONSILIVM XXXXIV.

Patronum, qui fictè præsentat clericum, quem certò scit præsentationi nullatenus consensurum, non ideo postea habere integrum tempus ad præsentandum.

§. I.

Præmonita quædam, ac facti species.

SVMMAE.

1 *Patronus clericus sex mēses, laicus quattuor habet ad præsentandū.*
2 *Hoc tempus patronis currit, ac deficit ipso iure, ac deuoluitur ad ordinarium.*
3 *Patronus sicut electores, habet aliud integrum tempus ad præsentandum, si ab ipso præsentatus intra tempus renuntiet, &c.*
4 *Facti species, quæ ansam dedit responso.*

Hac de re ab amico viro, & apprimè docto Societatis Iesu equidem consultus, occasione vacationis cuiusdam Abbatiæ de iurepatronatus laicorum; respondi, patronum hunc nō obtinere aliud integrum tempus ad præsentandum, si prima præsentatio ficta omnino fuit, & absque vllo animo præsentandi. sed vt benè hæc res percipiatur, vnum aut alterum præmonebo.

1 Primum sanè, patronum beneficij cuiuspiam, si clericus sit, qui sit patronus ratione ecclesiæ, non patrimonij, postquam illud vacauerit, sex tantum, si laicus quattuor dumtaxat mēses habere ad præsentandum *cap. eam te, cap. cum propter, alijsque de iurepatr. cap. vn. eod. tit. lib. 6.* vbi *Glossæ*, cęterique passim Doctores animaduertunt, ac præsertim post plures *Mandosius in reg. 30. cancellar. q. 8. nu. 8. multi apud Barbos. de potest. episc. alleg. 72. nu. 126.*

2 Atque hoc quidem tempus, sicuti à die vocationis beneficij patronis, etiam ignorantibus currit, ac proinde ipso iure, vt apertè probatur ex *cap. 2.* ibi, nisi prædictæ personæ infrà tempus, *de supplend. neglig. Prælator. cap. eā te*, ibi, si infrà sex menses postquam vacauerit, *alijsque de iurepatr.* vbi omnes, post eosque, pluresque alios *Mandos. in reg. 34. cancell. q. 53. nu. 14.* ità & iisdem patronis deficit ipso iure; vt, nisi intra prædictum tempus, à iure statutum, personas idoneas ad vacantes ecclesias Prælato instituturo præsētauerint; statim ex tunc ipsi prælato liceat ecclesijs vacantibus prouidere, vt eisdem iuribus manifestè probatur: atque ità semestre ad conferendum beneficium per patroni laici negligētiam ad Episcopum deuolutum, incipit currere vltima die quadrimestris, laico ad præsentandum dati; non à tēpore notitiæ, vt decernitur in *decis. 6. aliàs 263. tit. de iurepatr. in nouis.* de qua re vide plures apud *Barbos. d. alleg. 72. à n. 134.* qui contra sentiūt.

3 Alterum, quod præmoneo, illud est, quod ex *cap. si electio, de elect. & elect. potest. in 6.* eliciunt passim Doctores in ea quæstione, num scilicet, si præsentatus, intrà tempus à iure cōstitutum, præsentationi non assentiat, vel renunciet, habeat patronus integrum tempus ad præsentandum; clericus nimirum integrum semestre à die renunciationis, seu dissensus; laicus verò integrum quadrimestre: eliciūt, in-

inquam, hac in re patrono competere integrum tẽpus ex præfato *cap. si electio:* vbi de electione loquens Bonifacius Octauus, ait, quòd si electio ex eo non sortiatur effectum, quia electus consentire recusat; vel post consensũ renunciat iuri suo, aut fortè diẽ claudit extremum, seu propter occultum eius vitium irritatur; electores, (quia iam fecerant, quod spectabat ad ipsos, infrà iuris terminum eligendo) habebunt à dissensu, renunciatione, morte, vel irritatione prædictis, ac si vacatio noua esset, tempus integrum ad electionem aliam celebrandam; dummodo nihil fraudulenter egerint in præmissis. Idem prorsus docent passim Doctores in præsentationibus esse obseruandum; præsertim *Ioan. de Anan. in cap. 31. transmissæ. de iure patr. n. 4. post. Ioan. Andr. Rocch. de Curt. trac. de iurepatr. verb. honorificum n. 74. q. 42.* aliique neoterici. Et quamuis *Card. Florent. in cap. fin. col. vlt. vers. secundò quæro, de iurep.* contrarium docere videatur; tamen, vt rectè monuit *Rocchus n. 74. cit.* loquitur in casu, quo patronus non verè præsentat, sed eligit præsentandum: vndè dicit secùs esse, si præsentauit. atque hæc res clarè sãcita est per *Rotam Romanam decis. 8. aliàs 259 tit. de iurepatr. in nouis.*

4 His hunc in modum præmonitis, casus, qui obtigit re ipsa, fuit, quod Titius Hispaniæ Dynastes, vti patronus laicus cuiusdam Abbatiæ, quam ipsemet suis expensis fũdauerat, quia quadrimestris, quod sibi iure competebat ad præsentandum, solùm supererant duo, tresuè dies; volebat nescioquem præsentare, non verè, atque animo reuera præsentandi, sed fictè; quippe certò sciebat, eum nullo penitùs modo præsentationi consensurum: indè verò fieri putabat, vt sibi competeret aliud integrum quadrimestre ad præsentandum, secundum ea, quæ *nu. 3.* prædiximus: idque ei nonnulli viri docti suadebant, putantes, hoc euentu patronum integrum tempus habiturum. Cum præsertim patronus iste bono fine id cuperet, puta, vt personã omnibus numeris absolutam inueniret, quam præsentaret. ego verò, vt dixi, hac de re consultus, contrarium censui verius, meamque opinionem deinde plures docti viri Societatis Iesu amplexi sunt, qui patrono consiliũ dedere, vt intrà tres illos dies Abbatem verè, & non ficto animo præsentaret, & hominem, quem sciret præsentationi consensurum; vel saltem nõ sciret dissensurum: & patronus quidẽ, quippe vir pius, ac religiosus, illis libẽtissimè obediuit.

§. II.

Ostenditur assertio.

S V M M AE.

5 *Ratio assertionis.*

6 *Non factum, & inualidè factũ paria sunt, & huius rei exẽpla.*

Nullũ, & inefficax pro nihilo habetur.

7 *Eadem est ratio in præsentatione, & electione, & rectè de vna ad aliam arguitur.*

Vt electores, & patroni habeant aliud integrum tempus, nullam fraudem in eligendo, vel præsentando committere debent, & n. 8.

9 *Eximia glossæ doctrina hac de re.*

10 *Patronus intra terminum debet absolutè præsentare, non sub conditione.*

Et debet verè præsentare, non solum eligere præsentandum.

Conditio nihil ponit in esse.

11 *Verba legis propriè, nõ fictè intelligẽda.*

12 *Quæ hic dicta sunt circa propositã quæstionem præcipuè locum habent in foro animæ.*

13 *Prorogare num possit hunc terminum Ordinarius.*

5 HAnc opinionem, puta non cõpetere aliud integrum tempus patrono, qui fictè præsentat, ostendi, quia tempus istud patrono

trono deficit ipso iure, si intrà terminum à iure præscriptum non præsentat: atqui hic patronus verè intrà hūc terminum nō præsentat: ergo ipsi deficit ipso iure quadrimestre, quod sibi à iure concessum est. Major huius Syllogismi propositio certissima est ex ijs, quæ *n. 1. & 2.* præmonuimus: illatio est euidens: minor autem propositio apertè probatur, quia illa præsentatio est ficta, inualida, nulliusque momenti: ille igitur patronus intrà quadrimestre verè nequaquam præsentat. huiusce enthymematis antecedens patet, quia, qui ità ficto modo præsentat, nullum habet animum, nec voluntatem præsentandi, vti hic supponitur: ea itaque præsentatio, cum sit actus humanus, absque voluntate, & intentione præsentandi consistere vllo modo nequit, vti innumeris exēplis constat.

6 Consequentia autem primi enthymematis etiam euidens videtur; quia vulgatum est apud iurisconsultos illud iuris axioma, non factum, & inualidè factum paria esse, vt ex *l. quoties, & l. de die §. 1. ff. qui satisdare cogan. l. si se non obtulit §. condemnatum ff. de re iudic.* probat *Mandos. in reg. 29. cancell. q. 9. n. 4.* vbi huiusce rei plura profert exempla: qui in *Reg. 34. q. 83. nu. 3. & 4.* loquens de impetratione: ait, quod licet illa dicatur prima, quam nulla alia præcedit *§. discipuli in proœm. digestor. Bart. in l. hoc articulo nu. 8. ff. de hæred. instit.* id tamen non procedit, quando prima impetratio quouis casu esset inefficax, seu nulla; tunc enim sequens dicitur prima, *arg. tex. in l. 2. §. hereditas, iuncto §. proximum ff. de suis, & legit.* & ratio est euidens, quia nullum, & inefficax pro nihilo habetur *ad l. 1. in fin. ff quod quisque iuris, l. 2. §. 1. ff. quemadmodum testam. aper. Clem. 2. §. fin. de re iudic.* vide *Barbos. axiom. 91. a n. 9.* In re igitur nostra, quia patronus ille fictè præsentauit, dicendus erit verè non præsentasse: ac proindè, transacto quadrimestri, ipso iure ad prælatum deuolui potestatem ecclesiæ prouidendi, nullumque penitus tempus patrono ad præsentandum remanere.

7 Addidi, eamdem esse rationem in præsentatione, atque in electione, vt omnes fermè Doctores profitentur, dum de vna ad aliam argumentantur, vt vidimus *n. 3.* atque expressè docuit *Roch. de Curte tract. cit. de iurepatr. verb. honorificum n. 29. q. 8.* Atqui in electione ideo post factam electionē integrum tempus electoribus conceditur, si electio non sortiatur effectū, quia scilicet talis electio non culpa eorum effectum non habet, vel, vt ipsemet Pontifex ait, quia ipsi iam fecerant, quod spectabat ad ipsos, infrà iuris terminum eligendo; atque adeo redibit potestas ad electores, vt ait ibidem *Gloss. verb. occultum*, cum in culpa non fuerint, & ideo dicit de occulto, quia, si sciēter elegissent, potestas eligendi non rediret ad eos, sed ad superiorem deuolueretur secundū distinctionem *decretalis suprà eod. quāquam:* et sic non procederet quæstio, quantum tempus deberent habere, quia nullum.

8 Eodē igitur modo in præsentatione dicendum erit, puta habere patronum aliud integrum tempus ad præsentandum, cum facta ab ipso præsentatio intrà quadrimestre à iure constitutum, non eius culpa effectu caret, cum ipse iam fecerit, quod spectabat ad ipsum, intrà iuris terminum præsentando: quo verò tempore ipsemet in culpa fuit, quo minus præsentatio effectum sortiretur; quia nimirum eū præsentauit, quem certò sciebat, nullatenus præsentationi consensurum, ac proindè fictè, ac dolosè præsentādo, quo aliud integrum tempus obtineret; hoc, inquam, euentu patrono nequaquam aliud quadrimestre concedi, putandum erit, ab eamdem, quam tum in præsentatione, tum in electione perspicimus rationem: hisce enim casibus neque electores, neque pa-

patronus faciunt, quod ad ipsos spectat, vt ex se manifestum est; quamobrem in dicto *cap. si electio in fine*, à Pontifice iustissimè additum est; eam iuris indulgentiam locum obtinere; dummodo, inquit, nil fraudulenter egerint in præmissis.

9 Idque exponens *Glossa finalis*, hoc, quod in præsentatione intendimus, apertè statuit in electione: *Pone*, inquit, *in vltima die trium mensium* (in Cathedralibus, vel regularibus ecclesijs ait eadem Glossa in d.cap.verb.integrum ex cap.nè pro defectu, de electione: in minoribus enim sex menses conceduntur, vt eadē Glossa monuit ex cap.2.de concess. præbend.) *dixerunt Canonici, eligamus talem, qui dissentiet; & sic à die dissensus adhuc habebimus tres menses & sic, fraudem faciendo, reperiebantur sex menses habere in Cathedralibus, vel regularibus, vel in inferioribus annum: quod esse non debet suprà eod. auaritiæ.* Pro hac quidem re *Glossa* hæc aurea videtur; neque quid vlteriùs inquirendum.

10 Nihilominus idem iterum non incongruè corrobaui; quia, licet *Lap. allegat.* 8. *& Gemin. in cap. 2. de elect. in princ.* prout eos laudat *Rocchus loc. cit. n.* 29. sentire videantur, sufficere patronum præsentare sub conditione intrà terminum à iure constitutum; rectiùs tamen alij, præsertim *Ioan. Andr. & Abb. cap. fin. de iurepatronat.* quos citat, sequiturque *Rochus loco nuperrimè laudato*, existimant, contrarium verius esse; quia, vt ait *Rochus*, patronus debet realiter præsentare infra tēpus à iure statutum: ita decidunt *Ioa. And & Abb. cap. fin. infrà eod.* vnde dicunt, quod non sufficeret patrono dicere intrà tempus, eligo talem præsentandum, quia tempus est datum ad præsentandum, non autem ad eligendum præsentādum *cap. vn. eod. tit. lib.* 6. licet etiam in hoc vltimo contrariū teneat *Lap. in alleg.* 8. *in* 5. *col.* Facit etiam pro hac conclusione, secundū *Rocchum*, quia conditio nihil ponit in esse *l.* 1. *ff. de condit. & demonstr.* & declarat *Gloss. in rubr. illius tit.* Certè, vt hisce Doctoribus nequaquam satis est præsentatio conditionalis, quia nihil ponit in esse, & patronus sic præsentando non censetur realiter præsentare; multò minus satis esse debet præsentatio ficta, inualida, nulliusq; momenti, ob deficientem consensum, quæ neque realis est, neque quidpiā ponit in esse, neque patronus per eā realiter præsentare vllatenus dici potest.

11 Demū hisce omnibus addidi, verba cuiuscumq; constitutionis, vel dispositionis nequaquam porrigi ad id, quod secundùm fictionem inducitur, debereque ea verè, propriè, ac naturaliter intelligi, non autem fictè, atq; impropriè; in hisque, quæ positiui iuris existunt, legem, aliamuè iuris dispositionem, non fictè, sed verè dispōnere: atque hominis quoque dispositionem ad casum fictum nequaquam extendi: prout hæc omnia, aliaque huiuscemodi probauimus *cons. 1. à nu.* 9. ac proindè, cum in re nostra ius ipsum patrono concedit aliud integrum tēpus ad præsentandum, post factam intra iuris terminum præsentationē, si præsentatio huiusmodi non sortiatur effectum, intelligendum est id concedi, atque indulgeri, si præsentatio illa vera sit, realisque, non ficta, nulliusque momenti.

12 Postremo loco moneo, hæc omnia locum obtinere maximè in foro, quod aiunt, conscientiæ: in hoc enim nequaquam poterit patronus frui secundo quadrimestri: cum verè primum ipsi defecerit ipso iure, atque intra primum hoc quadrimestre nequaquam verè, & realiter præsentauerit: proindèque peccaturum censeo illum patronum, qui post factam illam fictam præsentationem, secundo quadrimestri frueretur, in eoque alium præsentaret; ac fore nullam præsentationem illam, quippe ab eo factam, qui nullā ad id habuit potestatem. At in foro

exte-

exteriori difficillimum puto, ac penè impossibile, posse impediri, quo minus secundo quadrimestri fruatur patronus hic, qui fictè præsentauit: cum impossibile ferè sit ostẽdere, eam animi fictionem, nullamque patronum habuisse intentionem, & animum præsentandi. sed mihi nequaquã persuadere possum, quod homo Christianus reperiri queat, qui paruipendens salutem spiritalem, velit talia patrare, & se ob aliorum bonum æternis supplicijs mancipare.

13 Monuerim quoque, etsi nonnihil extra rem, id, quod præsensit *Crescẽt. decis. 11. & 12. tit. de dilation. & post eum Riccius part. 6. collectan. 2453. vers. aduerte etiam ad materiam*, puta illud semestre, vel quadrimestre, Ordinarium in sui præindicium prorogare posse, nedum iusta causa, vt patroni super magis idoneo præsentando meliùs deliberare queant; sed etiam id absque caussa præstari ab eo posse: talem verò prorogationẽ Papæ nequaquam officere, seu præiudicare, ijdem animaduertunt; cum ille post lapsum terminum valeat prouidere. id quod tamen dubium esse autumant: quia, inquiunt, non tractatur principaliter de præiudicio Papæ, sed de præiuditio Ordinarij, cum deuoluatur ius patronatus ad immediatum Superiorem, *Franc. Marc. decis.* 476. de hac prorogatione vide Doctores apud *Barbos. de potest. Episc. alleg. 72. nu. 144.*

CONSILIVM XXXXV.

Renunciationem bonorum, quæ fit in Societate Iesu, iuxta eius constitutiones, esse omnino absolutam, minimèque à futura professione, aut à perseuerantia in religione pendentem: proindeq; dimissum à Societate, nullum penitus ius habere ea bona recuperandi, siue illa eidẽ Societati, siue alij cuicũq; donauerit.

§. I.

Facti species, & obiecta proponuntur.

SVMMA.

1 *Facti species refertur.*
2 *Decretum Tridentini de renunciationibus à regularibus faciẽdis.*
Ablatiuus absolutus conditionem inducit.
Conditio futuri incerti suspendit dispositionem.
3 *Conditio tacita, quæ censeatur.*
Tridentini decretum excipit Societatẽ.
4 *Magna vis consuetudinis in legum interpretatione.*
5 *Fraudibus obuiandum est.*

Nescioquis religiosus Societatis Iesu post biennij vota, quæ in ea, secundùm eiusdem constitutiones, à Sede Apostolica approbatas, emittuntur, bona nonnulla possidebat, & iuxtà easdem cõstitutiones de ijs disposuit, illaque donauit cuidã Collegio eiusdem Societatis: post aliquot annos, quia secundùm illius institutum viuere non curabat, ab eadem Societate dimissus fuit; id quod ipse quoque enixè petierat.

rat. Post eiectionem statim sibi legatū sexcentorum annuorum aureorum acquisiuit, quibus congruè sustentari potest. Voluit nihilominus à præfato Collegio ea bona repetere, quæ donauerat: suamque intentionem probabat rationibus, quæ sequuntur; etsi non ità benè firmatis, vti nos exponimus.

2 Primò quidem, quia *Concilium Trident. sess. 25. cap. 16. de regularib. & monialib.* ità decernit: *nulla renunciatio, aut obligatio antea facta, etiam cū iuramento, vel in fauorem cuiuscumq; caussæ piæ, valeat, nisi cum licentia Episcopi, siue eius Vicarij, fiat intra duos menses proximos ante professionem; ac non aliàs intelligatur effectum suum sortiri, nisi secuta professione: aliter verò facta, etiamsi cum huius fauoris expressa renunciatione, etiam iurata, sit irrita, & nullius effectus.* Quamuis autem ille religiosus biennij vota emisisset iuxtà Societatis institutum; non tamē emiserat eam solemnem professionē, quæ in Societate nonnisi post multos religionis annos emitti solet; & nonnisi religiosis probatæ vitę, & apprimè doctis emitti cōceditur, vt notat *Molina de iust. disp. 139. vers. cum societas tom. 1.* fuit ergo inualida, nulliusque momenti renunciatio illa, quam iste religiosus fecerat Societati; vel saltem effectum sortiri non potuit, cum eam professio secuta non fuerit: quandoquidem ea renunciatio saltem fuit cōditionalis ob ablatiuum illum absolutum, *secuta professione*, qui conditionem indicat *vulg. l. à testatore ff. de condit. & demonstr.* omnesque docent *in rub. soluto matrimonio*, alijque passim: certi verò, atque indubitati iuris est, conditionem futuri incerti omnino suspendere donationem, sicuti, & alias dispositiones, vsque ad conditionis euentum, ità vt, deficiente conditione, ea donatio, seu alia quæuis dispositio penitus euanescat: qui enim ità donat, nequaquam intendit, vt illud donatarij fiat, nisi conditio euenerit, vt benè monuit *Less. de iust. & iure lib. 2. cap. 18. dub. 15. num. 118. & 120. post Gomezium variar. resol. tom. 1. cap. 12. de legatis n. 64.* & alij.

3 Atq; hinc secundam rationem eliciebat expulsus ille, aiebatque, huiusmodi renunciationes sub tacita fieri conditione, nimirum, si perseuerauerit, & quòd si dimissus fuerit, ea, quæ donauit, recuperare queat: quæ sanè conditio ideo tacita cēsetur, quia à iure subintelligitur, vt plutibus excēplis explicuit *Gomez. loc. cit. n. 65.* puta in re nostra à Concilio Tridentino; cuius sanè dispositio, etsi in Societate Iesu locum non obtineret, ob verba, quæ sequuntur, ibi: *Per hæc tamen Sācta Synodus non intendit aliquid innouare, aut prohibere, quin religio clericorū Societatis Iesu, iuxtà pium eorum institutum à sācta Sede Apostolica approbatum, Domino, & eius Ecclesiæ inseruire possit.* Concilij tamen ratio in Societate quoque militare videbatur: hac enim occasione religiosus discedere nequiret, quòd totum, vel maiorem partem substantiæ suæ Societas possideret; nec facilè, si discesserit, id recuperare possit: quod sanè Concilium inconueniens existimauit.

4 Tertia expulsi ratio erat, quia iam est in more positum, vt ità intelligantur Societatis constitutiones: quandoquidem quotidiè animaduertimus, eam ità dimissis, vel omnia bona, quæ ij donauerant, vel saltem eorum partem restituere: rectè autem constituit *Paulus*, vt refertur in *l. si de interpretatione ff. de legib.* quod si de legis interpretatione quæratur, in primis inspiciendum est, quo iure ciuitas retrò in eiusmodi casibus vsa fuit; illud iuris enunciatum addens, quod in omniū ore versatur, optima est legum interpres consuetudo; quod habetur in *cap. cum dilectus, de consuet.* alibique; ideoque *Callistratus* quoque relatus in *l. nam Imperator ff eod.* refert Seueri rescriptum, aientis, in ambiguitatibus, quæ ex legibus proficiscuntur, con-

consuetudinem, aut rerum perpetuò similiter iudicatarum auctoritatem vim legis obtinere debere. Cum ergo in nostro negotio tota difficultas ex Societatis constitutionibus terminanda sit, vt vel ipsa Societas fatetur; omnino inspici debet, quid tandem in eiusce modi casibus aliàs eadē Societas vsa sit: quem sanè morem expulsus sibi fauere arbitrabatur.

5 Demum eiectus suam intentionem ostendere conabatur, quia durum videtur, & inferendarum iniuriarum occasio, quòd Societas aliquem recipiat, vidensque, quòd ei amplum patrimonium donarit, illum dimittat pauperem absque eo, quod habeat vndè sustentetur. Atqui huiuscemodi fraudibus omnino obuiandum, iura, Doctoresque passim decernunt, vt ipsi *conf. 3. n. 169.* probauimus: & turpe est homines ad delinquēdum inuitari, vti etiam probaui *conf. 10. n. 22.*

§. II.

Assertio probatur.

SVMMAE.

6 *Doctores, qui nobiscum sentiunt hac in re.*

7 *Actio semel extincta amplius non reuiuiscit.*

Beneficium vacat ob contractum matrimonium, neque post huius dissolutionem ad illud redire potest, qui illud obtinebat.

8 *Constitutiones Societatis Iesu à Sede Apostolica approbatæ sunt.*

9 *Quid illæ circa has renunciationes præscribant*, & n. 10.

11 *Spes, quam quis obtinet ad aliquid incertum, vendi potest.*

12 *Venditio est pactio mercis pro pretio.*

13 *Decretum* Trid. sess. 25. cap. 16. de regularib. *de nouitijs Societatis non intelligitur*, & n. 14.

15 *Interpretationes constitutionum Societatis, Sedi Apostolicæ, & Præposito Generali reseruantur.*

6 HAc equidem de re consultus, respondi, bonorum renunciationem, quæ fit in Societate Iesu iuxtà eius constitutiones, esse omnino absolutam, minimèque à futura professione, aut à perseuerantia dependentem; proindèque illud Collegium nullam habere obligationem bona sibi donata huic dimisso restituendi. Ità expressè docuit *Sanchez lib. 7. summæ cap. 1. n. 34. Molina tom. 1. de iustit. disp. 139. col. 3. vers. illi qui finito, & vers. nouitij antè ingressum; Layman tom. 1. lib. 3. de vltim. volunt. sect. 5. tit. 5. cap. 7. nu. 8. Suarez de religione lib. 4 de votis simplicib. cap. 5. num. 19.* alibique, prout eum citat, & sequitur doctiss. *Castropalao p. 3. tract. 16. disp. 1. punt. 15. num. 6.* & aliqui recentiores hac de re consulti. Probant diuersimodè hanc opinionem: ego verò vtramque illius partem, cum secunda ex prima inferatur, hac, quam subnecto, ratiocinatione demonstraui.

7 Eiectus iste nullum prorsus ius habet ea bona repetēdi à Societate, proindèque nec Societas obligationem habet restituendi; quia ius, quod ille in ijs bonis obtinebat, extinctum penitus fuit, quo tempore ea Societati donauit, neque post eiectionem reuiuiscere intelligitur; quandoquidem ius, quod semel extinctū est, ampliùs reuiuiscere nequit: ità dicimus actionem semel extinctam ampliùs non reuiuiscere *l. qui res §. aream ff. de solut. ibique omnes, cap. quam periculosum 7, q. 1. cap. quæris de consecr. distinct. 4.* & in simili quoq; omnes edocent, eum, cuius beneficium vacauit ob contractum ab eo matrimonium, *cap. 1. de cler. coniug.* post dissolutum matrimonium nequaquam posse ad idem redire beneficiū absq; noua collatione, vt fatentur omnes *Scrib. in d. cap. 1. de cler. coniug.* idemque in alijs sexcentis exemplis animaduertere licet. Quod verò extinctum omnino fuerit ius illud, quo tēpore ea bona Societati donata sunt, patet, quia donans donato-

rum bonorum ius omne, quod habet, in donatarium transfert eo ipso, quod donat; atque ideo penes ipsum nihil prorsus iuris in ijs bonis remanet.

8 Neque dicas, donationem fuisse conditionatam; nam id, vt dixi, falsissimum est; ea enim donatio, seu renũciatio procul dubio fieri debet iuxtà id, quod eiusdem Societatis constitutionibus præscribitur, quæ seruari omninò debent, quandoquidem illas approbauit *Gregor. 13. in extrauag. Ascendente*, præsertim ibi: *constitutiones quoque, ac statuta, & decreta qualiacumque, ac si ad uerbum præsentibus insererentur, pro expressis habentes, tenore præsentium approbamus.* & agens expressè de huiuscemodi renũciatione, refert illud Christi Domini; *vade & vende, &c.* atque, eam fieri ad hoc Christi consilium amplectendum.

9 Societatis verò constitutiones hæc, quæ sequuntur, quod attinet ad hasce renunciationes, præscribunt: puta primò in *examine cap. 4. §. 1.* vt ingressuri in nouitiatum Societatis, ante primum ingressum temporalia, quæ habuerint, distribuere debeat, & renũciare, ac disponere de ijs, quæ ipsis obuenire possunt, in opera pia, ac sancta, iuxtà propriam deuotionem. additurque: *à se omnem fiduciam submouendo eadem vllo tempore recuperandi.* Et *3. p. constit. cap. 1. §. 7. lit. F.* quò religiosus Societatis Iesu maneat omninò, & perfectissimè pauper, explicatur, quorum bonorum renunciatio, distributio, seu dispositio fieri debeat, ibi: *possessiones suorum bonorum se abdicare, tàm de proprijs bonis intelligendum est, quàm de iure, vel actione, quæ ei competit ad bona, quæ sperat, siuè secularia illa, siue ecclesiastica sint.* Voluere constitutiones, religiosos Societatis Iesu esse perfectissimè pauperes, etiam absque vllo succedendi iure, quod minimè, vt ait *Sanchez num. 31.* obtineretur, si ius parentibus, aut alijs consanguineis succedendi retinerent, cum dominium earum hæreditatum essent acquisituri. Iterum in *examine cap. 4. cit. §. 1.* de hac eadem renunciatione dicitur, quod in pia, & sancta opera fit, iuxtà illud Christi, *dispersit dedit pauperibus*, & illud: *si uis perfectus esse, vade, & vende omnia, quæ habes, & dà pauperibus, & sequere me.*

10 Hoc igitur intellecto, quod circa hanc renunciationem Societatis constitutiones præscribunt, facilè erit etiã intelligere, eamdem renunciationem nullo penitus modo conditionatam censeri: nam ea fit ad amplectendum Christi consilium, vti *Gregorius* dixit: distributio autem illa in pauperes, de qua Christus loquitur, vt inquit *Sanchez*, est omnino absoluta, & irreuocabilis: neque enim post Societatis egressum vlla spes subest, ea bona, pauperibus donata, recuperãdi: quod verò Societati sint donata, per accidẽs est, & ea dumtaxat ratione facta est, quòd sit opus pium Societati Iesu relinquere, sicuti & cuicumque Religioni, ecclesiæuè. Cum præsertim in re nostra, vti retulimus, eędem Societatis constitutiones volunt, vt religiosi Societatis, quin & ij, qui tales esse cupiunt, quales sunt in nouitiatum ingressuri, à se omnem prorsus fiduciam submoueant, ea bona vllo vnquam tempore recuperandi: eam verò maximè habere possent, si solum sub ea conditione donassent.

11 His addo, quòd si ea renunciatio foret conditionata, religiosi Societatis post biennij vota non essent perfectissimè pauperes, sicuti eos volunt Societatis constitutiones, vti dictum est: quo enim modo pauper ille censeatur perfectissimè, qui ius obtinet, siuè spem bona donata recuperandi, si in Societate minimè perseueret, ab eaque dimittatur? etenim certissimũ est, huiuscemodi iura, atq; spes pretio æstimari: nam & vendi optimè queunt *l. nec optimo ff. de contraben. empt.* vbi à iurisconsulto huiuscemodi rerum distinctio, *spei emptio* nuncupatur: nihil verò vendi potest, nisi merx pre-

pretio æſtimabilis cenſeatur.

12 Eſt enim venditio pactio mercis pro pretio, vt omnes eliciunt ex *l. 1. ff. de contrahen. empt.* merx ergo, quæ venditur, pretio æſtimabilis eſſe debet; alioqui pro pretio vendi non poſſet, vt omnes Doctores, de emptione, & vendirione agentes, animaduertunt. non erit ergo perfectè pauper ille, qui huiuſmodi iura, & ſpem obtinebit. ad eum planè modum, quo non efficitur verè, perfectèque pauper nouitius renuncians in alijs religionibus, ſecundùm *Tridentini* præſcriptũ *ſeſſ. 25. cap. 16. de regularibus*, intrà duos menſes proximos ante profeſſionẽ; ea ſcilicet ratione, quòd eo iure, eaque ſpe recuperandorum bonorum nequaquam deſtituitur; cum illius renunciationis firmitas à futura profeſſione dependeat; quam, niſi emittat, bona donata repetere poterit. Præterquamquod, qui hanc ſpem obtineret, haberet quoque tẽtationum occaſionem, atque immoderati amoris temporalium bonorum; necnon, & confidentiam illa eadem recuperandi, ſi à Societate dimittatur: id quod euitare quoque voluerunt eiuſdem Societatis conſtitutiones *3. p. cap. 1. §. 7.*

13 Optimum quoque argumentum, ad hanc veritatem vlterius firmandã, deſumitur ex *Concil. Trid. ſeſſ. 25. cit. ca. 16. de regularibus*: poſtea enim quã Concilium decreuit id, quod *n. 2.* retulimus, additque, ſe nequaquam de ijs loqui renunciationibus, quæ in Societate Ieſu fiunt; (quam ob cauſſam *Sanchez lib. 7. ſumme cap. 5. nu. 9. poſt Manuel Rodriq. quæſt. regul. tom. 1. qu. 47. art. vlt.* aientem, ſic doctiſſimos Theologos, iuriſque peritos cõſultiſſe; ſicque ſententia *Feliciani de Solis* fuiſſe pronunciatum, atque à à Cardinalibus declaratum: item *Molin. tom. 1. de iuſt. diſp. 139. col. 7. verſ. antequam; in fine, Sa verb. religio n. 5. Leſſ lib. 2. de iuſt. cap. 41. dub. 4. nu. 41. Caſtropalao p. 3. tract. 16. diſp. 1. pun. 18. n. 1. Aldan. in compend. canon. reſolut. lib. 1. tit. 16. n. 10. Barboſ. de poteſt. Epiſc. alleg. 99. nu. 13. & in collect. ad Trid. ſeſſ. 25. cap. 16. n. 47. qui num. 33. citarat Hieron. Roderic. in comp. quæſt. reg. reſol. 53. n. 15. Selli. in ſelect. can. ca. 19. n. 15.* vbi refert ità deciſum; aiunt, probantque, illud Tridentini decretum nequaquam in nouitijs Societatis Ieſu eſſe intelligendum) ſui decreti rationem reddẽs: *nè hac occaſione*, inquit, *nouitius diſcedere nequeat, quòd totum, vel maiorem partem ſubſtantiæ ſuæ monaſterium poſſideat, nec facilè, ſi diſceſſerit, id recuperare poſſit.*

14 Concilium ergo, quo libero nouitiorum egreſſui conſuleret; cum eorũ ſtatus ſit probationis, tum ex parte ipſorum, tum ex parte religionis; optimo iure decreuit, vt renunciationes facerent ſub tacita conditione, ſi ſcilicet profeſſio ſequatur, nè libertas illa exeundi deficeret, ſi ſpe recuperandorum bonorum omnino carerent. In caſu verò, de quo diſputamus, contraria prorſus ratio militare videtur: nam poſt biennij vota, quo ſanè tempore, vti prædiximus, ea renunciatio facta eſt, ſtatus religioſorum Societatis ex parte ipſorum nequaquam ſtatus probationis cenſetur; ſed ipſi poſt huiuſmodi vota non ſunt amplius ſui iuris; ſed ſunt perfectè, verè, ac propriè religioſi; vt definit *Greg. 13. extrauag. aſcendente domino*, & in Societate perſeuerare tenentur; atque ità viuere, vt ſuæ dimiſſionis occaſionem non præſtent; adeò vt, ſi quiſpiam hac intentione, quò ſcilicet dimitteretur, aliquid culpæ perpetraret, neque ipſa à Societate dimitteretur; prædictis tamen votis nihilominus obſtrictus exiret, vt diſponitur in *Congregatione ſeptima decreto 18. §. 4. Sanch. lib. 6. ſummæ c. 9. num. 67. Caſtrop. p. 3. tract. 16. diſp. 4. pun. 20. n. 9.* quamobrem valdè neceſſarium fuit, vt religioſis Societatis hæc libertas, ac facilitas exeundi omnino præriperetur, ob contrariã quam in his perſpicimus rationem, atque in nouitijs aliarum religionum:

ea

ea enim est hominum imbecillitas, vt facillimè spe acquirendorum bonorũ ad quæcumque improba patranda alliciantur: quarè religiosi Societatis, si post biennij vota eis spes illa recuperandorum bonorum remaneret, non ità cautè viuerent, vt deceret, quo perseuerare possent; quin imo à Societate dimitri curarent: id quod nullatenus efficerent, quin imo perseuerantiam procurarent, si se omni prorsus spe repetendorũ bonorum destitutos intelligerent.

15 Alias huiusce rei rationes consulendæ sunt apud laudatos doctores, præsertim *Sanchez*, qui benè hanc opinionem ostendit, dissoluitque contraria: atque in fine *n.34* refert responsum Præpositi Generalis hac de re redditũ Cõgregationi Bethicæ prouinciæ anni 1584. quo declarauit, renunciationes, de quibus loquimur, non esse conditionatas, sed omnino absolutas, & à perseuerantia minimè dependentes: cuius sanè declarationem magnã vim obtinere, indè constat, quòd *Greg. 13. in d. extrauag. ascendente*, glossas, atque interpretationes constitutionum Societatis penitus adhiberi interdixit; omniaque dubia, quæ fortè contingerent circa earũdem intellectum, per Sedem Apostolicam, & Præpositum Generalem eiusdem Societatis declaranda reseruauit.

§. III.

Obiecta §. I. diluuntur.

S V M M Æ.

16 *Diluitur obiectum primum, & secundum,* & n. 17.

18 *Quædam doctrina omnino notanda in re præsenti.*

19 *Renunciatio facta intuitu religionis ingrediendæ, an valida sit, & absoluta.*

20 *Expulsis quantum dandum sit, superioris arbitrio relinquitur.*

21 *Num expulso Societas alimẽta dare debeat, si pauper sit; & omnia bona ei donauit,* & nn. seqq.

Num donatarius donantem egenũ alere teneatur, vt ingrati pœnas euitet.

22 *Donatio facta ecclesiæ censetur facta Deo.*

23 *Si modus non est caussa finalis donandi, eo non seruato, non corruit donatio.*

Fauore ecclesiæ modus semper præsumitur caussa impulsiua, non finalis.

24 *Vltimum obiectum diluitur.*

25 *Donatio omnium bonorum irrita est; sed non quando ecclesiæ fit, vel in aliquã piam caussam.*

26 *Quædam obiectio diluitur.*

27 *Donatio omnium bonorum non est contra bonos mores naturales; vndè valida est, si iuramento obfirmetur.*

16 Argumenta verò, initio proposita, facillimè diluuntur. Ad primum enim *n. 2* propositũ, aio, Concilium minimè loqui de renũciationibus in Societate Iesu factis, vt diximus, illiusque decretum nullo modo intelligendum est in his renunciationibus locum obtinere; neque in nouitijs Societatis, vt rectè probant auctores à nobis laudati. Præterquã quod ipsi loquimur, non de nouitio, sed de homine verè, ac propriè religioso, vti dictum est, de quibus nequaquam loquitur *Tridentinum*. Satis quoque probatum est, huiusmodi renunciationes non esse conditionatas, sed penitus absolutas, nulloque modo à perseuerantia depẽdentes, quo etiã

17 Secunda expulsi ratio refellitur, quia falsò in ea supponitur, eam renũciationem fuisse conditionatam, quãdo cõtrarium est omnino verum: Nec Concilij ratio quicquam suffragatur, quin refragatur ei plurimum, vt *supra n. 13. & seq.* ostensum est.

18 Animaduertendũ verò hic censeo, quod, quando renunciatio decreto Concilij nequaquam concluditur, vt accidit in nostro casu, iuxtà dicta *nu. 13.* tũc, nisi expressè adhibeatur conditio perseuerantiæ, (quod in nostro

ca-

casu fieri nequit, cum repugnent Societatis cōstitutiones, & vera paupertas, quam illius Religiosi profiteri debent) quantumuis ea fiat intuitu religionis, & perseuerantiæ; nullo tamē modo conditionata censeri potest: nō enim potest talis existimari ob expressam aliquam conditionem, quæ adhibeatur; cum nullā adhiberi supponamus: non ob tacitā, quæ à *Tridentino* inducitur, cum eius decreto minimè concludi, etiam supponamus: nullo igitur modo conditionata censeri potest.

19 Ità, quamuis renunciatio facta ante nouitiatus ingressum aliarum religionum fiat intuitu ipsius ingressus, ac proindè etiam intuitu ipsius perseuerantiæ: nihilominus, qui censent, eiusmodi renunciationem decreto Tridentini minimè comprehendi, vti plures opinantur, quos citat, sequiturque *Sanchez lib. 7. summa cap. 5. n. 4. & Diana part. 3. resol. moral. tract. 2. resol.* 55. & alij innumeri apud *Barbos. in collect. ad Trid. sess. 25. cap. 16. n. 20. Castropalao p. 3. tract. 16. disp. 1. punt. 17. nu.* 4. & declaratum à Congregatione Cardinalium, refert *Bellarm. in d. cap. 16. sess. 25. Trid. & Dian. loc. cit.* hi, inquā, qui id existimant, aiunt, eam renunciationem validam fore: & rectè, si verum est id, quod assumunt, vt certè videtur, præsertim ob præfatam Cardinalium declarationem: ea enim renunciatio nequaquam conditionata censeri potest, cum neque expressam, vt supponitur, conditionem habeat, neque tacitam à Concilio inductam, cum eius decreto non cōcludatur. Etsi non ignorem, alios etiam doctissimos Theologos, ac iurisconsultos à *Sancio, Diana, & Barbosa* laudatos, opinātes, eiusmodi renunciationem *Tridentini* decreto coerceri, non malè indè arbitrari, eamdem renunciationem fore irritam, inanemque, si professio non sequatur: quòd scilicet hanc conditionem imbibitam habet ex *Tridentini* constitutione, quamuis nulla expressa conditio adhibeatur.

20 Tertia quoque expulsi ratio facilè dissoluitur: aio enim, falsò asseri, ità hùcusque intellectas fuisse Societatis constitutiones: &, cum ipse proferat hunc morem, proculdubio eumdem probare tenebatur: quod tamen minimè præstitit. Quod si quandoque eadem Societas ità dimissis omnia bona, vel eorum partem restituit; id sanè præstitit non lege iustitiæ obstricta: sed benignè vti pia mater malis filijs noluit alimenta negare. quantum verò ijs donandum sit, superioris arbitrio, ac prudentiæ relinquitur: quod signum euidens est, non fieri iustitiæ lege: ea enim verba, quæ habentur in *constitutionib par. 2. c. 3. §. 5. in fine*, nimirum, *secum omnia ferat*, puta dimissus, *in declarationibus lit. B.* ità exponuntur: *ea, quæ ipsius esse constat, difficilè non est statuere, vt secum ferat: verum in ijs, quæ vel expendisset, vel dedisset Societati, vel alioqui, si accidisset, vt ficto animo in domo, vel Collegio ipsius habitasset, prudentiæ superioris dimittētis relinquitur, vt, habita ratione, tum æquitatis, tum ædificationis, statuat, numquid illi aliquid amplius, quam quod inuenitur de rebus ipsius, dari debeat, necnè: & si amplius, quantum.* quarè constitutiones, de ijs etiam loquentes, quæ Societati donata sunt, nihil prorsus disponit, quod lege iustitiæ adimplendum sit; sed totum penitus prudentiæ superioris committit. vide *Castropal. d. tract. 16. disp. 1. pun. 15. n. 6.*

21 Id quoque fortassis quandoque præstat Societas, præsertim cum egenis, nomine alimentorum, vt omnis omnino iniustitię scrupulus euellatur: sunt enim, qui censent, post eiectionē teneri Societatem expulso, qui omnia bona ei donauerat, si egenus sit, alimenta præstare; alioquin integrum esse donatori, ratione ingratitudinis, reuocare donationem, etsi absolutā, & absque vlla penitus conditione celebratam: certum enim putant, teneri

ri donatarium alere donantem egentem; aliàs hunc iure posse reuocare donationem, vt pluribus probat *Lara in l.si quis à liberis* §. *idem iudex. nu.* 58. & 59. *ff. de liber. agnoscen.* aliique plures, quos citat, sequiturque *Surd. tit.* 1. *de aliment. q.* 48. *à nu.* 1. atque ità teneri Societatem ad præstanda alimenta pro expulsi qualitate, si aliundè non habeat, docuit *Layman tom.* 1. *lib.* 3. *cit. de vltim. volût. sect.* 5. *tit.* 5. *cap.* 7. *n.* 10. §. *limita*, *Sanchez d. lib.* 7. *cap.* 1. *n.* 39. *Castrop. d. tract.* 16. *disp.* 1. *puncto* 15. *n.* 7. *vbi citat Suar. de Relig. tom.* 4. *tract.* 8. *lib.* 3. *c.* 14. *n.* 22. & 23. In casu verò, quo de agimus, locum habere non potest hæc alimentorum præstandorum obligatio: habet enim iste expulsus, vndè congruè ali potest; puta sexcentos aureos in singulos annos, vti initio retulimus: qui satis ei sunt, vt secundũ personæ ipsius qualitatem ali queat. quo sanè euentu nõ esse præstanda alimenta donanti à donatario, edocent Doctores laudati.

22 Sed ego, vt hoc obiter moneam, existimo vniuersè, Societatem nulla obstringi obligatione præstandorum alimentorum expulsis: non solùm quia probabilis est eorum opinio, qui docent generatim, nullum donatariũ teneri alere donantem egenum, vt constat ex ijs, quæ habentur apud *Surdum loc. cit. n.* 1. verum etiam, & præcipuè, quia reuocatio donationis ob ingratitudinem locum non habet in donatione facta ecclesiæ, vel monasterio; quia censetur facta Deo, & ob grauem causam, vt ait *Less. lib.* 2. *de iustit. & iure cap.* 18. *dub.* 14. *nu.* 105. *post Clarum* §. *donatio q.* 12. *num.* 5. vbi *Iulius* ità loquitur: *quando concurrit ingratitudo Prælati, & Capituli simul, Abb. in cap. verum, nu.* 3. *de condit. appos. tenuit, quòd potest reuocari. tu verò tene contrarium, quod scilicet non potest aliquo modo reuocari; quia donatio facta ecclesia censetur facta Deo d. ca. verũ, qui nõ potest esse ingratus, cũ sit omniũ gratiarũ liberalissimus largitor.*

23 Et ità hanc sententiam dicit esse communem *Ripa lib.* 2. *resp. cap.* 28. *n.* 20. & *in l. fin. q.* 52. *C. de reuocand. donation.* vbi loquitur etiam in casu, in quo donator expressè in ipsa donatione apposuit pactum, quòd posset propter ingratitudinem reuocari. Imò quamuis ecclesia donataria expressè alimenta donanti promiserit; etsi ea non præstiterit, non tamen ideo re donata priuari, nec reuocari donationem, censent plures apud *Surdum tit.* 1. *cit. q.* 48. *à n.* 67. quod ipse certissimum putat, quando donatio fit sub modo alendi, non apposito pacto resolutiuo; quia ecclesia non potest cõmittere ingratitudinem, nec Deus potest esse ingratus, vt per *Gloss. in cap.* 1. *verb. omnipotens de summa Trinit. & fide cathol.* & quia modus quando non est caussa finalis donãdi, sed impulsiua, eo non seruato, non corruit donatio, secundùm *Bald.* & alios, quos citat: qui *n.* 70. post innumeros addit, fauore ecclesiæ semper modum præsumi caussam impulsiuam: aliaq; subnectit pro hac re, apud ipsum omnino consulenda. legẽdus quoque *Syluestr. verb. donatio* 1. *q.* 16. *nu.* 20. *Mascard. de probationib. concl.* 556. vbi probat, donationem ecclesiæ factam, Deo factam præsumi.

24 Vltima demum ratio nullam penitus vim obtinet: quandoquidem de nulla prorsus Religione præsumendũ est, ac multò minus de Societate Iesu, quæ viros doctissimos, ac sanctissimos procreat, cuius regimen perfectissimum est, quòd velit suos religiosos, ac filios, quos vnicè diligit, dimittere, ea solum intentione, quò eius bona retineat; cum præsertim nihil minus retineat, si non dimittat. Omitto, Societatem dimissis vt plurimum benignè prouidere, reddereque sæpè ijs bona donata, prout æquitas, & ædificatio postulare videtur, sicuti prædiximus, & quotidiè experientia cõperimus.

25 Demum hoc loci diluenda est quædam

dam inepta, meo iudicio, cuiusdam obiectio, quia ipse sibi validissimè insurgere contrà prædicta videbatur: aiebat enim, hunc expulsum omnia prorsus bona sua tam præsentia, quam futura Societati donasse: eam verò, quippe omnium bonorum præsentiũ, & futurorum donationem, inualidã fuisse, nulliusque penitus momenti vt docet crebrior Doctorum sententia ex *l. stipulatio hoc modo ff. de verb. oblig. alijsque*.

26 Sed animaduertere debuerat, qui id obiecit, communem quoque esse Doctorum opinionem, vti post *Clar. S. donatio q. 20. nu. 3. Couarr. rub. de testam. par. 2. n. 13.* edocet *Less. lib. 2. de iust. cap. 18. dub. 13. n. 95.* alijque, docentium, validam esse bonorum omnium donationem, cum præsentium, tum futurorum, quando ea fit ecclesiæ, vel in aliquam piam caussam; cum huiusmodi donatio contrà bonos mores censeri nequeat: quandoquidem, si potest homo propriam personam ecclesiæ tradere, vel monasterio; cur sanè omnia bona nequeat elargiri? Adde, quòd ciuile ius, quod illam donationẽ improbat, pietatis officia, & consilia euangelica impedire non potest: talis verò donatio in caussam piam opus est maximæ pietatis, sitque sæpè ad consilium euangelicum adimplendum, secundùm illud Christi Domini superiùs relatum: *si vis perfectus esse, vade, & vende omnia, quæ habes, & da pauperib⁹, & sequere me. Matth. 19.*

27 Neque dicas, ideo hanc donationem à iure Cæsareo improbari, quia est contrà bonos mores, & omnino qd illicitum: nam id falsum videtur: etsi enim ea sit contra bonos mores ciuiles, quia scilicet expedit esse in republica passim libertatem testandi; non tamen est contrà bonos mores naturales, & illicitum: nam alioqui Christus Dominus nentiquam illud suadere potuisset. Vndè benè docuit *Lessius loco cit. n. 96. post Couarr. loco etiã cit. nu. 14.* validam fore huiuscemodi donationem, si iuramento confirmatur: quia, cum absque vllo peccato, inquit *Lessius*, possit quis omnia sua donare; si iuramento promittat, se non reuocaturum, valet donatio, vt apertè colligitur ex *cap quamuis pactum, de pactis lib. 6.*

CONSILIVM XXXXVI.

Exponuntur l. 3. C. fin. reg. & l. qui se grauatos C. de cens. lib. 11. *Plura de mensuratione, & remensuratione, ac de vtriusque præscriptione.*

§. I.

Facti species. Nemo inauditus spoliãdus. Obiectio ex *l. 3. C. fin. reg.*

SVMMAE.

1 *Facti species refertur.*
2 *Causa reintegrationis bonorum feudalium est feudalis, & refertur decisio.*
3 *Nemo inauditus sua possessione est spoliandus.*
4 *Quamuis spolians haberet imperiale rescriptum: & licet esset prædo.*
5 *Obiectio ex* l. 3. C. fin. reg.
In remensuratione non est adhibenda, nisi summaria cognitio.
6 *In qua non est necessaria litis contestatio, nec figura iudicij.*
7 *In ea proceditur absque sententiæ, & interloquutoriæ prolatione: & qui fructus in ea veniant.*
8 *Ab excessu expertorum nõ datur appellatio.*
9 *Saltem suspensiua.*
10 *Sicuti non datur, cum iudex procedit per inspectionem oculorum.*
Aut absque sententiæ prolatione.

1 ANno 1639. die 8. Februarij ad instantiam Procuratoris Excellentissimi D. Comitis de Mohac expeditæ fuerunt quædam literæ delegatoriæ, sub visione Magnæ Regiæ Curiæ, quarum summa est, quod fiat remensuratio quarumdam terrarum in prædicto Comitatu, ac Baronijs Caccabi, Alcami, & Calatafimi, ab antecessoribus d. Comitis ad emphyteusim concessarum, & possessarum à nonnullis particularibus personis sub nomine *Quartorũ*. quòdque eiusmodi æstimatio fieret cum interuentu Delegati, per expertos à partibus eligendos, & in earum contumacia, ab eodem delegato. quidquid verò reperitetur occupatum, idem delegatus prædictis Comitatui, ac Baronijs reintegraret; præhabita in his sũmaria cognitione, ipsimet delegato beneuisa, absque vlla sententiæ, aut interlocutoriæ prolatione. eodemque modo procederet ad restitutionem fructuum terrarum occupatarum ab annis 30. citra: saluis iuribus D. Comiti quoad fructus à die occupationis. Item quod statueret veros confines, cum appositione Pileriorum, in perpetuum signum quantitatis terrarum competentium cuilibet ex concessionarijs. Insuper eos cogeret ad faciendum actus recognitorios prò quantitate terrarum eis remansatum: & quòd illos nõ admitteret ad aliquã superessoriam, vel appellationem, eò, quòd ageretur de remensuratione, atque occupatione facta vltra debitã quantitatem.

Harum terrarum possessores, ac præsertim Caccabenses, qui ab antiquo tempore, cuius in contrarium hominum memoria non extat, vti particulares personæ possederunt quasdã terrarum possessiones, seu massarias, ac tenutas, quæ vulgò *Quarti* nuncupantur, supplicarunt super nullitate prædictarum literarum, ac proindè petierunt earumdem reuocationem. Negotium fuit commissum Tribunali Consistorij, per quod decisum fuit, prout in calce Consilij referemus.

2 Harum literarum nullitas, ac per consequens reuocatio firmissimis nititur fundamentis. Primum est, quod hæc causa est feudalis, vt satis ostendimus *cons. 32. nu. 10.* & ità decisum est per M.R.C. die 20. Iunij 1640. in causa Baronis feudi delli Xaccati, & nõnullorũ Caccabẽsium, hisce verbis. *Quoad mensurationem, seu remensurationem procedatur prout in allodialibus: quo verò ad reintegrationem, procedatur put in feudalib*: q̃ quidẽ decisio videtur rõnẽ habuisse eius doctrinæ, quam tradidimus *d. cons. 32. n. 13.*

3 Secundum fundamentum est, quia emanatæ fuerunt absque partis citatione: nemo enim inauditus spoliandus est possessione, quam obtinet, siue habeat possidendi colorem, siue non habeat, *vulg. cap. 1. de caus. poss. & propr. l. si quis in tantam C. unde vi*, & vtrobique Doctores, vt per *Barbos. in d. cap. 1.* alibique passim, quorum aliquos citat, ac sequitur *D. Giurb. de feud. §. 1. glos. 9. n. 13. D. Præsidens Valenzuela cons. 58. à n. 13.* cuius equidẽ eximiam literaturam, atque humanitatem expertus sum, dum is in supremo Italiæ Senatu Regentis officio sũma cum laude fungeretur.

4 Quod si ità de facto, ac sine citatione quispiam sua possessione spoliaretur, quamuis spolians imperiali rescripto muniretur; posset nihilominus armis tueri proprium possessionem, etiam aduersus Principem, præsertim si res allodialis existat *l. si. C. si per vim l. prohibitum C. de iure fisci lib. 10. D. Valenz. d. cons. 58. nu. 16. P. Molina de iust. disp. 682. n. 19. Peregr. cons. 85. n. 24. lib. 6. Parlador. rer. quot. lib. 2. cap. 6. n. 6. D. Tapia decis. 33. n. 6. Paz cons. 25.* Vnde emanauit iuridicũ axioma, vt neq; prædo inauditus spoliari possit, eademque celeritate sit restituẽdus, qua fuit spoliatus *l. minor ff. de euict.* alijsque apud *DD. Valenz. & Giurb. ll. cc.*

Sed

5 Sed hic insurgunt aduersarij aientes, hęc quidem rectè, ac cuilibet satis nota: at nos versari in illius regulæ veluti exceptione, quæ apertè desumitur ex *l. 3. C. fin. reg.* agimus enim de remensuratione terrarum ad mensuram concessarum: quo quidem casu non est adhibenda, nisi sũmaria cognitio, & sufficiens est citatio, quæ fit partibus ad expertos eligendos pro facienda remensuratione; & ad comparendum statuta die, atque hora; ac demum ad interessendum remensurationi. allegarunt *Abb. in cap. quia indicante n. 9 ibique Felin. nu. 3. de præscrip. Bald. in l. si quis n. 2. C. fin. reg. Hieron. de Monte de fin. reg cap. 30. à num. 6. Oldendolf. de action. forẽs. tit. de off. iud. art. 14. vers. cum autẽ fol. 372. Suarez de Paz in praxi tom. 3. tit. de action. fin. reg. n. 8. Peregr. decis. 152. n. 14.* Addo *Bart. in l. Theopompus n. 20. vers. & idẽ iudex ff. de dot. præleg. Surd. cons. 452. à n. 34. Couarr. var. lib. 2. cap. 13. nu. 5. vers. nona conclusio, Ang. in §. quod autem, Auth. de non alien. Gratian. decis. 32. n. 1.*

6 In hac verò summaria cognitione, nec litis contestatio, nec vlla iudicij figura requiritur: *Castr. in d. l. si quis, C. fin. reg. n. 1. & 4. vbi Bart. per tex. in l. 2. & l. si irruptione §. ad officiũ ff. eod.* Et iudex ad locum accedit, vel ipsemet ordinarius, vel delegat°, ob illius dignitatem, vel impedimentum, *gloss. in d. l. 3. C. fin. reg. verb. si quis Oldẽdolf. loc. cit.* Qui quidem super loco, facta remensuratione, cognitoque de excessu, seu vsurpatione, tem vero domino tradit, ac restituit: *gloss. in d. l. 3. vers. cohæret, Oldendolf. loc. cit. Specul. tit. de Iud. §. 2. in forma libell. Rosfred. in libello de finib. reg.*

7 Item in materia remensurationis, ac finium regũdorum proceditur absque sententiæ, & interloquutoriæ prolatione: *gloss. in d. l. 3. verb. finiatur, ibique omnes:* ac veniunt fructus, vel à die litis contestatæ, vel percepti à malæ fidei occupatore, quicquid sit de bona fide consumptis: *l. sed & loci ff. fin. reg. ibique DD. De mõte tract. de fin. reg. cap. 100. n. 1. & seqq. Iacob. de Puteo alleg. vn. impressa in fine d. tract. n. 1.* Apponuntur termini, seu pileria *d. l. 3. ibiq; Scrib. Mandell. cons. 10. n. 23. lib. 1.* coguntur concessionarij facere actus recognitorios cũ obligatione in forma: *Bart. in rub. C. de fideicom. col. 8. Mandell. d. cons. 10. nu. 23.*

8 Denique in remensuratione, reæstimatione, & calculo per expertos, seu agrimensores factis, non datur appellatio ab eorum excessu, vel errore; sed solum recursus, implorato iudicis officio, exemplo contrarij imperij, iuxtà *l. quod iussit ff. de re iudicata.* ità *Peregr. decis. 152. à n. 11. ad finem, post Butrigar. Bart. Bald. Alber. Paul. Alex. Iason. Imol. & alios in l. fin. ff. à quib. appell. non licet.*

9 Fatentur tamen aduersarij, clausulam in prædictis literis appositam, *appellatione remota,* operari quoad effectum suspensiuum, non autem quoad deuolutiuum. *Contard. in l. 1. q. 7. n. 4. vers. non est igitur C. si de momẽt. possess. fue. app. Beroi familiar. q. 91. nu. 1. & cons. 100. n. 16. vol. 3. Lancell. de attent. p. 2. cap. 12. limit. 8. Marchesan. de commiss. super atten. p. 2. §. 2. à n. 62.*

10 Item non datur appellatio, saltem suspensiua, quando Iudex procedit per oculorum inspectionem. *Rip. resp. 1. de constit. & stat. vol. 2. Muta in cõsuet. Panormi cap. 29. & in cap. 116. Fider. n. 89.* Neque quando proceditur absque sententię, aut interloquutoriæ prolatione. *Carpan. in stat. Mediol. cap. 1. nu. 196. & cap. 8. nu. 94. cap. 10. num. 131. ex Bossio tit. de appell. nu. 16.*

(:†:)

§. II.

Soluitur primò obiectio ex *l. 3. C. fin. reg.* traditurque illius verus intellectus. Nonnulla de cōtractu coloniæ, ac de Communalibus Ciuitatū.

SVMMAE.

11 *Oluitur obiectio* §. ant.
12 *Quo casu loquatur* l. 3. C. fin. reg.
13 *Supponit hæc lex, nullam adesse quæstionem possessionis, & proprietatis.*
Vox, possessio, aliquando significat proprietatem.
14 *Quo ordine procedendum in iudicio finium regundorum, &* n. 15.
15 *Doctrina* Betoij *notanda, &* n. 16. 17.
16 *Cum quæstio est de possessione, supersedendum est in iudicio* fin. reg. & nu. 17.
17 *Iudicium* fin. reg. *continet causam proprietatis.*
18 L. fundi ff. de except. *fauet plurimum nostræ sententiæ.*
Hæc tria iudicia, comm. diuid. fam. ercisc. fin. reg. *in iure æquiparantur.*
19 *Aduersariorum inuentum de concessione ad coloniam, &* n. 20. & seqq.
21 *Conductio propriè habet pensionem in pecunia numerata.*
22 *Colonus nullum habet dominium rei.*
23 *Euertitur hoc aduersariorum adinuentū de colonia, &* nn. seqq.
24 *Contractus colonicus præsumi nō potest, vbi non est in vsu.*
25 *Coloni perpetui in eo statu conseruandi, in quo per 40. annos reperiuntur.*
26 *Dominij quæstio refricari potest, cum de locatione non constat.*
27 *Possessiones ab initio fuere liberæ.*
28 *Rerum diuisiones non ab vno Principe, sed ab ipsis hominibus factæ sunt.*
Quæ sint Communalia, & à quibus possideantur: & quod ius habeat Dominus ciuitatis in rebus particularium, & similia, & n. 31. & seq.
29 *Ad cōtractum emphyteusis necessario requiritur publica scriptura.*
30 *Quæ vocentur* Pacta, & Refutæ *in casu nostro.*
31 *Dominus castri habet intentionem fundatam quoad iurisdictionem, non quoad dominium rerum particularium.*
32 *Ad eum spectat diuidere terras communes concedi solitas.*
Origo Communalium remissiuè.
33 *Auctor feudorum in Regno Siciliæ quis.*

11 SEd hæc quidem omnia, quæ aduersarij proferunt, nosque retulimus à n. 5. hucusq; vti certum supponunt, versari nos in mera, ac pura quæstione finium regundorū; ac nullam prorsus dari quæstionem dominij, ac proprietatis. id quod tamen falsissimum est: prædictorum enim quartorum possessores omnino abnegant, D. Comitem esse dominū directum, seu habere vllum dominiū prædictarum terrarum: id quod præsentiētes D. Comitis aduocati, huiusmodi dominium ostendere conati sūt, licet incassū, vt inferiùs ostendemus.

12 Ità *l. 3. C. fin. reg.* cui aduersarij vnicè innituntur, rei nostræ ineptissimè adaptatur: etenim ex ipsius inspectione constat, eam loqui, cum de solis finibus agitur, nec vlla proprietatis, aut dominij quæstio adest: quo quidē casu Doctores omnes, illam interpretantes, edocent, nosque etiam profitemur, ab Agrimensorum relatione non dari suspensiuam appellationem, non esse necessariam litis contestationem, sufficere citationem ad eligendos expertos, ac procedere ea omnia, quæ hùcusque retulimus.

13 Vnde *Gloss. in d. l. 3. verb. finiatur*, ait, quæstionem proprietatis (quod enī vocat textus possessionis quæstionem, *Io. Fab. apud Angel. in §. quadam actiones n. 22. instit. de action.* sequendo Doctores, exponit, *possessionis, idest proprietatis, sicut alibi fit, in l. si de vi ff. de iud.* quæ sanè expositio legis cōtex-

textui plurimum congruit) seu possessionis, (quod in re nostra eumdem operatur effectum: nam, vt ait *Castr. in d. l. 3.* ideo priùs possessionis quæstio finitur, vt sciatur, cui incumbat onus probandi in proprietate, vt *l. exitus ff. de acq. poss.* idemque notat *Angel. in d. §. quædam actiones n. 22.* per alia iura) debere priùs sententiari definitiuè: licet enim hæc *Glossa* primo loco asserat, hanc quæstionem per iudicis officium finiri, non sententiando; tamen secundo loco edocet, debere per definitiuam sententiam terminari, quam quidem sententiam, quippe secundo, ac vltimo loco positam, sequitur *Glossa*.

14 Ait etiam eadem *Glossa d. verb. finiatur*, eam legem tertiam tunc obtinere locum, cum quis instrumentum habet, quo continetur, ipsum habere debere decem iugera, ac ipse dicit, se minus habere. Et *Bar. in d. l. 3.* apertè edocet, illam procedere, cum quæstio est solùm de finibus; quo casu, lite non contestata, vult, posse ad definitiuam sententiam perueniri: nō verò cū de proprietate quæstio est: tunc enim ad agrimensorum missiones, & relationes deueniri non potest. Ità præter *Gloss. & Bart.* edocent communiter alij Doctores, præsertim *Ioa. And. in cap. quia indicante nu. 1. ibique Abb. n. 9. & alij, de præscrip. vbi Alex. de Neuo à n. 22.* concludit, quod si nō cōstat, quantum vtraque pars possideat, tunc non potest per agrimēsores quæstio finium terminari. Et *Angel. in d. §. quædam actiones instit. de action.* & alij communiter post *gloss. 1. in d. l. 3. C. fin. reg.* edocent, in iudicio finium regundorum, primùm quæri, quantum teneat: secundò quot iugera ibi habere debeat: tertiò mittitur agrimensor: atque aiunt, primò inuestigari, causam, & quæstionem possessionis; & deindè proprietatis, ac tertiò de confinibus. Ità etiam *Abb. in cap. ex literis, ibique Beroius n. 64. vers. secundum. de probationib.*

15 Sed diligenter hac in re annotanda erit eximia doctrina eiusdem *August. Beroij, in d. cap. ex literis, de probation. n. 63.* docet enim, in iudicio finium regundorum, si incidat quæstio possessionis, debere eam interloquutoriè priùs terminari; & posteà mitti agrimensorem. Vnde infert, quòd non solum quando principaliter de possessione agitur, priùs de possessionis causa agendū est *l. ordinarij C. de rei vēd. l. incerti C. de interd. l. 1. C. de appell. cū ibi not. Gloss. & Bart. in l. prolatam C. de sent. & interl. omn. iud.* sed etiam quādo incidēter in iudicio petitorio quæstio de possessione oritur, *vt d. §. quædam actiones, & d. l. 3.* id quod mihi videtur præsensisse *Gloss. in d. l. 3. verb. finiatur*, vbi citat *l. ordinarij, d. incerti, cit. & l. nulli C. de iud.* & *Glossa marginalis* admonet, hūc casum esse exceptum à regula, quod ante litem contestatam non debent testes recipi, vel sententiari, *vt per gloss. 1. in cap. quoniā frequenter, vt lit. non contest.*

16 Prosequitur *Beroius eod. n. 63. vers. vbicumque*, aitque, in iudicio finium regundorum, quòd causam proprietatis continet, ideoque mixtum dicitur in rem, & in personam, *l. 1. & l. irruptione ff. fin. reg.* si principaliter quæstio possessionis moueretur, siue priùs principaliter mota esset, puta agendo interdicto restitutorio; tunc principaliter, & de per se priùs super possessione esse cognoscendum, & possessoriū per definitiuam sententiam terminādum; & interim super iudicio finium regundorum supersedendum. Atque ità ait, intelligi posse *d. l. 3.* idque esse de mente *Glossæ*, vt etiam ipsi prædiximus.

17 Denique *Beroius nu. 64.* quærit, an iudicio finium regundorum principaliter de sola possessione agi possit, & non de proprietate; refertque *Salicetum in l. 3. cit.* affirmantem: quem tamen ipse optimè refellit: hæc enim opinio est contrà *l. 1. ff. fin. reg.* vbi dicitur, hoc iudicium continere causam pro-

proprietatis: item hoc iudicio agitur, vt res vendicetur, ac restituatur. quod si principaliter simul, & semel quæstio possessionis mota fuerit, atque ità possessoriũ, & petitorium simul fuerit cumulatum; tunc super petitorio finium supersedendum erit, & principaliter possessionis iudicium discutietur, *arg. d.l.incerti, & l.ordinarij: Bart. in l. naturaliter, §. nihil cõmune ff. de acq. poss.* Et hoc modo monet *Beroius*, declarãdum Abbatem *in d.cap.ex literis, de prob. Bald. ac Bart. in d.l. 3. C. fin. reg.*

18 Equidem ijs omnibus, quæ retulimus, adderem *l. fundi ff. de except.* præsertim in fine, ibi: *nec permittere* (Prætorem) *petitori priusquam de proprietate constet huiusmodi iudicijs* (idest communi diuidundo, ac similibus, vt cõstat ex inspectione eiusdem legis, & not. ibi gloss. verb. huiusmodi) *experiri.* Hæc autem tria iudicia communi diuidundo, familiæ erciscundæ, & finium regundorum, à iure passim æquiparãtur, vt in *l. iudicium ff. fin. reg. l. inter §. 1. & l. si familiæ, ff. fam. ercisc. l. 2. §. fin ff. comm. diuid.* Vndè rectè *Ioa. Fab. apud Ang. in d. §. quædam actiones, instit. de action.* innixus eidem textui *d.l. fundi,* voluit, non solùm quæstionẽ possessionis esse terminandam ante confinium quæstionem; *sed multò fortiùs,* inquit, *causa proprietatis, quæ est magis præiudicialis, vt d.l. fundi; ac præterea, quia eadem ratio viget, ne per minorem causam fiat præiudicium maioris, vt l. per minorem ff de iud.* quamobrẽ, vt suprà dixi *nu. 13. Io. Fab.* verbũ possessionis in *d. l. 3.* exponit, idest proprietatis. Similis casus habetur in *l. fundum ff. de except.* quam vide.

19 Animaduertentes contrariæ partis aduocati, suum munus, & onus esse, probare dominium D. Comitis, & hãc quæstionem esse antea terminandam; conati sunt varijs medijs illud ostendere. Ac primò quidẽ in petitione asseruère, horum quartorum concessiones fuisse emphyteuticas, ab antecessoribus D. Comitis factas. Sed quia hoc medium ipsis visum est nullius ponderis, cum nulla appareant harum concessionum instrumenta; eo penitus omisso, ad fictam quamdam coloniam habuere recursum. Aiebant igitur, horum quartorum possessores esse *meros colonos,* & conductores D. Comitis, vel ad longum, vel ad breue tẽpus, cum solutione certæ, ac determinatæ pensionis, prò quartis terrarum possessis soluendæ in frumentis; quæ terræ ad mensuram, & non ad corpus locatæ sunt.

20 Ad hanc coloniam fundandã, proferunt immemorabilem vsum, ac cõsuetudinem successiuam, & vniformẽ in dicta Terra Caccabi, quòd omnes Caccabẽses habent terras à D. Comite, quando illas locant, donant, vendunt, vel aliter transferunt. Ideo refutant in manibus Secreti Terræ prædictæ, & dicitur ad effectum faciendi *pactum:* inde secretus locat, & collocat easdem terrarum quantitates emptoribus, & conductoribus. Vndè inferunt, prædictos possessores esse meros colonos perpetuos; & quòd, quando eas terras alienant, alienare, ac transferre dicuntur suam coloniam, seu ius colonicum.

21 Item aiunt, hunc contractum non posse esse simplicis collocationis, & conductionis, quæ propriè pensionẽ habet in pecunia numerata, & non in fructu, *Bart. in l. si merces §. vis maior nu. 9. & 10. ff. locati, Mozius de contract. tit. de diuisione locati, & cond. num. 4. Caroc. de locato in prim. tit. locationis diuis. q. 1. n. 5. Anton. de Marinis var. resol. c. 59. n. 3. Menoch. cons. 989. à num. 1. & de adipisc. rem. 4. nu. 87. & seq. Cost. de fact. scient. inspect. 50. n. 11. Decis. Peru. 106. n. 25.*

22 Neque posse esse contractum emphyteusim, quia emphyteutæ vtile dominium habent, coloni nullum, nec possidẽt, sed domini nomine detinẽt, *l. 2. ibique gloss. ff. si ager, vectigal; Menoch. d. cons. 989. à n. 4.* quibus omnino consulendum aduersarij monent: sibi

enim

enim plurimum fauere putãt: vbi etiã docet, hoc ius colonicum vendi posse, alienari, locari, & ad hæredes trãsmitti: *Burg. de laudim. inspect. 60. p. 2. n. 1.*

23 Sed verè hæc integra aduersariorũ ratiocinatio inanis est, atque in multis principium petit: vt enim probent coloniam, quam prætendunt; apertè supponunt contractum, de quo agunt, esse colonicum; ac proindè quartorũ possessores nullum habere dominium: indeque inferunt, non posse esse emphyteuticum, quia emphyteuta dominium habet vtile; colonus nullum. Sed vndè probant in re, de qua agũt, quartorum possessores nullum habere dominium? id certè supponunt. Item qualitas supponit substantiam; & esse talem contractum, supponit esse contractum. Vnde, dum aduersarij contẽdunt, esse contractum colonicum; clarè supponunt, adesse contractum; & solum esse dubium, cuius generis, & qualitatis existat. at deberent ipsi priùs probare adesse contractum; cum id nos penitus abnegemus.

24 Deinde hoc genus contractus colonici in nostro Regno nõ est vsu receptum, ac proinde in eo hic contractus dici, aut præsumi non potest: *Pereyra decis. 36. Britto de loc. & cond. cap. 2. p. 3. n. 12. fol. mihi 250. Pereyda de renouatione emphyteusi q. 15. nu. 47. lib. 1.* Sed potius præsumendus esset contractus emphyteuticus, aut censualis: *post alios Menoch. lib. 3 præsumpt. 106. n. 3. Cabedo decis. 153. p. p. Couarr. lib. 3. var. cap. 10. n. 3. Britto d. cap. 2. sub nu. 12. Bero cons. 113. à nu. 1.* qui abundè hanc rem pertractat *Paul. Christian. dec. 97. n. 19. & 25. lib. 5.*

25 Et quamuis gratis daretur, in nostra adesse concessiones; easque ad coloniam factas fuisse; tamen hi perpetui coloni in eo statu conseruari deberent, in quo reperiuntur, cum quadraginta annis terras possederint, *vt not in l. fin. C. de locatione præd. ciuil. lib. 11. Paris. de Puteo de feud. reintegr. fol. 5. à num. 5. Marzar. cons. 16. per totũ, & Eugenius cons. 28. lib. 2. alijq;*

26 Et certè, cum non cõstat, possessionis originem fuisse ex causa conductionis: imo cum nulla alia causa originis possidendi præcessit, nisi rei fruitio cum certa, atque vniformi solutione; tunc certè apud possidentem vtile dominium adest, ac legitimè præscribere potest, vt ait *Gama decis. 26. n. 3. ibiq; Flores de Mena; & idem Gama decis. 244. n. 10. & decis. 397. n. 4. & benè post Crauett. Bald. Caual. aliosque Britto d. cap. 2. nu. 10. in fine, Cald. Perey. de renou. emphyt. qu. 15. nu. 48.* Hinc dixit *Bart. in l. litibus num. 4. de agric. & cẽs. lib. 11.* posse dominij quęstionem refricari, si de locatione non constat. Vnde non est ad rem *consil. 989. Menochij:* in illo enim casu de locatione constabat, aderantque pacta reseruationis dominij, per expressam transactionem, & laudum, vt inibi animaduertere licet.

27 Atque hæc quidem solùm haberẽt locum in illis quartis, qui in feudis D. Comitis reperiuntur; nõ verò in alijs, qui in demanialibus, & communibus vniuersitatis existunt: in quibus sanè diuersa prorsus ratio perspicitur; cum potius terrę, ac possessiones liberę præsumantur, & vti tales possideri, quia à mũdi initio liberę extitère, *vt instit. de rerum diuis. & cap. nimis, de iureiur. vbi omnes.*

28 Probat etiam *Menoch. præsumpt. 100. à nu. 14.* rerum diuisiones non ab vno Principe hominũ, sed ab ipsismet hominibus inter se factas fuisse. Et *ibid. n. 8.* dixerat, malè agere Principes illos, qui prædia ciuitatum, & oppidorum, quæ *Communalia* appellantur, sibi vendicant, & suæ cameræ appropriare contendunt: cum enim prædia illa, vt ipse ait, ab hominum vniuersitate possideantur, *iuxta l. in tantum §. vniuersitati ff. de rer. diuis.* non propria Principis, sed vniuersitatis præsumuntur, quippequæ illa possidet; & in dubio possessor præsumitur dominus *l. cum res C. de prob. l. ob maritorum C. ne uxor*

vxor pro marito: & vtrobiq; DD. alijq; apud Menoch. d. præsumpt. 100. à nu. 5. apud quem alia consulenda sunt, quæ nostræ rei aptari possunt: ibi enim ostendit, territorium existens intra feudi fines, feudale non præsumi, si à priuato possideatur: item Castri, oppidi, aut Ciuitatis dominum, non præsumi rerum particularium dominum, si ab alijs possidentur; quorum possessio inde constat, quòd eas ab ijsdem particularibus cultas fuisse reperiatur.

29 Neque nobis obstat, quod addit *Menoch. n.* 18. ibi enim solutio pensionis annuæ fit ratione dominij, & in illius recognitionem, vt apertè ibi dicitur; quod non accidit in nostro casu.

Etenim verum non est, quod aduersarij aiunt, quartorum possessores in signum recognitionis, ac seruitutis, soluere eam frumentorum, & ordeorum quantitatem, quam de facto soluunt: vndè inferũt, eas res ad emphyteusim fuisse concessas, *ad l. cum in rẽ verso, ff. de vsuris, Velazq. de iur. emph. q. 7. nu.* 33. *Narbona in recop. ll. Hisp. l.* 20. *lib. 4. tit.* 1. *glos.* 22. *nu.* 52. Nam antecedens illud probare deberẽt, quod non præstant: & quamuis gratis illud daretur, consequentia inanis est; quia ad contractum emphyteusis necessariò instrumentum, ac publica scriptura requiritur, vt *ex l.* 2. *& l.* 3. *§.* 1. *C. de iure emph.* concludunt vtrobique omnes, alibique, & post eos *Velazq. d. qu.* 7. *n.* 2. *Ceuall. com. con. com. q.* 306. *Intrigl. de censib. q.* 5. *num.* 10. *Narbon. d. glos.* 22. *n.* 53. *Amic. de iure emph. q.* 41. *Hodier. ad Surd. decis.* 10.

30 Hinc est, quod hæ annuæ præstationes nullo modo dominium arguunt; sed posito, quòd apertè non constat, quo titulo fuerint introductæ; præsumi potest, fuisse liberaliter cõstitutas, vt D. Comes congruè, & pro dignitate sustentaretur, vti quotidie cernimus, vassallos Dominis donatiua liberalia præstare. Vt autem facilior, ac securior exactio harum præstationum reddatur, in venditionibus, donationibus, locationibus, alijsque quibuscumque translationibus, aut alienationibus prædictorum quartorum, quæ ad corpus fieri solent, introductum fuit, vt in libris Deteptoris, & Secreti Arrendatariorum fierent quædam priuatæ notæ, & omnino voluntariæ, quæ vulgò *Pacta, & Refuta* nuncupãtur: per quæ quidem *Pacta* possessores dictarum terrarum sibi assumunt onus soluendi dictas annuas præstationes, à quarum onere per dictas *Refutas* deindè liberantur: vndè prædictæ notæ fiunt, quò in futurum sciri possit, quisnam sit possessor quartorum, à quo præstationes illæ exigi debeant: & quia exactionis liber incipit formari à 15. die mensis Iunij; ideo post hunc diem talia pacta, ac refutæ non admittuntur. vnde cõstat hæc fieri in ordine ad exactionem; non autem quòd D. Comes vllum habeat dominium in huiuscemodi quartis: cuius rei signum est manifestum, quia cum venduntur à possessoribus, eorum pretium non D. Comiti, sed ipsismet tamquam dominis exsoluitur. neque vllum ius laudemij aut aliud quidpiam ob has alienationes D. Comiti soluunt: neque aliqua caducitas inducitur, aut pœna.

31 Habet quidem Dominus Castri fũdatam intentionem pro iurisdictionis dominio, ac territorio; non autem quoad dominium rerum particulariũ, in territorio existentium; vt probat *Alex. cons.* 76. *n.* 6. *lib.* 2. *Oldrad. consil.* 176. *q.* 2. *Menoch. cons.* 437. *nu.* 5. *lib.* 5. *Curt. Iun. cons.* 158. *n.* 22. *& cons.* 312. *à n.* 39. *vol.* 3. *Deci. cõs.* 483. *n.* 10. *Socc. sen. cons.* 127. *n.* 5. *lib.* 1. *Rim. iun. consil.* 19. *vol.* 1. *Bursat. cõs.* 41. *vol.* 1. *Caual. decis.* 45. *n.* 63. *lib.* 1. *Abb. cons.* 82. *nu.* 6. *in fin. p.* 1. *Franc. Marc. decis.* 180. *p.* 1. *Ricc. collect.* 1633. *p.* 5. *Capibl. de Barõ. p.* 2. *cap.* 75. *& p. p. pragm.* 11. *nu.* 9. *&* 19. *D. Nouar. p.* 2. *quæst. pract.* 12. *nu.* 1. 6. *&* 7. Vnde inferunt plures, hæc tria dominia omnino distingui, scilicet, *Dominium Vniuersitatis iure vniuer-*

uer-

uersitatis; dominium particularium, ac dominiũ iurisdictionis, & protectionis.

32 Hinc autem fit, vt ad tale dominiũ iurisdictionis, & protectionis pertineat diuidere terras communes vniuersitatum, concedi solitas, vt ordinatè procedatur; aliaque circa hoc præstare, de quibus latè *Soccin. in l. 1. nu. 270 ff. de acquir. poss. & cõs. 95. lib. 3. Couar. in reg. peccatum §. 9. n. 8. p. 2. de reg. iur. Molin. tom. 1. de iust. tract. 2. disput. 34 versic. præmissa, post Bartol. in l. 1. §. per hanc ff. de rei vendic.* de origine verò communium, seu communalium vniuersitatum, rectè noster *Petr. de Greg. de concess. feud. p. 2. q. 7. nu. 29. & Capiblanc. de Baron prag. 11. tom. 1. & tom. 2. super ead. prag. 11. cap. 73. 74. 75.*

33 Et quidem, quod attinet ad ius nostrum Siculum, monet *Camea de feud. in 1. prælud. à n. 40. post Petr. de Greg. de concess. feud. p. 1. in princ. & p. 5. q. 12* ex documentis, ac chronicis constare, feudorum auctorem in hoc Siciliæ Regno fuisse Emanuelem, imperatoris Constantinopolitani nepotem, qui huc ab eo missus vti Vicarius ann. Dñi 822. dominandi cupiditate Regnum occupauit, ac per quinque annos illud detinuit: quo tempore, vt sibi Regni procerum, atque vniuersitatum animos conciliaret, feuda constituit, barones, ac feudatarios creauit, Sicaniæ territoria in feuda conuertendo, *quæ prius erant*, inquiunt, *curiæ, & ad eas decimæ fructuum, ac terragiorum concedebantur.* post cuius mortẽ Michael eius filius illud Musæ Maurorum Regi tradidit: quod sub eius, ac illius posterorum dominio per annos circiter 230. remansit, quousque inclitus Calabriæ Comes Rogerius illud à Maurorum manibus liberauit.

(: § :)

§ III.

Solutum secundò obiectio ex *l. 3. C. fin. reg.* & explicatur *l. qui se grauatos C. de censib. lib. 11.*

SVMMARIVM.

34 *Ctio fin. reg. solùm 30. annis durat.*

35 *Non habet locum, nisi parte citata.*

36 L. 3. C. fin. reg. *loquitur de mensuratione, non de remensuratione, de qua tamen loquitur* l. qui se grauatos C. de censib. lib. 11.

37 L. qui se grauatos *loquitur de rerum fiscalium peræquatoribus.*

38 *Extenditur à Doctoribus ad reæstimationem rerum particularium.*

39 *Eius dispositio locum non habet in minore, neque in absente reip. causa.*

34 SEcundò euertitur aduersariorũ fundamentũm, quia, etsi quæstio nostra de finibus esset, ac locum hic obtineret dispositio *d. l. 3. C. fin. reg.* attamen hæc actio finium regundorum non amplius, quam triginta annis durat, eisque elapsis, omnino perimitur, & extinguitur: ità expressè sãcitũ est in *l. fin. C. fin. reg. ibiq; gloss.* cæterique omnes animaduertũt; redduntque rationem, quia mixta est actio, in rem scilicet, & in personam, *instit. §. quædam actiones, de actionib. l. 1. & l. sed & loci §. in iudicio ff. fin. reg.* Ità *Io. Faber in d. §. quædam actiones, à n. 35. ibique Iason. n. 39. & Angel.* 24. qui addit, nisi præscribatur rei dominium; tunc enim indirectè longo tempore & hæc actio præscribitur *l. 2. §. cũ Stichũ, ff. pro empt.* ibi: sed etsi fundus emptus sit, & ampliores fines possessi sint, totum longo tempore capi, *& in simili not. in l. 2. C. de seru. & aqua, & ità docet Bald. in d. l. fin. C. fin. reg.* & post *Ang.* & alios, idem probat *Paulus Christianeus decis. 185. num. 5. & 6. vol. 2.*

5 Et quamuis aduersarijs gratis omnino daretur, prędictum tempus elapsum non esse, proindeq; neque actionem præscriptam, atque adeo fieri debere remensurationem; tamen id fieri non posset absque causæ cognitione, ac partis citatione, vt ostēdit *D. Costa cons. 1. n. 53. Giouagn. cōs. 71. præsertim n. 26. lib. 2.* & est argumentum *l. quod si nolit. §. si quid ità, seu pen.* ibi: causa cognita iudicium dabitur, *ff. de Aedil. edict.* quam quidem legem infrà etiā afferemus: eam enim fermè omnes huic materiæ mensurationis, & remēsurationis, ac finium regundorum aptant.

36 Sed, si verum fateri velimus, dispositio *d. l. 3. C. fin. reg.* locum obtinet in mensuratione per agrimensorem facienda; non autem in remensuratione, quæ mensurationem præcessisse supponit, sed iniustam, agrimensoris dolo, vel fraude: hoc enim euentu statutū est per Imperatores in *l. qui se grauatos C. de cens. censitor. & peræquator. lib. 11.* quòd, qui se censent grauatos à peræquatoribus in æstimatione, seu mensuratione, facultatem habent cōquerendi intra annum; quo quidem elapso, vlterius non audiuntur, exceptis minoribus, atque absentibus reip. causa; quibus non currit tempus, donec habuerint experiendi facultatem. Ità tradunt Doctores in *d. l. qui se grauatos,* & post *Bar.* & alios, quos citat *Socin. sen. cons. vlt. in fin. lib. 3. idem Bart. in l. forma §. fin. ff. de censib. per tōd. l. qui se grauatos, Bald. cōs. 387. lib. 3. Cephal. cons. 36. n. 7. Bero. q. 5. Mangil. de euict. q. 102. n. 18. & seqq. Guisman. eod. tract. q. 61. n. 33. in fin. Surd. cons. 336. n. 18. Additio ad Alex. consil. 101. nu. 13. lib. 1. Mascard. concl. 650. aliàs 651. n. 11. & 1048. n. 7. Intrigl. decis. 15. n. 84. Nepit. in consuet. 49. nu. 16. Hermosigl. in addition. ad ll. partitarum Hisp. Greg. Lopez gloss. 2. l. 24. tit. 5. partita. 5. n. 52. Petrus Gregor. Tholos. in syntagm. iuris vniuers. lib. 47. ca. 16. n. 29. Paul. Christian. dec. 91. n. 16. lib. 5. Rouit. decis. 34. num. 7. alijque.*

37 Neque dicas *d. l. qui se grauatos,* loqui de rerum fiscalium peræquatoribus, per quos de quinquēnio in quinquennium bonorum æstimatio fiebat, ad effectum, vt grauati infrà annum conquerendi facultatem haberent; quo quidem elapso, amplius audiri nō poterant. At verò nos loqui de agrimensoribus terrarum æstimandarum, personis particularibus in perpetuum concessarum: *Additio ad Decium in ca. cum omnes nu. 18. lit. C. C. de constitut. Bart. in l. forma §. si quis. veniam ff. de censib.* qui expressè loquitur de catastri emendatione per *d. l. qui se grauatos.*

38 Nè, inquam, id dicas: nam, licet verum sit, eam legem expresè loqui de rerum fiscalium peræquatoribus; Doctores tamen omnes, illam interpretātes, alijq; antea laudati, eamdem extendunt ad reæstimationem terrarū, à particularibus personis possessarum, ac in perpetuum concessarum: ob eādem scilicet, quam in vtroque casu perspicimus rationem. Præsertim, legendus est *Bald. d. cons. 387. lib. 3.* vbi nullam prorsus constituit differentiā inter vtrumque casum, *vt not. d. Add. ad Dec. Bartolus* verò vnum concedit, scilicet *d. l. qui se grauatos,* loqui de emendatione catastri; sed alterum nō negat, puta eamdem dispositionem procedere in æstimatione rerum particularium, ob eamdem videlicet rationem.

39 Neque iterum dicas, D. Comitem hodie reip. causa è Regno abesse, cum regijs obsequijs addictus reperiatur: dispositio autem legis prædictæ, sic uti & in minore, ità & in absēte reip. causa locum nō habet. Ne, inquam, id dicas: nam prædictus annus currere incipit à die factæ concessionis: at verò in nostro casu nulla apparet facta cōcessio; ideoque sciri non potest, an hodie sit locus in integrum restitutioni, & quando inceperit D. Comitis absētia reip. causa; cum non semper, neque om-

omnes Domini Comites præteriti regijs obsequijs fuerint mancipati. Præterquamquod, si hodie huiusmodi absentia allegatur; non potest absque forma, & figura iudicij, atque inaudita parte ad remensurationem deueniri *arg. l. quod si nolit §. si quid ità, & §. seq. ff. de Aedil. edicto.* Adde, terminum anni iã elapsum procuratoribus D. Comitis, à quibus prætensæ concessiones factæ præsumuntur, ob Comitis absentiam. Neque locum habet *decis. 239. Thesaur. n. 11. & 12.* ab aduersarijs allegata, quæ ait *d. l. qui se grauatos*, non procedere in malæ fidei possessore: nam de hac malæ fidei possessione non constat, vt certè constare deberet, vt probat *Costa cons. 1. n. 25. & seq. &* 54. Semper autem aduersarij vnum ieiunè supponunt, vt hic malam fidem, & alterum inaniter inferũt.

§. IV.

Soluitur tertiò obiectio ex *l. 3. C. fin. reg.* & nonnullæ aduersariorum doctrinæ perpenduntur.

SVMMAE.

40 *In dubio concessio censetur ad corpus, non ad mensuram.*

41 *Sequela facti arguit, quid inter partes actum sit.*

42 *Vndè arguatur concessio ad corpus.*

43 *Diuersitas diuisionis non ex quantitate solùm terrarum, sed præcipuè ex fertilitate, vel sterilitate petitur.*

44 *Aduersariorum doctrinæ referuntur, ac perpenduntur* n. 45. & seqq.

46 *Temporis antiquitas non arguit mensurationem: huiusq; quãtitas solũ cõstat ex instrumento, vel cultura, &* n. 47.

48 *Contra agrimensorem intra quod tempus conqueri possumus.*

Hodie actio perpetua dicitur quæ 30. annis durat.

49 *Error in mensuratione non transit in iudicatum; quomodo intelligendum.*

50 *Mensuratio peti potest quandocumque intra 30. annos, &* n. 54.

51 *Refellitur quædam aduersariorum doctrina.*

40 Tertio euertitur aduersæ partis fundamentum, desumptum ex *l. 3. C. fin. reg.* nam illius dispositio tunc locum habet, quando, patefacta veritate quantitatis terrarũ, constat illas ad mensuram fuisse concessas; non verò si ad corpus, vt colligitur ex *gloss. in d. l. verb. finiatur*. In nostro autem casu fuisse ad corpus cõcessiones, (si quæ aliquando fuissent, quod penitus abnegamus) patet; quia non apparent concessionum instrumẽta; vnde in dubio ad corpus fuisse præsumuntur, ea ratione, quia concedens permisit, concessionarium tenere, ac possidere totum prædium; hinc autem fateri videtur, totam rem fuisse concessam, ac totum in illa contineri: *Anchar. reg. in famil. q. 18. nu. 1. p. 1. Bursat. cons. 441. n. 29. Surd. cons. 366. nu. 15. Paris. cons. 64. nu. 48. & 68. lib. 1. Soccin. iun. cons. 32. in fin. vol. 4.* neque enim verisimile est, concedentem tãto tempore tacuisse, nisi ad corpus res concessa fuisset; *Soccin. iun. cons. 42. nu. 11. vers. & ista conclusio vol. 2. Bursat. & Surd. ll. cc. Monac. decis. Lucens. 13. à n. 36.*

41 Id quod vlteriùs comprobatur; primùm quia sequela facti arguit, quid inter partes actum fuerit, vt annotant DD. ac præsertim *Bald. & Angel. in l. certis annis C. de pactis. Bart. Iason. & alij in l. si seruus plurium §. huiusmodi ff. de leg. 1. Surd. d. cons. 366. nu. 14.* id quod fauore concessionarij procedit, vt reficere minimè teneatur: *Surd. decis. 64. n. 15. ibique Hodierna*, & vulgatum est illud, à continuatã possessione dubium titulum, eiusdemque dubiam qualitatem declarari, de quo *Lucch. de Cur. alleg. n. 13. post tract. Hieron. de Monte de fin. reg.*

42 Comprobatur secundò ex ijsdem notis, seu pactis, quibus aduersarij vtuntur, vt diximus *n. 30.* & ex contractibus venditionum, & translationum dictarum terrarum cum suis certis confinibus, quæ in dies fiunt per particulares earum terrarum posses-

 so-

fores vti veros dominos, ex ijs enim non incongruè colligi potest, prætensas concessiones fuisse factas ad corpus potius, quam ad mẽsuram: in ijs enim fit mentio tot quartorum, qui sunt in tali loco: hinc enim arguitur concessio ad corpus: *Surd.decis.64.n.5.& decis.257.n.5.Peregr.cons.94.n.1.lib.4. Bimius cons.36.nu.26.& cons.53.nu.16.* item quando venditur certus fundus, suis limitibus declaratus, concessio ad corpus censeri debet; nõ verò ad mẽsuram: *Afflict.decis.68.* alijque, ac præsertim *Hermosigl.in additiõ.ad ll. partitarum Hispan.Gregor. Lopez glos.2.l.24.tit.5.p. 5.n. 52.* estque etiam iuris regula, intelligi id totum concessum, quod intra fines rei concessæ continetur *l.si fines C.de euict.l. qui fundum ff. eod.& utrobiq; DD.l. ædes sacra S. fin. de contrab.empt.Surd.d.decis.64.num.10.post alios D.Cutell.orat.1.à n.188.*

43 Tertiò comprobatur, quia prædicti quarti non æqualis quantitatis existunt, sed prorsus inæqualis; & tamen pro ijs eadem quantitas frumentorũ, & ordeorum soluitur. Iustitia autem huius inæqualis diuisionis pro eadem prorsus præstatione ex terrarum fertilitate, vel sterilitate petitur adæquatè, vt omnes notant in *l.qui fundum ff. de euict.& latè Ioann.Deber.decis.7. à n.3.lib.2.* vbi ait, iustam præsumi diuisionem bonorum, diù diuisim possessorum, quamuis alter plùs quãtitatis, alter minùs possederit, ex rationibus fertilitatis, & sterilitatis terrarum ex *Ioan. Schendeuin. in S. quædam actiones, instit. de action. Salicet. in l. si maius C. comm. diuid. Iason. cons. 2 lib.3. Mantic.de tacit.lib.4.tit.17.num.29.* vbi ait, prædiorum diuersas esse qualitates, neque eumdem fundum eiusdem esse bonitatis *l. si duorum ff. de act.empti. Alex.cons.120.num.9 lib.2.* Cum ergo ob quartos diuersæ quantitatis eadẽ præstatio exsoluatur, signũ est manifestum, concessiones prætensas ad corpus fuisse, & non ad mensuram, neq; enim habetur ratio ad mensuram, quæ diuersa est; sed ad totum corpus, illiusque fertilitatem, vel sterilitatem. Quando autem concessio ad corpus, quando ad mensuram facta intelligatur, bene explicat *Paris. consil. 64. lib. 1. Mantica d. titul. 17. Rebellus de oblig. Iust.p. 2. lib. 9.q.17 sect.2.Couarr.pract.quæst.c.3. Bursat.cons.441.n.1 lib.1 Soccin.iun. cons.42.n.9.& cons.43.lib.2.* & alij suprà, & infrà citati.

44 Posito autem, quòd hæ prætensæ concessiones non fuerint ad mensurã, sed ad corpus, vt hactenus probauimus; statim corruunt eæ omnes doctrinæ, quæ ab aduersarijs afferuntur: ipsi enim, planè supponentes, dari huiuscemodi concessiones, easque fuisse ad mensuram, petière, illos quartos remensurari, aiebantque ad hanc remensurationem petendam nulla prorsus temporis præscriptione, seu præfinitione impediri, ex *Bald.in l.1.S. ideo autem n. 1. ff. si mensor falsum modum dixerit. Abb. in cap. quia indicante n. 5. de præscript.* alijsque *apud Asol. ad consit. Sabaud.de cens.solut.glos.1. nu. 25. fol.86.Oudendolf. de action. tit. de act. edict.si mensor fals.mod.dix.num.7.fol. 375.* qui ait, hanc actionem esse perpetuam *arg. l. hac actio ff. fin. reg.* fortè melius *ff. si mens.fals.mod.dix.* Et hinc est, aiebant, quod error in mensuratione nunquam transit in rem iudicatam ex *Mandell.cons.466.n.2.lib.3. ibique additio allegat Bart.in d.S.ideo autem, Felin.in cap.propofuisti nu. 10 de prob. Rota Romana apud Seraph. decis.513. à n.1.*

45 Hæc tamen omnia apertè supponunt, primò concessiones adfuisse, secundò ad mensuram fuisse, & tertiò præcessisse mensurationem; quæ omnia nos penitus abnegamus; neque aduersarij, quorum est onus, quippe affirmant, ea vllatenus ostendunt, vti certè nos contrarium demonstrauimus, quamuis ad id obstricti minimè reperiremur, quippe ea omnia inficiates.

Ne-

46 Neque hic obijcias temporis antiquitatem, ob quam præsumendum videtur, factum fuisse per agrimensores mẽsurationem, *ad trad. per Tiraq. de præscript. glos. 4. vers. trigesimonono, Raudens. cõs.* 17. *n.* 216 *& seq.* eò quòd præsumitur plus actũ, ac minus scriptum *Surd. cons.* 366. *n.* 17. *Ioan. Debet. d. decis.* 7. *n.* 5. *&* 15. *lib.* 2. *Mantica de tacit. lib.* 4. *tit.* 17 *n.* 15. *Hermosiglia vbi supra n.* 51. *Gratian. tom.* 2. *discept.* 318. *à n.* 31.

47 Ne, inquam, id obijcias, quia mensuratio generica, idest quòd fuerit facta mensuratio, non tamen constet cuius quantitatis fuerit, non sufficit in re nostra; sed debet apparere, cuius fuerit quantitatis: id verò apparere non potest, nisi vel per instrumentum concessionis, vel ex cultura, *vt post gloss. in d. l.* 3. ait *Paris. de Put. de reintegr. feud. fol.* 46. *à n.* 11. *& fol.* 164. *n.* 2. neque ad id prodesse poterit temporis antiquitas, vt patet. Quamobrem, cum de instrumento concessionis non constat, recurrendum erit ad culturam, quæ infringi non potest, cum finium mutatio minimè præsumatur, vt probat post alios *Decian. cons.* 44. *n.* 18. *&* 20. *lib.* 1. & temporis quidem antiquitas finibus, qui actu sunt, potius fauet, quam aduersatur; præsumuntur enim ijdem, qui nunc sunt, ab initio fuisse. Omitto, Doctores in obiecto allegatos, non edocere, præsumi mensurationem ex temporis antiquitate, sed de ea constito, præsumi illius solemnitates adhibitas fuisse; licet enim ex diuturnitate temporis solemnitas præsumi possit; non tamen actus substantia, vt rectè post alios docet *Gratian. loc. cit.* Præterquamquod, quamuis mensuratio præsumeretur, primum tamen, & secundum, quod aduersarij supponunt, vt dixi *n.* 45. nullo modo præsumi posset ob temporis antiquitatem: nam mensuratio præsumeretur, constito de cõcessione ad mensuram, vt ex ijsdem *DD. cit.* colligitur.

48 Illud tamen hic velim diligenter annotes, Doctores omnes, quos *num.* 46. aduersarij laudauère, nihil penitus ipsis suffragari. nã in primis *Bart. in d. S. ideo.* nè verbum quidem de tẽporis præfinitione: solùm dicit, agrum semel mensuratum iterum mensurari, si aliqua pars dicit, se decegram: quod intelligendum est secundùm doctrinã communiter receptam, vt scilicet remensuratio fiat, vel intrà annum, iuxtà *l. qui se grauatos C. de cen. lib.* 11. vel intrà 30. annos, secundùm aliorum opinionem, de qua *suprà nu.* 34. *& infrà à n.* 51. & ità *Abbas loc. cit.* vult, grauatum dolo, vel lata culpa agrimensoris, debere conqueri intrà 30. annos: licet contrà sentiat *Bald. in l. qui bona fide ff. de damno infecto*, qui putat, solùm posse conqueri intrà annũ per *d. l. qui se grauatos* omnes autem loquuntur de action. ex dolo, & lata culpa, vel in factum, cõtrà agrimensorem, de qua etiam loquitur *d. l. hac actio.* vbi nota, hodie actionem perpetuam dici, quæ 30. annis, & non amplius durat, *institut. de perp. & temp. action.*

49 Illud quoque animaduertendum est, quod aiunt, errorem in mensuratione nunquam transire in rem iudicatam, esse sanè intelligendum: nam de errore constare debet euidenter, ac debet esse vera probatio, vt cõfundat præsumptiuam, iuxta opinionem eorum, qui laudantur *à Felino in d. cap. proposuisti n.* 1. 1. vbi n. 10. testè examinat illam quæstionem, num sententia lata ad relationem peritorum, constito de eorum errore, quandocumq; retractari possit, & vtramque sententiam refert, cum quibusdam declarationibus apud ipsũ consulendis. Quod autem aiunt, *quandocumque*, præsertim *Rota d. decis.* 513. intelligendum est per 30. annos iuxtà dicenda *n. seq.* etiam secundùm aduersarios: & *n.* 54.

50 Animaduertentes aduersarij, sibi nihil penitus prodesse doctrinas à se hucusque traditas, ac recedẽtes à prima petitione, qua petière remensuratio-

tionem,aiebant, non remensuratione se petere,sed mensurationem, in qua locum non habet,secundùm ipsos, dispositio *d.l.qui se grauatos*, sed peti potest talis mensuratio quandocumque intrà 30.annos ex *Dec.conf.*347.*in fi. Natt.*569.*n.*10.*Botta* 83.*n.*1.*Cagnol. in l.2.nu.* 191.*C.de resc.in.vend.Mangil.de euict.q.*102.*n.*14.& 15.Mensurationem autem non præcessisse, nos ipsi fassi sumus.

51 Sed neque hæc excogitatio ipsis prodest: nam,præterquamquod à prima petitione recedi non potest; quãuis hoc iure fieri posse, ipsis gratis daretur;tamen primò probare deberent, prætensas concessiones fuisse ad mensuram, ac se esse intrà 30.annos;& deinde petere mensurationem: cum autem primum non præstent, nec præstare possint; secundum ipsis omnino denegandum est. Nos autem fatemur quidem,non præcessisse mẽsurationẽ; sed addimus,ideo id euenisse, quia nõ à Comitibus concessi sunt prædicti quarti terrarum, ac proinde neque ad mensuram.

Sed hoc etiam ipsis gratis volumus indulgere, puta adfuisse concessiones, easque ad mensuram fuisse: addimus tamen id ipsis nihil penitus suffragari, vt apertè constabit ex ijs, quæ *seq.*§.dicturi sumus.

§. V.

Soluitur quartò, & quintò obiectio ex *l.*3.*C.fin.reg.* agiturque de mensurationis præscriptione.

SVMMAE.

52 *Nte concessionem mensurationis,cognosci debet, an facultas mensurandi fuerit præscripta.*

53 *Quanto tempore hac facultas præscribatur: referuntur diuersi casus, & num.* 54.55.56.

57 L.3.C.fin.reg. *non procedit contra tertios bona fidei possessores: qui neque ad fructus perceptos restituendos tenentur: & per immemorabilem sunt tuti etiam contra fiscum.*

58 *Decisio Tribunalis Consistorij. Iterum Causarum Delegatarum.*

52 QVartò euertitur aduersæ partis fundamentum desumptum ex *l.*3.*C.fin.reg.*nam illius dispositio in nostro casu locum habere non potest; quamuis de cætero gratis daretur, prædictos quartos ad mensuram fuisse cõcessos: nam literæ,de quibus loquimur, non ideo absque partis citatione expediri poterant: primùm enim cognoscendũ erat,an in re nostra mensurandi facultas præscribi potuerit, & an re ipsa fuerit præscripta, *ad trad. per Giouagn. conf.*71.*n.*26.*lib.*1.*Costa dicto conf.* 1. *n.*58.id autem cognosci non poterat, nisi apparente mensurandi facultate, in concessionibus tributa.

53 Etenim primò quando concessio fit ad mensuram, neque tempus præfinitur, intrà quod fieri debeat; tunc mẽsurandi facultas præscribitur, atque extinguitur spatio 60.dierum, nisi altera pars in mora fuerit, *arg. l. quod si nolis* §.*si quid ità,vers.si autem de temporе ff.de Aedilit.edicto,Afol.in Cõs.S abaud.nu.*28.*loc.cit.Mangil.de euict.q.* 102.*nu.*13.*Giouagn.d.conf.*71.*n.* 18. *Thesaur. decis.*185.*n.*2.

54 Secundò,si in concessione dicatur, quòd prædium mensurari debeat; tùc mensuratio intrà annum fieri debet; nisi altera pars in mora fuerit: nam, in odium morosi, tempus non currit. *Thesaur.d.decis.*185.*n.*2.*vers.ut dictum est.*

55 Tertiò,si tempus fuit præfinitum, intrà quod mensuratio fieri debeat; tùnc,eo elapso,etiam absque partium mora, amplius fieri non potest,*arg.d.* §.*si quid ità,Giouagn.d.conf.*71.*Mãgil. d.q.*102.*num.*1. vide *Thesaur.d. decis.* 185.*n.*

56 Quartò, si de mensuratione fienda nihil additum sit; vel fuit dictũ, quòd fieret ad quamcumque partis requisitio-

tionem, & qualiscumque; vel fuit iuratum, ea omnia obseruari, quæ in instrumento continentur; hisce quidē casibus requiritur, ac satis est præscriptio 30. annorum, *ad trad. per Bern. qu. famil. q. 5. Surd. d. decis. 64. n. 22. Mangil. d. q. 102. num. 14. Thesaur. d. decis. 185. nu. 2. vers. aut verò additum est*, vbi ait, prædictas distinctiones esse de mente Doctorum in *cap. per tuas, de donat. & in l. si quis arbitratu ff. de verb. oblig.* vide *suprà n. 34.* & *DD. cit. n. 48.*

57 Demum euertitur contrariorum fundamentum desumptum ex *l. 3. C. fin. reg.* quia illius dispositio locum nō obtinet contrà tertios bonæ fidei possessores: hi enim, si per decem, vel viginti annos possederint, ad mensurādum interpellari non possunt, vt benè monuit *Thesaur. d. decis. 185. n. 2. in fine* neque ad fructus perceptos restituendos obligantur, vt post alios probat *Hieron. de Monte de fin. reg. cap. 100.* Possessores verò prædictorum quartorum non solum sunt tertij possessores decem, & viginti annorum cū bona fide; sed etiam cētum annorum, habentque centenariam, & immemorabilem præscriptionem, qua etiam contrà fiscum muniuntur; saltem vt non molestentur absque causæ cognitione, ac iudicij forma, secundùm iura communia, Regniq; nostri capitula; quāuis essemus in iurisdictionalibus, ac regalijs, prout fuit decisū per Magnam Regiam Curiam ann. 1635. cū interuentu Illust. D. Præsidis de Blaschis in causa Illustr. Principis Buccherij, contrà fiscum, patrocinante vtriusque iuris peritissimo D. Andrea Muscarà; qui & in hac causa Caccabensium, sicuti & in cæteris assolet, aduocati munere egregiè functus est: obsistentibus pro parte D. Comitis primis huius Regni aduocatis, iuris vtriusq; consultissimis. tandem per Tribunal Consistorij, prout sequitur, decisum est.

Die 1. Iunij 7. Ind. 1639.

Vbi non sunt instrumenta publica concessionum terrarum, reuocentur literæ, saluis iuribus actori veniendi via sua. Vbi verò sunt instrumenta publica concessionum, stent, & exequantur, quoad remensurationem tantum, ad expensas petentis pro modo; saluis iuribus vtriq; parti quoad reliqua in dictis literis contenta; transmissis ad Tribunal remensurationibus prædictis. expensis hinc inde compensatis.

Deinde huius sentētiæ tentata fuit reuisio ex parte D. Comitis ad Tribunal Causarū Delegatarum, & fuit decisum, prout sequitur.

Die 13. Martij 8. Ind. 1640.

Fuit interloquutum per M. R. C. Sedis criminalis, & Causarū Delegatarum, & per Sp. de Federico Ansalone, & Giattino Iud. Delegat. in causa.

Vbi non sunt instrumenta publica concessionum terrarum, reuocentur literæ; saluis iuribus actori veniendi via sua. Vbi verò sunt instrumenta publica ad mensuram tantum stent, & exequātur, ad expensas supplicantis, partibus auditis, & redactis in scripturis relationibus expertorum, & prouisionibus faciendis per Delegatum Consiliarium, in causa destinandum, vt possint partes vti remedijs à iure permissis: saluis iuribus vtrique parti quoad reliqua in literis contenta; expensis hinc inde compensatis.

CON-

CONSILIVM XXXXVII.

An vsura vsurarum, etiam licitarum, saltem in sortem reductarũ, exigi queant.

§. I.

Opinio negans est vera secundùm ius Cęsareum, & municipale Hispanũ, & estq; cõmunior Doctorum.

S V M M A R.

1 *Usurę nomen in bonam partem hic sumitur.*

2 *Iura, quę vsurarũ vsuras exigi vetant.*

3 *De quibus loquantur,* & nn. seqq.

4 *Probatur, ea loqui etiã de vsuris licitis, non autem de illicitis dumtaxat, &* n. 5. 6. & seqq.

7 *Leges plures ciuiles vsuras permittentes, solùm de licitis loqui, probatur.*

Fœnerari est hominem occidere.

Vsura est contra naturam.

8 *A verbis legum receditur, vt iniquitas euitetur.*

9 *Modus legitimus vsurarum à Iustiniano præscriptus, &* à n. 10. vsq; ad 18.

11 *Pecunia* Traiectitia *quænam fuerit.*

12 *Ratione periculi sortis, vel difficultatis, &c. in ea recuperanda, potest aliquid vltrà sortem exigi, vel suprà iustum pretium.*

13 *Contractus assicurationis licitus est.*

14 *Nauticum fœnus hodiè licitũ qui velint.*

17 *Vsura vsurarum prohibentur iure Castellæ, & communi opinione* n. 18.

1 MOneo hoc loci, vsurarum nomine in bonam partem nos vti, puta pro iusto lucro, seu legitimo interesse, sicuti eo nomine profani quoque scriptores, & iura ipsa sæpissimè vtuntur, vt Doctores, de vsuris agentes, animaduertũt, atque ex infrà exponendis elici quoq; poterit. Hac de re in facti contingentia equidem consultus, distinctione vsus sum, quam postea subnectam. loquimur autem impræsẽtiarum, pręsertim quoad forum conscientiæ: etsi de cætero quid in foro quoque exteriori obseruandũ sit, veluti obiter tradamus.

2 Sed ante omnia duo in re, qua de agimus, omnino præmittenda sunt. Alterum quidem est, in iure Cæsareo expressa iura reperiri, quæ vsurarum vsuras exigi vetãt, nedum in Digestorum libris, puta *l. placuit,* & *l. nec curãdum, de vsuris, l. si non sortem, in prin. de condit. indeb.* verum etiam in Codice Iustinianeo, nimirum *l. improbum, de vsuris,* & *l. fin. §. 1. de vsur. rei iudic.* sed præsertim *l. fin. de vsuris,* quæ ità apertis verbis rem istam definit: *Vt nullo modo,* inquit Imperator Iustinianus, *vsuræ vsurarum à debitoribus exigantur, veteribus quidem legibus cõstitutum fuerat, sed non perfectissimè cautum: si enim vsuras in sortem redigere fuerat concessum, & totius summæ vsuras stipulari, quæ differentia erat debitoribus, à quibus re verà vsurarum vsuræ exigebantur? Hoc certè erat non rebus, sed verbis tantummodo legem ponere. Quapropter hac apertissima lege definimus, nullo modo licere cuiquam vsuras præteriti temporis, vel futuri in sortem redigere, & earum iterum vsuras stipulari. sed etsi hoc fuerit subsecutum, vsuras quidem semper vsuras manere, & nullum vsurarum aliarum incrementum sentire: sorti autem antiquæ tantummodo incrementum vsurarum accedere.* Ecce tibi rem apertè ab Imperatore decisam.

3 Sed dices, legem finalem nuper recitatam, aliasque, quæ idipsum decernunt, non de legitimo lucro, huiusque lucri lucro, de quo ipsi loquimur, sed de vsuris illicitis, etsi in iure Cæsareo permissis, earumque vlterioribus vsuris loqui: proindeque, etsi istæ vsurarum vsuræ ijs iuribus prohibeantur, non tamen indè continuò sequitur, lucrum lucri liciti prohiberi. ità sentire videntur nonnulli, quorum aliquos laudat *Narbona in l. 9. tit. recop. lib. 5. tit. 18. in 4. glos. 2. n. 33.*

4 Sed mihi huiusmodi earum legum interpretatio displicet omnino: etenim

nim primùm ex leges, generatim, atq; vniuersè loquentes, de omnibus prorsus vsuris loqui, existimandum erit, iuxtà doctrinam à nobis traditam *cos. 3. à n. 2.* Atqui ius Cæsareum nomine vsurarum, nedum lucrum immediatè ex mutuo prouenìens, (quod propriè hodiè vsura nuncupatur, quodque nullo penitus modò idem ius approbare, quin neque permittere existimandum est, vti mox ostendemus) verum etiam lucrum licitum, non immediatè ex mutuo proueniens, sed ratione damni emergentis, vel lucri cessantis, comprehendit. loquitur ergo lex illa Iustinianæa, aliæque nedum de lucro lucri illiciti, verum etiam de lucro lucri maximè liciti.

5 [3] Huius ratiocinationis minor propositio probatur, quia in *l. cum quidā §. si pupillo, in fine ff. de vsur.* ita loquitur Scæuola: *vsura non propter lucrum petentium sed propter moram non soluentium infliguntur.* Ac si diceret, ideò mutuanti aliquid vltrà sortem solui, quia debitor in mora fuit, ob eamque mutuanti lucrum illud, quod soluitur, cessauit. atque ità legem illam interpretatur *Sotus lib. 6. de iustit. q. 1. art. 1. post initium*, qui ibidem paulò ante finem etiam monet, leges, quæ vsuras solui iubent, intelligendas esse loqui de vsuris licitis, vt pote quæ propter moram soluendi, ratione, vel damni emergētis, vel lucri inuito domino cessantis, solui debent: refertque *l. 1. C. de vsuris*, vbi: *si interrogatione præcedente*, inquit Imperator, *promissio vsurarum rectè facta probetur, iure debentur* rectè facta, subdit *Sotus*, id est iusta de causa, ac debito stipulationis modo. ità quoque *Valent. in 2. 2. D. Th. disp. 5. qu. 21. pun. 1. vers. quod si alicubi*, ait, *l. 1. cit.* non intelligi de vsura vera, sed de aliquo auctario, iusto titulo debito. quod post *Sotum* ait, in iure vocari vsuram: agitur enim ibi, inquit, de vsura rectè promissa, & petita. *Lessius* quoque *lib. 2. de iustit. cap. 23. dub. 10. n. 87. in fine*, monet, in iure passim vsuram vocari legitimum interesse ex mutuo proueniens: aliique DD. idem animaduertunt.

6 [1] Addiderim ego, *l. 2. C. de vsuris*, vbi: *vsuras emptor*, inquiunt Imperatores, *cui possessio rei tradita est, si pretium venditori non obtulerit, æquitatis ratione præstare cogitur.* Certè hoc iure vsurarum nomine nonnisi lucrum maximè licitum intelligi debet: vndè ibidem *Glossa*, quærens, an eiusmodi vsuræ iure canonum illicitæ censeantur, respondet negatiuè, secundùm *Azon. & Hug.* quia, inquit, loco interesse præstatur, & fructuum, vt hic, & *arg. ff. pro socio, l. sociū, qui in eo.* & Additio, quæ Glossam subsequitur, ait, idem teneri ab alia *Gloss. in cap. conquestus, extrà de vsur. & ibid. ab Abb.* & communiter à canonum interpretibus. Verum igitur est, ius Cæsareum vsurarum appellatione lucrum quoq; licitum comprehendere. Id, quod alijs quoque legibus *tot. tit. de vsuris in ff. & C.* innuitur non obscurè.

7 Ceterum ego sic leges omnes de vsuris loquentes, illasque permittentes, interpretarer, vt nonnisi de licitis loqui intelligantur: quid enim prohibet ità intelligi, si vsurarum nomine lucrum licitum, debitumque ratione damni emergentis, vel lucri cessantis commodè comprehendi potest? hinc autem fieret, vt minimè iniquitatis arguerentur prisci illi iurium conditores, ac si lucrum illud, immediatè ex mutuo proueniens, seu, quod est idem, vsuras prorsus illicitas, omnique iure, etiam naturali, prohibitas, approbauerint, vel saltem permiserint, de ijsque plurimas leges cōstituerint, quis enim eorum ignorabat *Catonis* sententiam, sientis apud *Ciceronem lib. 2. officior.* fenerari esse hominem occidere? & *Aristotelis* enunciatum *lib. 4. Eth. cap. 1. & lib. 1. Polit. cap. 6. &* 7. vsuram scilicet esse cōtrà naturam? certè plures quoque alij antiquorum Philosophorum vsuras vehementer improbarunt, vt *Plutarchus in libro,*

qui inscribitur, *quod non oporteat fœnerari*; *Appianus Alexandrinus lib. 1. de bello ciuili, & Marcus Cato de re rustica*, alijque, quos passim referunt auctores, de vsuris agentes.

8 Neque sanè video, cur leges illæ non ità exponantur, vt delicta permittere minimè censeantur; quando hęc interpretatio omni vitio caret, quam proculdubio amplecti debemus *l. in ambigua ff. de legib.* à verbis enim legũ recedere quoque possumus, propter iniquitatem insurgentem, vt ait *Gloss. Margin. verb. legitima instit. de legit. patron. tut.* Commodissimè igitur asserere possumus, sapientissimos iurisconsultos, ac Iustinianum, Christianũ Imperatorem, vsuras tantum licitas approbasse, ac permisisse; quia scilicet sæpè aliqui iusti tituli intercedunt; vt innuit quoque *Lessius lib. 2. de iustit. cap. 20 dub. 4. nu. 33.* quicquid in contrarium sentiat *Couarr. lib. 3. variar. resol. cap. 1 n. 6.*

9 Et confirmatur id ipsum, quod asseruimus, puta vsuras à iure permissas esse lucrum aliquod, quod legitimè, ac iustè percipi queat: nam Iustinianus in *l. eos C. de vsuris*, modum legitimum constituit vsurarum; puta vt illustres personæ solum tertiam partẽ centesimæ exigere possent, nimirum pro centum aureis singulis mensibus tertiam aurei partem; personis verò, quæ ergasterijs præsunt, puta quæ mercaturam, vel aliquam aliam licitam negotiationem gerebant, vsque ad bessem centesimæ, idest duas tertias vnius aurei pro cẽtum aureis singulis mensibus vsurarum nomine stipulari, seu exigere permittebatur, insuper in traiectitijs contractibus vnam centesimam, idest vnum pro centum aureis in singulos menses stipulari licebat. demum cæteri nonnisi centesimæ tantummodo dimidiã, idest dimidium aureum pro centum in singulos menses exigere poterant.

10 Hic equidem inquiro, quęnam tãdè ratio fuerit modi eiuscemodi vsurarum diuersimodè constituendi: certè non aliam excogitari posse censeo, quam diuersitatem, seu, vt Doctores loquuntur eamdem legem exponentes, varietatem personarum, vsuras stipulantium, quibus plus, minusuè lucri cessat, eò quòd pecuniam alteri mutuant: quia enim passim ab omnibus absque personarum discrimine vsuræ nimiæ exigebantur, Iustinianus necessarium esse duxit, vt ipsemet ait, veterem duram, & grauissimam earũ molem ad mediocritatem deducere, perpensis scilicet cuiusque personæ mutuantis qualitatibus, indeque arguendo boni viri arbitrio, quid lucri afferret domino pecunia, quatenus eius industriæ subest, quo sanè priuatur, cum illam alteri mutuat, iuxtà regulas, quæ etiam hodiè obseruantur ad illud lucrum decernendũ, passimq; à Doctoribus traduntur, cum de lucro cessante agunt, quod vltrà sortem exigi possit: docent: præsertim *Less. lib. 2. de iust. cap. 20. dub. 11.*

11 Atque ità, quia illustres viri nonnisi licitam, honestamque negotiationem gerunt, proindèque parum indè lucrari possunt, arbitrio boni viri hocce lucrum Imperator æstimauit quatuor pro centum, in singulos annos. Quoniam verò ijs, qui mercaturã faciunt, aliterue negotiantur, pecunia pluris valet, quam alijs personis, prout eorum industriæ subest, ideo huiuscemodi hominibus lucrum, à lege statutum, est octo pro centum in singulos annos. Iam verò in traiectitijs contractibus non iniuria duodecim pro centum singulis annis percipi permittebantur: in his enim contractibus pecunia mutuata, quæ *Traiectitia* nuncupatur, trans mare, creditoris periculo, vehitur, siue illa ipsa exportetur, siue etiam merces ex ea comparatæ reportentur, modo creditoris periculo vtraque nauigent, *l. 1. alijsque ff. & C. de naut. fœn.* ac passim monẽt Doctores, præsertim, qui Lexicon iuris conscripsère

Cer-

12 Certè hodiè docent plerique,quorum aliquos laudat,sequiturque *Less. lib. 2. cit. cap. 20. dub. 13.* posse mutuãtem ratione periculi fortis,vel difficultatum, aut expensarum, quæ in ea recuperanda metuũtur, vt quia mutuauit homini non satis noto, aut decoctori, aut dubiæ fidei, aliquid vltrà sortem exigere; quia scilicet in tale se periculum inijcere pretio æstimabile est, proindèque pro eo pretium exigi iure potest;vt id ipsum alijs quoque rationibus rectè *Lessius* probat. quibus etiam ipse cum alijs, quos refert, mouetur ad asserendũ *eod. lib. 2. c. 21. dub. 6. n. 53.* licitum esse ei, qui dilata solutione vendit,aliquid suprà iustum pretium exigere,ratione periculi sortis,cui mercator creditò vendens exponitur.

13 Sed in contractibus traiectitijs ampliùs quidpiam reperiebatur,puta cõtractus, quẽ *Assecurationis* hodiè appellamus, quem licitum esse probant omnes, præsertim *Less. lib. 2. cit. cap. 28. dub. 4.* suscipiebat enim mutuans in se alienæ rei periculum,& amittendæ integræ sortis; quod sicut hodiè, ità & olim pretio æstimabile fuerat. quod non incongruè probatur ex *l. periculi pretium ff. de naut. fœn.* in cuius legis speciebus facti, sponsionis,seu assecurationis cõtractum celebrari,monuit *Iustus Zinzerlingus in lib.* qui inscribitur, *opinationes variorum de vero intellectu l. periculi cit.* in fine cõmentationis nouæ, quam ipse affert; quem post hæc scripta vidi,vt inferiùs animaduertam.

14 Huius igitur ratione periculi, & lucri cessantis, quod verè eiusmodi hominibus defuisse,iustè supponi debet, quippequi negotiationibus vacabant, vt ex hoc ipso, quòd pecuniam traiectitiam mutuabãt,colligi potest,proptereaque magno lucro priuabantur, pecunijs ità mutuãdis; ratione inquã, huiusce periculi, & lucri, non iniustè ab Imperatore ijs centesimam vsurarum nomine stipulati permissum erat. Quin & hodiè hasce ciuiles leges,nauticum fœnus permittentes, non esse Pontificio iure sublatas; imo vim, & potestatem legum habere, iustasque censendas fore, post alios, quos laudat,edocuit *Couarr. lib. 3. var. resolut. cap. 2. n. 5. initio,& vers. secundo cõstat*, quem citat,sequiturque *Andreas Vallensis in paratitlis Decretal. lib. 5. titul. 19. de vsur. §. 3. n. 7.*

15 Iam verò, Iustinianus in *cit. l. eos*, tandem alijs omnibus præter recensitas personas, vt centesimæ dimidiam, puta sex pro centum aureis in singulos annos,exigere permittit: nimirum qui neque mercatores erant, neque illustres personæ, sed mediæ inter vtrasque boni viri arbitrio, non quatuor solum, vt Illustres personæ, neq; octo,vt mercatores, sed lucrũ mediũ, putà sex annis singulis lucrari centum aureis posse censebantur. Quod si dicas, euenire posse, vt mutuanti nullũ penitus lucrum esset, proindèque tunc in duobus saltem primis citatæ legis casibus, atq; in hoc vltimo vsuræ omnino illicitæ erunt: aio, id nihil obstare: primùm,quia nobis satis est, vt saltem aliquando licitę sint,& quarum nihilominus vsuræ ea *lege vltima* prohibeantur: deindè legem sanciuit Imperator quoad forum exterius, nè vsuræ quotidiè mirum in modum excrescerent, supponens lucrum illud, quod vsurarum nomine percipi posse statuit, licitum, ac debitum, verèque mutuanti cessare, ipsius de cætero cõscientiæ relinquens, vt, si verè nullũ ipsi cessaret, nullum quoque perciperet.

16 Quemadmodum hodiè, quoad forum exterius, nequaquam vsurarius is censetur, qui à mutuatario sex, vel octo percipit singulis annis, ratione lucri cessantis; quamuis reuera nullo penitus lucro priuetur: tametsi quoad Deum verè vsurariã exerceat prauitatem. non igitur hinc colligi potest, Iustinianum ea lege vsuras approbasse, vel saltem permisisse, sicuti neque

ecclesia permittit, qui hunc, quem retulimus, vti vsurarium minimè plectit. Constat igitur satis, vt tandem rem concludamus, *d.l.fin.C.de vsuris*, nedum vsurarum illicitarum vsuras, verum etiam licitarum damnare; ità vt interesse alterius interesse, & lucri lucri, etsi iusti, atque legitimi, percipi omnino vetet, atque etiam in sortē redigi interdicat.

17 Sed præter ius commune addidi, id etiam prohiberi lege regnorū Castellę municipali, (inibi hac de re consultus fui) si de cambijs loquamur; etsi de reliquo eadem prorsus ratio in cæteris omnibus perspiciatur. Decernitur illud expressè à Philippo Secundo, verè Catholico, verè pio, ac prudentissimo, in pragmatica sanctione ab eo edita *Matriti anno* 1598. vt habet codex pragmaticarum, quæ est *l.* 13. *tit.* 18. *lib.* 5. *recop.* quam præter cæteros benè exposuit *Narbona* loco initio citato, vbi Rex declarat, cambium esse, quod *siccum* vulgò nuncupatur, proindèque penitus illicitum, & interdictū, *que los interesses dela primera feria* (verba sunt legis) *entren en la suerte principal, para causar otros interesses en la segunda, y los de la segunda en la tercera, y assi en las demas.* Vbi *Narbona n.* 33. loquens de opinione, quam mox referam: *quorum opinio*, inquit, *probata cernitur per hanc nostram legem, vbi interesse alterius interesse percipi prohibetur. per quam quidem constitutionē, saltem attento iure nostrò Regio, reprobata remanet contraria sententia existimantium, interesse augere sortem, & eamdem assumere naturam, ac sors ipsa principalis: ità vt ex eo interesse aliud sit exsoluendum; licet aliter sit in vsuris, quæ sunt odiosæ, & restringendæ*; & cætera, quæ sequuntur.

18 Demum præter ius commune, ac municipale Hispanū, addidi crebriorē hac in re Doctorum opinionem, docētium, interesse alterius interesse exigi non posse; quorum aliquos citat, sequiturque *Narbona loco cit. num.* 32. *Escobar. de ratiocin cap.* 15. *n.* 27. *Rota diuers. decis.* 315. *num.* 8. *lib.* 2. *Rebuff. in repet. l. vn. in verb. dupli nu.* 2. *vers. præterea interesse C. de sent. quæ pro eo, quod inter. Deci. in cap. cum venerabilis n.* 14. *de exception.* præsertim consulēdi sunt *Ruyn. cons.* 55. *à nu.* 15. *& cons. seq. nu.* 13. *lib.* 2. *& Fab. Anna controuers.* 48. *& Narbona loc. cit.* qui rem accuratiùs præ cæteris exagitat. legēdus quoque *Ioan. Bolognet. in l. vn. à n.* 123. *C. de senten. quæ pro eo, quod interest.* vbi *n.* 128. *Decij, Ruini*, & aliorum opinionem magis communem, tutiorem, & veriorem appellat; contrariāque esse periculosam, & Hæbreorum negotiationem sapere: quod etiam contrariæ opinionis assertor *Cagnolus* asseruit in *l.* 1. *n.* 46. *C. de sentent. quæ pro eo, quod interest.* hāc eamdem opinionem communem, & veram esse, profitetur *Alph. à Villag. tract. de vsur. q.* 7. *num* 12. *&* 13. innumeros retulit *Caualcan. decis.* 26. *n.* 25. *p.* 3. prout hęc omnia, aliaque refert *Narbona loc. cit.* apud quem consuli debent: præsertim ratio, quam omnes penè repetunt, desumuntque ex infinitate, quæ ex lucro lucri sequeretur contrà *tex. in l. vn. C. de sent. quæ pro eo, quod interest*, quam, præter cęteros, benè interpretatus est *Rebuff. in repet. d. leg. in* 1. *not. ab.* vbi infinitatem coarctandam esse demonstrat. Et nouissimè post hæc scripta reperi *Dian. tract.* 8. *de contract. lib. resol.* 11. *&* 19. laudare Theologos, qui id ipsum astruunt, putà *Molfesium in summ. par.* 6. *tract.* 12. *cap.* 7. *nu.* 113. *Megalam* 2. 2. *lib.* 2. *cap.* 6. *q.* 1. *nu.* 29. *Malderum in* 2. 2. *tract.* 5. *cap.* 3. *dub.* 12. additque *Iacob. de Graff. part.* 1. *lib.* 2. *cap.* 105. *n.* 8. *Honded. cons.* 5. *nu.* 28. *Franch. decis.* 254. *nu.* 14. *Roderic. de ann. reditib. lib.* 5. *q.* 7. *n.* 27. etsi ipse *Diana* contrariam opinionem probabiliorem putet, quod fortassis verum est, rei natura dumtaxat spectata, vti mox ipsi exponemus. quæ etiā de re vide *Menoc. de arbitr. iud. casu* 119. *à n.* 18. *cons.* 1181. *à n.* 5. *vsq; ad fin. lib.* 11.

§ II.

§. II.

Variæ Doctorũ interpretationes *cap. nauiganti, de vsur.* referuntur, ac refelluntur.

SVMMAE.

19 *Dispositio* cap. nauiganti, *refertur.*
20 *Prima illius interpretatio refellitur.*
Mare æquiparatur homini potenti, & crudeli.
21 *Nundinatio hodie, an sit expers periculi, &* n. 22.
23 *Interpretatio cap. nauiganti, quæ est cõmunis Theologorum.*
24 *Reijcitur, &* n. 25.
26 *Interpretatio* Adriani *impugnatur.*

19 SEd quoniam ijs, quæ S. *ant.* tradidimus, præsertim ex iure Cæsareo *n.* 13. & 14. non modicùm obstare quibusdam videbatur *cap. nauiganti de vsuris*; ideo in illius explicatione nonnihil immotari operepretiũ duxi. ibi igitur ità loquitur Gregorius IX. *Nauiganti, vel eunti ad nundinas, certam mutuans pecuniæ quantitatem, pro eo quod suscipit in se periculum, recepturus aliquid vltrà sortem, vsurarius est censendus.* vnde quidam volunt, hoc iure vsuras centesimas omnino damnari.

20 Hoc quidem caput à Doctoribus variè explicatur. referam breuiter aliorum interpretationes, & meam deindè subnectam. Aiunt quidam, quos refert *Couarr. lib. 3. var. cap. 2. cit. vers. primum equidem*, illud obtinere locũ, vbi deficit probabile dubium, & periculum, cuius caussa iustè aliquid recipiatur; & nihilominus vana periculi specie quidpiam vltrà sortem creditor recipiat. *Quibus*, ait Couarr. *non assẽtior, quippe qui videam, maxima imminere nauigantibus pericula, & res, quæ per maria transuehuntur, pluribus subiacere incommodis; cuius quidem fortunæ, & periculi meminit Summus Pontifex in dicto cap. vlt. ideo*, & cætera, quę subsequuntur. Atque hæc quidem *Didacus* rectè. quibus adde *Baldi* monitum in *l. 2. C. de naut. fen.* vbi: *notâ, inquit, quod ex nauigatione maris imminet periculum: vndè Seneca: nauigia, quę de mane luxerũt, de sero sorbentur. vnde mare æquiparatur homini potenti, & crudeli tex. est not. in l. 3. ff. de dona. cau. mor. aduersa enim procellæ nemini prosunt, & inexorabiles sunt.*

21 Sed hæc maris pericula, etsi nauigantibus immineant, euntibus tamẽ ad nundinas communia nequaquam existimantur: quamobrem, inquiet damnatæ memoriæ *Molinaus*, qui hãc *cit. cap.* interpretationem tuetur *qu. 3. de vsur. & Adrian. tract. de vsur. §. occurrunt ad primum*, ecquodnam ad nundinas eunti periculum impendet, cum eæ publicam obtineant securitatem, ideoque sint institutæ, vt homines conueniãt? quod profectò non facerent, si quod fortunarũ, vitæuè periculum subeundũ esset, *l. vn. C. de nũdin. l. 4. C. de commerc. & merc.* quin & pluribus in locis stipendiarij milites adhibiti ad custodiam viarum, qui excubias agunt, ac mercatores comitãtur, vt in *l. fin. C. de erog. milit. annon. lib.* 12. teneturque magistratus, seu loci dominus, damna nundinatoribus illata resarcire.

22 Sed certè hodiè nundinatio expers periculi non est, ijs etiam locis, vbi custodia adhibetur; vt experimento comperimus: id verò euenit, vel ob incuriam militũ, vel eorum magistratuum, quibus adhibendorum militũ cura demandata est; vel quia quandoque ea est latrunculorum violẽtia, vt, nequicquam reluctantibus militibus, nundinatores expilent, vt exemplis confirmat *Gail. 2. obseruat. 64. & Fidericus Hordlederus in nota ad c. vlt. cit. de vsur.* quod auctarij loco posuit *Zinzerlingus in fine libri*, nuper *n.* 13. laudati: vbi non incongruè monet, mercatores rarissimè à magistratu illati dam-

damni integram recipere compensationem; cum difficillimum sit, quid, quantumque per rapinam ablatum sit, docere, & iusiurandum eorum, qui bonorum iacturam fecère, vt ea æstimentur, minimè admittatur. Demum magistratus nōnisi rapinæ casum præstat, cæteros nequaquam: atqui pecunia, ac merces alijs quoque modis perire potest, veluti incendio, furto, inūdatione, alijsque sexcentis; quis enim enumeret? Maneat igitur, minimè reperiri nauigationem, aut nundinationem, quæ periculis careat: ac proinde neque admittendam esse hanc primā laudati capitis interpretationem, quę illud omnino supponit.

23 Secunda eiusdem capitis expositio est, quam fermè omnes præsertim Theologi amplectuntur, quorum aliquos laudat, sectaturque *Valent. in 2.2. S.Th. disp.5. qu.20. punct. 2. §. 6. vers. ad hoc respōdet benè Medina, Less. lib.2. cap.20. cit. dub.13. n.116. Couar. cap.2. cit. n.5 vers. secundo tex. P. Hurtado de iust. tract. de contractib. disp. 3. difficul.10.* alijque passim. Docent hi, Pontificem de eo loquutum, qui nonnisi cum periculi susceptione erat mutuaturus, ità vt mutuatarium cogeret inire secum contractum præstandæ securitatis merciū, pecuniæuè: id quod vsurarium esse asseuerant.

24 Sed primùm hæc expositio, etsi illā non ausim damnare, ob tantorum virorum, qui eam amplectuntur, auctoritatem; diuinare tamen mihi videtur: vndè enim illud eliciat, haud satis intelligere possum. Certè Pontifex illud expressim tradere debuerat, sine quo eius dispositio locum nō obtinebat: cur enim omitteret id, quod in casu suæ constitutionis formaliter vsurarium contractum constituebat? adde, quod lectio illius capitis affirmatiua nullo modo consistere potest, vti mox ostendemus.

25 Demum id, quod eiusmodi interpretatio supponit, puta vsuram esse, cogere mutuatarium ad illum securitatis contractum ineundum, etsi plures doceant, aientes, nequire mutuantem, absque vsuræ labe, obligare mutuatarium, vt ei vicissim in posterum, cum opus habebit, remutuet, si commodè queat, vel vt iusto pretio ab eo emat, vel vt eius molendino molat, vel vt eius agrū iusta mercede colat, vel vt eius domum iusto pretio conducat, aliaue eiuscemodi præstet; tamē alij non inferioris notæ Doctores cōtrarium opinantur, quorum aliquos laudat *Couarr. lib.3. var. cap.2. cit. nu. 5. vers. tertio tamen, Lessius cap.20. cit. dub 8. n.59.* & nouissimè *Diana tract. 8. de contract. resol. 59.* quem post hæc scripta vidi. docent sanè hi, mutuantē mutuatario imponere posse obligationem ad istęc in posterum rependēda, quando absque graui incommodo poterit, nedum antidoralem, (quod plerique etiam priorum Doctorum concedunt, quos sequitur, citatque *Less. loc. cit. n.56. Hurtado d. disp.3. diff. 7.*) statuto quoque termino, vt, nisi præstet, mutuum reddere cogatur; verū etiam ciuilem; quorum opinio multis haud improbabilis videtur, eamque non incongruis rationibus loco citato *Lessius* probat.

26 Tertia expositio, quæ est *Adriani in 4. sent. tract. de vsur. §. occurrunt*, vti testatur *Couarr. loc. cit.* ait, Pontificē de eo loqui, qui pretium suscepti periculi iniustum petit, puta excedens periculi æstimationem. Atque hæc quoq; interpretatio diuinat, pterquāquod, qui tale pretium excedens petit, non vsuram, sed aliā iniustitiæ speciem cōmittere videtur. Demum neque id Pontifex reticere debuerat, sine quo inanis fuerat ipsius constitutio, qua, non quid illi dumtaxat casui peculiare, sed quidpiā omnino generale statuisset.

Denique aliæ omnes eius responsi Pontificij interpretationes, quæ illud affirmatiuè legunt, præterquàm quod diuinare omnino videtur, facile ex ijs, quæ modo subijciam, refellentur.

§. III.

§. III.

Auctoris interpretatio *cap. nauiganti de vsuris.*

SVMMAE.

27 *Leges quomodo interpretandæ.*
28 *Dictio,* quoque, *est coniunctio copulatiua, sicuti,* etiam, *& quam vim habeat.*
29 Cap. nauiganti, *vera lectio exponitur, &* n. 30. & seqq.
31 *Sæpè in iurium interpretatione negationes adduntur, vel tolluntur, & huius rei exempla* n. 32. 33.
Viaticum omnibus dandum.
34 *Auctoris lectio comprobatur, &* nu. 35. 36.

27 Vt igitur tandem meam proponam interpretationem, seu potiùs lectionem; præmoneo primùm, inciuile esse, nisi tota lege perspecta, vna aliqua particula eius proposita iudicare, vel respondere, vt voluit *Celsus in l. inciuile ff. de legib.* id, quod ibidem *Glossa* procedere quoque docuit in plurium legum interpretatione, modò coniunctæ perspiciantur. In re igitur nostra integrū Pontificis responsum perpendendum est, vt illius rectus intellectus habeatur, vti nos postea præstituri sumus.

28 Deinde præmoneo, coniunctionē, *quoque,* quæ in eo capite ponitur, etiā à Grāmaticis copulatiuam nuncupari, proptereaquod similes casus connectit, à iuris etiam peritis eamdem vim habere illa dicitur, quam iidem coniunctionem, *etiam,* obtinere fatentur, cui ea vis tribuitur, vt augmentet, ampliet, extendat, maiora expressis includat, casum magis dubitabilem explicet, implicetque minus dubitabilem, vt hæc omnia benè pluribus iuribus probat *Rebuff. in l. mulieris verf. hæc dictio etiam ff. de verb. signif.* & poni sæpè in iure pro, *etiam,* probat innumeris exemplis in *l. detestatio §. familia verf. quoque pro etiam eod. tit.* vbi refert *Bar. in l. Labeo §. ff. de pactis,* aitem, esse dictionem ampliatiuam, & *Iaf. in l. iusiurandum, quod ex conuentione §. fin. ff. de iureiur.* dicentem, esse implicatiuam, & copulatiuam; aliaque addit, quæ apud illum consuli debēt; sed præsertim in *verf. secundò natura,* ait, huiusce naturam dictionis esse, vt, cum sit copula, denotet, quod eadem sit qualitas in casu illo, sicut in præcedente, & è contrario *d. §. fin. l. iusiurandum:* & quòd aliquando pro *similiter,* accipiatur, rectè monuit in *verf. Quartò ex Gloss. in l. qui legatorum §. filium quoque ff. pro hærede,* aliaque huiuscemodi de hac voce apud Doctores passim reperire licet; præsertim apud *Mandos. in reg. 32 cancell. q. 38. nu. 6.* vbi ex *Clement. causam §. idem quoque, iuncta aliorum declaratione, de elect,* ait, eam vocem ostendere, nihil diuersum à præmissis disponi. Vide etiā recollecta per *D. Barbos. axiom. 333.*

29 His ità breuiter præmonitis, censui semper, primam illam Pōtificij responsi partem deprauatè omninò legi, debereque esse negatiuam orationem, ità vt dicatur, *vsurarius non est censendus;* non verò affirmatiuam, vti in vulgatis Codicibus habetur. Id quod primùm ex capitis contextu apertè elici mihi visum est: Postea enim quam *Gregorius Papa* eam primam responsi partem dedisset interroganti, statim subnectit hæc verba: *Ille quoque, qui dat decem solidos, &c. non debet vsurarius reputari.* Animaduerte coniunctionem, *quoque,* quæ denotat eamdem omnino qualitatem in hoc secūdo casu esse agnoscendam, quæ in primo agnoscebatur, & contrà, significare vtriusque similitudinem; ampliare, atque extendere primam dispositionem ad secundam, seu secundi casus resolutionem; atque omnino implicare casum simillimum præcedenti, si vera sunt, vt certè verissima censeri debent, quę nuper secundò loco premonuimus.

Vel

30 Vel igitur in primo casu deest omnino negatio, atque adeo prorsus addenda est: vel in secundo penitus abundat, atque adeo expungenda erit: hoc secundum nemini placet: nemini igitur primum displicere deberet. Atque ità omnino conceptè Pontifex loquitur, neque imperito sermone vtitur, vt certè vteretur, si aliorum lectio vera foret: nullibi enim reperies ità imperitè eam voculam quempiam vsum: sed omnes penitus illam vsurpasse, vt casum antecedenti simillimum significarent; vt passim apud Doctores, ac iurisconsultos animaduertere licet: referam hic tantum exempli gratia Pauli celeberrimi Iurisconsulti enunciatum, duas continens partes, ea coniunctione copulatas, quod refertur in *d. l. iusiurandum, quod ex conuentione §. pen. & fin. ff. de iureiuran.* prima quidem pars est: *Si tutor, qui tutelam gerit, aut curator furiosi, prodigiue iusiurandum detulerit, ratum id haberi debet.* Secunda verò pars est: *Procurator quoque, quod detulit, ratum habendum est.* ecce tibi voculam, *quoque*, implicare simillimum casum: quod si impressorum incuria negatio alterutri orationi addita fuisset, proculdubio illa expungenda foret, ne iurisconsultus imperito sermone vteretur, vel quidpiam contra rationem edoceret.

31 Neque id nouum censeas; sæpè enim iurium interpretes addunt, demuntque negationes, quo sermoni, vel rationi consulatur: vnum, vel alterum exemplum profero. In *cap. 4. 2. qu. 3.* ita legitur: *Si quis Episcopum, aut presbiterum, aut diaconum, falsis criminibus appetierit, & probare non potuerit, nec in fine dandam ei communionem censemus.* quoniam verò id contra rationem videbatur, & contra canonum statuta, quibus cauetur, viaticum omnibus in morte positis non esse negandum, vt decernitur in *cap. pœnitentes dist. 50.* alijsque; etsi illud ca. 4. Glossa, & Doctores diuersimodè interpretentur; tamen alij pro ijs verbis *nec in fine*, pro. hæc reponunt: *nonnisi in fine dandam ei esse communionem*: vt apparet ex notis, quæ post illud *cap. 4.* leguntur.

32 Ità in *cap. Episcopi 1. 4. qu. 3.* vbi in vulgatis codicibus legitur: *Episcopis, qui innocentes, aut minimis causis culpabiles excommunicant, esse denegandam communionem, si à coepiscopis moniti, parere noluerint*; alij legunt, *non esse negandam communionem*: fortassis ob rationem, quæ subnectitur, *nè fortè scilicet, ob excommunicationis peccatum, excommunicati longo tempore morte præueniantur*: quæ sanè ratio secundæ lectioni, non verò primæ congruere videbatur.

33 Demum in *cap. cum societas 27. qu. 2.* expungendam esse negationem, quæ à *Gratiano* ponitur, monuimus suprà *conf. 41. n. 20.* post doctissimum *Bellarminum*: & *Cuiacius* negationem restituit in *l. apud proconsulem ff. de manum. vind. lib. 10. obseruat. cap. 1.* ea subdens verba: *plus ipsa ratione iuris tribuo, quam vlli scripturæ: qua quidem nulla res est, quæ facilius deprauari possit*: alia eiusmodi exempla passim in vtroque iure animaduertere licet.

34 Cur ergo nobis id ipsum præstare minimè liceat, si orationis contextus id exposcat, quin & ratio ipsa persuadeat? Nam si periculi alieni susceptio apud omnes in pretio est, in eaque contractus assecurationis iustitia nititur, estque maximè secundum naturam, vt id, quod pretio æstimatur, vendi queat, cur saltem dicamus, Pontificem illam periculi susceptionem, de qua ipse loquitur, tam aditus expressè prohibuisse? Certè nemo doctorum virorum eiusmodi contractum damnare ausus est, sed omnes penitus in explicando Pontificis responso laborant: quod tamen facillimè præstabunt, si nostram eius loci lectionem amplectentur.

35 Hanc equidem olim nonnihil hæsitans tradidi, quòd pæuium haberem neminem, qui illam doceret. Sed postea quam hæc ipsa, quæ hactenus exposui,

posui, scripsissem, reperi ità præsensisse *Fridericum Hordlederũ apud Iustum Zingzerlinguin in libro*, quem *n.* 13. laudaui: cuius sanè verba, cũ codex rarus sit, hoc loci transcribere operepretium duxi. *Sed quid tamẽ est*, inquit, *quod in dicto cap. vlt. de vsuris disertè scriptum extat? dicam ingenuè, quid sentiam: cum scribere deberet verbis Pontificis librarius*; Nauiganti, &c. vsurarius non est censendus, *homo incuriosus, cum aliò diuertisset cogitationẽ, scribebat*, vsurarius est censendus: *quæ certè res & verbis eiusdem capitis contrariatur, & rationi multò magis: verbis; sequitur enim continuè*: ille quoq; qui dat solidos, &c. non debet ex hoc vsurarius reputari. *Si quoque non debet vsurarius reputari; an non euidenter videtur vocula isthæc implicatiua innuere Pontifex, nec primum vsurarium censendum, ante se, & cõstituisse, & verò scripsisse? Rationi autem, quoniam vbi dubium est, an is, qui mutuò dat, vltrà sortem tempore solutionis recepturus sit aliquid, ibi iustam, & licitam vsuram esse idem Pontifex in sequentibus duobus eiusdem capitis versiculis luculenter adfirmat, & Alex. 3. in cap. 6. eod. tit. Atqui, si nauigãti credideris, vel ad nũdinas eunti cum susceptione periculi, dubium est, an vltrà sortem sis recepturus aliquid, cum fieri possit, vt & ipsam sortem aliquo infeliciore casu perdas.*

36 Ex periculi ergo susceptione, ac pactione cum nauigante, qui in manifesto discrimine versatur; infert auctor iste, vsuram illam licitam fore: etsi de reliquo hæc eius illatio in meo Codice mutila reperiatur; fortassis impressorum incuria, vel dolo, qui mutilum auctorem facere voluerint, qui eos incuriosos paulo ante indigitauerat, vt nuper retulimus. Deindè auctor iste breuiter refert, confutatque aliorum interpretationes, additque in fine ratiocinationis hæc ipsa verba. *Et certè, si rationem vllam viderem, qua vulgata prioris versiculi lectio defendi posset, nè quid, aut in sequẽti obstaret, aut remedium loco affecto nimis violentum adhiberi videretur, retenta principij lectione legerem, in vers. 2. aduersatiuè in hæc verba*: ille verò, qui dat solidos, &c. *sed non videre me iterum fateor ingenuè: alius, si quis videt, ei tantum abest, vt inuisurus sim, vt potiùs acumen, ingeniumque magnopere laudaturum me pollicear*, ità auctor laudatus: atque hoc ipsum edixerim ego, nè quispiam plus æquo à me mihi tribui puter.

§. IV.

Non videtur illicitum iure naturę exigere vsuras vsurarum licitarum.
Auctoris iudicium in proposita quæstione.

SVMMAE.

37 A*ssertio probatur*, & num. 38. & seqq.

39 *An debitor ex mora inculpabili teneatur ad interesse. vtraque sententia probabilis.*

40 *Leges, probibentes lucrum lucri, in præsumptione fundantur.*

41 *Resolutio principalis quæstionis, quando scilicet debeatur lucrũ lucri*, de quo vide *Io. Ant. Bellon. cons.* 25.

42 *Leges in præsumptione fraudis fundatę, si verè fraus abest, non obligant ante Iudicis sententiam; at post illam, sic.*

43 *Huius rei nonnulla exempla.*

Hæres, in minus solemni testamento institutus, si verè fraus absuit, potest ante sententiam hæreditatem possidere, non verò post.

44 Extrauagans Pij V. de cambijs, *non obligat, nisi post sententiam, cum verè fraus abest.*

45 Constitutio Pij V. de censibus, *quoad aliqua, si fraus abest, non obligat in conscientia foro.*

46 *Acquisita ludo vetita ante sententiam non sunt obnoxia restitutioni: & alia similia.*

47 *Obiectio soluitur.*

48 *Contractus iure etiam naturali illiciti, qui tamen validi sunt.*

37 EO igitur constituto, quod primo loco præmisimus, putà vsurarum vsuras exigi, iure Cæsareo omnino prohiberi; quod secundo loco præmittimus, est, iure naturæ non videri illicitum exigere vsuras vsurarum, seu, quod est idem in re, qua de agimus, interesse alterius interesse, seu lucrum lucri, si verè creditori cesset id lucrum lucri ex mora culpabili debitoris: & id fortè voluère Doctores, quos laudat, sectaturque *Diana d. tract. 8. de contr. resol. 11. & 19.* Id sanè, me iudice, côuincunt ee omnes rationes, quas passim à Doctoribus repetuntur, vt probent, licere mutuanti ratione lucri cessantis quidpiam exigere vltrà sortem; quæ cum obuiæ cuiquam esse facillimè queant, eas hoc loci inculcare superuacaneum puto: quid enim interest, si lucrum creditori cesset ex dilata sortis solutione, an ex dilata eiusdem lucri solutione? si igitur lucrum sortis debetur, quod verè creditori cesset; cur non item lucrum lucri debeatur, quod creditori quoque reuerà cesset?

38 Id certè suadet in vtroque casu iustitiæ æqualitas, atque ipsa naturalis ratio, quæ dictat, amissum lucrum mihi ab eo esse resarciendum, qui vera, & realis caussa est contrà iustitiam cômutatiuam, vt ego illud amittam. Atqui is, qui mihi soluere differt lucrum illud, quod mihi statuto tempore soluere deberet, vera, realisque caussa est contrà iustitiam commutatiuam, vt ego aliud amittam, quod verè, ac realiter haberem, pareretque mihi illud lucrum, mihi debitũ, prout subesset industriæ meæ; quo equidem iniustè priuor ob retardatã primi lucri solutionem. Hæc autem omnia velim intelligas, vera à me censeri, si eæ côditiones concurrant, quæ ad lucrum cessans iustè exigẽdum à Doctoribus exiguntur, de quibus accuratè, vt assolent, *Less. lib. 2. de iustit. cap. 20. dub. 11. P. Molin. disp. 315. Turrian. disput. 61. dub. 3. Hurtado, de contr. disp. 3. diffic. 9.* alijque.

39 Dixi, exigi iustè lucrum lucri, si verè istud creditori cesset *ex mora culpabili* debitoris: neque enim hic quærendum fuit, an quoque ex mora inculpabili deberetur: in casu enim, de quo consultus fui, mora debitoris culpabilis erat. Num verò ex inculpabili quoque debitor obligetur, vt hoc obiter dicam, censeo vtramque opinionem probabilem esse, vtriusque patronos nupertimè recensuit *Diana tract. 15. miscellan. resolut. 49.*

40 Atque ex hoc, quod vltimo loco præmisimus, sequitur, leges illas Cæsarei iuris, prohibentes exigi vsurarũ vsuras, ex earum genere censeri debere, quæ quidpiam prohibent; non quòd sit contrà ius naturale, commuueuè bonum; sed ob fraudis, atque iniquitatis præsumptionem: præsumit enim ius vsurariam prauitatem in eo, qui vsurarum vsuras exigit ratione lucri cessantis: & non iniuria: difficillimum enim est, vt eæ omnes adsint conditiones, quæ necessariæ forent, vt hoc lucrum lucri verè creditori cessaret. Sed quicquid sit hac de re, certè cum hoc lucrum lucri iure naturæ debitum sit, vt diximus, leges, quæ illud vetant, necessariò in præsumptione fraudis, atque iniquitatis fundari, dicendum erit.

41 Atque his omnibus hunc in modũ præmissis, propositam initio quæstionem ità expediui. Vsuræ vsurarum, seu lucrum lucri, ante Iudicis sententiam, si verè creditori ex mora culpabili debitoris cesset, debitum est, & proindè iustè exigi potest. At post Iudicis sententiam, quæ ferri omnino debet secundùm leges illud prohibentes, neque debitum est, neque exigi vllo pacto potest, etsi re vera omnis penitus iniquitas, & fraus abesset, sed verè, vt dictum est, creditori ex mora culpabili creditoris cessaret.

42 Vtraque pars huiusce enunciationis ostenditur, quia leges in præsumptio-

tione fraudis, & iniquitatis fundatæ, quando veritas præsumptioni aduersatur, idest quando re vera nulla prorsus fraus, aut iniquitas reperitur; in foro conscientiæ dumtaxat, puta ante iudicis sententiam, neminem obstringunt, vt ex communi sententia post *Syluestr. verb. lex. q. 9. Nauarr. in Manual. cap. 17. num. 83. aliàs 301. & cap. 23. n. 62.* aliosq; docuit *Valent. in 2.2. S. Th. disp. 5. q. 6. punt. 5. §. 2. vers. nam quando*, plures apud *Dian. p. 1. tract. 10. de legib. resol. 27. Merollam de legib. disp. 4. cap. 3. dub. 21. Castropal. tom. 1. tract. 3. disp. 1. punct. 14. nu. 12.* At in foro externo ità obligant, vt nedum teneantur iudices requisiti secundùm earum dispositionem sententiam ferre; verum etiam illos obstringunt, contrà quos hæc pronunciatur; ità vt in foro quoque conscientiæ ei obedire teneantur; quantumcumque fraus, aut iniquitas absuerit, nè, alioqui potestati resistentes, diuinæ ordinationi resistant, *ad Rom. 13.* vt post *Sotum lib. 4. de iustit. q. 5. art. 3.* docuit *Valent. loc. cit. vers. tertius casus est*, vbi *in fine vers. & in hoc tantum*, ait, hanc doctrinam esse planè consentaneam Doctorum omnium mēti, probatque, neque ab ea recedere *Panormitanum*, aliosque, qui in conscientiæ tantum foro loquuntur.

43 Atque ex hac doctrina non incongruè plura à Doctoribus inferuntur, quæ exemplorum loco hic recensere, haud superuacaneum puto. *Sotus, & Valētia* locis nuper laudatis, colligūt, posse hæredem, vel legatarium, institutum per testamentum minus solemne, bona, tutaque conscientia hæreditatem, vel legatum possidere, si de libera testatoris voluntate absque dolo, & fraude constiterit; idque antè Iudicis sententiam; post eam enim latam docent, restituere debere hæreditatem, vel legatum hæredi ab intestato, qui in iudicio cōtrà illos egit, & obtinuit, quicquid in contrarium opinetur *Couarr. in reg. peccatum 2. p. relect. §. 3. n. 11.* qui præsupponit, legē, testamentis solemnitates præscribentem, non in præsumptione fraudis, & iniquitatis fundari, sed ob bonum publicum latam putat: cuius contrariū laudati Doctores meliùs præsupponunt.

44 *Nauarrus in Manuali cap. 17. num. 283. aliàs 301.* elicit, *extrauagātem Pij V.* editā anno 1571. ac expressim prohibentem, in negotio cambiorum pacisci initio de certo, ac determinato interesse lucri postea soluendo cum capitali, in foro conscientiæ ante sententiam minimè obligare, quando verè coram Deo contrahēs de lucri cessatione certus omnino est, & plus, minusuè de eo paciscitur, prout probabile est maius, minusuè futurum. cuius rationem reddit hic auctor; quia ista constitutio in præsumptione fraudis, & iniquitatis eiuscemodi pacti fundatur; proptereaque in foro interiori neminem obstringere, quo tempore iniquitas abest; etsi de cætero in externo foro constitutio vim obtineat, ac secundùm illam Iudices iudicare teneantur. *Nauarrum* laudat, ac sequi videtur. *Valent. loc. cit. q. 10. punt. 2. §. 5. vers. vbi etiam & Less. lib. 2. de iust. cap. 23. dub. 11. n. 90.* vbi *n. 91.* præterea colligit, quod si quis contrà laudatam cōstitutionem ratione veri interesse plus exigeret, quando ad secundas nundinas concedit, vel terminum ordinarium profert, licet in foro externo vt vsurarius puniretur; non tamen ad restitutionem antè Iudicis sententiam teneretur.

45 Item *Nauarrus comment. de vsuris n. 106.* quem citat, sequiturque *Valēt. loc. cit. q. 25 punt. 2. vers. dixi autem*, elicit, *constitutionem Pij V. de censibus*, quatenus prohibet censum redimibilem ex parte emptoris, & pactum assecurationis census, aliasque præscribit conditiones, iure naturæ in census emptione minimè requisitas; elicit, inquam, hanc constitutionem, de qua ipsi meminimus *suprà cons. 8.* quippe

fundatam in præsumptione vsurariæ prauitatis, non ligare in foro consciẽtiæ, quando præsumptioni veritas aduersatur: atque ità *eod. comment. num.* 88. ait, conditionem illam, à Pio requisitam, vt scilicet emptio census nõnisi numerato, acceptoque iusto pretio tempore contractus, & coram notario, ac testibus fiat, in foro conscientiæ minimè obligare. atque id ipsũ voluit *Boninsignius tract. de censib. cap.* 5. *n.* 5. quos laudat, sequiturque *Less. lib.* 2. *de iust. cap.* 22. *dub.* 2. *n.* 80.

46 Insuper *Lessius loc. cit. cap.* 26. *dub.* 2. *n.* 17. post alios plures, ex eodem principio docet, acquisita ludo, legibus vetito, retineri posse, nec restitutioni obnoxia censeri antè iudicis sententiam, restituere iubentis; post sententiam verò restitui oportere. Et *cap.* 7. *n.* 44. docuerat, eadem ratione eum, qui virginem volentem deflorauit, nihil ei antè sententiam debere; sed post sententiam dotare tenetur. atque ità quoque is, qui commodatũ absque culpa amisit, etsi ante sententiam nihil ex iustitia debeat; post eam verò ad restitutionem obligatur: aliaque huiuscemodi passim apud Doctores animaduertere licet.

47 Sed dices, legem *illam finalem* irritam omnino reddere vsurarum stipulationẽ: si igitur virtute huiuscemodi stipulationis vsurarum vsuræ exigantur, etiam ante sententiam restituendæ erunt: earum enim dominij translatio iure isto impeditur.

48 Respondeo, quicquid sit de illatione huiusce obiectionis, antecedens falsum videri: solùm enim lege illa vsurarum vsuras exigi, vt quidpiam illicitum, dãnatur; non autem eiusmodi stipulationes irritæ, nullæque redduntur: quod patet ibi: *Quapropter definimus, nullo modo licere cuipiam vsuras in sortem redigere, & earũ iterũ vsuras stipulari*. Atqui sæpè contractus illiciti sunt, nedum positiuo iure, verum etiam naturali, vt matrimonium post votum castitatis, vel post sponsalia, cum alio inita, contractũ: venditio rei, quàm Deo voui: promissio meretrici pro vsura corporis facta: at non ideo continuò irriti censentur: multa enim illicitè fieri, omnes profitemur, quæ nihilominus valida conceduntur. Maneat igitur, vsurarum vsuras, seu lucrum lucri, verè creditori cessãs ex mora culpabili debitoris, iustè exigi, retinerique posse ante latam sententiam; non verò postea quam ea lata fuerit.

§. V.

Cambium, & recambium quo casu sit licitum: & an lucrum cessans his casibus debeatur.

S V M M AE.

49 P*Rimum requisitum ad hoc vt cãbium, & recambium debeatur.*

50 *Secundum requisitum.*

51 *Constare debet de literis cambij, earumque missione ad nundinas.*

52 *Recambia non debentur, nisi ratione lucri cessantis, aut damni emergẽtis.*

53 *Cambium est vsurarium, quando ab initio taxatur certum interesse, & vniforme.*

54 *Debitor debet habere actu, vel potentia pecunias alibi, ad hoc vt cambium non sit vsurarium.*

55 *Requisita ad hoc, vt debeantur lucrum cessans, aut damnum emergens.*

56 *Dies interpellat pro homine. fallit, cum de magno præiudicio agitur.*

57 *Petens cambium siccum; neque lucrum cessans petere potest.*

58 *Interesse non debetur ex alio interesse iniusto.*

AFfinis est hęc quæstio superiori, quia in hisce recambijs lucrum lucri exigitur, in sortẽ redactum. Et quamuis ex dictis eius resolutio colligi posset, ac præsertim ex lege municipali Castellæ relata *nu.* 17. tamen, quia nonnulla habet peculiaria, de ijsque in casus contingẽtia

tia consultus fui; ideo ea hoc loci tradere, visum est.

49 VT cambium, & recambium debeatur plura à Doctoribus requiruntur. Sed ad minus duo quotidie exigit *Rota Romana*, vt ipsamet testatur in *decis.* 775. *p.* 4. *diuers.* Primum est, quod, quando creditor non habet facultatem expressã à debitore in casum moræ accipiendi pecunias sibi debitas ad cambium, & recambium, damno ipsius debitoris, non potest id facere creditor, nisi præmissa protestatione, ac intimatione de hoc ipsi debitori. quamobrem hęc intimatio omnino exigitur ad iustitiã horum cambiorum, cum prædicta facultas tributa non reperitur.

50 Secundum est, vt vtroque casu cũ effectu, ac realiter dictæ pecuniæ per creditorem accipiantur ad cambium, idque ipsi debitori notificetur, ad hoc vt certò sciat, debitum suum esse sub vsuris, &, vbi velit à futuris se liberare, valeat, soluendo, quod debet. Et hanc *Rota* doctrinam sequutum est Tribunal Consistorij huius Regni, teste *Castil. decis.* 112. *à nu.* 13. aiens, ità fuisse conclusum in causa vertente inter D. Principem Buteræ, & quosdã mercatores de Pallauicino. Et ob defectum huius secundi requisiti, quamuis primum adesset, emanauit *Rotę* decisio, quæ omnino legenda est. Et hoc quidem videtur esse, quod communiter dicitur, ad iustitiam videlicet cambiorum esse necessariam cõtinuationem; quæ fieri nequit, nisi consentiente, aut saltem sciente vtraque parte.

51 In casu autem, de quo consultus fui, neutrum aderat requisitum. Non primum, quia debitor nunquam illã facultatem impertiuit; accipiendi pecunias à se debitas ad cambium in casu moræ: quin imo, cum duabus, tribusuè vicibus solùm concesserit cõtinuationem per vnum annum; eamdẽ pro alijs vicibus denegasse intelligitur: neque vlla protestatio, aut intimatio præcessit. Non secundum, quia non constabat, eas pecunias verè, & realiter acceptas fuisse ad cambium, & literas ad nundinas missas, prout requirit *Rota*, quæ allegat *Sap. in tract. de vsur. concl.* 3. §. 2. *n.* 23. & *Rot. Ianuens. nu.* 11. & *constit. Pij V.* & sequitur *Castill. loc. cit.* atque id nunquã prorsus debitori notificatum fuit. Refert *Castillo* nunnullas decisiones in Regno, per quas dictum fuit, *stent oppositiones*, eò quod literæ cambij ostensæ non fueruut.

52 Addo, hunc modum cambiorum expressè à quampluribus tamquam vsurarium improbari, vt animaduertere licet apud *Dian. tract.* 8. *de contract. resol.* 1. *p.* 1. quarè securum non erit excedere modum consuetum in huiuscemodi continuationibus, qui est, vt literæ quot annis ostendantur, & debitor interpelletur. Cum præsertim recambia, secundùm veram sententiam, non debeantur, nisi ratione lucri cessantis, vel damni emergentis, vt rectè probant tres doctissimi Theologi Societatis Iesu, idest *Less. lib.* 2. *de iust. ca.* 23. *dub.* 9. *Salas de cambijs dub.* 22. *n.* 1. *Filliuc. tom.* 2. *tract.* 35. *p.* 2. *ca.* 10. *nu.* 471. & alij. ac per consequens esset ostendendum, quodnam lucrum in nostro casu cessauerit, vel damnũ emerserit. neutrum verò deberi in re nostra, statim ostendemus.

53 Denique cambium est vsurarium, in quo ab initio certum, ac determinatum interesse taxatur, etiam ratione lucri cessantis, aut damni emergẽtis: quod quidem cambium apertè damnauit *Pius V in bulla*, quæ incipit: *In eam*, vt notant prædicti DD. *Rebellus p.* 2. *de oblig. iust. lib.* 11. *qu.* 13. *Hurtado de iust. tract. de contr. disp.* 5. *diff.* 5. *vers. circa cambium*. Ità probat *Rota decis.* 315. *nu.* 7. *p.* 2. & post plures *Menoch. cons.* 1180. *n.* 4. 5. 6. *lib.* 12. *Less. dub.* 9. Item est vsurarium, quando huiusmodi interesse est vniforme, vt post alios dixit *Menoch. nu.* 12. *loc. cit.*

cit. In nostro autem casu taxatum fuerat ad decem pro centenario: quamuis enim in contractu diceretur, ità quòd interesse non excederet decem pro centenario; quæ quidem non videtur taxatio positiua; tamen aiebã, verè hoc colore palliatas fuisse vsuras; quia semper illæ taxatæ fuerant modo prædicto, scilicet decem pro centenario, nec plus, nec minus; & ità vniformiter solutæ sunt.

54 Omitto, in nostro casu debitorem non habuisse alibi pecunias, nec actu, nec potestate, seu in credito; idque creditorem certò nouisse; ac proinde creditorem peccasse contrà iustitiam, cum debitori ad illum locum cambiauit, vt est communis sententia *DD.* *de qua Less. d. dub. 9. post Syluest. verb. vsura 4. q. 9. Nauarr. cap. 17. nu. 289. & 299. Bonin sign. cap. 7.* apud quos huius sententiæ rationes consuli debent.

55 Addebam, in nostro casu neque interesse lucri cessantis, aut damni emergentis deberi: quia ad hoc plura requiruntur: scilicet primò mora debitoris in non soluendo: secũdò, quòd creditor sit solitus negotiari; tertiò, quòd prę manibus habeat negotiationem, & eam non exercuerit, quia carebat pecunijs debitis; & demũ, quòd in fine cuiuslibet anni ipse creditor pecuniam suam repetat, & realiter cupiat sibi à debitore reddi. de quibus quidem conditionibus rectè *Menoch. de arbitr. iud. lib. 2. casu 119. & cons. 1180. à n. 18. & cons. 1181 à n. 8. lib. 12. Alphõ. Villagut. tract. de vsur. q. 18. n. 34. Castill. d. decis. 112. à n. 24.*

56 Quicquid autem sit de secundo, ac tertio requisito, quæ in nostro casu adesse, non probabatur; certè primũ, & vltimum certissimè non aderant. Et primum quidem debitor in mora non fuit, quia minimè adfuit legitima interpellatio, apta ad illum in mora cõstituendum, *ad trad. per Menoch. d. casu 119. à n. 14. Castill. num. 29.* licet enim iuris sit regula, diem pro homine interpellare *l. magnam C. de cõtrab. stip. com. DD. apud Barbos. axiom. 71.* ea tamen locum non obtinet, quando de magno agitur præiudicio, vti accidit in casu nostro: tunc enim vltrà dici cursum, creditoris interpellatio requiritur, vt docuit *Aret.* alijque, quos citat, sequiturque *Menoch. d. nu. 14.* Neq. verò in fine anni creditor à debitore pecuniam suam vnquam repetiuit.

57 Excluditur etiam hoc lucrum cessans, aut damnum emergens, quia ratione ipsius ab initio certum, ac determinatum, & vniforme interesse taxatum fuit, contrà id, quod diximus *num. 53.* Item quia à creditore in nostro casu interesse cambij, & recãbij petitum est: cum autem hæc fuerint ficta, tum quia non sunt ostensæ literæ cambij veræ, ac reales, tũ etiã, quia verè debitor alibi pecunias nec actu, nec potentia habebat; in odiũ petentis, neque lucrum cessans peti potest ex *Rebuff. Pal. Rub. Bertaz. Aret. alijsque apud Castill. d. decis. 112. n. 22.*

58 Cum autem huiusmodi interesse minimè debeatur; neque certè debetur interesse huius interesse, vt est cõmunis sententia, etiam illorum qui *d. l. fin. C. de vsur.* explicant de vsuris illicitis: de quo *Menoch. loc. cit.* alijq; apud ipsum: ac proindè multò magis in nostra, atque aliorum sententia, qui putamus, non deberi, saltem in foro fori, interesse alterius interesse, quamuis liciti, ac legitimi, vt antea ostendimus copiosè. pro qua re præsertim consideranda est *lex Castellæ*, quam retulimus *n. 17.* cuius quidem auctoritas proculdubio magnifacienda est, sicut & *Rota d. decis. 315. n. 8. p. 2.* ambæ enim de cambijs loquuntur.

(:§:)

CON-

CONSILIVM XXXXVIII.

An bona, per testatorem antea absque onere haredi donata, in fideicommissi restitutione veniant.

§. I.

Ponitur regula negatiua: eiusque exceptio, ideft nisi expresse fideicommisso à testatore subijciantur, explicatur.

SVMMAE.

1 Regula in hac quæstione est negatiua.
2 *Desumitur ex* l. sequens quæstio ff. de leg. 2.
3 *Donatio, à patre filio facta, morte non confirmatur, si non fuit insinuata.*
4 *Exceptio d. regulæ: ideft nisi expresse fideicommisso à testatore subijciantur.*
5 *Non sufficeret generale fideicommissum, sed est necessarium speciale.*
6 *Nec sufficiunt verba generalia.*
7 *An sufficiat, si testator in institutione expressit bona donata, & postea simpliciter fecit fideicommissum.*
8 *Negans opinio probabilior, & euertitur quadam explicatio* d. l. sequens.
9 *Affertur aptior explicatio ad* d. l. sequens.
10 *Coniecturis colligi potest, num testator voluerit, bona donata subijci fideicommisso: & nonnullæ referuntur.*
11 *Quo tempore locum habeant, &* nu. 12.
13 *Donatarius, ac simul hæres institutus, potest insistere donationi, & hæreditatem reuocare.*
14 *Si consentiat, sibi præiudicat in rebus donatis.*

1 SVpponimus hoc loco, horum bonorum donationem fuisse validam, vel initio, quam præsupponimus factam extraneo, filio emancipato, &c. vel saltem testatoris morte confirmatam; quatenus facta fuerit filio, in potestate donantis constituto, in casibus, in quibus talis donatio initio sustineri non potest. Atq; in his omnibus casibus, regulam omnes ponunt, hæc bona non venire in fideicommissi restitutione. horum plures citant, ac sequuntur tres doctissimi recentiores, puta *D. Vincentius Fusarius tract. de subst. q. 632. n. 1. 2. 3. D. Cutell. de donation. tract. 1. disc. 2. p. 10. nu. 84. fol. 317. post Cuiac. consult. 20. Rouit. cons. 72. Ioã. Bapt. à Thoro p. 2. compendij, verb. bona à patre fol. 52. D. Fontanell. de pact. nupt. tom. 1. claus. 4. glos. 5. à n. 30. & in addit. 7. & decis. 46. à n. 1. tom. 1. post Ant. Fabr. in Cod. lib. 6. tit. 11. de iure delib. defin. 44.* alijque passim, quorum nonnullos inferius referemus.

2 Desumunt hanc regulam omnes ex *l. sequens quæstio ff. de leg. 2.* quæ, licet loquatur solùm de donatione facta vxori; eius tamen dispositio in omnibus prorsus prædictis casibus locum habere debet, ob eamdem prorsus rationem, quæ in ijs omnibus perspicitur, vt doctè monuit *D. Cutellius loc. cit. Alex. Corn.* alijque, quos citat, sequiturque *Peregr. art. 6. n. 4. Fusar. d. q. 632. nu. 1.* de huius verò legis quæstione vide *Cuiacium in comment. ad lib. 11. quæst. Pauli.*

3 Rectè tamen animaduertit *Höded. cons. 59. à n. 30. lib. 1. Peregr. de fideicõ. art. 6. n. 3. Fusar. n. 4.* alijque, donationem à patre filio factam, nisi fuerit insinuata, quando insinuari oportuit, morte patris minimè confirmari. quod si pater eam expresse confirmaret, nõ tamen ideo retrotraheretur; sed valeret à tempore mortis, vicesque fideicommissi subiret; ac proinde fideicõmissum illam comprehenderet; huiusce rei rationes, ac declarationes consulendæ erunt apud Doctores allegatos, ac præsertim *Peregrin.* & vide *Decian. consl. 3. à n. 612. lib. 1.* aliosque apud *D. Fusarium.*

4 Prædictam regulam desumptam ex *d. l. sequens quæstio*; idem *Paulus* iurisconsultus, qui illam condidit, eamdẽ re-

restrinxit, ibi: *Planè nominatim maritus uxoris fidei committere potest, ut & ea restituat.* Et hanc quidem limitationem omnes fermè amplectuntur, tum in *d. l. sequens quæstio*, tum etiam alibi: eorum plures citat, ac sequitur *Fusar. d. q. 632. n. 7. & 8. & q. 633. nu. 10. Cutell. nu. 85. & 97. Ramon. consil. 85. à nu. 15. Fontanella de pactis nupt. d. claus. 4. gloss. 5. num. 30. & 31. tom. 1.* qui sanè auctor idem repetit *d. decis. 46. nu. 6. tom. 1.* & hos omnes simul cũ alijs antiquioribus refert, ac sequitur nouissimè doctiss. Regius Consiliarius *D. Hector Capycius Latro* in nouissimis decisionibus sacri Consilij Neapolitani *decis. 44. n. 23.*

5 Appositè dixit Paulus, *nominatim*: aliàs enim, si testator in genere hæredem grauaret ad restituendum quicquid ad eum peruenisset, non venirẽt ea, quæ testator priùs inter viuos hæredi donasset; sed ea tantum, quæ ex vltima volũtate ad eum peruenissent. Atque ità prænotatum reperi à *Glossula margin. in d. l. sequens*, vbi monet, videndum *Clarum 3. sent. §. testamentum q. 71. in fine*, & ità intelligendam *glossam in l. si mulier, verb. si mortis ff. de leg. 3.* Cuius quidẽ rei ratio ex eodẽ textu colligi videtur: ait enim lex, quòd fideicommittere *potest*: quamobrem potestatẽ tribuit fideicommittendi; quòd verò ea vti velit fideicõmittens, seu, quod idem est, quòd voluntatem habeat fideicommittẽdi, aliundè colligi debet: & quidem firmissimè indè colligitur, si *nominatim* eadem bona donata fideicommisso submittat. quod si id nominatim non faciat, loquendo de bonis donatis, vt donatis, vel exprimendo corpora eadem in fideicommisso instituto, non intelligetur velle, ea bona fideicommisso submitti, vt aiunt Doctores citati: & vide alios apud *Fusar. quæst. 648. n. 5. & 6.*

6 Nisi velis, cum *Bald. Angel. Paris. Mantic. de coniect. vlt. vol. lib. 7. tit. 8. n. 24. Menoch. lib. 4. præsump. 196. n. 8. Intrigl. de subst. cent. 3. q. 74. n. 4. Fusar. d. q. 632. nu. 9.* ad hanc voluntatem inferendam sufficere verba generalia, quæ apta sint comprehendere etiam bona donata. de quibus videndi auctores citati, & alij apud *Capyc. Latr. d. decis. 44. nu. 26.* Quorum tamen doctrina difficillimè, me iudice, locum habere potest: nam verba, quantumcumque generalia, restringi debent, nè ius tertij tollatur, vt communiter volunt Doctores apud *Barbos. axiom. 222. n. 42.*

7 Hinc *Alex. cons. 26. lib. 3.* quod repetitum reperitur *eod. lib. consil. 217. Corn. cons. 228. lib. 4.* & in re non absimili *Aret. cons. 83. col. 3. & 4.* apud *Fusar. nu. 12.* volunt, faciendam esse nominatim mẽtionem de bonis donatis in ipsamet fideicommissi constitutione, ad hoc vt in eo concludantur; nec sufficere, quòd testator in hæredis institutione bona donata expresserit, & postea fecerit fideicommissum simpliciter, & generale, nulla de illis mentione facta, vt sufficere censuit *Decius cons. 254. col. 2. n. 3. Curtius Iunior, cons. 54. col. 1. Parisius cons. 2. lib. 3. Decian. cons. 3. n. 29. & seqq. lib. 1. Corn. consil. 87. col. 2. lib. 2.* quos laudat *Menoch. cons. 451. n. 33. lib. 5. & Fusar. n. 12.*

8 Et quamuis vtraque opinio probabilis sit; prima tamen videtur inniti in *d. l. sequens.* neque enim intelligi cõmodè potest responsio, ac distinctio doctissimi *Fusarij d. nu. 12.* volentis, iurisconsultum concedere quidem, nominatim posse grauari vxorem, non autem requirere, quòd nominatim imponatur grauamen. Etenim quæstio erat, an in fideicommisso generali includerentur bona, antea per fideicommittentem donata, vt omnes eã legem interpretantur, ac præsertim *Bartolus*, dum eam in compendium redigens, ait, illam statuere, quòd hæc bona in fideicommissum generale non veniunt. statim verò in postremis verbis iurisconsultus addit exceptionem, vt nominatim factum fideicommis-

missum de prædictis bonis, eo concludantur; ità vt hanc nominationem de bonis fieri debere statuat, grauarique posse vxorem de ijs restituendis: quòd enim vxor nominatim grauari posset nulla quæstio, nec dubium erat: idq; apertè innuunt postrema verba, ibi: *vt ea restituat*: ac si diceret, vt expressè, ac nominatim grauetur de ijs etiã restituendis, scilicet præter ea, quæ in generali fideicommisso continẽtur. vndè ea *Fusarij* explicatio vim inferre literæ videtur. omitto nominationem in fideicommisso, seu grauamine, seu quæstionem de nominatione, nõn habere locum respectu personæ grauatæ, quæ in omnium sententia, & ex natura rei omnino expressè, ac nominatim exprimi debet; sed respectu rerum, quorum restitutio facienda est; ità vt quęstio sit, an hę res, vel illæ sint fideicommisso generali subiectæ, ac necessariũ sit nominatim subijci oneri, seu grauamini restitutionis. quam quidem quæstionem decidit iurisconsultus *in d.l. sequens quæstio*, quoad res antea à fideicõmittente donatas, aitq; de ijs expressam fieri debere mentionem, ad hoc vt fideicommisso subiectæ intelligantur.

9 Meliùs fortassè illi textui responderetur, si diceretur, inibi iurisconsultum loqui de casu penitus diuerso ab eo, quem citati Doctores tractant: nam ille requirit quidem bonorum antea donatorum specificam expressionem, seu nominationem, quando scilicet antea in hæredis institutione nulla de ijs mentio facta fuerat: at verò, quo tẽpore id euenit, idest si mentio bonorum donatorum in hæredis institutione, nihil statuit iurisconsultus: quamobrem eorum Doctorum opinioni non videtur aduersari.

10 Certè negandum non est, aliquoties accidere posse, vt ex coniecturis satis colligatur, testatorem, seu fideicommittentem voluisse bona donata subijci fideicommisso; inter quas prędicta non videtur inepta, quando scilicet in hæredis institutione de illis mentionem facit: sicuti & alia, quam plures afferunt, quos citat, ac sequitur idem *Fusarius n.* 10. cum scilicet testatorem pęnituit iam factæ donationis, siue hoc apertè appareat, siue coniecturis, atque indicijs ostẽdatur. exẽplum afferunt, cum pater, seu maritus inter viuos antea donauit; deindè in testamento institutis hæredibus filio, vel vxori eadem donata bona prælegauit; ac demum constituit fideicommissum: aiunt enim prędicti Doctores, tunc bona donata subijci fideicommisso.

11 Quamuis hæ, similesuè coniecturę tunc solum locum habere censendum sit, quando donatio ab initio non valuit, sed morte donatoris confirmari debet: dum enim ante mortem donator de bonis donatis aliquo modo disponere videtur, tunc donationem reuocare intelligitur, & ab ea recedere, *vt not. in l. illud ff. de acquir. hæred.*

12 At verò quando donatio initio valida fuit, vti si facta fuisset extraneo, vel filio emancipato, vel etiam in potestate constituto, in casibus tamen, in quibus donatio etiam à principio sustinetur, (de quibus vide *Less. lib.* 2. *de iust. cap.* 18. *dub.* 12. *Nauar. in Enchirid. cap.* 17. *n.* 147. *Syluest. verb. donatio* 2. *q.* 7. *D. Curell. de donat. pluribus in locis*) censeo, tunc minimè sufficere prælegationem, seu recessum à donatione, ad hoc vt bona fideicommisso subijci intelligantur: nisi fortè donatarius huic rei assentiatur expressè, vel tacitè, vti postmodum explicabimus. qui quidem consensus in filio, vel vxore minimè exigitur in casibus, in quibus donatio initio nullum habuit robur, sed morte confirmari debet: siquidem, cum donator in his casibus donationem pro libito reuocare, ab eaque recedere queat; si de huiusmodi recessu constet, vel apertè, vel validis coniecturis; nulli dubium esse debet, quin post talem recessum bona donata possit fideicõmisso subijcere,

cere, non consentientibus filio, vel vxore; immo etiam omnino renitentibus: vndè in *d. l. sequens quæstio* nullus requiritur vxoris consensus: quia scilicet eo casu testator potestatem habet fideicommittendi bona donata: solùm de voluntate cõstare debet. vide *doctiss. D. Ioan. Ant. Bellon. consil. 99. n. 41.*

13 Contrà verò, quando donatio initio valida fuit, nec ab ea recedere donator potest; vt eam reuocet, necessarius est donatarij consensus; alioqui neque illam reuocare poterit, nec bona donata fideicommisso subijcere. quod si donator huiusmodi bona antea donata fideicõmisso subijciat nominatim; cum id nequeat præstare, eique desit fideicommittẽdi facultas, quam habere non potest, nisi dependenter à donatarij voluntate; poterit sanè hic titulo donationis bona donata possidere, & repudiare hæreditatẽ: ad hoc enim vt valeat huiusmodi fideicõmissum de bonis donatis, ipsiusmet donatarij tamquam domini requiritur consensus, vel verbis expressus, vt si expressè onus acceptet; vel saltem tacitus, ac facto aliquo demõstratus, vt si hæreditatem adeat: alioquin, nisi consentiat, poterit, imo, ne censeatur consentire, debebit hæreditatem refutare, atque insistere donationi. Ità *Peregr. d. art. 6. num. 49.* qui testatur ità obtinuisse; quem citat, ac sequitur *D. Cutell. d. tract. 1. disc. 2. p. 10. n. 97.* rationem reddentes, quia perfectæ donationi noua conditio apponi non potest: *l. perfecta C. de don. quæ sub modo. Ramon. consil. 100 Lup. Gomez; & alij apud D. Cutell. & Peregr.*

14 Quod si donatarius fideicommisso super rebus sibi antea donatis consentiat, nulli dubium est, quin sibi præiudicet, vt annotant supradicti Doctores, præsertim ij, quos citat, sectaturque *D. Cutell. nu. 97. fol. 321. & D. Fusar. d. q. 648. nu. 10.* vterq; autem amplectitur distinctionem traditam per *Peregr. cons. 63. nu. 6. & seqq. lib. 4.* puta id verum esse, si fideicommissũ conceptum sit sub nomine bonorum; secus, si sub nomine hæreditatis. vidẽdus *Anchar. cons. 365. & D. Ioannes de Castillo Sotomaior lib. 3. quotid. controuers. cap. 10. n. 40. apud D. Fontanell. d. decis. 46. n. 6.*

§. II.

An donatario, ac simul hæredi, inuentarij confectio prosit.

S V M M AE.

15 *Quando hæres, ac donatarius dicatur consentire fideicommisso in rebus donatis.*

16 *Duæ decisiones Senatus Cathaloniæ hac in re contrariæ, &* num. 17. *relatæ à* D. Fontan.

17 *Inuentarium constituit in statu, ac si hæreditas adita non fuisset.*

18 *Hæres cum beneficio inuentarij potest dimittere, quæ habuit ex institutione, & habetur veluti depositarius bonorum testatoris.*

19 *Nec factum defuncti tenetur approbare, nisi in quantum sufficit hæreditas.*

20 *Doctrina* D. Io. Ant. Bellon. *hac de re, &* n. 27.

21 *Auctoris ratiocinatio in hoc puncto.*

Testator potest prohibere in hæredis præiudicium inuentarij confectionẽ, & n. 22. & seqq.

22 *Testatoris dispositio statutariæ æquiparatur, ac pro lege habetur.*

Inuentarij beneficium tollere potest, tum statutum, tum lex.

23 *Item testator in præiudicium legatariorum, qui de rebus hæredis, vel de proprijs disponit, aliaque similia.*

24 *Contrarij Doctores explicantur, & nu. 29. 30. 31.*

25 *Vno contrariorum posito, alterum remouetur.*

Qui vult consequens, vult etiam suum necessarium antecedens.

26 *A quo remouetur effectus, etiam causa remouetur, quæ sine effectu esse non potest.*

Bo-

28 *Bona donata necessario subijciuntur fideicommisso, si testator hæredem, ac simul donatarium instituit ea lege, vt approbet tale fideicommissum.*

29 *Vna donatio facit, vt altera mutua facilè præsumatur.*

15 DIximus, consentire debere donatarium, ac simul hæredem, (cuius donatio ab initio valida fuit) ad hoc, vt fideicommissum, de quo loquimur, robur obtineat: nunc addimus, illum verè dici consentire, quando hæreditatem apprehendit, siue conficiat inuentarium, siue non conficiat, vt rectè monuit *D.Cutell.d.n.97.* quem nuncupatim sequitur *D.Capycius Latro d.decis.44. num.27.* qui etiam pro certo casu citat *Fontanell.d.claus.4 glos.5.sub n.47.*

16 At *D.Fontanella d.claus.4.glos.5.n.39.*& iterum *decis.46.cit.n.7.* vult, donatarium adeuntem, & acceptantem hæreditatem cum beneficio inuentarij, non teneri stare vinculis, conditionibus, & grauaminibus nominatim appositis in bonis antea donatis; nisi in quantum sufficerent bona hæreditaria, idest, inquit, bona quæ vltrà donata caperet donatarius à testatore in vim institutionis hæredis, in illius fauorem factæ, refertque Senatus Cathaloniæ decisionem.

17 At *d. decis.46 n.8.* aliam refert omnino oppositam eiusdem Senatus decisionem: cuius tamen nouitas declarationis nimis turbauit doctissimum *Fontanellam*, vt ipse fatetur *nu.9.* tum ob contrariam eiusdem Senatus decisionem; tum quia contraria resolutio destrueret inuentarij naturam, ac priuilegia, & signanter, inquit, nè hæres teneatur vltra vires hereditarias, *vt in l.fin.§.sed etsi præfatam,& §.in computatione C.de iure delib.* & inuentarium hæredem constituit eo in statu, ac si hæreditatem non adiuisset *ex Surd. Intrigl. Marescot.Peregr.* tum denique quia hæc eadem contraria resolutio aduersatur receptissimæ Scribentium opinioni, quos ait citasse *d.loco de pact. nupt.& d.decis.46.* quos inter enumerat *D.Cutellium:* qui tamen à me consultus, ingenuè fassus est, se hac in re omnino à *D.Fontanella* dissentire: cuius quidem verba, ibi: *quod iam retuli de donatario acceptante cum beneficio inuentarij, quòd imo non sibi præiudicet in donatione*; sunt integrum dictum *D.Fontanellæ*, à quo se expressè recedere *D.Cutellius* fatetur, volens, huiusmodi donatarium, acceptantem cum beneficio inuentarij, omnino sibi præiudicare in rebus donatis, quando testator expressissimis verbis vult, ipsu hæredem grauatum restituere bona donata, puta si addat pænam caducitatis, vel alijs verbis, quibus id innuat, vt hæres simul, & donatarius esse non debeat, nisi approbato fideicommisso super donatis.

18 Adeo autem verum illud est, inquit *Fontanella n.17.* vt non desint, qui dicant, hæredem, cum inuentarij beneficio, posse post hæreditatis acceptationem, ea omnia dimittere, quæ ex institutione habuit: citatque *Paul. alt. in l.vnum ex familia §.sed etsi fundum n.25.vers.si tamen ff.de leg.2.* atque etiam refert *Peregr. de fideicom. art.33.n.11.* aientem, hæredem cum beneficio inuentarij reputari vti bonorum testatoris depositarium.

19 Nec, facto inuentario, hæres facti defuncti tenetur approbare, nisi in quantum sufficit, quod habuit ex testamento *ex Alba.cons.781.nu.44.& com.Scrib.in l.cum à matre, C.de rei vend.Canc.p.3 variar.cap.2. de inuent. à num. 171.* Tum refert alias illius Senatus declarationes in eadē causa.

20 In huius sententiæ confirmationem afferri possunt plura, quæ attulit *Bellon.d cons.99.à num.15.* vbi præsertim perpendit *l.cum pater §.Titio ff.de leg.2.l. Lucius §.maritus ff. ad Trebell.l. quod bonis §.quod auus ff. ad l.Falcid. l.ità tamen §.trebellianum, vers.quod si Mæuius,& §.hæres ex asse ff.ad Treb. l.filiusfamilias §.vt quis hæredē. vers.* quid

quid ergo ff. de leg. 1. *l. ex facto ff. ad Treb.* affert etiam hic auctor *nu.* 21. *&* 37. multorũ auctoritates, qui, loquẽtes de hærede grauato restituere tã hæreditaria, quam propria bona, edocent, non teneri eũ propria restituere, nisi quatenus patiuntur fructus percepti ex hæreditate testatoris, pendente fideicommissi conditione. pro quorum opinione videtur *tex. in* §. 2. *instit. de sing. reb. per fideicom. relict.* Putat autem *Bellonus* post alios, inuẽtarij omissionem non grauare hæredẽ oneratum fideicommisso vniuersali, nisi in quantum vires hæreditariæ patiantur: ac proinde in re nostra neque illam officere.

21 In hoc puncto mihi philosophandũ videtur, vt in re non absimili ratiocinatur doctissimus *Ioa. Petr. Surdus decis.* 30. *à n.* 15. *vers. tertio.* seu *qu.* 274. *à nu.* 15. *vers. tertiò in tract. var. de inuent. diuers.* in hoc igitur negotio in primis vti certum præsupponi debet, testatorem suo hæredi prohibere posse inuentarij confectionem, in eiusdẽ hæredis præiudicium; proindeque non posse hæredem vti inuentarij beneficio contrà testatoris voluntatem, quamuis illud confecisset, vt septem motus fundamentis docuit *Crauett. cons.* 174. *& cons.* 975. *Couarr. de testã. cap.* 1. *nu.* 17. *lib.* 2. *Franc. Marc. decis.* 845. *n.* 8. *p.* 1. *Roland. d. tract. de inuẽt. q.* 218. vbi dicit hanc esse veritatem *Simon de Pret. de interp. vlt. vol. lib.* 1. *interp.* 2. *dub.* 2. *sol.* 2. *n.* 34. *Vasqu. de success. creat. p.* 3. §. *decimò. Michael. Grass. d. tract. de inuent. q.* 248. *num.* 3. *vers. vlt. Surd. d. decis.* 30. *seu qu.* 274. *à n.* 19. vbi *num.* 22. hanc opinionem ait esse communem, vti eam vocant *Couarr. Grass* alijque, & *Roland. nu.* 14. ait, ità tenere *DD. in l. nemo potest ff. de leg.* 1. quicquid dixerint nonnulli, ac præsertim *Guid. Pap. cons.* 63. *dub.* 2. quos citat, ac sequitur *Phanuc. de Phanuc. d. tract. de inuent. q.* 239. *nu.* 69. *& seq.* de quo vide *infrà nu.* 24.

22 Hanc sententiam pluribus probant laudati Doctores, ac præsertim *Crauett. Roland. & Surd.* quorum rationes ad hæc capita reducuntur. Testatoris dispositio statutariæ dispositioni ęquiparatur: *Dec. cons.* 227. *col.* 4. *Soc. Iun. cons.* 181. *n.* 38. *vol.* 2. *Rolãd. n.* 6. *alijq;* item habetur pro lege § *disponat Auth. de nupt. Soc. iun. Rol* & alij passim. Atqui beneficium inuentarij tollere potest, tum statutum: *gloss. & DD. in l. fin.* §. *in computatione C. de iur. delib. Dec. Crauet. Aug. Iason Rol & alij:* tum lex *l. Papinianus ff de legib. l. digna vox C. eod.* ergo multò magis dispositio testatoris, cum lex, & statutum super rebus alienis, testator super proprijs disponat, ità *DD. cit.*

23 Præterea testator prohibere potest inuentarij confectionem in pręiudiciũ legatariorum: *DD. comm. in l. nemo potest ff. de leg.* 1. *Rol. q.* 221. ergo & in præiudicium hæredum. Insuper de rebus hæredis, vti de proprijs disponit: *l. vnum ex familia* §. *si rem, & l. cũ filius* §. *dominus, ff. de leg.* 2. & vtrobique DD. alibique passim, quorum plures retulit *Rolan. d. q.* 119. *n.* 10. *&* 11. *Surd. d. q.* 274. *nu.* 20. *Peregr. artic.* 33. *n.* 5. *Fusar. q.* 648. *n.* 4. *Bellon. consil.* 99. *à n.* 1. vbi pluribus probat, posse testatorem rem hæredis legare, per fideicommissum relinquere, eiusque alienationem prohibere. Si ergo de rebus hęredis disponere potest, absurdum esset dicere, vt ait *Roland. n.* 12. quòd inuentarij confectionem hæredi in ipsius præiudicium prohibere non possit. Similiter testator disponere potest, quòd hæres extraneus creditum cum fructibus computet: *Port. cõs.* 97. *n.* 2. *Rol. nu.* 13. Ac demum, cum testator hæredi relinquere non teneatur, poterit sanè ei pręiudicare quoad inuentarij confectionem; *Crauett. d. cons.* 174 *Rol n.* 14.

24 His motus *Surd. d. q.* 274. *num.* 23. dixit, opinionem contrariam sustineri non posse; quandoquidem, inquit, in proprijs terminis habemus prædictas auctoritates, numero plures, & pondere

dere grauiores. Doctores verò contrarios, vti *Crotum*, & alios, ait *Surdus* loqui, cum agitur de legatariorũ præiudicio: & nihilominus etiam quoad hoc communis opinio est contraria. lege laudatos Doctores, hac de re latiùs disserentes, qui & obiecta dissoluunt.

25 Hoc igitur præsupposito, vidẽdum est, an in nostro casu testator prohibuerit per necessarium antecedẽs inuentarij confectionem, ità vt hæres, ac simul donatarius illi⁹ beneficio vti non possit. Et affirmatiuè respondendum videtur, etenim quòd bona antea donata fideicommisso subiaceant, ac proinde quòd reputentur vti hæreditaria; & quòd hæres illa habeat vti libera, & tamquam propria, & donata, seu titulo donationis, hęc, inquam, duo indicem, atque inter se pugnant, ac vno posito, alterum remouetur, *l. si inter me, & te ff. de except. rei iud.* aliisque apud *Surd. n. 16.* Item qui vult cõsequens, vult etiam suum necessariũ antecedens, in ijs quæ à disponentis voluntate dependent, vt pluribus probat *D. Barbos. axiomat. 54. n. 1. & 2.* & in nostris terminis *Surd. Crauett.* & alij: quod etiã admittit *Phanucius d. q. 139. nu. 70.* qui in superiori quæstione alioquin contrà nos sentire videtur.

26 Qui ergo vult, bona donata fideicommisso subijci, vt est testator in nostro casu; necessariò vult, illa à suo hærede non vti donata, sed vti hæreditaria possideri; ac proinde vult, suũ hæredem inuentarij beneficio nõ vti: si enim eo frueretur, certè ea bona titulo donationis possideret, atque ideo fideicommisso subijci nõ possent: ad id enim hæres cogi non posset, nisi etiam cogatur non vti beneficio inuẽtarij. Ità ferè arguit in suo casu *Surd. d. q. 274. n. 16. & 17.* qui id ipsum cõfirmat, quia à quo effectus remouetur, ab eo etiam causa censetur remota *l. 2. §. appellata ff. si certum petatur, Crauett. consf. 934.* causa enim sine effectu esse non potest, ne frustratoriè inducatur: *Iason in l. re coniunctì, nu. 108. ff. de leg. 3. Corn. in l. admonendi n. 4. ff. de iureiur. Crauett. cons. 201. num. 25. apud Barbos. axiom 80. nu. 1.* Vndè ad quid hæres facit inuentarium, si ei non proderit? vt ait *Surd. nu. 17. post Crauett. cons. 975.* Siue autem in re nostra inuentarium conficiat, siue nõ conficiat; certè eius beneficio vti non poterit, contrà testatoris voluntatẽ: ac proinde bona donata fideicommisso omnino subijciuntur, nihil penitus obstante inuentarij confectione, cum in hoc casu illius beneficio hæres vti non valeat.

27 Quoniam verò plura tradit *Bellon. d. cons. 99.* quibus ostendere nititur, *stante fideicommisso vniuersali*, non sustineri grauamen rei propriæ hæredis, nisi pro quantitate fructuũ, quos grauatus percepit ex testatoris hæreditate, pendente fideicommissi conditione: vel nisi tantumdem ei testator de suo patrimonio relinquat; quamuis nullum confectum esset inuentarium: quæ quidem nonnihil dubiam reddũt doctrinam hactenus explicatam; neq; nunc vacat omnia expedere, vt oporteret, alibique de eadem re sermo rediturus est; ideo nunc ad casum nostrum propiùs accedendo.

28 Aio, hæc quidem omnia, quæ hùcusque tradidimus, certissimè locum obtinere, cum expresè testator hæredem ea lege instituit, vt bona donata fideicommisso subijciat; alioquin non vult, illum hæredem esse, sed cadere ab hæreditate, vt certè in nostra facti contingentia euenerat. hoc enim casu verum est, hæredem adeuntem sibi præiudicare in re sibi debita: siue inuentarium conficiat, siue non conficiat: cum enim adire nequeat, nisi impleat legem, & conditionem adiectam; ideo, si adeat, censetur per antecedens necessarium sibi præiudicasse. Ità expresè sancitum videtur in *l. cum pater §. Titio vers. planè si ea lege ff. de leg. 2.* quem textum benè ad rem no-

nostram exposuit *Bellon.consf.99.num. 25. versic. alteram postea speciem*, *post Peregr. de fideicom art.33.nu.45*. aliosque apud eumdem *Peregr.* Vndè huic nostræ postremæ doctrinæ Doctores citati minimè aduersantur.

29 Etenim iura, ac Doctores, qui à *Bellono* perpenduntur, & afferuntur, expresse loquuntur de bonis proprijs ipsius hæredis, non à testatore profectis, seu antea donatis; nos verò loquimur de rebus à testatore hæredi instituto donatis; de quarum restitutione simul cum vniuersa hæreditate idem testator postea hæredem rogat. inter vtrumque verò casum discrimen non modicum adest, vt ipsemet *Bellon.n.42.vers.secundò*, agnoscit: in nostro enim casu, quia ex parte testatoris, vt ait hic auctor, prouenit vna donatio; facilè potest hæres, idemq; donatarius præsumi, adeundo, & approbando iudicium testatoris, qui nominatim eum grauauit de re donata restituenda, voluisse rem ipsam retrodonare; quia vna donatio facit, vt altera donatio vice mutua facilè præsumatur, *l. si verò non remunerandi §. idē Papinianus ff mand.* & ita *Bellona* videtur sensisse *Peregr. art.6.n.6.* dum, inquit, mouetur *d.l. si verò*: quæ quidem locum non habent in rebus hæredis, à testatore ei minimè donatis.

30 Insuper Doctores contrarij de rebus loquuntur, quæ nunquam testatoris fuerant, neque aliqua ratione censeri possunt hæreditariæ, aut hæreditario, siue institutionis iure ad hæredem peruenire. At nos de eo hærede in nostro casu loquimur, qui renūciauit donationi sibi à patre factæ, & res donatas accepit ex postrema illius dispositione: quo casu, vt ait ipsemet *Bellon.d.n.42.vers.tertio*; quia res illæ effectu censentur hæreditariæ, ideo nil mirum, si veniant in hæreditatis restitutionem, vt videre est apud *Paris.cons.2.n.15.& 20. vol.2.& cons.33.n.80.vol.3.* ... nullum confecit inuentarium: vndè non habent locum doctrinæ à nobis relatæ suprà à *n.16.* ex *DD. Fontanell. & Bellon.* quia primus supponit inuētarium confectum; secundus verò docet, quando honoratus in iure vniuersali, grauatur fideicommisso certę rei, tunc verissimum esse, teneri eum in solidum, & vltrà vires hæreditarias, si non confecit inuentarium, vt ipse monet *num.43.vers.sextus casus*. in nostro autem casu fideicommissum fuit certæ rei donatæ iam inter viuos hæredi instituto, qui adiuit absque inuētarij confectione. De qua quidem cōstare deberet per instrumenti exhibitionem: cum enim inuentarium sit formaliter *scriptura*, in qua res inuētæ in hæreditate conscribūtur, post alios *Rolan.d.tract.de inuent.qu.10.num.2.* aliique; nisi quis scripturam exhibeat, nihil probat: huiusmodi namque instrumenta per exhibitionem probantur; neque sufficit, illa in alijs instrumentis enunciari, vt post alios probat *Mascard.concl.924.num.1.* neque aliquid iuuat temporis antiquitas, cum tractetur de actus substantia, præsumenda, *ad trad.per nos sup.cons.46.nu.147.post Gratian.tom.2.discept.318.à n.31.* Et in re nostra, etiam præsumptio validissima adest, quòd nullum cōfectum fuerit inuentarium: quia, cum initio hæres vellet illud conficere, & onus super bonis donatis non approbare; obstitit illius substitutus, aiens, non posse illum vti beneficio inuentarij, attenta expressa testatoris dispositione super bonis donatis, ac præcepto iniuncto hæredi, quòd scilicet ante omnia approbare deberet fideicommissum super bonis donatis, sub pęna caducitatis. Atque ità necessarium fuit, vt vterque approbaret testamētariam dispositionem; vndè neuter eorum, minusque illorum descendentes possunt hodie bona donata ex fideicommisso separare, ac reprobare, quod semel expressè, vel tacitè approbarunt, *Barbos.axiom.31.num.3.& 4.*

31 Denique hæres, de quo loquimur,

CON-

CONSILIVM XXXXIX.

Ostenditur libertas Prioratus Sancti Nicolai de Nemore, ac Beneficij Sanctæ Mariæ la Noua, sitorum in territorio Caccabensi.

QVæ hoc cõsilio dicturus sum, paucis ab hinc mensibus typis mandaui, vt horum beneficiorũ libertatem defenderem, vti Deputatus Seminarij, cui vnita fuerunt. Tuiti sumus hanc causam, ac tuemur, (adhùc enim sub iudice lis est) D. D. Franciscus Romanus, Canonicus Panormitanus, ac Patritius Carinẽsis, S. T. & V.I.D. eiusdem Seminarij Deputatus, diuinique verbi eximius ecclesiastes; atq; D. D. Paulus Muxia V. I. D. Rector Seminarij, Pontificij, Cæsareique iuris consultissimus, & ego.

Facti species. Consilij partitio, & institutum.

SVMMAE.

1 *Beneficia omnia præsumuntur libera, vt alia quæcumque.*

2 *Iuspatronatus est quadam seruitus, quæ præsumi non potest: præsertim si à persona potente prætendatur: quod potius vsurpatum præsumi debet, etiam præscindendo à* Cõc. Trid.

Seruitus probanda est etiam ab habente illius quasi possessionem.

Partitio totius Consilij.

Rotæ Romanæ *summa auctoritas, quæ sola facit magis communem opinionẽ.*

ANno 1626. die 4. Maij, ob mortem Dõ Cæsaris Lauaggi, vltimi possessoris vtriusq; beneficij liberè prouisi Apostolici anni 1595. vtrumque vnitum fuit Seminario Clericorum huiusce Vrbis, per Eminentissimum Dominum meũ Cardinalem Ioãnettinum Doria Archiepiscopum Panormitanum, quem non modo Fautorem, sed etiam Amplificatorem Seminarium cognoscit, & veneratur, sequuta possessione die 5. eiusdem mensis. Subsequuto deindè Summi Pontificis assensu.

Die 25. Augusti eiusdẽ anni 1526. in vtroque beneficio, vti prætenso de Iurep. Illustrissimi, & Eccellentissimi Domini Comitis de Mohac, tamquã Domini Caccabi, ab eiusdem Comitis Procuratore præsentatus fuit D.D. Marcus Gezio S. T. D. Magister Cappellanus Maioris Ecclesiæ Panorm. hodiè Abbas meritissimus Sancti Philippi lo Grandi.

Anno 1628. die 19. Ianuarij ex parte vtriusque in magna Curia Archiepiscopali fuit facta petitio: Quòd, habita pro nulla vnione prædicta, declaretur, legitimos Possessores Iurispatr. in dictis beneficijs fuisse Prædecessores dicti D. Comitis, & per consequẽs ipsum Dominum Comitem manuteneri debere, & quatenus opus esset, ei restitui dictam possessionem, & in ea reponi, & manuteneri, ac D. Gezio literas Institutionis concedi, &c.

Die 15. Decembris 1631. quoad beneficium Sanctæ Mariæ fuir per dictam Curiam decisum in Actorum fauorem: quo verò ad Prioratum in fauorem Seminarij.

Sed ab vtraq; parte ad Monarchiæ Tribunal appellatũ fuit: ac 29. Aprilis 1637. per idem Tribunal confirmata fuit Sententia supradicta: vbi tamen Seminarium se defendere non potuit, pendẽte Articulo in dicta magna Curia Archiepiscopali super Nullitate eiusdem primæ sententiæ, nè sibi præiudicium inferret.

Ab hac sententia Monarchiæ fuit etiam ab vtraque parte ad Tribunal Consistorij, ac Sacræ Regiæ Consciẽtiæ, appellatum. cætera, quæ ad facti seriem spectant, abundè explicantur *sect.* 2. & 3. Videndum igitur est, an vtrumque beneficium sit de Iurepatr.

patr. D. Comitis; an verò liberum.

Negat Seminarium esse de iurepatronatus: affirmat Dominus Comes: ac proindè eiusdē erit probare, iuxtà iuris regulam omnibus notam: ac præterea, quia Seminarium habet suā intentionem in iure fundatam.

1 Quis enim ignorat, beneficia omnia, sicut & quęcumque alia, præsumi libera? *vulgata l. altius, ibiq; Gloss. verb. prohibetur, & l. si in ædibus*, ibiq; *Bart.* atque alij omnes, *C. de seruit.* ac de beneficijs loquens ostendit *Mandosius in regul 19. Cancellar. qu. 15. num. 13. argum. l. si prius §. sed loco sacro ff. de aqua pluu. arcen. l. seruitutes prædiorum §. fin de seruit. Innocent. in cap. cum venerabilis n. 9. de except. Archid. in cap. nullus n. 3. 16. q. 7. Dec. consil. 117. aliàs 107. n. 1. Rota apud Caualer. dec. 126. nu. 11.* & sæpè alibi. vt videre est *apud Rotam diuers. tom. 5. dec. 126. n. 16. & dec. 197. n. 68. & in Recent. dec. 333. n. 2. tom. 1. Menoch. lib. 3. præsumpt. 90. num. 1.*

2 Certum autem est, Iuspatr. quamdam esse seruitutem, vt apertè supponit *Concilium Trident sess. 25. cap. 9. initio de reformat.* ibi: *sic etiam, vt hoc colore beneficia Ecclesiastica in seruitutē, quod à multis impudenter fit, redigantur*. Ac proindè præsumi nullo modo potest, sed potiùs libertas præsumenda erit, vt volunt plures, quos citat, & sequitur *Menoch. de præsumpt. lib. 3. d. præsumpt. 90. nu. 1.* quod præsertim obtinet locū in Iurepatronatus, quod Vniuersitas, aut Potens aliquis prætendit, quod potiùs vsurpatum, quā rectè quæsitum præsumi debet, vt etiam ante Concilium Tridentinum edocuere plures, quos retulit, & secutus est *Menoch. ibid. n. 3.* Vide *Seraph. dec. 1353. nu. 1. & 2.* de qua re vide *Diplouatat. Basilica 1600. n. 7. & plures DD. apud Garc. de benef. par. 5. cap. 13. n. 3.* Comes igitur, qui hanc seruitutem allegat, eam probare tenetur; cū iuris præsumptioni aduersetur, vt docent plures apud *Mascard. de probat. concl. 1305.* vbi admonent etiam non pauci, hanc doctrinam esse quoque veram, quamuis affirmans seruitutē esset in illius quasi possessione, ex *Gloss. communiter recepta in l. sicut §. sed si verb. possessoris ff. si seruit. vendic. &* plenè *Bart. in l. si prius ff. de opere nou. nunc. par. 3. n. 14.*

Quò autem lucidiùs intelligi possint, quæ in tota hac ratiocinatione dicturi sumus, eām in tres Sectiones partiri decreuimus.

Prima continet doctrinam *Concilij Tridentini sess. 25. cap. 9. de reformat.* illiusque obseruationes: Cum enim hodiè Iuspatr. secundùm formam ab eodem Concilio inibi statutam ostendi oporteat, ac proindè id etiam exequi D. Comes obstringatur; vt rectè cognoscatur, an id verè præstet, omnino præmitteda fuit Concilij doctrina, veluti Prolegomenorum loco. Tū numero septuagesimo appendimus paraphrasim totius sectionis, quò in vno veluti conspectu omnia in ea tradita viderentur dilucidiùs, & nonnulla etiam vberiùs annotata.

Secūda sectio complectitur D. Comitis Rationes, quibus Iuspatr. nititur ostendere, desumptas: Primò ex Situ Ecclesiarum: Secundò ex Testibus: Tertiò ex Fama: Quartò ex Enunciatiuis: Quintò denique ex Præsentationibus: quibus omnibus copiosè, atque efficacissimè satisfit.

Tertia demum abundè ostendit vtriusque beneficij libertatem, tum ex primæua Fundatione, & Dotatione, tū ex vsu, & prouisionibus subsequutis.

Præcipuè verò in hoc toto negotio vtemur auctoritate Rotæ Romanæ, nō modò, quia de rè agitur spirituali, sed etiam quia cæteris omnibus Doctoribus præfertur, vt monuit *D. Ascanius Tamburinus de iure Abbatum tom. 1. disp. 24. q. 8. n. 1. ac Sarnens. in prooemio ad Reg. Cancellar. qu. 2. vers. quarto, & Surd.*

*Surd.conf.*403.*nu.*83.& ipsa sola, non solum communem, sed magis etiam communem opinionem facit, vt annotat idem *Tamburinus ex Ceuall. cõ. contra comm.in praefat.nu.*26.*Gratian. discept.forens.cap.*104.*num.*26.*Viuius dec.*401.*nu.*53. Sit igitur.

SECTIO PRIMA

Doctrina Concilij Tridentini Seff.25. Cap. 9. de reformat. eiusque Obseruationes.

SVMMAE.

1 *Refertur dispositio* Cõcilij Trident. sess. 25. cap. 9. de reformat.

4 *Intentio Concilij in praedicta dispositione.*

5 *Concilij dispositio respicit probationem futuram Iurispatr. fundati ante ipsum.*

Eius probatio fieri debet citato procuratore fiscali.

6 *Titulus iurisp debet esse ex fundatione, vel dotatione.*

3 PRobare ergo debet Comes, se obtinere Ius Patronatus in vtroque beneficio, vt victoriã consequatur:id autem tenetur ostendere iuxtà formam traditam *à Concil. Trid.sess.*25.*cap. 9. de reform.* quam sanciuit esse omnino necessariam in probatione iurispatronatus. Verba autem Concilij hæc sunt, videlicet.

Sicuti legitima patronatuũ iura tollere, piasque fidelium voluntates in eorum institutione violare, aequum non est: sic etiam, vt hoc colore Beneficia Ecclesiastica in seruitutem (quod à multis impudenter fit) redigantur, non est permittendum. Vt igitur debita in omnibus ratio obseruetur, decernit Sancta Synodus, vt titulus Iurispatronatus sit ex fundatione, vel dotatione, qui ex authentico documento, & alijs iure requisitis ostẽdatur: siue etiam ex multiplicatis praesentationibus per antiquissimum temporis cursum, qui hominum memoriam excedat; aliasuè secundum iuris dispositionem. In ijs verò personis, &c.

4 Vtriusque verò controuersiæ propositæ resolutio pendet à recto intellectu huius dispositionis Tridentinæ. vt autem illum verè assequamur, semper ante oculos habenda est ratio finalis, cur hanc formam probandi ius patronatus induxerit; quę quidem ex procemio colligi facillimè potest, ne scilicet beneficia ecclesiastica in seruitutem redigantur; hoc est, nè iurispatronatus illegitimis, vel apparentibus probationibus subijciantur. Intẽtio igitur Concilij fuit certam formam stabilire, iuxtà quam iusp.probari deberet, atque aliter probatum non subsisteret: ideoque ait, sanciri ab eo eiusmodi legem, vt debita in omnibus ratio obseruetur.

5 Atque hæc quidem lex respicit Iurap.non solum fundata post Conciliũ; sed etiam fundata ante illius publicationem: *quia*, inquit doctus Barbosa lib.3.de iur.eccl.cap.12.nu.111. *licet lex futura respiciat, non praeterita l. leges C.de legibus, tamen ista lex, quamuis noua sit, tamen est iuris antiqui declaratoria; ac proinde trahi debet ad praeterita, vt resoluunt citati per me in collect.ad cap.2.nu.3 de constit. Neque obstat decisio, seu declaratio Sacrae Congregationis, quam refert Riccius decis.* 257.*p.*4.*quia non cadit super d. cap.* 9. *sess.* 25. *Concilij, vt ipse falsò existimauit; sed super cap.*12.*sess.*14. *de reform. quod vltimum intelligendum esse de iuribus patr. in futurum acquirendis post Cõcilium, non verò de acquisitis, censuit illa declaratio, & decisio Sacrae Congregationis, à Riccio malè allegata, vt eam referunt Armendar in addit. ad Recopil.ll. Nauarra lib.*4.*tit.*30.*lib.* 1. *de iurepatr.n.*22.*Cauagnolus in addit. ad consil.*90.*Menochij.* Et quidem de eodem *cap.*12.*sess.*14. loquitur expressè *Lessius lib.* 2.*cap.* 34. *dub.*5.*num.* 24. vti etiam *Venerus in examin. Episcop. lib.*

lib. 9. ca. 33. ab aduersa parte allegati. *Villalobos* verò *in sum. tom. 2. par. 9. diffic. 6. n. 3.* in fine nihil prorsus ad rē. Sed verè Concilij lex respicit futuram probationem, etiam Patronatuum fūdatorum ante illius publicationem. Dat enim formam probandi titulum Iurispatr. probationes autem huiusmodi sunt futuræ, non præteritæ: formam igitur negotijs futuris, & non præteritis constituit. & ita *Rota Rom. in suis decis.* passim obseruat *vt decis. 469. tom. 1. diuers. & decis. 199. tom. 2. & decis. 520. 542. 557. 564. 578. 580. 581. tom. 4. & in recent. decis. 13. 53. 154. 211. 219. 224. tom. 1. & decis. 302. 312. 481. 518. 658. tom. 2. & decis. 4. 46. 360. 374. 412. 421. tom. 3. & decis. 674. & 756. tom. 4. Seraph. decis. 1312. 1367. 1395. & 1421. Coccin. decis. 25. Mantic. decis. 89. 208. & 253.* vide infrà *n. 71.*

Illud etiam hic prænotari oportet, hanc probationem, quæ fieri debet iuxtà formam Concilij, esse deducendam, citato procuratore fiscali, de cuius principali interesse agitur; alioqui non releuat, *iuxta l. de vnoquoque ff. de re iud.* vt post *Rotam apud Seraph. decis. 1395. nu. 7.* & alios, ait *doctus D. Ferentill. ad decis. 832. Buratt. num. 9. Rota diuers. par. 5. dec. 197. nu. 54. D. Theodosius Rubeus ad Seraph. d. decis. 1395. d. nu. 7. f. 124. Barbos. de iure eccl. lib. 2. c. 12. num. 127. Ricc. p. 3. dec. 237. ad fin. vide n. 142.*

6 Decernit itaque Concilium, titulū Iurisp. esse omnino debere ex fundatione, vel dotatione. Tituli verò nomen genericè sumit, quatenus scilicet & verum, & præsumptum includit, vt ex ijs, quæ subsequuntur, clarè elici potest. Hunc etiam titulū statuit ostēdi debere, primò

(:†:)

§. I.

Ex Authentico Documento, &c.

SVMMARIVM.

7 Probari debet titulus iurispat. primò ex Authentico documento, & quid eo nomine significetur. Vbi etiam de nomine instrumenti.

8 Nomen documenti simpliciter prolatum solam scripturam significat.

9 Significatio alicuius nominis in iure nouo ex antiquo colligi debet.

10 Nomen, Authenticum, substantiuè positum significat scripturam originalē: & quandoq; etiam adiectiuè positū.

11 Adiectiuè positum quandoque etiam significat scripturam facientem certam fidem, quamuis non sit originalis.

12 Aduersariorum doctrina de testibus in tela processus productis.

13 Exploditur, & probatur auctoritate multorum DD. non comprehendi nomine authentici documenti.

14 Authoritas sacræ Congregationis Concilij Trident.

15 Statutum non nisi ab habentibus auctoritatem illud declarandi interpretari debet.

16 Refertur sacræ Congregationis declaratio, cui fides adhibenda, non obstante decreto Vrbani VIII.

Item alia in hac ipsa causa Seminarij.

17 Declarationes sacræ Congregationis Concilij Tridentini sunt attendendæ, & vim legis habent.

18 Explicantur DD. contrarij.

19 Declarationes prædictæ noua publicatione non egent: quæ in obscuris, non in manifestis locum habere possunt.

20 Principis declaratio habet vim legis generalis: idem in ea, quæ fit ab habentibus ab eo potestatem declarandi.

21 In iudicando non est discedendum à prædictis sacræ Congregationis Cardinalium declarationibus.

22 Declaratio relata num. 16. iuribus, ac rationibus comprobatur.

Mos

23 *Mos legislatorum in decernenda forma probationum.*
24 *Communis sententia, negans in statutis nomine instrumenti, vel documenti complecti testes.*
25 *Modi probationis iurisp. à Concilio traditi, sunt omnino distincti.*
26 *Testes non dicuntur* authentici.
27 *In materia census bullaris non admittũtur testes, ob clausulam, authenticis documentis, in pragmatica.*
28 Rota diuers. p. 4. dec. 542. *explicatur.*
29 *Doctores, & Rota predicta, asentes nomine documenti comprehendi testes, exponendi sunt de testibus in antiquis actis redactis.*
30 *Doctores, volẽtes, nomine documenti cõprehendi solam scripturam originalẽ.*
31 *Dictio,* Alijs, *est relatiua eiusdem qualitatis, cuius erat id, de quo mẽtio facta fuerat, quamuis ei annectatur particula,* Vel.
32 *Doctores, volentes nomine documenti comprehendi scripturam originalem, & non originalem, facientem tamen fidem.*
33 *Alia explicatio Concilij super verbis*, & alijs à iure requisitis.

7 EX *authentico*, inquam, *documento*, idest scriptura, & forte Originali: quamuis enim nomine Documẽti simpliciter prolato, & absq; adiectione adiectiui, *authentici*, alias quoque probationes, atque etiã testes in tela processus productos cõprehendi, doceat *Gloss. in cap. 1. verb. documentis de except. in 6. ex cap. peruenit, de testibus cogend. & l. 1. ff. de fide instrument.* tamen hæc duo iura nõ de *Documenti* nomine, sed *Instrumẽti*, expresse loquũtur; latè scilicet sumpto hoc vocabulo *Instrumenti*: si enim pressè accipiatur, solam scripturam significare, constat ex *tot. tit. C. de fide Instrum.* Documẽti verò nomen nusquam prorsus in vtroq; iure reperies, ita sumi, vt apertè testes comprehendat: quidquid dixerit laudata *Glossa, Archidiac. & Garc. de benef. p. 5. cap. 9. n. 113. vers. rursus.* quibus tamen sine textu loquentibus non crediderim; etsi de cætero negandum non sit, nõnullos iuris vtriusque peritos velle, instrumenti appellatione testes quoq; propriè comprehendi, vt animaduertere licet *apud Bart. Alciat. Rebuff. & alios in l. notionem §. instrumentorum. ff de verb. oblig. & DD. in rubric. de fide instrument. in Decretalibus, ac Digestis.* Quamobrem ad significandã solam scripturam aptius est nomen documẽti, quam instrumenti; quidquid fine iure, ac ratione dixerit *Garc. loco cit. n. 114.*

8 Quamuis etiam quandoque iura subobscurè loquantur; neque apertè declarent, quid documenti simpliciter prolato nomine significent, an scilicet tantùm scripturas, an etiã testes, cuius generis sunt *cap. quoniam cõtrà, de probat. cap. plerumque, & cap. si quis Episcopus 2. q. 8. cap. 1. de elect. in 6. d. cap. 1. de except.* tamen certũ est, textus, qui clarius loquuntur, apertè declarare, nomine Documenti, etiam simpliciter prolato, nonnisi scripturã significari: huiusmodi sunt *cap. si quis de clericis 12. qu. 2. cap. si quis de rebus eccl. non alienand. cap. 1. de probat. cap. sciant cuncti 2. qu. 8.* quod depromptũ fuit *ex l. sciant cuncti C. de probat. Authentic. si quis in aliquo C. de edend.* quod desumptum fuit *ex Authẽt. Non vt sponsalitia largitas § ex hoc insuper, Authent. de Tabellion. per totũ, & Scribentes in cit. iura.*

9 Quamobrem cum hæc iura aperte doceant, documenti nomine scripturã significari, rationi maximè congruit, vt ea, quæ id non explicãt, iuxtà horum declarationem interpretentur; cum non sit in iure nouum, dubia iura per clara, & aperta enucleari; nihilque præfatæ *Glossæ* deferatur, cum absque lege, immo contrà aperta iura loquatur. Sanior enim est modus eliciẽdi veram alicuius nominis significationem in iure nouo, si ad antiqua iura respiciam? vt rectè monuit *Rebuff. in l. Massurius ff. de verb. signif. et Scri-*

bentes in l. minimè ff. de legibus, alijque passim.

10 Atque hæc quidem doctrina, maximè in re nostra locum obtinere debet, quãdoquidem non *Documenti* nomẽ solitariè reperitur, sed ei adnectitur adiectiuum *Authenticum*: quod sanè adiectiuum, præsertim si veluti substantiuè ponatur, eam vim obtinet, vt scripturam originalem significet. Hanc certè significationem non modò apud probatos Auctores, sed maximè in vtroque iure, & apud iurisconsultos animaduertere licet. Vnum, aut alterum proferam *l. 2. ff. de fide instrument.* ibi: *quicumque à Fisco conuenitur, nõ ex indice, & exemplo alicuius, sed ex Authentico conueniendus est. cap. dudum §. nos igitur, de decimis*, ibi: *etiã si Authenticum appareret*: & adiectiuè positum idem significat in *l. 4. in fin. & l. Pomponius vers. nos videbimus ff. famil. erciscund. cap. 1. de fide instrum.* Eodemque modo loquuntur passim DD. præsertim laudata iura interpretantes: es uconsule, & *Thesaur. Latinit. verb. Authenticum, ibique Budaeum Vall. & verb. auctor, Alex. Scot. in vocabul. verb. authenticum, & Alciat. prologo 2. ante tres postremos libros C. & lib. Authentic. l. procurator C. de edend.* qui sanè auctor, græcarum literarum peritissimus, in Prologo citato edocet, hãc vocem *Authenticum* esse græcum nomen, idem latinè valens, atque *Auhoratum*, idest id, quod ad fidem certam faciendam se ipso sufficiens est, & nullis aliundè accersitis probationibus indiget, vt ipsi certò credamus. Consentit *Rebuff. in constit. Reg. tract. de liter. obligat, artic. 1. gloss. 7.* vndè nõ sunt ad rem Glossa citata, cæterique, cum non loquantur, cum nomen documentum habet adnexum adiectiuũ Authenticum, vt monuit *D. Ferentill. ad decis. 832. Buratti num. 10. vers. Et fortius.*

11 Quoniam autem sunt nonnullæ scripturæ, quæ certam faciunt fidem, quamuis originales non sint, de quibus infra *n. 30.* ideo quandoque eadẽ vox, *Authenticum*, etiam illas significat. Ità *Concil. Trid. sess. 4. decreto de edit. sacr. libr.* decernit, sacrã Scripturam vulgatæ editionis esse authenticam, cum tamen non sit originalis. Constitutiones Iustinianææ, ad illarũ distinctionem, quæ non sunt receptæ, dicuntur Authenticæ, & neque originales existunt. *vide Alciatum loco cit. prologo primo, & Rebuf. in l. Sylua verb. naualis vers. nouellæ ff. de verb. signific.*

12 Atque ex his sequitur, cauendum omnino esse ab aduersarijs, qui nixi auctoritati *Glossæ citatæ n. 7.* opinãtur, Concilium Trid. nomine, *Authentici documenti*, testes quoque in tela processus productos comprehendere velle: cuius sanè opinionis dicunt fuisse *Garciam de benef. par. 5. cap. 9. n. 113. vers. rursus, & Menoch. cons. 240. & 336. & de præsumpt. lib. 3. præsumpt. 90. nu. 9.* vbi tamen dubitans loqui videtur ibi: *crediderim, inter authentica documenta posse connumerari probationes coniecturales.* Item *Ricc. in praxi nouiss. de iurep. resol. 51. Campanil. diuers. iur. canon. rubr. 11. cap. 13. n. 410.* qui tamen apertè loquitur de testibus in antiquis redactis, vt etiam exponẽdi sunt alij, vt dicam *n. 29.*

13 Quorum tamen doctrina ex dictis, dicendisque facillimè exploditur, eãque improbant, ac nostram amplectũtur, docentes, nomine *Authentici documenti*, solam scripturam authenticam significari, Doctores infrascripti.

Franciscus Leo in Thes. tit. de Iurep. ca. 6. num. 2. lib. 2. in nouis.

Gonzal. in regul. 8. cancellar. gloss. 18. à num. 32.

Barbosa de potest. Episcopi allegat. 72. n. 22. & lib. 3. de iure eccl. cap. 12. n. 68. & in collectan. Bullar. verb. ius patr.

Franciscus Seuerinus apud Ricc. loco cit. nu. 4. vbi testes ab authenticis documentis apertè distinguit.

Viuianus in praxi iurisp. lib. 11. cap. 5. nu.

nu.11.qui nu.17. ait, probationem fundationis, & dotationis per testes non admitti, & requiri pro forma, vt probatio fiat per authenticas scripturas:allegat declarationẽ Cardinalium Sacri Concilij interpretum, & *nu.18.* docet, tunc demũ testium attestationes documenti authentici nomine comprehendi, cum eædem redactæ reperiũtur ab antiquo tempore in publicis actis, exaratis manu Notarij publici, & habentibus cæteras solemnitates requisitas, vt faciant certam, & indubitatam fidem.

Paulus Piasec. in prax. Episcopali p. 2. cap. 6. nu. 5. vbi refert Sacram Congregationem.

Lotterius de re beneficiar. lib. 2. q. 7. nu. 27. & q. 38. n. 35. & 45.

Moneta de commut. vlt. volunt. ca. 10. à n. 210.

Parisius de confident. q. 28. n. 214.

Gratianus discept. 310. tom. 2. per Ricc. dec. 113. & 121. p. 3.

Nouar. in opusc. nou. iur. Pontif. conclus. 1. de iurep. alias 94. n. 2. 3. & quæst. forens. q. 49. num. 1. 2. vbi refert Sacram Congregationem.

Molfesius in summ. Theol. moral. tract. 6. cap. 5. n. 44. vbi etiam transcribit declarationem Sacræ Congregationis.

Velasquez consult. 163. n. 9.

Riccius resol. 134. par. 1. vbi etiam refert dictam Sacram Congregationem, & *dec. 113. cit. & in praxi nouiss. Iurisp. resol. 8. & 119. n. 2.*

Idem Ricc. ad institut. Lancellott. tit. 28. de institut. & iurep. versic. quod tertium, fol. mihi 109.

Horatius Visconti verb. iuspatr. col. 3. in medio fol. 149. referens singularem declarationem Sacræ Cõgregationis.

Alphonsus de Leone de officio cappellani q. 4. praxi 2. à n. 16.

Ferdinandus Castropalao vir doctus è Societate Iesu tom. 2. tract. 13. disp. 2. puncto 3. nu. 3. vbi Garciæ doctrinam euertit.

Franciscus Ferentillius in annotat. ad Buratt. dec. 832. n. 10.

Gauant. in manuali verb. iuspatr. n. 8.

Ioãnes Philippus de Paternione in pragmaticam Regiam de censibus Siculis n. 29. & 30. licet hic, & tres sequẽtes de Concilio expresè non loquantur.

Ludouicus Montaltus ibid. n. 18.

Aloysius de Septimo ibid. n. 148.

Nicolaus Saccanus ibid. n. 4.

14 Sed hac in re præ omnibus esse debet declaratio Sacræ Congregationis Cardinalium, qui sacri Concilij interpretationi auctoritate Apostolica præsunt. quorum quidem interpretatio, seu declaratio tantæ auctoritatis apud omnes est, atque esse debet, vt ab ea, nè latum quidem vnguem discedere fas sit. *Si quid enim alicui in præfati sacri Concilij decretis obscurius dictum, & statutum fuisse, eamque ob causam interpretatione, aut decisione aliqua egere visum fuerit*, inquit Pius IV. in Bulla confirmationis Concilij ann. 1563. quæ habetur ad calcem Concilij, incipit: Benedictus Deus; *ascendat ad locum, quem Dominus elegit; ad sedẽ videlicet Apostolicam, omnium fideliũ magistram: nos enim difficultates, & cõtrouersias, si quæ ex eis decretis ortæ fuerint, nobis declarandas, & decidendas, quemadmodum ipsa quoque Sancta Synodus decreuit, reseruamus: decernentes nihilominus irritum, & inane, si secus super his à quoquam, quauis auctoritate, scienter, vel ignoranter, contigerit attentari.*

15 In explicandis igitur sacri Concilij decretis, non est cuique liberum sequi, quam maluerit interpretationẽ; sed eam sectari cogimur, vel inuiti, quam præfata Sacra Cardinalium Cõgregatio tradiderit; *ad tradita per Iason. cons. 50. lib. 1. & alios apud Rolãd. tract. de lucro dotis quæst. 35. Menoch. cons. 5. n. 27. lib. 1.* à qua quidem, non quascumque malunt petentes extorquent, vt nescioquis minùs accuratè affir-

affirmabat; sed quæ iuri, ac rationi maximè congruunt, promanant.

16 Referunt huiusmodi declarationẽ plures DD. præsertim *Rota Romana in pluribus decisionibus, Riccius, Barbosa, & alij apud Viuian. d. lib.* 11. *praxis iurispatr. cap.* 5. *n. num.* 17. verba sunt: *Congregatio Concilij censuit, requiri pro forma, vt probatio fiat per authenticas scripturas, & regulam esse constitutam, quod probatio per testes nõ sufficiat.* Eãdem nouissimè retulit *Alphonsus de Leone de officio Cappell. quæst.* 4. *praxi* 2. *n.* 36. *et Rota tom.* 4. *diuers. dec.* 590. *nu.* 2. Quamobrem non videtur vllatenus dubitandum, quin fidem faciat hæc Sacræ Cõgregationis declaratio, dum illam referunt non solum DD. innumeri, sed etiam, ac præsertim Rota Romana, cuius relationi omnino credendum est, cum sit supremum Papæ Tribunal, & oculatim videat huiusmodi declarationes, nihil prorsus obstante decreto Sanctissimi Domini Nostri Vrbani VIII. de quo *Barbosa de iure ecclesiastico lib.* 2. *cap.* 4. *nu.* 83. loquitur enim de declarationibus, quæ passim circumferuntur; non verò de ijs, de quibus Rota testatur, cuius auctoritati ipsimet Pontifices plurimum deferre solent. Sed in re nostra adest eiusdem sacræ Congregationis declaratio, in hac ipsa causa Seminarij reddita, de qua nos infrà *nu.* 54. & 118. quæ omnia requisita habet ad faciendam plenam fidem; statuitque, titulũ iurisp. non probari authentico documento, nisi scripturæ exhibeantur. eius verba refero *d. n.* 118.

17 Animaduertendum verò hic est, quod attinet ad harum declarationũ auctoritatem, censere plurimos, nec infimi nominis DD. eas nõ solum habendas vti probabiles, ac doctrinales; sed omnino, vt necessarias, atque auctoritatiuas, tamquã si ab ipsomet Summo Pontifice editæ fuissent, vimque legis generalis habere, ac proinde obligandi in vtroque foro, quoad omnes prorsus similes casus, nedum quoad illum specialem, pro quo Congregatio respondit. *Ita edocent Salas, Kochier. Zipaus, Homobon Narbona, apud nostrum P. Dianam par.* 1. *tract.* 10. *de legibus resol.* 29. *& Barbos. lib.* 1. *de iure Ecclesiastico cap.* 4. *n.* 81. qui num. 83. ait, non esse ab hac sententia recedendum. sed præsertim consulendus est *Garcia tom.* 1. *de Benefic. in præfat.* cuius auctoritatem tanti faciunt aduersarij, ita enim loquitur: *Quod attinet ad declarationes sacræ Congregationis, certum est, eas non esse declarationes doctrinales, sicuti latas à DD. vel à iurisperitis, vt aliqui Theologi perperam dicunt; sed esse declarationes definitiuas, seu decisiuas, vim legis habentes, vt leges recipiendas, vtpote latas ex commissione Papæ, & à personis habentibus interpretandi, & respondendi facultatem à Principe, vt apparet ex Bulla Sixti V. quæ est in par.* 1. *Bullarij, Septima in ordine, vbi habetur facultas dictæ Congregationis. & eadem sacra Congregatio cuidam Abbatissæ Messanensi sic respondit. eadem ratio habenda est de his, quæ scribuntur à Cardinalibus sacræ Cõgregationis Concilij Tridentini, nomine ipsius Congregationis, ac si à Papa scripta essent. Et aliàs sic censuit. Decreta, & literæ Congregationis Concilij, semotis litibus sunt executioni demandanda. Et infrà. Et quamuis declaratio sit facta ad instantiam alicuius, seu in causa particulari; tamen facit ius quoad omnes, & in vniuersum.*

18 Et quamuis *P. Diana, ac Barbosa* nonnullos citent, arbitrantes, Cardinalium declarationes vim legis nullatenus obtinere, tamen, si attentè eorũ plures legantur, non de his, de quibus nos loquimur, idest de sacræ Concilij Cõgregationis declarationibus agũt; sed de alijs aliarum Cõgregationum, quæ proindè ab ijs non declarationes, sed *Determinationes* appellantur: alijs enim Congregationibus Papa non declarandi, sed decidendi, ac determinandi facultatem tribuit; vim tamen legis huiusmodi decisionibus minimè im-

impertiuit. At verò sacræ Concilij Cōgregationi eā potestatē dedit, eiusdē Cōcilij decreta declarandi, quam in præfata Bulla confirmationis Concilij suprà cit. *nu.* 14. sibi omnimodè reseruauit: atque adeò huius Congregationis declarationes, veluti ab eodē Summo Pontifice redditæ, censeri debent: & ius quidem condunt; at non nouum, quod promulgationem exigat; sed antiquum, ab eodem Concilio stabilitum, cui à principio hæ declarationes inerant, & insunt. Id quod rectè præmonuit *Rodriquez tom. 1. quæst. regular. q. 1. art. 1. & 2.*

19 Neque huic doctrinæ quicquam obest, quod aduersarij respondent, in claris quidem declarationes legibus inesse, & ex se absque alia promulgatione obligationem afferre: secùs tamē in dubijs euenire, quia tales declarationes sunt veluti nouæ leges, vnde noua publicatione egent. Non, inquā, obstat: etenim non rectè supponitur, dari posse declarationē in manifestis; tūc enim interpretationi, seu declarationi locus est, cum aliqua digna dubitatio occurrit, vt omnes edocent, quorū aliquos citat, & sequitur *Alex. cons. 116. in fin. lib. 2. Decius in cap. cum venissent nu. 4. de iudic. Mierez par. 1. de maioratu q. 44. à n. 70. Menoch. cōs. 331. n. 100. lib. 4.* vbi enim verba sunt clara, nulla interpretatio necessaria est *l. ille aut ille ff. de legat. 3. Guid. Pap. singul. 308. Aloys. de Albert. singul. 13. Abbas in cap. tū dilectus n. 7. de consuet. ibique Additio, & alij omnes.* Si ergo conceditur, declarationes legibus inesse, aliaque promulgatione non indigere; proculdubio id intelligendum erit de ijs, quæ in rebus dubijs dātur, cum verè aliæ dari nequeāt: quas quidem esse omninò nouas leges, nouā publicatione indigentes, probandum certè fuisset, non ità ieiunè supponendum, cum id quidē in quæstione versetur; quo circà, qui id supponit, principium petit.

20 Et certè in iure Cæsareo, legem expressam habemus, idest *l. fin. C. de legibus*, quæ apertis verbis statuit, Principis declarationem vim legis generalis habere; non autem illi causæ solū, pro qua producta est, sed & omnibus similibus, vt ibidem DD. animaduertunt. Vbi etiam adnotandum est, in fine eiusdem legis, eamdem vim tribui Principis declarationi, atque illi, quæ ab ijs emanat, quibus ab eodem Principe potestas declarandi committitur. Quamobrem in re nostra, declarationes, de quibus loquimur, idem robur obtinent, ac si ab eodem Summo Pōtifice redditæ forent.

21 Sed quidquid sit hac de re; certè nemo est, qui neget, nec negare audebit, hasce declarationes, de quibus legitimè constet, maximę esse auctoritatis, ita vt ab ijs iudicādo discedere, nefas ab omnibus censeatur; vt ipsi quoque contrariæ sententiæ patroni ingenuè confitentur, atque optimè, vt assolet, *P. Diana* animaduertit.

22 Diximus, & rectè, hanc sacræ Congregationis declarationem iuri, ac rationi maximè inniti. Etenim ipsi iura primùm protulimus *num.* 8. quibus eā probauimus; aduersarij verò nullum proferunt, nec proferre possunt, quo suam comprobent sententiā. Cui proindè assentiri nullatenus possumus, in re præsertim grauissima, atque Ecclesiasticæ Reipublicæ maximè præiudiciali.

23 Deinde legum cōditorum mos est, vt in decernēda probationum forma, primo loco scripturas ponant, postea cętera argumenta, ac proindè testes. Ità animaduertere licet in *l. si sibi C. de testibus l. sicut C. de fide instr. cap. sicut, & cap. cum causam, de probationibus.*

24 Prætereà, communi consensu iuris interpretes negant, in statutis de instrumento, seu documento loquentibus, complecti testes, ob communem loquendi vsum, secundùm quem testes, & instrumenta, seù documenta omninò differunt. *Ita omnes Scribentes, & præsertim Imola, Dec. & Felin. in*

in rubr. Decret. de fide instr. Bart. in l. notionem, §. instrumentum ff. de verb. significat. alijque, quos citat, & sequitur *Mascbard. de probat. q. 6. n.* 107. & videndi etiam *Scribentes*, & præsertim *Abb. & Felin. in cap. peruenit, de testib' cogend.* vbi, quòd in materia stricta, vt est statutorum, nullo modo veniunt testes appellatione instrumentorum, cum aliud sint instrumenta, aliud testes, & ideò hæc duo sub duobus titulis collocantur. Immò rectè probat *Felin. in dicta rubrica*, etiam circumscripto communi loquendi vsu, neque comprehendi testes in materia statutaria, ac præsertim in re nostra, vbi additur adiectiuum, *Authenticum*, quod publico, æquiparatur, *vt not. in cap. 1. de fide instr. Ferentill. ad dec.* 832. *Buratt. n.* 10. *vers. & fortius, post Gonzal. gloss.* 18 *n.* 35. *& seq.* loquens de re nostra: nomine autem instrumenti, seù *monumenti publici* nullo modo testes comprehendi, benè probat *Felin. in d. cap. peruenit n* 3. *de testib. cogend. & in d. rubr. de fide instr. n.* 9. *post Angel.* & specialiter per text. expressum in *l. census ff. de probat l.* 3. *§ eiusdem ff. de testibus cap.* 3. *§. sæpè* 4. *q.* 3.

25 Insuper, si documēti authentici appellatione, non modò scripturas, sed etiam testes, atque alias probationes, à iure approbatas, Cōcilium comprehendit; cur quæso statim addit, titulū iurispatr. ex dotatione, & fundatione, probari quoque posse multiplicatis præsentationibus, vel aliàs secundùm iuris dispositionem, si ea omnia, *Authentici documenti* nomine comprehēsa erant? certè superfluitatis Conciliū arguendum esset, si contraria opinio vera foret: id, quod procul dubio dicēdum non est, præsertim cum formam probationis iurispatronatus traderet, atque huiusce probationis modos, omnino distinctos per dictiones disiūctiuas, *vel*, tradere vellet: post alios *Menoch. lib. 3. præsumpt.* 90. *nu.* 5. *post sacræ Congregationis declarationem, & cons.* 512. *n.* 2. *&* 3. *lib.* 6.

26 Denique intelligi non potest, quo tandem modo testes dici queant, *Authentici*; quod tamē asserendum esset, si ij authentici documenti appellatione comprehenderentur: nimis enim impropria, ac prorsus inusitata isthæc locutio censeri debet: appellātur quidem in vtroque iure testes, *idonei, fide digni, fideles, probata vita, boni, omni exceptione maiores, circumspecti, &c.* vt videre est *in tit. de probat. de testibus, de fide instr.* & alibi: nusquam *Authentici*: quod quidem adiectiuum non conuenit propriè loquendo, nisi publico instrumento *cap.* 1. *ibique not. de fid. instr. Gonz. gloss.* 18. *nu.* 35. *& seq. Ferentill. ad decis.* 832. *Buratt. num.* 10. *vers. & fortius.*

27 Hinc est, quòd in nostro Regno in materia census Bullaris, testes nullatenus admittuntur, refragante clausula Pragmaticæ Regis Alphonsi, quæ statuit, exequutionem nullo modo impediri posse, præter quam reali solutione, quæ quidem Authenticis documētis ostendatur, vt post alios edocuit *Intrigl. super bulla, initio, & quæst.* 5. *num.* 36. *alijque suprà laudati nu.* 13. *in fine.*

28 Obijciunt aduersarij *Rotam decis.* 541. *n.* 4. *tom.* 4. *diuers.* quæ docet, nomine Authentici documenti testes etiam contineri.

R. Rotā loq. de testib', nō ĩ tela pcessus pductis, sed de redactis ĩ antiquis actis, quæ Authentici documenti appellatione concludi possunt, vti admonuimus *nu.* 12. vt enim ibi constat *ex nu.* 1. *&* 2. Episcopus Lucan. testatur anno 1445. se vidisse instrumentū originale fundationis, & dotationis rogatum anno 1285. cuius attestatio redacta erat in actis; vt etiam erat alia Calixti 3. & Pij II. quarum quidem attestationum vi, ità in actis redactarū (alijs tamen adminiculis adiutarum, vt monuit eadem *Rota dec.* 800. *eadē par.* 4. *diuers.* quæ est super eadē causa) conclusum est pro iurepatronatus. Euidens autem mihi videtur, in tela pro-

processus illius causæ, non fuisse testes productos ad titulum probandum: nã de ijs, qui inibi producti fuerunt, ita in fine loquitur Rota: *testes inducti dũtaxat fuerunt ad probandam præsentationem habuisse effectum*: idemque repetit *dec. 800. cit. in fine*. Et, si aliud *Rota* intelligeret, sibimet aduersaretur: alibi enim pluries cõtrarium decidit, vt antea vidimus. Præterquamquod in explicandis, atque interpretandis Concilij decretis, non erit *Rota* plurimum deferendum, si illius interpretatio cõtraria sit interpretationi Cardinalium, quibus solis ex officio auctoritate Apostolica huiusmodi interpretatio competit, vt dictum est, & fatetur pluries eadem *Rota* præsertim *dec. 199. par. 2. diuersor.* Has ambas Rotas nobis obiectas exponit *Ferentill. ad dec. 832. Buratti n. 10. vers. Et fortius*, aitque illas procedere: *quando*, inquit, *vt ibi legitur, cum testibus concurrebant etiam scripturæ, vt in principio decisionum, & d. dec. 800. n. 5. vers. nec testes*.

29 De testibus in antiquis actis redactis exponendi sunt DD. qui cõtrarium innuunt, ac præsertim *Riccius* locis in contrarium allegatis, nè sibi ipsi contradicat: id, quod apertè ipse admonuit *dec. 6. nn. 5. & dec. 121. p. 3.* cum præsertim de his loquatur *resol. 36. in praxi nouiss. iurispatr.* citans dictam *Rotam dec. 542. & dicta resol. 51. citat Nouari. in allegat.* inserta post ipsius *collect. 3101. par. 7.* qui apertè loquitur de attestationibus in actis redactis, sicuti loquuntur *Rota* ab eo citatæ: quarum tamen aliquæ de testibus probantibus famam agunt, qua, iuncta longissima quasi possessione, edocent, probari iuspatronatus, in personis tamen priuatis; vt est *decis. 510. p. 4. diuers.* & alia relata à *Garcia par. 5. cap. 9. nu. 84.* & aliquæ etiam loquuntur de pertinentia iurispatronatus; & omnes *Rotam* modò citatam sequuti sunt.

30 Maneat ergo, Concilium nomine Authentici documenti solam scripturam comprehendere velle. An autem vtramque *num. 10. & 11.* explicatam, idest originalem, atque etiam non originalem, facientem tamen certam fidem, an verò solam originalem, quæstio esse potest. Qua in re sunt, qui volunt, solam originalem comprehẽdere; alias non originales, facientes tamen fidem, edocent contineri subsequentibus verbis: *Et alijs à iure requisitis*. Ità docuit *Castropalao tract. 13. cit. disp. 2. punct. 3. n. 2. tom. 2. Parisius de confident. q. 28. n. 229. & seq. & alij*. Et horum explicatio à quodam docto viro recentiori probatur exemplo similis locutionis vsurpatæ ab *Alphonso Rege in pragmatica de censibus*, vbi formam tradit probandi debiti solutionem: ait enim, illam constare debere: *Authenticis documentis, vel alijs scripturis, plenam fidem facientibus*.

31 Et horum equidem sententiam cõprobarem ex dictione, *Alij*, in Tridentino posita, quæ suapte natura est relatiua, ac representatiua eiusdem qualitatis, cuius erat id, de quo mentio facta est, vt probat *Alex. cons. 204. nu. 4. lib. 2. ex cap. fin. initio de pactis in 6. ibique Aretin. Gloss. & DD. in l. non solũ § quæratur verb. cęteros ff. de proc. nos cõs. 3. n. 17. & seq* quis ei dictio, vel, similisuè annecteretur, vt colligi põt ex *cap. cum non ab homine, de iudic. l. si fugitiui C. de seruis fugitiu*. Quare sensus erit: ostendatur titulus authẽtico documento, idest originali, & alijs documentis non originalibus quidem, iure tamen requisitis, idest faciẽtibus plenam fidem, vt clariùs Alphonsus locutus est. Huiusmodi autem sunt, quæ ex originalibus transcribuntur manu publici Notarij, cum subscriptione, vel præsentia duorum saltem testium fide dignorum; vel aliter secundùm cuiusque regionis morem: Item secũdùm aliquos, testes antiqui, attestantes in actis publicis, se vidisse originalem scripturam fundationis, vel dotationis: *vide Riccium par. 3. dec. 121.*

Barbos. allegat. 72. à n. 42. Alphonf de Leone de cappell. quaest. 4. praxi 2. Castropalao, Viuian. & alios locis citatis, apud quos inuenies etiã, quæ sit scriptura originalis. De scripturis authēticis *vide Gloss. in cap. 1. de fide instrument*.

31 Alij volunt, vtramque scripturam, scilicet originalem, & non originalem, quæ tamen faciat certam fidem, comprehendi: sequentia autem verba, *& alijs iure requisitis*, connectũt antecedentibus (*Authentico documento*) ità vt sensus sit: titulus ostendatur ex authētico documento, quod tunc est authenticum, quando habet ea omnia, quæ iure requiruntur. Ità censent plures, quos citat, ac sequitur *Barbosa de potest. Episcopi allegat. 72. n. 27. Ferentill. ad decis. 832. Buratti num. 10. vers. & fortiùs*. Quæ autem sint hæc requisita, præsertim in celebratione talium documentorum, extractione, & compulsatione, explicant DD. apud *Gonzalez d. gloss 18. n. 38. & seq. Viuian. d. cap. 5. à n. 11. aliosque*.

33 Vtraque sententia probabilis est. Potest tamen quispiam tertiò arbitrari, Concilium per authenticum documentum vtrumque scripturam comprehendere voluisse: sed tamen sequētia verba non ità interpretari, vt secūdæ sententiæ placet: non enim secundùm illam videtur cõstare posse recta verborum structura, seu constructio, cum voculæ illæ, *& alijs*, aliqua alia significent, præter authenticum documentum, quod, in ratione authentici, iam supponitur constitutum.

Dici igitur potest, per ea verba, *& alijs iure requisitis*, nõnulla alia significari, quæ in primo modo probandi titulum Iurispatronatus, præter authenticum documentum fundationis, aut dotationis, requiruntur: inter quæ præcipuum est consensus Ordinarij, vel Papæ, vt post alios docuit *Menoch. de præsumpt. lib. 3. præsumpt. 90.* qui quidem probetur iuxtà formam à Doctoribus traditam, præsertim *Alph. de Leone in praxi de cappellan. q. 4. p. 2. n. 19.* Pro dictis in hoc §. vide *infrà à nu. 73. vsque ad 79.*

§. II.

Vel etiam ex multiplicatis præsentationibus, &c.

SVMMAE.

34 *Secundus modus probandi titulum iurisp. per immemorabilem, secūdùm formam* Trident. *vel ex multiplicatis præsentationibus, coniūctis tempori immemorabili*, & num. seqq.

35 *Quomodo hæc immemorabilis ostendatur per testes: & quot requisita necessaria sint.*

36 *Testificatio de visu per 40. annos omnino requiritur ad probandam hanc immemorabilem.*

37 Seraphin. decis. 449. Put. dec. 72. & Menochius, *declarantur*.

34 Secundò titulus iurispatronatus ex fundatione, vel dotatione, à Concilio requisitus, ostenditur multiplicatis præsētationibus per antiquissimum temporis cursum, qui hominum memoriam excedat. Requiritur ergo præsentationes, nõn solitariè acceptæ, sed immemorabili tempori coniūctæ; & quidem plures, idest ad minus duæ ex communi, nec vna sufficiet, vt latiùs dicemus infrà *à n. 147.* vide etiam *§. seq. à n. 40.* Titulus verò hoc modo probatus, non est verus titulus, sed solum præsumptus; quem tamen satis esse Concilium decernit: Et de hoc modo probandi iuspatronatus vidēdi plures, quos retulit *Barbos. de iure eccl. vniuers. lib. 3 c. 12. nu. 69 de iurep.* apud quem *Rota* decisiones, Doctoresq; reperies, edocentes, hanc immemorabilem præsentandi possessionem, in personis etiam priuatis, ità requiri, vt per æquipollēs adimpleri non possit: eamque olim communi iure, circumscripto etiam, Concilio

Tri-

Tridentino, fuisse requisitam, quando vsurpationis præsumptio aderat. Inuenies quoque inibi formam huiusce immemorabilis ostendẽdæ, iuxtà doctrinam *Glossæ* communiter receptam *in cap. 1. de præscript. in 6.* quam passim sequitur *Rota*, cuius decisiones refert *D. Francisc. Ferentill. in annotat. ad Buratt. dec. 673. n. 6. tom. 2.* Ad hanc autẽ immemorabilem inducendã concurrere debent anni elapsi vsque ad terminum controuersiæ motæ. vide *num.* 85.

35 Quattuor igitur in testium depositionibus ad probandam immemorabilem requiruntur. Primum, quòd asserant, communem opinionem esse, quòd de contrario vsu memoria non extat. Secundum, quòd sint ad minus ætatis 54. annorum completorum, vt *Rota* perpetuò seruat, cuius decisiones refert *Ferentill. in d. annot. nu. 14.* reprobato *Molina de primogen. lib. 2. cap. 6. nu. 40.* & de 40. de visu testificẽtur, dempto tempore litis motæ, & sedis vacantis, *Rota apud eundem Ferẽtill. nu. 12. & 13. loco citato.* Deponere autem debent, se per 40. annos vidisse factos aliquos actus possessorios à talibus personis, vti patronis, & præsentatos possedisse tamquam præsentatos ab ipsis, ac vidisse præsentationes, vel institutiones ad patronorum præsentationem factas, vt benè docuit *Rota in vna Sorana iurisp. 28. Aprilis 1603. coram Pamphilio vers. alij testes, & in vna Iacen. paroch. 27. Iunij 1603. corã eodem vers. titulus enim:* de reliquo tẽpore satis est, quòd deponãt secundũ auditum, & famam. Tertium, quòd ità semper viderint, & audierint, nec ipsi, nec sui maiores contrarium viderint, vel audiuerint. Quartum, quod nunquam contrarium fuerit obseruatum. Atque hæc requisita in materia iurispatronatus exigunt plures *apud Ricc. par. 1. resol. 128. n. 1. & 2. & in collect. 233. & in praxi nouiss. iurispatr. resol. 75. post plures Rotas, & Doctores, præsertim Nouar. in opusc. noui iuris Pontific. concl. 1. alias 94. nu. 7. Caput aq. dec. 783. lib. 1. & dec. 71. p. 2. Seraphin. dec. 1192. & 1179. & 1367. Marescott. var. cap. 100. lib. 2. Barbos. de po. test. Episcopi allegat. 72. nu. 39. p. 3. & de iure eccl. lib. 3. cap. 12. à n. 69. Moneta de commutat. vltim. volunt. cap. 10. n. 212.* Si verò vnũ ex prædictis deficiat, immemorabilis probata minimè censetur: *Rota apud Viuian. dec. 11. nu. 1.* & singuli testes de omnibus deponere debent: *Rota pluries apud Ricc. in praxi nouiss. dicta resol. 75. & Ferentill. in annot. ad d. dec. 673. nu. 10.* quicquid dixerit *Molina de primogen. lib. 2. cap. 6. n. 34.* reprobatus à *Rota apud Viuiã. d. decis. 11. & Ferentill. loco cit. & Ricc. dicta resol. 75.*

36 Sed præsertim velim hic annotes, esse receptissimam omnium opinionẽ, secundum requisitum omninò requiri, puta, quòd testes sint 54. annorum, ac per 40. de visu testificentur. hanc opinionem passim amplexa est *Rota*, vt videre est *apud Viuian. dec. 11. & dec. 87. nu. 4. & Ricc. in praxi nouiss. resol. 94. item resol. 72.* qui plures decisiones refert *resol. 75. Seraph. dec. 1102. & 1179.* ac præsertim *dec. 1450. & 1460. num. 2.* vbi, si quamplures anni elapsi sint à tempore motæ litis, adeò quòd testes reperiri nequeãt, qui, subducto litis tempore, de visu deponere possint, tunc immemorabilis omnino improbabilis censeatur: *Rota apud Buratt. dec. 551. n. 4. tom. 2. & Seraphin. dec. 1450.* Id etiam refert *Riccius in praxi nouiss. resol. 72. n. 2. Ferentill. in annot. ad Buratt. dec. 673. num. 14. in fin. tom. 2.* apud quem videndæ sunt quamplurimæ eiusdem *Rotæ* decisiones, quæ edocent, testimonium obseruantiæ per 40. annos continuos esse de principalibus requisitis per dictam *Glossam*, adeò quòd, si testes per spatiũ 40. annorum non potuerunt videre, vt quia toto tempore non fuerunt in loco, sed aliquãdo absentes fuerunt, immemorabilis per eos probari non possit, nisi absentia fuerit modica.

37 Neq; obstat, *Seraphin. dec. 449. nu. 2.* ab aduersa parte laudatus. Nam ibi non dicit, immemorabilē probari per testes, non deponentes de visu per 40. annos: sed solùm sufficere in materia exemptionis, de qua ibi agebatur, probationem per famam, vt pote in re antiqua, ac supplere probationem requisitam de visu; cum præsertim ibidem adesset depositio de visu, vsque ad tempus litis motæ, super decretis Tridentini, super quibus tunc primùm lis mouebatur, vt constat *ex nu. 1. eiusdem decisionis*: quam quidem loqui de fama, apertè colligitur *ex decis. 329. eiusdem Seraphin.* quam citat prædicta *decisio* 449. cum vtraque sit super eadem causa: ibi enim apertè dicitur *nu.* 9. fama in antiquis probare: id, quod tamen locum in re nostra obtinere non potest; loquimur enim de probādo titulo iurispatr. secundùm formam à Concilio traditam, & stabilitā, quod immemorabilem requirit, quæ per æquipollens adimpleri non potest, vt infrà dicemus *n.* 57. sicuti etiam dicemus, famam non probare hunc titulū, nisi eam longissima quasi possessio comitetur. Certè, quamuis hęc *Seraphin. decisio* ambigua foret, cum eiusdē decisionem apertissimam habeamus, puta *decisio* 1450. quæ ait, immemorabilem reddi omninò improbabilem, si testes desint, qui de visu deponere possint, omninò huic standum erit, toties à *Rota* approbatæ, neque illi dubiæ plurimum deferendum.

Itē non obstat *Put. dec.* 72. ibi enim nè verbum quidem de immemorabili: solùm dicitur, quod extremum spolij in antiquis per testes de auditu, & per famam probari possit: quod rei nostræ adaptari non potest, quæ immemorabilem pro forma requirit, &c. vt modò dictum est.

Denique *Menoch. præsumpt.* 90. *nu.* 12. *lib.* 3. non obstat, quia loquitur de famæ, non de immemorabilis probatione. Pro dictis in hoc §. vide *infrà à n.* 79. *vsque ad* 88.

§. III.

Aliasuè secundùm iuris dispositionem.

S V M M A R I V M.

38 *Tertius modus secundùm aliquos probandi titulum iurisp. ciuilis verbis:* Aliasuè, &c.
39 *Illationes horum DD. in probatione iurisp.*
40 *Horū doctrina euertitur, & probatur, non dari tertium modum. &* n. 43.
41 *Primus intellectus ad illa verba,* Aliasuè, &c.
42 *Secundus intellectus.*
43 *Tertius intellectus.*
44 *Constructio venit nomine fundationis.*
45 *Datur gratis aduersarÿs tertius modus, sed tribus additis.*
46 *Fama absque longissima possessione, atque de præsenti, non probat iuspatr. etiam in antiquis, & antiquissimis.*
47 *Non sufficit probare possessionem iurisp. sed debet omnino probari titulus verus, vel præsumptus: ius enim præsentandi non arguit iuspatr.*
48 *Quomodo sit intelligendum, quòd Concilium nihil innouauit quoad personas priuatas.*
49 *Dominium, & iuspatr. in probatione fraternizant, & in vtroque requiritur plena probatio, quam Tridentinū requirit.*

38 Iam verò ex illis verbis Concilij *Aliasuè secundùm iuris dispositionem*, nonnulli colligunt tertium modum ostendendi titulum iurispatr. aiuntque, hunc modum includere omnes alios modos legitimos probandi titulum, scilicet fundationis, dotationis, aut constructionis, prout de iure communi disponitur. *Ità expresiè Gonzal. in regul.* 8. *Cancellar gloss.* 18. *num.* 51. *Viuiā. in praxi iurispatr. par.* 2. *lib.* 11. *cap.* 5. *nu.* 46. *Ricc. par.* 1. *resol.* 130. *& in praxi nouiss. iurispatr. resol.* 79. *& seq. aliique apud ipsos.* Nam, inquiunt, ver-

verbum illud, *Aliasuè*, idem significat, quod *alio modo, ex Bart. alijsque*: vnde edocent, quòd si probetur titulus constructionis, Tridentino satisfiat.

39 Hinc inferunt, Concilium nihil penitus innouasse, seù immutasse quoad modos probandi titulum iurispatr. ex fundatione, dotatione, aut constructione in priuatis, seù particularibus personis quæ proindè eum probare possunt per famam fundationis, aut dotationis, aut constructionis, iuncta tamen, vt omnes addunt, longissima quasi possessione præsentandi, sicut ante Concilium probari poterat; quo quidem casu, enunciatiuas antiquas vim famæ obtinere docent. Item per 40. annorum præscriptionem cum titulo colorato, cum hæc præscriptio idem valeat, quod immemorabilis, *ca. 1. de præscript. in 6.* alijsque. Ac deniq; per omnes probationes coniecturales, & præsumptiuas, quæ ante Concilium admittebantur: de quibus latè per *Maschard. concl. 959. per tot.* Quas tamen omnes esse adminicula, non autē probationes per se subsistentes, rectè monuit *Lottertus de re benefic. lib. 2. qu. 13. à n. 141.*

At hæc Concilij interpretatio displicet omninò, quatenus constituit tertium modum ostendendi titulum iurispatr. includitq; omnes alios, præscindendo ab immemorabili.

40 Primò, quia Concilium omninò excludit præsentationes, etiam multiplicatas, nisi sint per antiquissimum tēporis cursum, qui hominum memoriā excedat: quare, quamuis aliquis ostēderet plures præsentationes, non intelligeretur probare titulū iurispatr. nisi immemorabilis temporis existerent: & tamen hic modus ex multiplicatis præsentationibus probandi iuspatronatus ante Concilium admittebatur, & alijs firmior censebatur, si probationem ex authentico documēto, & ex immemorabili excipias: cum igitur hunc Concilium excludat, multò magis alios infirmiores excludit.

Secundò Concilium vult, quod titulus ostendatur: hic autem duplex est, *Verus*, aut *Præsumptus*: *Verus*, qui, ex communi omnium sententia, nonnisi exhibitione scripturarum ostenditur: & *Præsumptus*, qui, ex communi etiam opinione, nonnisi immemorabilis temporis cursu ostendi potest; quamobrem rectè Concilium duplicē modum dūtaxat suprà explicatum decreuit ad probandum titulum Iurispatr. cum alius modus probandi titulum à Doctoribus non agnoscatur. Quod si velis per alios modos præsūptiuos, & coniecturales etiam titulū

41 ostendi; cogeris etiam asserere, hunc titulum esse præsumptum, cum eius probatio sit præsumptiua, sicut de probatione per famam dixit *Cassador. dec. 2. de probat. & Rota diuers. par. 4. dec. 564. nu. 11.* ac proindè velis, nolis ad immemorabilem recurrere debes: per hanc enim solum titulus præsumptus ostenditur.

Quod si dicas, plures asserere, probari posse etiam post *Trident.* titulum iurispatr. per quadragenariam possessionem cum fama, vt *apud Garc. par. 5. cap. 9. nu. 85. versus finem*. Respondeo, hanc opinionem ità esse explicādam, vt velit, testes deponere debere de visu per 40. annos, & deinde de fama, quod est probare immemorabilem: alioquin hæc opinio recederet ab immemorabili contrà Concilij intentionem, vt probatum est.

Tertiò ideò dixit Tridentinum: *secundùm iuris dispositionem*: nā alij modi probandi iuspatronatus, non sunt *Iuris*, sed *Doctorum*, quibus beneficia in seruitutem facillimè redigebantur. Quos quidem omnes excludere voluit, dans, ac constituens formam illum probandi per duplicem modum, idest, ex authentico documento, vel ex præscriptione immemorabili; alios autem modos penitus explodit: & iure, quia inde ecclesiastica Beneficia in seruitutem à multis impudenter redigebantur. Id, quod euitare voluit

Tri-

Tridentinum: quod certè assequutū non fuisset, si omnes modos huiusce seruitutis probandæ, à Doctoribus adinuentos, approbasset. & sanè, ad quid tot verba Prologi loco Concilium præmisit, promisitque, se debitam in omnibus rationem decreturum, nec permissurum, ecclesiastica beneficia subijci seruituti, si posteaquam duplicem modum statuit illius probandæ, & quidem maximè aptum ad omnem fraudem excludendam, statim adijceret, se omnem alium modum admittere, includere, & approbare? Ad quid hic verborum circuitus omninò superfluus, ac vitiosus? satis erat dicere, se statuere, vt modi probandi iuspatronatus ad vnguem obseruarentur, vt sæpè aliàs statuit, cum iuris cōmunis dispositiones, & decreta confirmat. Certè ex vocula *etiam*, includitur infirmior modus probandi: cum tamen ea addatur in modo probandi per immemorabilem, non autem in alijs, qui sunt infirmiores. Voluit ergo Concilium, eos omnes explodere, quò fraudibus obuiam iret, & solum duos prædictos approbare, ac statuere.

Quartò, si tenor verborum diligēter adnotetur, duplex probandi modus apparet, nō triplex. Nam duplex modus apud omnes certus proponitur à Concilio per particulam, *Ex*; ergo tertium per eamdem particulam propofuisset dicens; *ex iuris dispositione*: quod tamen non fecit. ergo ista verba cadunt suprà probationem immemorabilis, eo modo, quo proponam. Et sanè particulam, *Ex*, adhiberi solere in iure ad proponendam probationem per ablatiuum, constat ex locis seqq. *l. quicumque ff. de fide instrum.* ibi: *non ex indice sed ex authētico conueniendus est l. ob carmen. ff. de testibus*, ibi: *confirmabit iudex motum animi sui ex argumētis l. si aduersarius C. de fide instrum.* ibi: *ex ea scriptura negotium repetatur. l. emancipatione eodem tit.* ibi: *ex instrumentorum incorrupta fide probari possit. cap præterea 47. de testibus* ibi: *discretus iudex confirmabit ex argumentis.*

Alia particula vsitata in iure ad inducendam probationem est, *Per*, *cap. scripta de fide instrum.* ibi: *per authenticum sigillum possunt probari. cap. inter cæt. eod. tit. in fine*, ibi: *per instrumentū locationis probata proprietas, &c.* Sed neq; hanc particulam vsurpauit Concilium. Atque has quatuor confutationes interpretationis allatæ *num. 38. & 39.* cum doctis recentioribus collatas, ex eorumdem sententia, & approbatione do.

41 Primus igitur sensus illorum verborum: *Alias seù secundum iuris dispositionem*, esse potest, quòd titulus præsumptus probari debeat per multiplicatas præsentationes temporis immemorabilis, idest per instrumenta multiplicatarum præsentationum secundùm communem opinionem, quæ docet, immemorabilem per instrumenta probari posse; vel alio modo secundùm iuris dispositionem, idest per testes requisitos ad immemorabilis probationem, qui scilicet sint saltem ætatis 54. annorum, ac de visu per 40. annos deponant, habeantq; alia requisita secundùm iuris dispositionem, de quibus suprà *num. 34. & seq.*

42 Secundus sensus esse potest, quòd hec immemorabilis præscriptio, seù consuetudo, sit per antiquissimum temporis cursum, qui hominum memoriam excedat; vel qui sit alio modo sufficiens ad immemorabilem, secundùm iuris dispositionem. Quoniam enim sunt, qui cēsent, pro immemorabili omninò requiri tempus infinitū, vt post alios rectè ostendit *Molina de primog. Hispan. lib. 2. cap. 6. à nu. 45.* sunt etiam plures, qui ad immemorabilem solùm cētum annos requirunt, ità vt velint centenariam præscriptionem eamdem cum immemoriali censeri, quorum aliquos laudat *Molina loco cit. num. 43.* quam opinionem cōmunem profitetur *Gabriel. lib. 5. com. mun.*

mun.opin.tit.de præscript.concl.1.num. 71.& 73. Concilium, hasce difficultates præcidere volens, decernit, ad probãdum iurispatr. titulum sufficere multiplicatas præsentationes per antiquissimum temporis cursum, qui hominum memoriam excedat; vel aliàs secundùm iuris dispositionem sufficiens sit, idest si centum annorum existat, vt censent plures, quos citat, ac sequitur *Paris. de confident. quæst. 28. nu.235.vers.receptior, Barbosa de iure eccl.lib.3.de iurep.cap.12.num. 70.& seq.*

43 Tertius sensus esse potest, vt ea verba referantur ad multiplicatas præsẽtationes in hunc modum. Titulus iurispatr. ostendatur ex multiplicatis præsentationibus immemorabilis tẽporis, vel alterius temporis secundũ iuris dispositionem. Id autem dictum videri posset, quia, cum asserenti beneficium esse seruituti iurispatr. subiectum, iuris communis dispositio resistat, cum omne beneficium ex iuris dispositione liberum præsumatur, vt antea *n.1.*admonuimus; ideò ad probandum titulum iurispatronatus omninò requiritur immemorialis præscriptio; vel saltem alia secundùm iuris dispositionem, puta in *cap. 1. de præscript.in 6.* in quo statuitur, quòd proponens, se legitimè aliquid præscripsisse, si contrà ipsum faciat ius commune, allegare oportet huiusmodi præscriptionis titulum, & probare. Quæ quidem legitima præscriptio cõtrà ecclesiam saltem quadraginta annorum esse debet: *minor enim*, ait Glossa in dicto cap.1. verb. legitimè, *non currit contrà ecclesiam 16.q.3. cap. iubemus §. quas actiones supra eodem, de quarta*: idemq; omnes alij animaduertunt; probata enim hac quadragenaria præscriptione cum titulo, licet colorato, allegari potest titulus sufficiens iurispatronatus ex dotatione, vel fundatione, vt Concilium requirit, sicuti allegatur, probata immemorabili præscriptione, cui hæc quadragenaria æquipollet, vt constat *ex d. c.1.*

Sensus igitur hic esset: titulus iurisp. esse omninò debet ex fundatione, vel dotatione: qui quidem ostendi debet ex authentico documento, vt iam explicuimus; vel etiam ex multiplicatis præsentationibus temporis immemorialis, vel saltem quadragenarij cum titulo, licet colorato, secundùm iuris dispositionem.

Quoniam verò sunt, qui censent, & declarauit sacra Congregatio apud *Garciam de benef.par.5.cap.9.n.141. Frãciscum Leon.thesaur.fori ecclesiast. de iurepatr.cap.6.nu.8.Campanil.in diuers.iur.canon.rubr 11.cap.13.num. 415. Barbosam lib.3. de iure eccl. cap. 12.de iurepatr.num.74.& alios*, non sufficere quadragenariam, sed omninò requiri immemorabilem, vel saltẽ centenariam; ideò huic tertiæ interpretationi non plurimùm adhæreo, quamuis nihil prorsus nobis obesset, si vera foret. Primus igitur, ac secundus sensus aptissimus est ad interpretandam Tridẽtini dispositionem, nec contrà eos quicquam momenti obijci potest.

44 Neque dicas cum *Gonzal. d. Gloss. 18.n.50.* hanc interpretationem, quatenus excludit tertium modum, etiam excludere titulum ex constructione. Nam respondeo, constructionem includi in fundatione, vt post alios monuit *Viuian.in praxi cit.lib.11.cap. 5. n.7.*& prædixerat *lib.2.cap.1.nu.26.* Neque esse propriè modum probãdi, sed id quod probari debet, sicut est ipsa fundatio, & dotatio, quæ probari debent per illum duplicem modum à Concilio stabilitum. Et hic quidem auctor, vt constructionem includat, alias plures probationes inuoluit, nõ à iure, sed à quibusdam Doctoribus adinuentas, quas omnes excludere voluit Tridentinum, vt diximus. Cum igitur ait, titulum iurispatr. debere esse ex fundatione, hoc nomine includit etiam constructionem, vel ex vocabuli proprietate, vel saltem ex rationis

tionis identitate ; ex *Cassador. dec. 6.* alijsque apud ipsummet *Gonzal. n. 52. & Garc. par. 5. cap. 9. n. 38.* vide infrà *n. 88. vsque ad 92.*

45 Sed si quis obstinatè contendat, per ea Concilij verba : *Aliasuè secundũ iuris dispositionem*, approbari alias iuris probationes, quibus iuspatronatus ostendatur ; non erit admodum elaborandum. Dandum igitur id gratis erit : sed tria addenda : *Primum* quidẽ debere esse *Iuris* probationes, idest à iure expresè approbatas, non ab aliquo Doctore ex sua mente adinuentas, quæ potiùs adminicula censeri debent, coadiuuantia veram probationem, vt rectè antea annotauimus *ex Lotterio de re benef. lib. 2. q. 13. à n. 141.*

Secundum hisce quidem iuris probationibus ostendi debere, non ius patronatus simpliciter, illiusuè possessionem, sed titulum verum, vel saltẽ præsumptum, qui ex fundatione, vel dotatione esse debeat : vtrumque ex Concilij contextu apertissimè colligitur.

Tertium est, hos quidem modos nullatenus sufficere solitariè acceptos, nisi etiam adsit longissima quasi possessio præsentandi.

46 Hoc tertium ab omnibus ferè Doctoribus requiritur, præsertim cum probatio fit per famam. *Videndi sunt Viuianus in praxi par. 2. lib. 11. cap. 5. n. 47. vbi innumeros citat, Alphons. de Leon. de offic. cappell. q. 4. praxi 2. num. 28. Nouar. in opusc. noui iuris Pontific. dicl. 49. n. 9. Grattã. discept. 310. n. 80. & 81. Barbosa de potest. Episcopi alleg. 72. n. 43. & 44. Garc. p. 5. cap. 9. nu. 61.* Et omninò videndæ sunt *Rotæ* decisiones, quæ apertè determinant, non sufficere famam per se solam, sed debere concurrere possessionem longissimam, & non quamcumque, sed *de præsenti*. Ita decidit apud *Put. lib. 1. dec. 56 & 135. & par. 1. diuers. decis. 792. n. 1. 2. 3. & 4.* vbi quod etiam indicia requiruntur : *& par. 4. diuers. decis. 520. & 580. n. 5. & dec. 591. nu. 6. Mantica dec. 198. nu 4. post Cassador. dec. 2. num. 6. de probat. Achill. de Graff. dec. 6. de iurep. fol. 121. & ibi Rubeus fol. 144.* & rectè de hac re *Lotterius lib. 2. de re benef. q. 7. à n. 45.* vbi benè docet, iustificata possessione, & quidem *de præsenti*, si cum ea concurrat fama dotationis, aut fundationis, ex vtraque simul sumpta, & non aliter, resultare probationem iurispatr. quia posita hac fama, sequitur ratio, vt qui hodie possidet, præsumatur etiam olim, atq; ità ab initio possedisse, ex *Soccin. Alciat. Menoch.* Vnde sicuti fama, iuncta longissima quasi possessione, etiam ex vltima præsentatione, sufficit ad iustificationem patronatus, *Achill. dec. 7. nu. 5. de iurepatr.* ita sine hac quasi possessione, atque adeò sine extremo habili ad præscribendum, non probat iuspatronatus, quantumcumque ver, semur in antiquis, & antiquissimis: *Put. dec. 56. & 135. vers. tamen lib. 1. in correct. Achill. dec. 4. & 6. de iurepat.* & alias decisiones, ac DD. idem sentientes retulit, ac sequutus est *Garc. par. 5. cap. 9. n. 83. & seq.* vbi *nu. 85. in fin.* monet, contrà *Menoch.* arbitrantẽ solam famam absque possessione in antiquis probari iuspatr. sentire *Rotã* : quãuis verè *Menoch. lib. 3. præsumpt. 90. n. 11.* vbi non consulendo, sed docendo rem pertractabat, *Rotam*, sequatur, cùm eius doctrinam vltimo loco tradat. *Vide infrà n. 130. & seqq.*

47 Hinc autem fit primùm, quòd admittendæ nullatenus erunt eæ probationes, quæ à iure expresè approbatæ non inueniuntur, vel saltem exillo elicitæ non existant. Secundò neq; sufficere probationes, quamuis iuris essent, quibus probatur quidem, quempiam fuisse, vel esse in possessione præsentandi; sed omninò titulus fundationis, seù dotationis ostendi debet : nõ enim sequitur : ego sum patronus, seù ad me pertinet iuspatronatus, seù ego sum in iure, seù possessione præsentandi : ergo habeo titulum verum, seu

seu præsumptum: potui enim id vsurpare, vt post alios notat *Lotterius loco cit. n.* 44. vel saltem quoad ius præsentandi, alia ratione, quam ex iure patronatus, mihi illud cõpetere potuit, vt latè tradidit *Roch. de Curte*, *Lambert. & alij apud Gonzal. gloss.* 18. *num.* 90. & 91. & *gloss.* 45. §. 2. *num.* 27. & 28. *Viuian. lib.* 1. *cap.* 3. *n.* 32. & *lib.* 11. *cap.* 5. *num.* 93. & 94. *Ricc. in praxi nouiss. resol.* 128. Qui ergo probat, se olim præsentasse, ac proindè se gessisse veluti patronum, non statim probat, se iustam præsentãdi causam obtinuisse, quod est titulum habuisse. vide *num.* 140. *vers. praterquamquod*.

Id quod vlteriùs exponitur, ac probatur, quia, vt communiter DD. tradidère, titulus vel est verus, vel præsumptus: primus nonnisi authenticis scripturis, seu documentis ostenditur, vt Concilium supponit: secundus nõnisi temporis cursu, vt omnes profitentur. Quod si assertionibus, fama, alijsque similibus modis, præscindendo ab immemorabili, ostendi posset; daretur sanè tertium quoddam tituli genus, qui neque verus esset, neque præsumptus; quod non est admittendum.

Neque dicas, ante Concilium hisce modis ostendi potuisse titulum iurispatr. ac per consequens etiam hodie probari posse. Nam respondeo, quòd olim per prædictos modos non ostendebatur titulus iurispatr. non verus, quia hic semper scripturis authenticis ostendi debuit, & debet: non præsumptus, quia hic temporis cursu probatur, vt est omnium sententia. Olim igitur per prædictos modos ostendebatur ius patronatus simpliciter, seù aliquem fuisse patronum, seù habuisse ius præsentandi; non tamen habuisse iustam præsentandi causam, quod est habere iustum titulum, siuè verũ, siuè præsumptum.

48 Quod autem plerique aiunt, Concilium quoad personas priuatas nihil innouasse; id sanè intelligi non potest quoad tempus, nam hoc statuit, semper debere esse immemorabile, *vt declaratum fuit per sacram Congregationem*, teste *Francisco Leon. Thesaur. for. eccl. par.* 2. *de iurep. cap.* 6. *num.* 8. *Garc. par.* 5. *cap.* 9. *n.* 141. *vers. decimasecunda*, *Barbos. lib.* 3. *de iure eccl. cap.* 12. *nu.* 74. & *Campanil. in diuers. iur. canon. rubr.* 12. *cap.* 13. *n.* 415. vide *n.* 149.

49 Illud autẽ vltimo loco monuerim, probationes hasce præsumptiuas, ac coniecturales omnino esse insufficientes ad probãdum iusp. cum de eo agitur principaliter, & non incidenter: etenim dominium, & iuspatronatus fraternizare in probatione, DD. docent *post Cassador. dec.* 2. *nu.* 3. *de probat. Achill. dec.* 7. *n.* 9. *de iurep.* ac proindè quando de iurepatr. agitur incidẽter, sufficit quidem semiplena probatio; plena verò, & concludens requiritur, quando de eo principaliter agitur, ideſt quando adest contradictor, qui vendicet ecclesiæ libertatem, vt rectè docet *Lotterius de re benef. lib.* 2. *q.* 13. *à num.* 109. *Barbosa lib.* 3. *cit. cap.* 12. *n.* 105. & alij apud ipsos. Et hanc quidem plenam, ac concludentem probationem Concilium requirit, vt iidem Doctores animaduertunt. vide *n.* 88. & *seqq.*

§. IV.

In ijs verò personis, &c.

SVMMAE.

50 *Refertur dispositio Concilij quoad personas suspectas de vsurpatione. hac fũdatur in situatione beneficij in territorio prætensi patroni.*

51 *Ratio motiua Concilij fuit præsumptio vsurpationis, quam potius auget sublimitas personæ.*

52 *Dictio, plerumque, stat demõstratiuè, non taxatiuè; ideo hac præsumptio cõprehendit omnes potentes, etiam aliòqui pios.*

53 *Ad docendum verum titulum, plenior*

 pro-

probatio à Concilio requiritur in potentibus.

54 *Hac secundùm aliquos est arbitraria. Refertur declaratio sacra Congr. de hac re.*

55 *In prædictis personis immemorialis debet esse qualificata secundùm formã Concilij.*

56 *In ijsdem personis præsentationes continuatæ, & effectuatæ probari debent authenticis scripturis.*

57 *Hac probatio requiritur pro forma, nec sufficit æquipollens.*

58 *Seruari debet, quamuis concurrat maior potentia in ordinario.*

59 *Clausula*, aliasuè secundùm iuris dispositionem, *non habet locum in suspectis personis.*

50 IAm verò Concilium prosequitur modum probãdi iuspatronatus, quoad personas, de quibus vsurpationis præsumptio est.

In ijs verò personis, inquit, *seu communitatibus, vel vniuersitatibus, in quibus id ius plerumque ex vsurpatione potiùs quæsitum præsumi solet, plenior, & exactior probatio ad docendum verũ titulum, requiratur; nec immemorabilis temporis probatio aliter eis suffragetur, quàm si, præter reliqua ad eam necessaria, præsentationes, etiam continuatæ, non minori saltem, quàm quinquaginta annorũ spatio, quæ omnes effectũ sortitæ sint, authenticis scripturis probentur. Reliqui, &c.*

Hæc verò vsurpationis præsumptio non solùm oritur ex *Tridentini* dispositione; verum etiam ex iure communi antiquo, vt sæpè monet *Rota*, ac præsertim *decis.* 197. *nu.* 19. *tom.* 5. *diuers.* Huius vsurpationis consuetudinẽ olim extitisse, optimè colligit *D. Frãciscus Hallier* doctus Theologus *lib. de elect. & ordin. cler. pag.* 318. *n.* 3. *ex Cõcilio Prouinciali Cabilonensi* 1. *celebrato ann.* 650. *relato tom.* 4. *Conciliorum*. Hæc autem vsurpatio facta est occasione situationis ecclesiarum in territorijs vsurpantium, seu pretensorum patronorum, vt constat ex eodem *Concilio Cabilonensi*. Alij canones, præsumentes hanc vsurpationem, ac illam prohibentes, videndi sunt in *causa* 16. *qu.* 7. *à cap.* 12. *vsque ad* 41. vbi fit expressa mentio Regum, Principum, & Potentum: & hi quidem canones sunt posteriores *d. Concil. Cabil.* Sed ante ipsum idem fuit decretum in *Aurelianensi* I. *cap.* 19. & refertur in *cap. omnes Basilicæ* 10. *ead. cau.* 16. *qu.* 7. eiusdemque vsurpationis fit mentio *cap. decretum, cap. quia, cap. sanctorum* 10. *q.* 1. & *cap. præterea, de iurep.* in his autem iuribus semper vsurpatio præsumitur ex situ ecclesiarum in territorijs vsurpantium. Hinc autem patet, personas suspectas esse illas omnes, quæ prætendunt iusp. super ecclesijs situatis in suis territorijs, seu, quod est idem, in quibus habent dominium, vel iurisdictionem, vel potentiam: alibi autem non sunt suspectæ, quamuis essent Reges. *Rota diuers. tom.* 5. *decis.* 290. *n.* 20.

51 Motum autem fuit Cõcilium ad id statuendum ob d. præsumptionẽ vsurpationis, idest, illicitæ, ac temerariæ occupationis, vt *l.* 2. *C. de colleg. illicit. l. si is. C. de ædific. priuat.* quæ in personis potentibus locum habet; ratione cuius potentię argui possit reuerentia, seu concussio, in eo, qui libertatẽ ecclesiæ defendere debuisset: atque hæc quidem potentia non solùm ex iurisdictione, sed etiam ex summa alicuius familiæ nobilitate æstimatur, vt patet ex pluribus *Rotæ* decisionibus, quas retulit *Lotterius lib.* 2. *cit. q.* 13. *nu.* 131. & omninò vide *Rotam diuers. dec.* 197. *n.* 30. & *pluribus seq. p.* 5. & apud *Ferentill. ad Buratt. decis.* 832. *n.* 6. Quam quidem vsurpationis præsumptionem minimè remouet, sed potiùs auget sublimitas personæ, vt voluit *eadem Rota apud Mohedan. dec.* 10. *nu.* 1. & 2. *de iurepatr. Lotterius vbi suprà n.* 134. loquens de Rege Aragoniæ.

52 Hæc verò pręsumptio vniuersaliter absque vlla restrictione, seu distinctione

ne

ne,comprehendit omnes, caditque in singulos potentes. Dictio enim, *Plerumque*, fuit motiuum legis condendæ, & stat, non restrictiuè, seù taxatiuè, sed declaratiuè, demonstratiuè, indistinctè, & vniuersaliter. Vnde, quamuis actualiter, & de facto hæc præsumptio cessaret, tamen de iure communi, & ex Concilij dispositione semper præsumitur: oritur enim ex potentia, quæ vbi adest, semper præsumptio etiam adest. Nec obest, quod talis potens fuerit pius, & iustus, & maximæ pietatis; talis enim fuit Rex Aragoniæ; cuius tamen pietas vsurpationis præsumptionem non ademit. Et hæc omnia inuenies apud *Rotam diuers. tom. 4. dec. 590. num. 1. quæ est 590. nouiss. Farinac. & tom. 5. diuers. dec. 197. à n. 27.* vbi refertur declaratio Sacræ Congregationis, quam vnà cum alijs retulit *Ferëtill. ad decis. 831. Buratt. n. 6. Mantica dec. 253. num. 1. Ricc. in praxi nouiss. iurisp. resol. 101. & 109. Garc. de benef. p. 5. cap. 9. nu. 102. Viuian. dec. 34. num. 1. & 2. Barbosa de potest. Episcopi allegat. 72. num. 63. & latiùs de iure ecclesiastico lib. 3. cap. 12. nu. 150.* vbi rem accuratè exagitat, respondetque *dec. 668. Seraphin.* qui loquitur de vsurpatione bonorum beneficij, de quo vide *num. 128. infrà, & Moneta de commut. vlt. volũt. cap. 10. nu. 214.* qui ait, stare taxatiuè; loquitur enim includendo Reges, & Imperatores, & Vniuersitates, & Collegia in ordine ad studia vniuersalia, quos omnes Concilium excipit. Quinimò *Rota diuers. p. 5. dec. 197. num. 27.* ex eadẽ dictione, *Plerumque*, vniuersalitatem infert, cuius verba referemus infra *num. 122.* vbi alia consule hac de re: ... [illegible]

83 Tria ergo statuit Concilium hac in re. Primum est, quoad personas de vsurpatione suspectas requiri pleniorem, & exactiorem probationem ad docendum verum titulum. Et hinc emergunt duæ difficultates: Prior est, quomodo sumatur hoc in loco verus titulus, an scilicet prout distinguitur à falso, an prout discriminatur à præsumpto. Posterior difficultas est, quænam sit hæc plenior, & exactior probatio aduersus potentiores requisita.

Circa priorem difficultatem fortassè sentiat nonnullus, verum titulum hoc loco sumi, vt contradistinctum à præsumpto: quia Concilium immodiatè ante implicitè distinxerat probationem veri tituli ex authẽtico documento, & alijs à iure requisitis; & probationem tituli præsumpti ex multiplicatis præsentationibus: ergo resumens titulum verum, eum intelligit, qui opponitur præsumpto. Sed hæc interpretatio non congruit menti Concilij. Primò quia Concilium in antecedentibus verbis non distinguit apertè, & patenter verum titulum à præsumpto, vsurpando eosdem terminos: ergo non potuit subijcere verum titulum, vt distinctum à præsumpto, à quibus terminis abstinuerat.

Secundò, si Concilium sumeret verum titulum, vt à præsumpto distinctum, sequeretur, quòd vellet exactiorem, & pleniorem probationem veri tituli distincti à præsumpto contrà potentes personas: exactiorem, inquam, quàm sit illa prius assignata pro ostensione veri tituli distincti à præsumpto, idest ex authentico documento, & alijs à iure requisitis: at hoc est absurdum: tum quia nulla omnino probatio exstat exactior, & plenior, quam sit ea, quæ est ex authentico documento, alijsque à iure requisitis: in ista enim includitur omnis plenitudo, cum includantur authenticum documentum, & alia à iure requisita, & ideo superat omnes alias probationes, vt ait *Rota decis. 232. nu. 4. tom. 5. diuers.* Certè, præter ea, quæ sunt à iure requisita, quid aliud restat, quã id, quod non est à iure requisitum? id autem est ineptum, non solum ad pleniorem probationem, sed ad simplicẽ quoque probationem: tum quia intolerabilis esset, & indignè, quæ reci-

peretur lex ista Concilij, si potentes, ad ostendendum titulũ verum distinctum à præsumpto, obligarentur ad inducendum non solum authenticum documentum, & alia à iure requisita, sed etiam pleniorem, exactioremque probationem, quæcumque tandem hæc esset, & iure conquererentur potentes de huiusce legis Conciliaris rigore.

Tertiò, si verum distinguit Sancta Synodus à præsumpto, cur vsurpans proprium ipsum terminum, *verum*, non etiam subdit proprium ipsum terminum, *præsumptum*, cum duo isti termini sint correlatiui? Certum igitur esto, verum titulum hoc loco lumi, vt distinctum à falso, seu iniustè vsurpato, & valere, ac sufficientem, legitimum, iustum, seu non iniustè vsurpatum, quem inibi Concilium remouere, ac extinguere intendit.

54 Circa posteriorem difficultatẽ *Moneta de commut. vlt. volunt. cap.* 10. *nu.* 215. & post eũ *Barbosa dicto lib.* 3. *de iure Ecclesiastico cap.* 12. *n.* 107. aiunt, eam pleniorem probationem esse tũ arbitrariam iudici, tum etiam determinatam, & assignatam à Concilio. At reliqui DD. licet expressè de hoc puncto minimè loquantur; apertè tamen supponere videntur, hanc exactiorem, ac pleniorem probationem, non iudicis arbitrio relinqui, sed ab ipsomet Concilio explicari, referrique ad immemorabilem qualificatam, quã mox in potẽtibus requirit: ità expressè insignis Theologus *P. Gabriel Vazquez in opusc. de benef. cap.* 2. §. 1. *dub.* 2. *n.* 6. quod verò spectat ad verum titulum, prout distinguitur à præsumpto, nihil omnino à Concilio innouari in personis potentibus, vt etiam ipsimet aduersarij fatentur; sed tum in his, tum in priuatis ostendi debere authenticis documentis, idest scripturis, prout antea explicatum est.

Ita adest expressa Sacræ Congregationis declaratio reddita 19. *Februarij* 1633. in hac ipsa causa Seminarij, cuius quidem exemplar authenticũ, in authentica forma, solito sigillo, & subscriptione Eminentissimi Cardinalis Præfecti, ac Secretarij eiusdem Cõgregationis, munitum est, iuxtà decretum Sanctissimi Domini Nostri Papæ Vrbani VIII. de quo *Barbosa lib.* 1. *de iure ecclesiastico cap.* 4. *nu.* 83. Idemque exemplar fuit in Regno executoriatũ 8. *Maij* 1637. cui proindè fides omninò adhiberi debet, vti Sanctissimus Dominus noster prædicto decreto sanciuit, cuius verba referemus infrà *nu.* 118. quã quidem declarationem trãscribit *Ferentill. in annotat. ad dec. Buratt.* 911. *nu.* 12. *lib.* 3. ac etiam meminit *Barbos. in summa Bullar. v. Iuspat. fol.* 419. & 420. Et hanc eamdem declarationem optimè comprobarat idẽ *Ferentill. ad dec.* 832. *nu.* 10. præsertim *ex Rota* volente, hunc modum probãdi consistere in in exhibitione veri tituli; nec testibus credi, quãuis dicãt, se vidisse instrumentum dotationis, vel fundationis, *ex Peregr. decis.* 171. *lib.* 3. *alijsque*; alias Concilij intentio eluderetur.

Ineptè autem hinc nescioquis inferebat contrà doctrinam superiùs traditam, quoad personas priuatas, in illis quidem non requiri probationẽ veri tituli authenticis scripturis, sed testibus fieri posse; quia scilicet hæc Sacræ Congregationis declaratio solum de potentibus loquitur. Ineptè, inquam, quia sacra Congregatio non excludit, quod aliàs declarauerat, etiam in personis priuatis hanc probationem requiri, vt antea diximus; sed solùm hic respondit interrogationi factæ de potentibus personis, redditque veram doctrinam ad has pertinẽtem, aliam non excludendo: sicuti in Euangelio *Matthæi cap.* 1. dum dicitur, *Antequam conuenirent, &c. non sequitur*, inquit S. Hieronymus lib. 1. commẽt. in d. cap. 1. *vt postea conuenerint, sed scriptura quod factũ nõ sit, ostendit*. cũ præsertim quoad probationem per authentica documenta nulla prorsus

dif-

differentia sit inter priuatas personas, & potentes, vt dictum est; ac proinde quod in vnis declaratur, in alijs locum habet.

55 Secundum, quod statuit Concilium, est potius declaratio primi, determinat enim, ac declarat, quænam sit illa exactior, ac plenior probatio quam præmiserat, vt nimirum ad ostendendum verum, ac legitimum titulum iurisp. potentium personarum, immemorabilis temporis probatio non aliter eis suffragetur, quam si, præter reliqua ad eam necessaria, præsentationes etiam continuatæ, non minoris temporis spatio, quam 50. annorum, adsint, quæ omnes effectum sortitæ sint. sufficit quidem in personis non suspectis immemorabilis præscriptio nõ qualificata; sufficiebat etiã olim in suspectis (in quibus tamen necessaria erat, vt aiunt *Achil. de Graff. Verall Mantica, & Gabriel apud Barbos. de iure ecclesiastico lib. 3. cap. 12. n. 74. de iurepatr. & Rota diuers. tom. 5. dec. 197. n. 21. & 88.*) at post Cõcilium in his qualificata requiritur, vt scilicet adsint præsentationes quinquaginta annorum, & non quæcumque, sed continuatæ, sed quæ effectum sortitæ sint.

56 Tertium denique, quod statuit, est etiam declaratio primi: determinat enim, quòd harum præsentationum non solùm existentia, & continuatio, verum etiã effectuatio, vt ita loquar, non quomodocumque probentur, sed authenticis scripturis. Atque hæc est forma à Concilio stabilita, quòd scilicet huiusmodi probatio per scripturas fiat. Atque ita communi omnium cõsensu censuit sacra Cõgregatio, requiri scilicet per forma, vt probatio fiat per authenticas scripturas, & regulã esse constitutam, quod probatio per testes non sufficiat: *Rota diuers. par. 4. dec. 590. nu. 2. & decis. 197. n. 61. tom. 5. Gonzal. gloss. 18. n. 70. & 82. Barbos. d. lib. 3. cap. 12. nu. 122. Rota apud ipsũ allegat. 72. nu. 60. & alij apud Viuian. lib. 11. de iurep. cap. 15. n. 17. Castropalao par. 2. tract. 13 disp. 1. puncto 3. nu. 9. Zerola verb. iusp. §. 3. nu. 84. Nouari. concl. 95. n. 5. Vazquez opusc. de benefic. cap. 2. §. 1. dub. 2. nu. 6.* quicquid dixerit, quoad effectuationem, *Riccius resol. 105. in praxi nouiss.*

57 Hinc verò sequitur, ità necessariò requiri immemorialem hanc qualificatam, quoad suspectas personas ad probandum titulum iurispatronatus, vt ea pro forma requiratur, neque sufficiat æquipollens: *Coccinus decis. 25. in 2. & 3. & fuit latè comprobatum in Calaguritana iurispatr. de Viana 9. Maij 1616. vt refert Lotter. de re benef. lib. 1. quæst. 13. n. 125. & 127. Barbos. loco cit. nu. 122. & Rota diuers. tom. 5. dec. 197. n. 62.* vbi testatur, ità pluries fuisse resolutum per sacram Concilij Congregationem, refertque alias plures *Rotas*, quas vide infrà *n.* 142.

58 Atque hæc quidem forma, à Concilio tradita pro suspectis personis, omninò seruari debet, etiamsi cõcurrat maior, vel æqualis potentia in ordinario, vt edocuit *Nouari. Ricc. Lotter. Beltram. & pluries Rota apud Barbos. d. lib. 3. cap. 12. nu. 108.* & quamuis Ordinarius esset Cardinalis, *vt fuit resolutum in vna Sabin. n. 6. Nouembr. 1582. apud Ricc. in praxi nouiss. iurisp. resol.* 110.

59 Hic autem notandum est, quoad personas suspectas, non habere locũ eorum opinionem, qui censent, per illam clausulam Concilij, *Aliasuè secundũ iuris dispositionem*, præseruari modos omnes, quibus olim ante Concilium iuspatr. probari poterat: hi enim omnes fatentur, hosce modos, quoad personas priuatas tantùm, non item quoad personas suspectas, hodie admitti, vt decidit *Rota apud Coccinum dec. 25. n. 5. Macerat. var. resol. 109. n. 30 post Rotam in nouiss. dec. 331. num. 1. par. 2. Ricc. in praxi nouiss. iurispatr. resol. 82. Et à Menoch. consil. 242.* contrarium innuente, cauendum monet *Lotter. Moneta, & Beltramin. infrà citan-*

tandi num. 117. Pro dictis in hoc §. vide infrà *à num.* 93. *vsque ad* 97.

§. V.

Reliqui patronatus omnes, &c.

S V M M A E.

60 R*Efertur dispositio Tridentini, abrogantis reliquos omnes patronatus cum quasi possessione.*

61 Concilium *primò abrogat omnes prorsus patronatus non probatos secundùm formam ab ipso traditam: & reijcitur* Grilenzon. consil. 41.

62 *Secundò abrogat omnes facultates, & priuilegia patronatuum, & aliorum quorumcumque iurium, nominandi; & c.*

63 *Tertiò abrogat omnem possessionem iurisp. & præsentandi.*

64 *Refutatur* Costa *volens, Concilium abrogare solùm possessionem iurisp. non autem iurispræsentandi.*

65 *Iuspatr. & iuspræsentandi non differũt.*

66 *Post Concilium non datur alia forma probandi iusp. in iudicio possessorio, quã in petitorio: sed vtrobique eadem requiritur.*

67 *In materia iurisp. datur iudicium petitorium simplex, & possessorium simplex, & mixtum, & quenã illa sint.*

68 *Post Concilium non datur manutentio iurispat. ex sola quasi possessione præsentandi, si agatur de existentia iurispatronatus.*

69 *Nisi semel fuerit cognitum, & probatũ iuspatr. iuxtà formam Concilij.*

70 *Post Cõcilium non est considerabilis vltimus status in fauorem patronorũ.*

60 POst traditam formam probandi iuspatronatus, tũ quoad personas priuatas, tum quoad potentes, ac de vsurpatione suspectas, quam hucusque latè explicuimus, ita statuit Concilium.

Reliqui patronatus omnes in beneficijs, tam secularibus, quam regularibus, parochialibus, vel dignitatibus, aut quibuscumque alijs beneficijs in Cathedrali, vel Collegiata ecclesijs, seù facultates, & priuilegia concessa, tam in vim patronatus, quam alio quocumque iure, nominandi, eligendi, præsentandi ad eadem cum vacant (exceptis patronatibus super Cathedralibus ecclesijs competentibus, & exceptis alijs, quæ ad Imperatorem, & Reges, seù Regna possidentes, aliosque sublimes, ac supremos Principes iura Imperij in dominijs suis habentes, pertinent, & quæ in fauorem Studiorum generalium concessa sunt) in totum prorsus abrogata, & irrita, cum quasi possessione, & indè sequuta, intelligantur, beneficiaque huiusmodi tamquam libera à suis collatoribus conferantur, ac prouisiones huiusmodi plenum effectum consequantur.

61 Tria ergo abrogat omninò Concilium. Primùm quidem reliquos omnes patronatus, qui secundùm formã à se traditam probati non sint ex fundatione, vel dotatione. *Reliquos*, inquã, *omnes*, idest omnes alios, præter probatos iuxtà formam prædictam: id enim significat dictio illa, *Reliqui* idest cæteri: quid namque est cæteri homines, inquit *S. Augustinus serm. 36. de verbis Domini, circa medium*, de Pharisæo loquens, nisi omnes præter ipsum? Concilij enim locutio est vniuersalis, vt omnes fatentur. *Vide Rotam tom.* 5. *diuers. dec.* 197. *n.* 49.

Vnde displicet omnino interpretatio *D. Grilenzonij cons.* 41. *num.* 14. volentis, nulli iuris, aut Doctoris auctoritati innixus, solùm intelligi de patronatibus in beneficijs Cathedralium, & Collegiatarum, non verò in alijs, contrà communem sensum DD. vt præ cæteris benè explicuit *Menoch. cons.* 512. *n.* 27. *lib.* 6. Et verè ea interpretatio vim infert verbis: Concilium enim vtitur adiectiuo, *Reliqui*, quod repetit suaptè natura qualitates eorũ, quæ præcesserant: antea verò Concilium vniuersaliter de omnibus patronati-

naribus loquutum fuerat, statueratq; formam eorum probandorum: deindè abrogat reliquos: idest omnes alios, præter ipsos.euertit etiam Cōcilij intentionem, volentis, solùm eos patronatus vim obtinere, qui iuxtà formā ab eo traditam probarentur; ac per consequens cæteros omnes abrogantis; alioqui, si cæteri persisterent, suo fine, in Proœmio exposito, Concilium frustraretur, & beneficia seruituti impudenter subijcerentur. Omitto elegantiam, qua Tridentinum passim vtitur, omnino explodere hanc interpretationem: ineleganter enim, atque etiam diminutè, diceretur abrogare patronatus in beneficijs in Cathedrali, vel Collegiata ecclesijs: dicere enim debuerat, *Cathedralium ecclesiarum*; vel saltem addere, *existentibus in Cathedrali*.

Sensus igitur est, abrogari à Concilio reliquos omnes patronatus in beneficijs, tam secularibus, quam regularibus, parrochialibus, vel dignitatibus, aut quibuscumque alijs beneficijs. quoniam verò dubium esse poterat, an nomine beneficij comprehenderetur Cathedralis ecclesia, aut Collegiata; ideò statim addidit, *in Cathedrali, vel Collegiata ecclesijs*. Quāuis autem postmodum excipiat patronatus super Cathedralibus ecclesijs competentes: id tamen intelligitur de patronatibus ex priuilegio competentibus; estque exceptio secundæ partis abrogationis, (de qua statim) quæ immediatè ante hanc exceptionē præcesserat; exceptio enim respicit proximiorem regulam, non remotam. Si ergo patronatus super Cathedrali non sit ex priuilegio, omninò per hāc primam derogationis partem abrogatur.

Abrogātur verò hic omnes alij patronatus, siuè competant ex præscriptione, siuè ex consuetudine, siuè ex vsurpatione, siuè alio quocumque modo, vt benè notat *Gonzalez gloss.* 18.*n.*18.*& seq.* qui ideò post *Rotam*, & alios docet, huiusmodi patronatus omnes in reseruationibus comprehēdi.

62 Secundò abrogat Conciliū omnes facultates, & priuilegia concessa, tam in vim patronatus, quam alio quocūque iure, nominandi, eligendi, præsētandi ad beneficia prædicta, cum vacant: quamuis huiusmodi priuilegia amplissimas clausulas continerent; & quod talis patronatus sit, ac si esset ex fundatione, & dotatione, & sit eiusdem naturæ; & licet essent clausulæ derogantes, vt hæc, aliaque tradit latè *Gars. par.* 5. *cap.* 9. *à n.* 115. *Viuiā. lib.* 11. *cap.* 5. *à num.* 103. *alijque.*

Excipit Concilium ab hac secunda parte derogationis patronatus competentes ex priuilegio super Cathedralibus, & etiam pertinentes ex priuilegio ad Imperatorem, Reges, aliosque Principes, iura Imperij habentes, ac priuilegia in fauorem studiorum generalium concessa. De quibus vide Doctores citatos.

63 Tertiò in totum abrogat Cōcilium quasi possessionem præsentandi, & alia omnia, quæ huiusmodi patronatus, non probatos iuxtà formam Concilij, sequuta fuerint, statuitque, talia beneficia tamquam libera à suis collatoribus conferri, ac prouisiones huiusmodi consequi plenum effectum. Et quidem Concilium omnem prorsus possessionem iurispatr. & præsentandi abrogare, docet passim *Rota Romana*, vt videre est *apud Seraph. dec.* 1395. *n.* 4. *&* 5. *& tom.* 5. *diuers. dec.* 197. *num.* 42. *Gonzal. gloss.* 18. *n.* 23. *Barbos. lib.* 3. *de iure Ecclesiastico cap.* 12. *num.* 110. nisi sit immemorabilis, vt iam explicatum est.

64 Illud autem hic diligenter notandū est, has omnes *Rotas, Doctoresque* expressis verbis loqui, non solum de quasi possessione iurispatr. sed etiam de quasi possessione præsentandi, docereque, hanc quoque penitus tolli per Concilium: ac proindè nullatenus esse admittendam opinionem, omninò

nò singularem *Costa de remed. subsidiar. centuria prima dist. 90. nu. 39. & seq.* qui nulli iuri, nulli rationi, nullius Doctoris auctoritati innixus, quin imò contrà expressa Concilij verba, generaliter, & absque distinctione loquentis, & contrà vnanimem omniũ DD. sententiam, vult, Concilium abrogasse quidem possessionẽ iurispatr. non verò possessionem iuris præsentãdi, seù possessionem præsentandi: omnem enim possessionem sustulit Tridentinum, ad patronatus inibi abrogatos quomodolibet pertinentem.

65 Et certè, si attentè hæc res perpendatur, dicendum videtur, idem esse possessionem iurispatr. & iuris præsentandi, seù nominandi, coarctati ad speciem iurispatr. licet enim ius præsentandi sit quoddam genus, & haberi possit aliundè, quam ex patronatu; tamen, cum coarctatur ad ipsum patronatum, idem est iuspatronatus, ac ius præsentandi: ab omnibus enim iuspatronatus definitur, esse ius præsentandi, seù nominandi, &c. & quidem vtrũque ius se habet veluti actus primus, seù sunt in actu primo; præsentatio verò ipsa, seù nominatio est veluti actus secundus, per quem definitur actus primus, vt accidit in pluribus rebus, tum physicis, tum moralibus.

66 Atque hinc inferũt omnes: primò, hodie post Concilium in iurepatr. nõ dari iudicium possessorium; vel saltem non dari aliam formam probandi iuspatronatus in iudicio possessorio, quã in petitorio; sed vnam, eamdemque omninò seruari debere tum in petitorio, tũ in possessorio. *Ita passim Rota, & communiter Doctores, quos sequitur Postius de manutenendo obseruat. 32. in fin. Caualer. dec. 609. n. 5. Coccinus dec. 247. nu. 1.* ex sententia sacræ Congregationis, & *dec. 287. nu. 3. & dec. 461. num. 1.* vbi citat declarationem Sacræ Congregationis, quam etiam sequitur *decis. 464. nu. 2. Garc. par. 5. cap. 5. n. 137.* qui *nu.* 138. refert sacram Cõgregationem in hæc verba: *Hoc decretum Cõcilij habet locum, & in petitorio, & in possessorio; vndè admittenda non est præsentatio, aut præsentati institutio facienda, nisi pri ùs verificato iurepatr. ex decreto Concilij*: ibique alias etiam refert eiusdem Cõgregationis declarationes de hac ipsa re: *Theodosius Rubeus ad dec. 35. Bubali num. 5. fol. 254.* vbi, quòd alioqui dispositio Concilij redderetur inanis, & frustratoria, citatque declarationem, & alias Rotas: *Viuian. lib. 11. cap. 5. n. 2. Rota apud ipsum dec. 4. nu. 3. & apud Campanil. in diuers. iur. canon. rubric. 11. cap. 13. nu.* 427. vbi refert, ità declaratum per Sacram Congregationem: *Farinac. dec. 235. n. 1. in recent. tom. 3. & Rota tom. 5. diuers. dec. 197. à n. 41.* & vtrobique agitur de patrono existente in quasi possessione præsentandi; & tamen ad præsentandum non fuit admissus: *Ricc. in praxi resol. 132. nu. 3. & par. 4. dec. 10. n. 1. & 2.* vbi refert declarationem prædictam: *Lotter. lib. 2. q. 13. nu. 139. Gonzal. gloss. 18. nu. 23.* quam quidem declarationem reuerenter passim *Rota* sequitur, vt ait eadem *Rota d. tom. 5. diuers. dec. 197. n. 41.* vbi alias innumeras refert, redditque rationem *n. 44. & seq.* quã clarissimam vocat; quia scilicet ex præsentatione sine titulo facta, patronus censetur in mala fide vera, ideòque nullum ius acquirit in possessione *ex Alex. cons. 75. num. 47. volum. 4.* Vndè Concilium, reprobans quorumdam opinione: *tollit*, inquit Rota prædicta, *præsumptionem bonæ fidei ex longi temporis possessione, & vult quòd iuspatronatus probetur, aliàs illud irritat cum quasi possessione præsentandi. Hinc meritò sacra Congregatio resoluit, tam in petitorio, quam in possessorio, requiri probationem Concilij. Et quidem eadem sacra Congregatio expressè declarauit, Concilium requirere in personis potentibus immemorabilem cum præsentationibus continuatis per spatium 50. annorum, tum in petitorio, tum in possessorio,* vt refert etiam *Rota apud Buratt. dec. 139. n. 5.* quæ monet, eamdem Ro-

tam

tam in pluribus causis præfatam declarationem fuisse sequutã. *Vide dec.* 197.*nu.* 41. *& seq. tom.* 5.*diuers.Gonzal gloss.*18.*n.* 23.

67 Quodnam verò sit in hac re iudiciũ petitorium, quodnam possessorium, variè inuenies à Doctoribus explicatum: de quo *vide Gonzal. gloss.* 43. *nu.* 27.*&* 28. *Ricc. in praxi nouiss. resolut.* 128.*Viuian.lib.*1.*cap.*3.*n.*31.*& lib.*5. *cap.*2.*nu.*1.*Campanil.rubr.*11.*cap.* 13. *n.*367.*Mascard concl.*959. *num.* 8. *& seq. aliosque apud ipsos.*

Mihi videtur hæc res facilè explicari posse, si dicamus, in materia iurispatr. dari iudicium simplex petitoriũ, & simplex possessorium, & iudicium mixtum ex petitorio, & possessorio. Simplex petitorium est, cum quis petit declarari, se esse patronum: simplex possessorium est, cum quis petit declarari, se esse in possessione præsentandi, & in ea manuteneri: mixtũ est, cum quis petit, se declarari possessorem iurispatr. seù iuris præsentãdi: cum enim hæc petitio contineat possessionem, dicetur possessorium: cũ verò contineat ius ipsum patronatus, seù præsentandi, ius autem inuoluat titulum, in quo fundatur, seu ex quo proximè, & immediatè ipsum ius oriturierit etiam tale iudicium petitoriũ: qui enim ius alicuius rei possidet, intelligitur habere titulum illius rei, & esse dominum illius: id quod proculdubio respicit iudicium petitorium. Concilium ergo in materia iurispatr. statuit, requiri eamdem formam probationis iurispatr. tũ in petitorio simplici, tum in possessorio simplici, tum in mixto; seù, si veriùs, ac meliùs loqui velimus, tollit omninò iudicium possessorium.

68 Inferunt secundò, hodie post Concilium non posse dari manutentionẽ patrono ex sola quasi possessione præsentandi. Ita docuit *Rota apud Burat. dec.* 139.*n.*5 *referẽs Seraph.dec.*1395. aliasque priùs relatas *à Gonzal. gloss.* 18.*n.*23. qui addit, in *Rota* fuisse resolutum, hodie cessare manutentionẽ, & alia quæcumque remedia possessoria, quamdiù prætensus possessor iurisp. de titulo non docet: eumque citat, ac sequitur *Rota tom.*5.*diuers. dec.* 197.*n.*2.*Ricc.decis.*10.*nu.*1.*&* 2.*referens Rotam, Posthius de manutenẽdo obseruat.* 32. *num.* 26.*& seq.* vbi docet, quòd licet, quando agitur inter patronos de pertinentia patronatus, manutentio locum habeat ex quasi possessione præsentandi; tamen quando controuertitur iuspatr. seù illius existentia, & agitur de libertate ecclesiæ, ac de libera collatione, eo casu post Cõcilium sola quasi possessio præsentandi pro manutentione minimè suffragatur, sed eædem probationes in possorio, quæ in petitorio requiruntur: ac præter *Rotas, & DD.* citat sacræ Cõgregationis declarationem. *Vide etiam Rotam apud Marchesan. de commiss par.*1.*num.* 2.*fol.* 1054. vbi refert pluriès decisum, post Concilium solã quasi possessionem præsentandi pro manutentione non iuuare; & iterum *Rotam apud Farinac.dec.*235.*nu.* 1.*in recent.tom.*3.

69 Verum quidem est, quòd si semel post Concilium fuit plenè cognitum, & probatum iuspatr. iuxtà Concilij formam, de qua probatione constet ex actis, & non ex sola Ordinarij assertione, cui non statur: *Rota dec.*421.*nu.*[illegible] *p.*2.*Recen.& in Ferrarien. Archipresb. coram Coccino apud Ferentill. ad decis.* 831.*Buratt.n.*9. si postea beneficium vacet, non tenetur patronus ampliùs de titulo docere, sed ei illa quasi possessio sufficiet, vt admonet *Gonzal. gloss.*18.*num.*26.*Viuian lib.*1.*cap.* 6. *n.*26.*Ricc.in praxi nouiss.iurisp.resolut.* 214.*nu.*3.*pluriès Rota, vt videre est to.* 5.*diuers.dec.*197.*nu.*43.*Garc.part.*5. *cap.*5.*n.*137. qui ait *cap. consultationibus, de iurepatr.* nõ procedere indistinctè ex decreto Concilij, ideòque non esse admittendam præsentationẽ existentis in quasi possessione præsentandi, nisi verificato priùs iurepatr. aut nisi

nisi fuerit in quasi possessione præsentandi post Concilium, adhibita causæ cognitione super iurepatr. Et hoc firmari asserit ex sacra Cõgregatione,& pluribus decisionibus,quas refert. Sed verè *cap.consultationibus* loquitur expressè, cum de pertinentia iurispatr. non verò cum de illius existentia controuertitur. *Vide infrà n.* 151.

70 Tertiò inferunt, post Concilium nõ esse considerabilem vltimum statum in fauorem patronorum, cum illis nihil omninò pro manutentione prosit, nisi de legitimo iurispatr. titulo ex fũdatione, vel dotatione doceatur: Rota *tom.5.diuers.decis.*83.*num.* 8. *& 9. & apud Farinac.in recent.dec.*235.*nu.* 1. *tom.* 3. *Viuian. lib.* 11.*cap.*6.*num.*25. *Ricc.dec.*274.*nu.* 13.*par.* 4. *Macerat. lib.*1.*resol.*80.*n.*17. *vterque citans Caualcan.dec.*11.*num.*96. *& Gabriel. cõs.* 185.*nu* 23.*vol.*2.*iterum Ricc.in praxi nouiss.resol.*214 *n* 3.*in medio, & decis.* 10.*n.*1.*&* 2.*par.*4.*vide infrà à n.* 97. *vsque ad* 100.*& n.*208.

§. VI.

Paraphrasis primæ sectionis.

SVMMAE.

71 *DEcretum Concilij est constitutiuum nouæ formæ probandi iusp non solùm in futuris, sed etiam in præteritis.*

72 *Est seruandum sub mortali, & contrauenìens tenetur acta rescindere.* verbum decernit, *est præceptiuum.*

Episcopus peccat instituens præsentatũ, absque tituli probatione.

73 *Titulus iurisp.oritur debet ex duabus primis causis, idest, ex fundatione, quæ includit dationem areolæ & constructionem ecclesiæ, & secundùm aliquos dotationem.* & n.seq.

Fundator ecclesiæ est constructor illius: & id significat in iure verbum Fundare.

74 *In iure antiquo, & nouo duplex causa iurisp.idest fundatio includens constructionem, & dotatio.*

75 *Dotatio debet esse sufficiens, suprà quam augmentum dotis non causat patronatum.*

76 *Ostendere est clarè, ac efficacissimè demonstrare.*

Primus modus *probandi iusp.ex authẽtico documento.*

77 *Quid, & quale esse illud debeat.* & nu. 78.

Solam scripturam illud significat.

78 *Quæ requirantur, vt iusp.acquiratur.*

79 *Secundus modus probandi iusp. ex multiplicatis præsentationibus, &c.*

80 *Quænam illæ sint, & quales esse debeãt in re nostra,* & nn. seqq.

81 *Dictio* Per, *significat temporis cõtinuationem: item nomen cursus, eamque exigit immemorabilis præscriptio.*

82 *Hæ præsentationes esse debent effectuatæ.*

83 *Item intrà tempus antiquissimum successiuè.*

84 *Et vsque ad tempus litis motæ.*

In præscriptione spectantur vltima tẽpora continuata.

Admonitio Bart. *pro probanda præscriptione: in qua testes deponere debent de proximis annis.*

85 *Quodnam sit tempus immemorabile: & quomodo computandi in eo anni. centenariam non tollit modici temporis defectus.*

86 *Immemorabilis non prodest, cum appareт de titulo inualido.*

87 *Præsentationes, quomodo probandæ, an sint idonei testes vassalli Baronis prætendentis iusp.*

88 *Tertius modus probandi iusp. nõ datur,* & n.89.90.91.

89 Tridentinum *requirit probationes ostẽsiuas.*

90 *Primum decretum de modo probandi iusp fuit istud* Trid.

In iure antiquo non inuenitur statuta forma probandi iusp.

91 *Verba Trid.* aliasuè secundùm iuris dispositionem, *quomodo construenda.*

92 *Forma probandi iusp. in personis potentibus.*

Præsumptio vsurpationis in potentibus vn-

vnde orta.

93 *Omnes potentes comprehendit, & in singulos cadit.*

Dictio, plerumque, *fuit motiuum legis, & stat demonstratiuè.*

Quamuis ista præsumptio de facto cessaret, non tamen cessaret de iure: estq; iuris, & de iure: eamq; non tollit pietas personæ neque æqualitas potentiæ in ordinario: neque possessio alterius patronatus.

94 *In potentibus* Tridēt. *nihil immutauit quoad primum modum: sed sic quoad secundum.*

95 *Nam in eo requirit pleniorem, & exactiorem probationem.*

96 *In quonam hæc consistat, explicat* Trid.

In potentibus præsentationum existentiã, continuatio, & effectuatio, probari debent authenticis scripturis.

97 Trid. *abrogat primò reliquos omnes patronatus non probatos iuxta formam ab eo statutam. secundò omnia priuilegia patronatuū. tertiò omnem possessionem iurisp. & iuris præsentãdi.*

98 *Eadem probatio requiritur in possessorio, ac petitorio post* Tridēt. *per quod sublatum est possessorium.*

99 *Manutentio non datur patrono ex sola quasi possessione præsentandi.*

100 *Vltimus status post* Trid. *non attenditur in fauorem patronorum.*

71 D*Ecernit*) Decretum *Concilij Tridēt sess. 25. c. 9. de reform.* est constitutiuum nouæ formæ essentialis in iurisp. probatione futura, & facienda; quæ quidem probatio est veluti materia proxima Decreti, cuius materia remota est patronatus præteritus, & constitutus etiam ante Concilium; vt in simili docuit *Suarez de legib. lib. 3 cap. 14. num. 12.* legem, quæ prohibet vsum talis libri, cadere supra vsum futurum; qui tem præteritam includit. Inobseruantia verò huius decreti, etiam ignoranter contingens, omninò irritat probationem, sicuti inobseruantia formæ, ab eodem Concilio constitutæ in matrimonio contrahendo, irritat illud, etiã si ignoranter fuerit absque ea forma cõtractum: generaliter enim Pius IV. omnia irritat ipso iure, quæ fiunt contra Concilij decreta, vt patet ex ipsius Bulla, quæ habetur in calce Concilij, *de qua n. 14.* & post plures monuit *Gõzal. gloss. 13. n. 37. & Barbos. de iur. eccl. lib. 1. cap. 39. §. 4. nu 91.* Ad cuius quidem probationis valorem omninò requiritur citatio Procuratoris Fiscalis; alioquin actus, sententia, aliaque omnia nulla erunt, vt per *DD. cit. num. 5.*

72 Quod si scienter Episcopus, aut alius quilibet iudex illam formã omiserit, peccat mortaliter, vt inobediēs legi Tridentinæ, absque dubio grauiter obliganti in materia satis graui, idest de libertate, vel seruitute ecclesiarum, vt, præter Antiquiores, non pauci recentiores insignes Theologi à me consulti sentiunt. Cum præsertim Cõcilium vtatur verbo *Decernit*, quod præceptum inducit, ac necessitatem *ex Felin. in cap. nam concupiscentiam n. 8. lim. 4. de constit. ibique Anton. in fine. Imol. n. 9. Dec. nu. 25. aliijque Gratian. dist. 4. in fine. Archid. cap. 1. nu. 2. dist. 76. vbi Turrecr. in fine.* Et confirmant, quæ tradidit *Castropalao tom. 1. tract. 3. disp. 1. pun. 9. à nu. 3.* quod certissimũ esse debet, cum materia cõstitutionis Concilij generalis est grauis, vt accidit in casu nostro, in quo res est grauissima, & Reip. ecclesiasticæ admodum præiudicialis. vide *Barbos. dict. 79.* Hinc rectè monuit *Genuens. in Manuali pastor. cap. 39. n. 3.* grauiter Episcopum peccare, si instituat præsentatos à patronis, absque tituli probatione iuxta *Trid. d. cap. 9.* cum tractetur, vt ipse ait, de re graui, idest de redigendo beneficium liberum in seruitutem, iuxta *Caiet. in summa verb. Episcoporum peccata.* Addit idem *Genuens.* posse ab Episcopo patronum compelli ad titulum ostendendum, non obstante quasi possessione, & institutione; *ex Fidel. conf. 231.* sequitur *Gen. ... cap. 5. cap. 19. n. ...* Tenebitur autem

iudex contrauenicns acta rescindere, ac punirj debebit *l. 1. §. sed et si ff. ad l. Corn. de fals.* ibi: *Si Iudex constitutiones Principum neglexerit, punitur, &c.* Episcopus igitur, sicuti, & cæteri iudices hac in re esse debent plurimum circũspecti, atque accuratè perpendere iurispatr. seu tituli probationem, ac factam præuijs edicto, & Fisci citatione. *Vide etiam Zerulam par. prima verb. iusp. quæst. 3.*

73 *Titulus sit.*) Is enim esse, seu oriri omninò debet ex duab⁹ veluti primis causis, disiunctiuè tamen, nimirum.

Ex fundatione) idest, non solùm datione fundi, seu areolæ, quam ædificium ecclesiæ occupat, & implet; sed simul cum constructione, seù ædificatione ecclesiæ, patroni expensis facta, vt passim in iure sumitur verbum, *fundare, vt cap. 3. & cap. nobis, & vtrobiq; Glossa de iurep cap. Pia mentis, & cap. seq. & pluribus alijs 16. q. 7.* Vndè in iure fundator ecclesiæ est constructor illius, *cap. Frigentius, ca. contrà cap. decernimus, cap rationis 16. quæst. septima, cap. tertio, de iurep. vbi Gloss. verb. fundatores*.

74 Hinc etiam est, quòd *in ca. filijs 16. q. 7.* hæc solùm duplex causa iurispatr. numeratur, scilicet, cõstructio, vel dotatio. Et in iure nouo *Trident. sess. 14. cap. 12. de reformat.* habetur, nominẽ posse esse patronum, *nisi ecclesiam fũdauerit, & construxerit, vel dotauerit*: vbi fundatio, & constructio cõiunctim ponuntur, tamquam constituentes vnam causam; & deindè disiunctim ponitur dotatio, constituẽs aliam causam: quæ duæ causæ postea idem Cõcilium in nostro textu explicauit per duplicem vocem, *fundationis, & dotationis*, reticens constructionem, tamquam inclusam in fundatione. Vndè vanum est dicere, solam dationem areolæ esse satis ad causandũ iuspatr. cum ex vocabuli proprietate, *Fũdare*, includat & areolæ dationem, & constructionem; & nimis est absonum rationi, vt ob rem parui pretij ecclesia iurispatr. seruituti subijciatur. Et ità in terminis Tridentini præsentit *Moneta de commut. vlt. volunt. cap. 10. à num. 205.* omninò in hoc puncto legẽdus, quippe qui rem latè, & accuratè exagitat: qui *nu. 209.* rectè post alios monet, fundantem, & simul construentem nõ priùs acquirere iuspatr. quã ipse, vel alius cum eius licẽtia de proprio dotet. Docet etiam quidam recentior, fundationem hìc includere etiam concessionem redituum exigẽdorum à clerico beneficiato: nam alioqui nullus erit clericus beneficiatus; ac proinde neque præsentatio clerici, neque ius præsentandi, neque patronatus.

75 *Vel ex dotatione*) idest sufficienti, ex *eod. Trident. sess. 14. ca. 12. de reformat. cap. nemo, de consecr. dist. 1. cap. ad audientiam, de eccl. ædif.* Augmentum dotis supra sufficientem non causat patronatum ex communi: sicut neque aliæ causæ distinctæ à præfatis duabus.

76 *Ostendatur.*) Item hìc titulus habens suum esse, seù suam existentiam ex fundatione, aut dotatione, ostendi debet, idest non simpliciter, & aliqualiter probari, sed dilucidè, clarè, firmiter, & efficacissimè, vt passim in iure sumitur verbum *ostendere*, iura post *Alberic. Brisson.* & alios citat *Moneta de commut. vlt. volunt. cap. 10. nu. 213.* de Concilio loquens, vide *num. 89. & 95.* Ostendi, inquam, debet.

77 *Ex authentico documẽto*) idest scriptura, si non originali, faciente tamẽ plenam fidem; certè tali, quæ originali æquiualeat, cuiusmodi erit ea, quã *suprà n. 31.* explicuimus. Quod quidẽ Authenticum documentum, ad hoc vt tale dicatur, habeatque vim ostendendi titulum iurispatr. esse debet cõfectum in limine fundationis, & tempore dotationis, & exprimere fundationem, vel dotationem cum concessione iurisp. vt benè, & latè probat *Paris. de confid. q. 18. à n. 213. Moneta de comm. vlt. volunt. cap. 10. num. 210.*

Ex

Excludi verò omninò debet ab hoc primo modo ostendendi titulum, omnis prorsus alius, qui non fit per scripturas faciẽtes plenam fidem, per quas ostendatur titulus verus ad differentiam præsumpti: ac præcipuè excludendi sunt omninò testes, quos nullibi prorsus in iure comprehẽdit nomẽ documenti; cuius sanè significatio passim in vtroque iure vsitata est, vt solam scripturam significet, & nullatenus testes, vt prorsus absque vllo fundamento voluit *Garçia*, contrà iura expressa, cõtrà sacræ Congregationis declarationem, contrà rationem, ac deniquè contrà vnanimem Doctorum sententiam. vide *sup. à n.7.*

78 *Et alijs iure requisitis.*) Nec verò ad ostendẽdum hunc titulum sufficere censeas solum Authenticum documentum; nam, præter illud, adesse quoque debent alia iure requisita, quæ per particulam, *Et*, à Concilio copulantur Authentico documento, cõtinenti fundationem, vel dotationẽ; quæ duæ tamen solæ, etiam efficacissimè probatæ, Concilio non sufficiunt ad inferendum patronatum, & iure; cum sint quidem causæ iurip. veluti radicales; non tamen adæquatę; sed, vt tales sint, addendæ sunt aliæ qualitates à iure requisitæ: idest, vt fundator, vel dotator habeat animum acquirendi iuspatr. post omnes, quos citat *Ricc. in praxi diuiss. resol.* 101. Vt adfuerit consensus legitimus ordinarij: plures apud *eũdem Ricc.* post alios *resol.* 180. *nos supra num.* 33. *in fine*. Vt patronus non renunciauerit iuripatr. vt non amiserit per non vsum, vt *infrà num.* 207. vt non limitauerit ad tantũ tempus; quod fit transactum, aut ad tot hæredes, qui defuncti sint: multi apud *Ricc. resol.* 541. vt nullum reseruauerit censum, seruitutem, &c. vt infrà *num.* 187. & cætera huiusmodi.

79 *Siue etiam ex multiplicatis præsentationibus, &c.*) Neque verò solùm ex Authentico documento, alijsque iure requisitis, ostendi potest, ac debet huiusmodi titulus iurispatr. verũ etiam per alium, seù secundum modũ, primo infirmiorem, vt denotat particula, *Etiam*, à Tridentino vsurpata, & à nobis perpensa *suprà num.* 40. *vers. tertiò*, sufficientem tamen: quæ sanè probatio esse debet clara, & efficax, ob verbum, *ostendatur*, quod in hoc secundo modo subintelligitur repetitum.

80 Est verò hic secundus modus, per particulam, *Ex*, denotatus, quã perpendimus *suprà num.* 40. *vers. quarto*, ex præsentationibus, idest actibus patroni offerentis Episcopo clericum ab eo instituendum; & non vnica, sed multiplicatis, idest ad minùs duabus; coniunctis tamen immemorabili tempori, seù ad minus centum annorum, secũdùm varias opiniones, de quibus *suprà num.* 42. licet verè duæ solummodò præsentationes difficillimè, ac rarissimè centum annis, nedum immemorabili tempori coexistant. Multiplicitas hæc præsentationum constabit, si vnaquæque habeat suas indiuiduationes, & specialitates, idest patroni præsentantis, clerici præsentati, anni, mensis, diei, beneficij vacantis, & ex qua causa, &c. per quæ vna ab alijs distinguetur.

81 Debent etiam esse continuatæ, & absque interruptione: tum quia id significat dictio, *per*, qua vtitur Tridẽtinum; ibi: *per antiquissimum, &c. l. vrbana in fine ff. de verb. signif. ibique omnes, Bart. Abb.* & alij apud *Mascardum concl.* 1221. *num.* 2. Tum quia hic modus probandi nititur immemorabili præscriptioni, quæ possessionis continuationem omninò requirit *l.* 3. *ff. de vsucap. ibique not. l.* 2. *ibique etiam not. C. de præscript. long. temp.* alijsque apud *Mascard. concl.* 1219. *nu.* 58. & *d. concl.* 1221. *nu.* 22. Tum quia id etiã significat nomen *cursus*, à verbo *currere* deriuatum; quo passim in materia præscriptionis vtuntur iura, ac iurisconsulti, apud quos idem est dicere, præscriptio currit, ac præscriptio non interter-

terrumpitur. Tum quia ità declarauit sacra Congregatio, teste *Garsia par. 5. cap. 9. num. 141.* Tum quia alioqui decretum Concilij esset perplexum, cum incertum esset, quanta interruptio admitti posset.

82 Infrà verò pro personis potentibus, non continuatio ipsa; sed illius probatio per Authenticas scripturas requiritur: sicuti quoque exigitur probatio effectuationis: cum de cætero etiam hæ multiplicatæ, de quibus loquimur, effectuatæ esse omninò debeant, vt communiter volunt Doctores, quorũ aliquos retulit, ac sequutus est *Barbos. in collect. Trident. sess. 25. cap. 9. de refor.* idest, quod subsequuta sit Præsentatorum acceptatio, Ordinariorum institutio, atque etiã possessio, vt *infrà num.* 147. tum quia hic modus probandi innititur immemorabili possessioni præsentandi, quæ in sui probatione omninò requirit probationem institutionis subsequutæ. vt post *Lambert.* & alios voluit *Mascard. concl.* 1222. *nu.* 1. tum quia alioqui satis essent Concilio præsentationes iniustæ, & illegitimæ, quod absurdissimum est.

83 *Per antiquissimum tẽporis cursum*) idest huiusmodi præsentationes esse debent successiuè intra hoc totum tẽpus: Quamobrem non est necessariũ, vt omnes, vel pleræq; sint, vel fuerint ante hoc antiquissimum tempus; sed satis est vna facta initio hujus temporis, & cæteræ consequenter, vsque ad tempus litis motæ. Ità post alios *Ricc. resol.* 78. *Genuens. cap.* 63. alijque: non enim Concilium dixit, ante tempus, sed per tempus antiquissimum: præterquamquod illa alia probatio impossibilis est.

84 Dixi, & iure, *vsque ad tempus litis motæ; quia in præscriptione*, inquit *Gloss. in cap. ecclesia Sutrina, verb. vltimò, de caus. poss. & propr. vltima tempora spectanda sunt. C. nè de statu defũ. l. si mater, C. de apoch. publ. l. quicumque libi. arg. 35. dist. ab exordio, & 18. dist. quia sunt.* Id quod etiam elicit ex *eod. cap. ecclesia: ibi, qui ecclesia Sutrina vltimò, & immediatè: benè*, inquit Glossa, *dicit vltimò, quia licet quandoque fuissent in eligendi possessione, hoc non prodesset.* & infrà. *Item benè sequitur, & immediatè, quia si non continuassent tempora, non præscripsissent, ff. de diuers. & tempor. præscript. l. in vsucapione §. 1. & de vltimo tẽpore cautè dixit, quia in præscriptione vltima tempora spectãda, &c.*

Vndè optimè *Bart. in l. Celsus. num. 26. & tribus seq. ff. de vsucap.* quẽ cõmuniter DD. sequuntur, Aduocatos admonens: *vt articulet*, inquit, *benè concludat, dicat sic, quòd talis possedit à decem annis citrà, & per ipsum tempus: vel sic, possedit per tempus decem annorum proximè præteritorum: hæc enim dictio, per, perfectionem totius temporis significat l. vrbana §. permĩctare, infrà de verb. signif.* & infrà. *formet articulũ, quòd possedit per decem annos proximè elapsos, finitos in tali mense, vel die, ità quod includat tempus elapsum ante litẽ motam.* & denique: *alias*, inquit, *si testis dicat, vidi eum posidere per decem annos, non constaret, qui illi essent: potuit enim esse, quod testes senserunt de decem annis, qui ante fuerunt per plures annos, non de proximis, & c.* Bartolum imitat, & sequitur *Mascard. concl.* 1211. *num.* 15. & alij passim, supponentes omnes, debere testes in præscriptionis probatione deponere de proximis annis ante litem motam, nõ de remotis. Quocirca non immeritò ipsi *suprà nu.* 46. post Doctores ibibi laudatos, possessionem præsentis temporis requisiuimus.

85 *Qui hominum memoriam excedat*) Hic antiquissimi temporis cursus hominum memoriam excedere debet: tale est, vel infinitum, vel centum annos excedens; vel demum centum annorum, secundùm varias opiniones, de quibus *Menoch. de arbitr. lib.* 2. *casu* 3. *num.* 70. & nos *suprà num.* 42. Incipiunt verò hi centum annũ

die

die motæ litis, regressione facta vsque ad centesimum annum, vt patet ex modo dictis, refertque declaratum à sacra Congregatione *Garsia p. 5. cap. 9. nu.* 145. nec centenariam tollit mo, dici temporis defectus, *Lotterius lib. 2. q. 7. num. 63. Barbosa in Trident. sess. 25. cap. 9. de refor. n.* 12.

86 Ostenditur autem per hanc immemorabilem titulus iurispatr. ex fundatione, & dotatione, si nullus appareat: nam, si aliquis appareret, idemque inualidus, ac vitiosus, vel si de irrationabili aliquatenus oleret, tunc sanè immemorabilis nihil prodesset, vt *ex sacra Cõgregatione, Rota, Paris. & alijs* censuit *Gonzal. gloss.* 18. *num.* 48. *Ricc. resol.* 74.

87 Hæ præsentationes probari possunt Authenticis scripturis, ipsas continẽtibus secundùm communem, vt plures apud *Ricc. in praxi nouiss. resol.* 68. Item per testes, qui sint ætatis 54. annorum, ac de visu per annos 40. continuos deponant, & quoad reliquum tempus antecedens, saltem vsque ad annos centum, deponant, se audiuisse, quòd semper talis familia præsentauerit, nec contrarium fuisse factum, aut obseruatum: & omnes, & singuli de his deponant: vt hęc, aliaque latiùs explicuimus *suprà num.* 35. Non desũt autem, qui doceant, non esse idoneos testes Vassallos pro iurepatr. sui Baronis: *Ricc. resol.* 26. *Garsia, Gonzalez, Rota*, quos citat, ac sequitur *Castropalao tom. 2. tract. 13. disput. 2. punct. 3. num* 7.

88 *Aliasuè secundùm iuris dispositionẽ*) Atque hos duos tantùm modos probandi titulum iurisp. ex fundatione, & dotatione, (puta ex Authentico documento, alijsque iure requisitis, atque ex immemorabilis temporis præsentationibus) ita sancinit Tridentinũ, vt alios omnes penitus damnauerit: quod enim aiunt nonnulli, per subsequentia verba, *Aliasuè secundum iuris dispositionem*, Concilium constituisse tertium modum ostendendi titulum prædictum, à præfatis duobus penitus separatum, ab eoque comprehendi omnes prorsus modos, iure antiquo dispositos.

89 Quod, inquam, hi aiunt, nullatenus admittendum videtur: tum quia Concilium nihil de nouo induceret; cum tamen vtatur verbo, *Decernit*, quod est noui iuris inductiuum, plures *apud Barbos. dict.* 79. & 384. Tum quia verè in iure antiquo nullus alius modus reperitur, præter explicatos à Tridentino; quos enim hi Auctores proferunt, non ex iure, sed ex suo capite depromunt: qui potiùs adminicula, quàm modi per se subsistentes censeri debent *ex Lotter. lib. 2. q.* 13. *à num.* 141. ac Tridentino minimè sufficiunt, requirenti ostensiuas probationes, per verbum, *Ostẽdatur*, satis significatas. Cum præsertim de probando patronatu principaliter, non incidenter agatur: quo casu plena, ac concludens probatio requiritur, nec sufficit semiplena, vt accidit in probatione dominij, cum quo patronatus fraternizat, vt dixi *num.* 49. vide *n.* 95.

90 Poterunt quidem hi modi significare, vel aliquod dotis augmentum, vel aliquam largitionem ornamentorum, vel tutelam Ecclesiæ, vel quid simile; sed non patronatum: vel etiã gratis dato: quod inferant iuspatr. illud erit veluti genericum, quod non sufficit Tridentino, requirenti specificum ex fundatione, vel dotatione; cũ illud genericum potuerit ex priuilegio competere, quod reuocat Concilium, vel etiam esse vsurpatum, vt diximus *suprà num.* 47.

Certè, si Cõcilium hos omnes modos, à Doctoribus adinuentos, approbasset, nihil omninò statuisset, quod ecclesijs conferret ad excludendam seruitutem, in quam impudenter sæpissimè antea redigebantur; nam etiã hodiè id facillimè eueniret, si ex enũciatiuis; ex fama; ex insignibus familiæ in ecclesia insculptis; ex denominatione cappellæ, quòd sit talis familiæ;

liæ; ex antiquissima inscriptione nominum alicuius familiæ; ex certo subsidio ecclesiæ præstito; ex aliquibus præsentationibus, nō explentibus immemorabile tempus, vel ei æquiualens, iuspatr. ostenderetur.

Proferant saltē hi DD. ius aliquod, in quo hi modi approbentur, itá vt satisfacere possimus Concilio, requirēti *Iuris*, & non *Doctorum* modos, & eis libenter assentiemur. Sed reuera neq; ipsi tale ius proferre poterunt; neque Concilium *Iuris* modos exigere potuit; quia reuera talia iura nō existūt: nullibi enim in toto iuris corpore reperies modos, aut modum iurisp. ostēdendi: hinc autem factum est, vt plures modi omninò inefficaces à plerisque DD. sint adinuenti, quibus beneficia ecclesiastica in seruitutem impudenter redigebantùr: quod non esse permittendum, Concilium censuit: ideòque edidit hoc decretum, quod primum fuit de modo probādi patronatus, neque aliud illi præiuit, quòd sequi posset Concilium in ijs verbis, *secundùm iuris dispositionem*.

91 Hanc rem latiùs explicuimus supra *à num.* 38. vbi eā verba ad immemorabilem retulimus, ita vt sensus sit, quod illa memoriam hominum excedat, idest tempus infinitum comprehendat: vel saltem sit centum annorum, secundùm iuris dispositionem: vel ad summum, secundùm alios, quos refert, ac sequitur *Barbos. in Collect. ad Trident. num.* 23. sit 40. annorum, sed cum titulo saltem colorato, iuxtà *cap.* 1. *de præscript. in* 6. licet hoc vltimum sacræ Congregationi, & alijs non placuerit: nisi fortè de quadragenaria, absque titulo loquantur. Vel denique ea verba referantur ad immemorabilis probationem, quæ secundùm iuris dispositionem fieri potest; & per instrumenta, scilicet, & per testes cum requisitis antea explicatis. Illud autē hic adnotare oportet, etiam in aduersariorum sententia, non sufficere famam per se solam, nisi illam longissima quasi possessio comitetur, & quidem *de præsenti*, de quo suprà *nu.* 46.

Duplicem modum ostendendi titulum iurispatr. hùcusque explicatum, quoad omnes prorsus personas Concilium decreuit. quoad verò de vsurpatione suspectas, subdit.

92 *In ijs verò personis, in quibus id ius plerumque ex vsurpatione potiùs quæsitum præsumi solet*) Hęc quidem vsurpationis præsumptio oritur ex situatione ecclesię in territorio talium personarum, & ex potentia illarum, ratione cuius argui possit reuerentia, seu concussio in eo, qui ecclesiæ libertatē tueri debuisset. Oritur autem non solùm ex iurisdictione in loco beneficij, sed etiam ex summa alicuius familiæ nobilitate; eamque auget sublimitas personæ, vt *suprà num.* 50. *& seq.*

93 Hæc verò præsumptio comprehendit omnes, caditque in singulos potētes, ob dictionem, *Plerumque*, à Concilio vsurpatam, quæ fuit motiuum legis condendæ, ac proindè stat non restrictiuè, seù taxatiuè, sed declaratiuè, demonstratiuè, indistinctè, & vniuersaliter. Vnde, quamuis *de facto* hæc præsumptio cessaret; tamen ex Tridentini dispositione, atque etiā de iure communi, de quo *Rota tom.* 5. *diuers. dec.* 197. *nu.* 19. & nos *d. nu.* 50. semper vsurpatio præsumitur: nec eā tollit pietas personæ; talis enim fuit Rex Aragoniæ, cuius tamen pietas illam non ademit, vt *suprà num.* 52.

Cum præsertim videatur *præsumptio iuris, & de iure*, cum super tali præsumptione Concilium firmum ius statuat, vt infrà *num.* 120. Neque in hac re habetur in consideratione maior, vel æqualis potentia in ordinario, etiā Cardinali, vt suprà *num.* 58. & infrà *num.* 122. vbi retulimus declarationē sacræ Congregationis ex *Rota* suprà, quæ sæpè reprobauit decisionem in causa Toletana, quæ contrarium statuerat. Cum præsertim in Italia ea decisio locum non habeat ex eadem Rota *infrà num.* 124. Demum neque tol-

tollit hanc præsumptionem possessio alterius patronatus: nam DD. id edocentes, *infrà num.* 125. expressè loquuntur de patronatibus ex eadē radice prouenientibus; vt probato vno, & alius probatus intelligatur, vt inibi explicatum est.

94 Quoad has ergo personas de vsurpatione suspectas, quamuis nihil immutauerit quoad primum modum ex Authentico documento, ideſt ſcriptura, vt in hac ipsa causa Senniatij sacra Congregatio declarauit; vt *suprà num.* 54. *&* *infrà num.* 118. Quoad secundum tamen modum statuit, quod in ijs

95 *Plenior, & exactior probatio requiratur.*) si hæc plenior, & exactior: ergo in priuatis debet esse plena, & exacta: &, si in priuatis debet esse ostensiua, vt *n.* 76. *&* 89. ergo in potentibus debet esse pleniùs, & exactiùs ostensiua: quam quidem in eo consistere Cōcilium statuit, vt his personis

96 *Immemorabilis temporis probatio nō aliter suffragetur, quam si, præter reliqua ad eam necessaria, præsentationes etiam continuatæ, non minori saltem, quàm quinquaginta annorū spatio, quæ omnes effectum sortitæ sint, authenticis scripturis probentur.*) Vnde illarū existentia, cōtinuatio, & effectuatio non per testes, aut alia huiusmodi, sed omninò authenticis scripturis probari debent. Id, quod pro forma requiritur, & non sufficit æquipollens, vt post sacram Congregationem monent DD. citati *num.* 56. *& seq.* Vbi notandum est, etiam admittentes tertium modum, per illam clausulam, *Aliasuè secundùm iuris dispositionem*, illum prorsus respuere in personis potentibus, vt *suprà num.* 59. & infrà *n.* 117.

97 *Reliqui patronatus omnes, &c.*) Denique Concilium abrogat reliquos omnes patronatus, non probatos secundùm duplicem modum iam expositum; omnes, inquam, nemine excepto, vt contrà singularem, ac nulli rationi nixam doctrinam *Grikuzonij*, ostendimus *suprà num.* 61. quocumq; tandem titulo illi competant: statuitque, talia beneficia tamquam libera à suis collatoribus conferri, ac prouisiones huiusmodi consequi plenum effectum; nisi sint ex fundatione, vel dotatione modo explicato probati.

Item abrogat omnia priuilegia patronatuum, aliasque omnes similes facultates, exceptis priuilegijs super Cathedralibus, aut Imperatoribus, Regibus, cæterisque supremis Principibus concessis, vt *n.* 62.

Denique abrogat omnem prorsus possessionem iurispatr. & præsentandi, vt expressè vtramque possessionem comprehendit, ac reuocatam agnoscit sæpissimè Rota citata *n.* 64. vbi reprobatur distinctio *Costæ*.

98 Hinc primò inferūt oēs citati *n.* 66. hodiè post Cōciliū nō dari in iurepatr. *Iudiciū possessoriū*: vel saltē *eādē ꝓbationē requiri, tum in petitorio, tū in possessorio* ex sacra Congregatione, quam reuerenter passim sequitur *Rota*.

99 Secūdò, neq; dari *manutētionē* patrono ex sola quasi possessione ꝓsentādi. DD, citati *n.* 68. *& seq.* ac cessare q̄cūque remedia possessoria, q̄ diu prætensus possessor iurisp. de titulo nō docet: licet de reliquo locū teneat manutentio, quādo de iurisp. ꝑtinentia tractatur; vel semel de illius existētia plenè cognitū est, & illud est ꝓbatū iuxtà formā Cōcilij: de qua q̄dē ꝓbatione cōstare debet ex actis, & non ex sola ordinarij assertione; cui non statur.

100 Deniq; tertiò inferūt DD. citati *nu.* 70. post Cōciliū nō esse considerabilē *vltimū statū* in fauorē patronorū, cum illis nil oīnò ꝓ manutentione prosit, nisi de legitimo titulo iurispatr. ex fūdatione, aut dotatione doceatur.

Atq; hæc satis sint, quod spectat ad Concilij doctrinam. Nunc vidēdū est, quod pōdus habeāt Domini Comitis *probationes, seu rationes*; & an ipse prætensi patronatus titulum ex fūdatione, vel dotatione iuxtà Cōcilij formā ostendat. Sit igitur

SECTIO SECVNDA.

D. Comitis rationes, quibus iuspatronatus probare nititur, proponuntur, & diluuntur.

DOminus Comes, agnoscens suum munus, & onus esse, ostendere iuspatr. quod prętendit iuxtà Concilij formam propositam *sect.* 1. nititur id præstare aliquibus rationibus, licet incassum, quas hac sectione proponemus, ac dissoluemus.

Initio autem animaduertendū est, ipsum censere, in hac re tentasse iudicium simplex possessorium, ac proindè pro manutentione leuiores probationes sibi sufficere. Vtrumque autem falsissimum est: nam iudicium, ab eo tentatum, saltem est mixtum, cum petierit, se declarari verum possessorem iurispatr. ex ijs, quæ diximus *suprà num.* 67. Et quamuis esset simplex possessorium, tamē in eo easdem probationes requiri, quæ in petitorio, iā *suprà num.* 66. satis ostensum est.

§. I.

Prima Comitis ratio ex situ Ecclesiarum.

S V M M AE.

101 *PRima ratio ex situ Ecclesiarum desumpta explicatur.*

102 *Dotatio, & fundatio nō probatur ex eo, quòd ecclesia sit in alicuius territorio, quod non significat dominiū rerum, sed iurisdictionem.*

103 *Imo potius probatur vsurpatio iurisp. vel, si de eo constat, præsumitur ex priuilegio, quod aboleuit Concilium,* & n. 130.

104 Farinac. *& alij explicantur.*

105 *Ecclesia dicitur de territorio in fauorabilibus, non in alijs.*

106 *Axioma illud,* quicquid est intrà fines feudi, ptinet ad feudū, *explicatur.*

107 *Ecclesię ædificium non cedit solo, sed ecōtra.*

108 *Episcopus habet intentionem fundatam in conferendo beneficia intrà suam diœcesim.*

109 *Consensus Episcopi præsumitur, ex tempore immemorabili, cum constat de fundatione, & dotatione.*

101 PRobat igitur Comes iuspatronatus, primò, quia vtraque ecclesia fundata, & constructa reperitur in ipsius Comitis fundo, seù feudis, seù nemoribus, & in medio eorum. Et ex hoc sequitur iuspatronatus dictarum ecclesiarum ad Comitem pertinere. *cap. abbate* 2. 18. *qu.* 2. *cap. nobis de iurepatr. Verall. dec.* 138. *par.* 2. *Lambert. de iurep. par.* 1. *lib.* 1. *artic.* 10. 3. *q. princip.* fundare enim est fundum dare pro ecclesia construenda, datoque fundo, iuspatronatus acquiritur, quamuis illud expressè reseruatum non sit: *Mascbard concl.* 956. *n.* 3. *Genuens. in praxi ca.* 61. *Lopez l.* 1. *gloss.* 6. *tit.* 6. *lib.* 1. *Parif. de confident. quæst.* 28. *num.* 23. *Garc. de benef. par.* 5. *cap.* 9. *n.* 61. *Farinac. dec.* 527. *par.* 1. *tom.* 2. Immò quamuis inscio Domino fundi, in eo ecclesia construatur; *Lambert. par.* 1. *lib.* 1. 8. *q. princ.* Adeò vt Episcopi non habeant intentionem fundatā ad habendum iuspatronatus in ecclesia intrà eius diœcesim sita, nisi probet fundum, in quo sita est, esse ecclesiæ; cum ecclesiæ non nascantur, sed construantur; & territoria sint sub dominijs cuiuslibet diuisa: *Lambert. loco cit. Abb. cons.* 14. *lib.* 1. *Tusch. litera L. concl.* 600. *n.* 29. vbi quòd Episcopus in sua diœcesi habet intentionem in iure fūdatam in instituendo, non autem in conferendo. Episcopi verò consensum in hac fundi datione interuenisse, præsumit lex, cum in antiquis versemur: *Menoch. præsumpt.* 79. *&* 90. *lib.* 3. *& cons.* 241. *n.* 3. *&* 4. *lib.* 3. *Mascbard. conclus.* 416. *n.* 6. *&* 956. *num.* 30. *Coccin. dec.* 106. *n.* 2. *Farinac. dec.* 517. *par.* 1. *tom.*

tom.2. Ex hac verò datione fundi, & feudorum, non solum fundationem, sed etiã dotationem probare Comes intendit: ait enim non solùm datum fundum, constructioni ecclesiarum respondentem, sed etiam longè excedentem pro dote, cuius fructus hodie à beneficialibus percipiuntur: quam sanè probationem non reijci, probat *Menoch. cons.241. citato.*

102 Atque hæc quidem est prima Comitis ratio, in qua semper planè supponitur, ecclesias prædictas in eiusdẽ Comitis fundo fuisse constructas: id, quod tamen constanter abnegamus, aientes, ecclesias prędictas in proprijs fundis, seu nemoribus, & feudis ipsarum ecclesiarum fuisse fundatas; neq; contrarium ostendit Comes, neque vnquam ostendere potest: quod enim dominium, aut proprietatem probat, aut probare potest D. Comes in prædictis nemoribus, si nemora iure cõmuni ad vniuersitatem pertinent, in eiusque sunt dominio, non Baronis? *Menoch. cons.437.n.2.lib.5. Capiblanc. de Baronib tom.2.cap.75.n.5. vers. ex parte vniuersitatis.* vbi de veriori, ac recepta opinione, post *Gregor. Lopez. Castr. Couarr.* & alios.

Quamuis autem ecclesiæ in territorio Terræ Caccabi reperiantur; non tamen indè sequitur, à Domino Caccabi fuisse fundatas, aut dotatas: quia plures sunt ecclesiæ in aliorum territorijs; & tamen neque ab eis fundatæ, aut dotatæ, aut de iurepatr. illorum censentur.

Quod si hæc consequentia in eo innitatur, quod Comes, quatenus territorij Dominus, etiam bonorum, in eo positorum, Dominus præsupponatur, inanis est: etenim, vt rectè docuit *Alexand. cons.76.n.6.lib.2.* habere territorium non denotat, quòd dominium rerum particularium spectat ad illum, qui habet ius territorij; sed denotat, in quo quis habet exercitiũ iurisdictionis: *l. pupillus §. territorium ff. de verb. significat.* & cæteris iuribus *apud Alex. & Oldrad. cons.176. in q.2. Menoch. cons.437. nu.1. lib.5. Curt. Iũ. cõs.312. n.39. & 40. vol.3, Dec. consil. 483. n.10. Soccin. sen. cons.127. n.5. l.1. Rimin. Iun. cons.19. vol.1. Bursat. cons. 41. vol.1. Caualc. dec.45. nu.63. lib.1. Abbas cons.82. n.6. in fi. par.1.* Vnde infert *Menoch.* non posse Baronem incidere ligna in nemoribus vniuersitatum: & refert *n.7. Abbat. & Felin. in ca. si diligenti, de præscript.* aientes, Comites habere fundatam intentionem suam, quoad iurisdictionem, non autem quoad dominium in rebus sitis intra limites sui territorij. Idem docuit *Soccinus sen. d. cons.127. nu.5. lib.1. Curt. Iũ. cons.158. n.22. Frãc. Marc. dec.180. par.1. apud Ricc. collect.1633. par.5.*

103 Quin imò tantum abest, vt præsũptio ex territorio desumpta Comiti faueat, vt ei potiùs aduersetur. Hinc enim pręsumptio quidem insurgit, sed non dotationis, aut fundationis, at vsurpationis: ex hoc enim, quòd quis est dominus loci, seu territorij, vbi beneficium situm reperitur, tum iure communi, vt diximus *sup. nu.50.* tum dispositione Tridentini, vsurpationis præsumptio insurgit, vt omnes fatentur. *Vide Rotam diuers. tom.5. dec. 197. præsertim à nu.19. & dec.219. tõ. 1. in recent. apud Farinac.* Dum igitur Comes probat, beneficia esse sita in loco suæ ditionis, seu in suo territorio, potiùs Seminario fauet, quam aduersetur.

Quod si verè constaret de iurepatr. præsumeretur non ex fundatione, aut dotatione, sed potiùs ex vsurpatione, vel ad summum ex priuilegio possideri, vt passim tenuit *Rota apud Paleott. decis.532. lib.3. Verall. dec.128. lib.2. Velasch. concl.163. Rot. diuers. coram Robust. tom.1. dec.409. & tom.5. dec. 126. n.17. Viuian. dec.9. n.6. Ricc. collect.2453. par.6. Borrell. in summa dec. tit.32. de iurep. num.16. & 106. tom.1. Tuschus V. iuspatr. concl.617. num.18.* At verò Cõcilium patronatus omnes

ex priuilegio penitus aboleuit *d.ca.9.* *seß.25.*& diximus *nu. 62.* vt sæpissimè decidit *Rota apud Ricc.collect. 1692. vide num.141.*

104 Neque obstat *Farinac.dec.697.nu. 3.par. 1.tom.2.*loquitur enim de ecclesia in castro existente,ac lis erat inter compatronos; quare constabat de iurepatr.& solùm de pertinentia agebatur: *Seraph.*verò *dec.725. nu. 3. & Lambert.par.2.lib.1.art.16.2.q.princ. num. 2.*nè verbum quidem de hac re. Certè contrarium edocere nõ potuerunt, cum cõmunis sit omnium sententia, innixa declarationi Cardinalium, quòd si beneficium sit in feudo, seù territorio proprio Baronis, vsurpationis præsumptio oriatur, vt diximus, & admonet *Campanil. in diuers. iur.canon. rubr. 11.cap.13.num 411. Farinac.decis.99. & 590. in nouis. & dec.756.nu.3.tom.1.par.2.Viuian.lib. 11.cap.5.nu. 9.post plures DD. ac Rotas: & vide Rotam apud eumdem decis. 87.num. 3.*quare in hoc casu probatio plenior, atque exactior esse debet iuxtà formam Tridentini. *Seraphin. dec. 1367.& Farinac.dec.222.n.2.tom.1. par.1.& dec.421.tom.1.par. 2.*

105 Adde, quòd ecclesia, in territorio Principis sita, in ijs dumtaxat de territorio dicitur, quæ illius fauorem respiciunt, non autem in alijs, vti sunt Clerici,& exempti: *Castr.consil. 187. n.5.Roland cons. 24 nu.9. lib.2.Tusch. concl.5.V.ecclesia à nu.9. Ricc.in tract. nouiss.iurisp.resol.165.n.5.*

106 Atque hic quidem auctor, nempè *Riccius*, benè explicat axioma illud; quidquid est intrà fines feudi pertinet ad feudum, *ex Isern. in cap. 1. de controuers.inter mascul. & fœmin.* vt scilicet non sit simpliciter verum, ac præsertim in spiritualibus: non enim valet, ecclesia est in feudo, ergo pertinet ad feudum, *ex eodem Isern. in cap. 1.qualiter vassalli iurare debeant,Bolognett.cons.23.Afflict.dec.367.cum additionibus diuersorum,*vbi latè probat, non ideò fundum præsumi feudalem, quòd intrà fines feudi reperiatur; sed id debere à Domino probari; & quidem non solum esse feudalem, sed etiam ad proprium feudum pertinere, cũ ad aliud spectare possit. Non enim inconueniens est, feudum terras habere in alio feudo separato, ac præsertim in re nostra, vbi agitur de rebus ad ecclesiam pertinentibus, quæ omnia allodialia præsumuntur, quamuis esset Castrum, *Isern.in constit.iustitiarij nomen, & normam, vbi Afflict.col.pẽ. Frecc.auct.29.num. 3.& seq addit.ad Andr. in cap. 1. vers. item si sit, de controuers. inter mascul. & femin. Apont. cons.30.n.6. Afflict.Ias.Ang aliique*, quos citat, & sequitur *Vrsil. ad dec. Afflict.323.n.3.& dec.361.n.3.*

107 Denique ecclesiæ fauor est, vt eius ædificium in alieno fundo non cedat solo, sed potiùs solum ædificio cedat: *Calderin.cons.421.Tusch.concl.22. & 34.nu.10.V.ecclesia.Viuian cap.2.nu. 13.lib. 2.*

108 Quod autem hæc prima Comitis ratio supponit, Episcopos scilicet non habere intẽtionem fundatam in conferendo beneficia intrà eius diœcesim, sed solùm in instituendo, falsissimum est: adest enim communis opinio ab omnibus recepta, quæ contrarium asserit; & iure, cum omnia beneficia libera præsumantur, vt initiò monuimus. *Ita Rota apud Seraph. dec. 799. n.1.allegans cap.omnes Basilicæ.16.nu. 79.& apud Viuian.dec.88.n.1.* & post innumeros *Barbos.de potest Episcopi allegat.57.nu. 1.p.3.* & cauendum est, à *Tuscho littera I.concl.600.nu.29.* dum contrarium innuit: loquitur enim absque iure contrà communem. Item ab *Abbate, & Lambertino* innuentibus, ecclesiam in dubio præsumi patronatam, eò quòd ipsa construitur, & non nascitur: contrarium enim ab omnibus receptum est *ex Maschard. concl. 586.*qui benè *n.6.& 7.*ait, *Abbatis, ac Lambertini* opinionem obtinere locũ, cum aliquis in possessione, seu quasi iurispatronatus reperitur, in qua ipse,

& sui

& sui fuerint per immemorabile tempus; secùs verò cum hæc possessio nõ adest; vt fatetur *idem Panormit. consil. 76. lib. 2. & cons. 106.* quod si ea ratio, quòd scilicet ecclesia non nascitur, valeret, certè sequeretur, omnia beneficia præsumi debere esse de iurepatronatus, quod absurdissimum est, vt rectè monuit *Rota apud Crescentium dec. 1. aliàs 13. de iurep.* vbi etiam aduertit, hanc rationem nullo modo allegari posse à potentibus, de vsurpatione suspectis.

109 Denique quod attinet ad Episcopi consensum, animaduertendum est ex temporis, & quidem immemorabilis, antiquitate præsumi quidem consensum Episcopi in ecclesiæ fundatione, & ipsius tunc nascentis dotatione; sed plenè constare debet de ipsamet dotatione, & fundatione. Et in his terminis loquuntur DD. ab aduersarijs allegati. Adde, quòd præsumptiua probatio, quod ex antiquitate temporis cousensus Episcopi præsumatur, in personis potentibus nõ admittitur; nam contra eas semper vsurpationis præsumptio vrget. *Rota apud Seraph. dec. 952. n. 8. Manticam dec. 257. n. 4. & 5. Farinac. dec. 58. nu. 4 tom. 1. in Recent. Lotter. lib. 5 q. 14. n. 11.*

Demum prædictus modus arguendi nihil omninò concludit, & nullam vim habet post Concilium Tridentinum; hoc enim euidenter statuit, siuè fundationem, siuè dotationem, non nisi vno ex duobus modis esse probãdam, & concludendam, videlicet aut ex authentico documento, quod nos probauimus *n. 7. & seq. & num. 77. & seqq.* esse scripturam; aut multiplicatis præsentationibus, quæ in personis potentibus, & continuatæ esse debẽt, & effectum sortitæ, & per scripturas authenticas probatæ, vt diximus *nu. 50. & seqq. & nu. 91. & seqq.* Quare vterque modus probandi pro Domino Comite debet esse ex scripturis authenticis. Vanum igitur est arguere, ecclesiæ sunt in meo fundo, ergo ego fundaui; deberet enim afferre scripturam fundationis, aut dotationis; vel saltem afferre authenticas scripturas præsentationum multiplicatarum, continuatarum, & effectum sortitarum.

§. II.

Secunda ratio ex testibus, à Comite productis, desumpta.

SVMMAE.

110 *Secunda ratio Comitis ex testibus desumpta, explicatur.*

111 *Testes Comitis sunt de falso suspectè, & sibi ipsi contradicunt.*

112 *Testes de credulitate nihil probant. Et quamuis dicerent, se scire, non probarẽt iuspat. quia de his Conciliũ non confidit.*

113 *Aduersariorum distinctio inter probationem tituli, & probationem dotationis, euertitur.*

114 *Testes Comitis non probant immemorabilem, & nimis vagè, & genericè deponunt.*

115 *Eorum depositio non subsistit, quatenus dicunt, Comites Caccabi, & neminem alium possedisse feuda.*

116 *Cappella Castri Caccabensis non est mẽbrum ecclesiæ S. Mariæ, & quamuis esset, non tamen probaretur iuspatr.*

110 Horum testium depositiones, si in compendium redigantur, probant iuxtà Comitis intentionem, Comites Caccabi semper possedisse, ac dominos fuisse feudorum, in quibus ecclesiæ sitæ sunt, vsquè ad tempus, quo illas dotauerũt, eaque esse de membris Baroniæ Caccabi, sita in medio illius, nullosque alios potuisse vnquam esse dominos feudorum dictæ Terræ, nisi Comites; atque id esse cõforme iuris dispositioni; aliaque addunt mox afferenda, ac diluenda.

111 Sed certè hi testes de falso videtur suspecti: omnes enim ijsdem prorsus ver-

verbis deponunt,& multa dicunt,quę iuris sunt, non facti; cum præsertim ferè omnes sint personæ idiotæ. aiunt etiam,quòd à centum annis, *à questa parti*,ideſt vſquè ad præsens tempus, Comites reputati ſunt pro veris patronis dictarum eccleſiarum, & ad illas præſentarunt, ac præſentatos fuiſſe inſtitutos:& hoc, *quante volte il Papa non ci hà meſo la mano*:cum tamen euidenter ex facti ſerie conſtet, à centū, & pluribus annis hùcuſque nunquam Comites præſentaſſe, nec præſentatos habuiſſe inſtitutionem: vnde apparet incompoſſibilitas, & repugnantia harum depoſitionum, ac prætereà nihil hos teſtes probare:non à centum annis hùcuſquè, quia conſtat de prouiſionibus Apoſtolicis cōtinuatis huius temporis, quas ipſimet teſtes excipiunt, & aduerſarij præſentant: non pro tempore antecedente, quia non poſſunt de eo tempore deponere,cum excedat ſpatium centum annorum; quare nequit eis ętas vllatenus ſuffragari, vt dixit Imperator *in Auth. Hac conſtitutio innouat, ante medium col.* 8. Vnde infert *Gloſſ. verb. ſuffragari*, teſtium fidem poſſe perire. Neque dicas id eos ex auditu deponere: nam quod aiūt, ſe audiuiſſe,refertur ad id, quod depoſuerant, putà à centum annis hùcuſquè Comites fuiſſe patronos,&c. Mendax autem in vno,in omnibus præſumitur mendax:*Gabriel. de maleſic.concl.* 4.*Farinac.de teſtibus q.* 67.§.4.*n.* 111.*& ſeq.* item ſibimet ipſis contradicunt: aiunt enim *ſuper ſecundo cap.*quòd feudum S.Nicolai *d'ogni parte confina con li feghi del Conte*: & ſtatim *ſuper quarto cap.*dicunt,quòd feudum vocatum di Marcato ferrato Eccleſiæ S. Mariæ, *confina con il fego preditto di S.Nicola*.

112 Quòd verò addunt, ſe eſſe, *di fermo giudicio,e parere*,quòd nemo alius, præter Comitem, prædictas eccleſias dotare, aut fundare potuerit, nihil fauet aduerſarijs: tum quia id colligunt ex eo, quòd eccleſiæ, earumque feuda ſunt in territorio Terræ Caccabi: quæ tamen ratio, ex territorio deſumpta, potiùs Seminario fauet, quā officiat, vt diximus *ſuprà num.* 103.*& ſeq.* & mirum eſt,idiotas perſonas de iure, & de illationibus ad iuriſperitos pertinentibus diſſerere: tum quia teſtis, *di giudicio,e parere*, nihil probat, cum non deponat ſe ſcire: plures *apud Farinac.de teſtibus q.*68.*n.* 32. *&* 33. Tum quia quamuis dicerent, ſe ſcire fuiſſe fundatas, & dotatas per Comitem, non tamen ideò probarent titulum iuriſpatr. vt Concilium requirit: nam,vt latè ſuperiùs oſtendimus,*Tridētinum* de teſtibus non cōfidit, ideòque decreuit, titulum ex fundatione, & dotatione oſtendi debere authentico documento, cuius appellatione teſtes non comprehenduntur, vt latè probauimus *ſupra num.* 7. *& pluribus ſeqq.* Tandem quis fuerit iſte Comes fundator, non explicant hi teſtes,nec explicare poſſunt, cum nemo fuerit talis fundator. Vtinam explicuiſſent: facillimè enim falſitatis conuincerentur.

113 Nequè dicas, Concilium requirere quidem ſcripturam ad tituli probationem;non verò ad probationem dotationis, aut fundationis. Etenim hęc diſtinctio inanis eſt, euertitque Concilij intentionem: nam ipſum, non ſolitariè dixit, probandum eſſe *Titulum* authentico documento, ſed cum addito, ſcilicet *Titulum* cauſatum *ex fundatione, aut dotatione* probandum eſſe ex authentico documento, poſuitque titulum in recto, & dotationem, & fundationem in obliquo, vt indè intelligeremus, totum hoc veluti aggregatum, *Titulum*, videlicet, *ex dotatione, vel fundatione*, probandum eſſe authenticis documentis, & particula illa Concilij, *ſit*, valet, *deriuetur, oriatur*,& ſenſus eſt titulus deriuatus ex fundatione, aut dotatione oſtendatur, ideſt, oſtendi debet ex authētico documento. & verè, ſi aduerſariorum doctrina ſubſiſteret,planè Cōcilij

cilij intentio eluderetur: potest enim quispiam testibus, de quibus confidere noluit *Tridentinum*, probare dotationem, vel fundationem, & ità postea asserere, se titulum ostendisse iuxtà Concilij formam: quod absurdum est. *Vide Alphonsum de Leone de offic. cappell. q. 4. prax. 2. num. 51.*

114 Neque iterum dicas, per eam Concilij clausulam, *aliasuè secundum iuris dispositionem*, posse per testes probari titulum ex fundatione, vel dotatione: nam primùm respondeo, iam *suprà n. 40. & seq.* ostendimus copiosè, per eā clausulam ab immemorabili minimè recedi, ac proinde debere etiam per hos testes illam ostendi: quod ipsi nō præstant: quamuis enim ipsi dicant super primo capitulo, *che li Conti sempre continuamente, è da chi non ci è stata, nè è memoria di homo in contrario d'antichissimo tempo, è di cento, e molti anni à questa parte, hanno stati, e sono trattati, è reputati per veri, verissimi, & indubitati possessori del iuspatronato di presentare, tanto nello priorato, quāto nello beneficio di S. Maria, presentando detti Signori continuamente, conforme alla dispositione canonica li hà toccato, è dette persone presentati ni hanno hauuto l'institutione, e possessione, &c.* Hæc tamen testificatio non habet ea omnia requisita, quæ ad immemorabilem probandam requiruntur, de quibus *suprà n. 34. & seq.* Nemo enim horum testium de visu 40. annorum deponit, nec deponere potest: tum quia plures eorum vix 40. ætatis annum attingunt: alij verò plures 54. non expleuerunt, vt in hac probatione de iure requiritur: tum quia centū, & pluribus annis hùcusq; Comes nūquam ad hæc beneficia aliquem præsentauit, & præsentatus institutionē habuit, vt ex scripturis patet. Ex quo etiam proximè infertur, non esse veram eorundem testium depositionē, quatenus aiunt, *di cento, e molti anni à questa parte*, Comites præsentasse, & præsentatos habuisse institutionem, vt anteà etiam admonuimus.

Item neque probant aliquos actus possessorios factos à Comitibus, vel patronis: quamuis enim dicant, Comites præsentasse; ex hoc tamen non inferunt ad patronatum, cum non dicāt, præsentatos possedisse, nunquam præsentatos à Comitibus, & se vidisse præsentationes, vel institutiones ad patronorum præsentationem factas, vt certè necessarium erat. *Rota in causa Surana iurispatr. 28. Aprilis 1603. coram Pamphilio vers. alij testes, & in causa Parach. 27. Iunij 1603. corā eod. vers. titulus enim fundationis.*

Insuper vagè, genericè, & confusè testificantur, præsentasse quidem Comites, & personas præsentatas institutionem, ac possessionem obtinuisse; non explicando tamen tempus, neque personas, neque alias circumstantias, actum indiuiduantes; vt de iure requiritur: vaga enim, generalis, & confusa depositio nihil probat. Certè si personas, tempus, cæterasque circumstantias explicarent, possemus nos quidem probare negatiuam, quā coarctatam appellant: eam autē ostēdendi nobis aditus omninò præcluditur, dum eæ actus circumstantiæ vafrè à testibus reticentur. Item quonā tādem pacto hi testes asserere possent, vt certè iurare debuerant, de contrario vsu memoriam non extare; se, maioresque suos ità semper, non verò contrarium vnquam vidisse, & audiuisse, neque contrarium vnquam fuisse obseruatum: quomodo, inquam, id affirment, si de contrario vsu per immemorabile tempus ex scripturis liquidò constat? Adde, nos versari in casu personæ potentis, vt iam subijcimus, in quibus non qualiscumque immemorabilis, sed qualificata requiritur iuxtà Concilij formam: *vide infrà num. 117. & seqq.* & id volumus à iudicibus accuratissimè perpendi, cùm sit de forma, & essentia istius probationis: nam ex ea protinus sequitur, hanc probationem multiplicatarum

præ-

præſentationum per teſtes eſſe vanã, cum non approbetur à Concilio; determinatè requirente, eas probari authenticis ſcripturis in perſonis potentibus.

115 Quod autem additur in hac ſecunda Comitis ratione, quòd teſtibus probatur, Comites Caccabi ſemper poſſediſſe, ac dominos fuiſſe dictorũ feudorum vſque ad tempus, quo prædictas eccleſias dotauerunt; perpendatur, quæſo, harum teſtium depoſitio ſuper tertio capitulo, & deprehẽdetur, nullum penitus robur obtinere: aiunt enim primò, neminem prorſus feuda in Caccabi territorio, præter Comitem poſſediſſe; idque ab antiquiſſimo temporis curſu hucuſque; neque adeſſe hominum memoriam in contrarium; atq; etiam hodiè omnia ab ipſo Comite poſſideri: & tamẽ apertiſſimè conſtat, ex immemorabili tẽpore, Vniuerſitatem Caccabi nonnulla feuda tamquam propria poſſediſſe, atque hodiè poſſidere: ſunt verò *Feudum S. Leonardi, Mandrenoua, & Gineſtra cum cuneo Piri, & contrata Nucis, & Montis vocati Librizzi. Item feudum Bonſanti, Vallunazzi, & Scuruſa, vnà cum Nemore Bibilia, & ſpandentibus Pitirrana, & contrata vocata Mileſini. Item Mons, & Nemus, ſeu feudum S. Galogeri, vnà cum eius Planis, & communibus S. Ioannis Græcorum, & Marcato Reganſilis. Item feudum Rirati, & feudum communium Montis canis, cui deinde fuit aggregatum, & vnitum feudum Fauarottæ.* Item perſonæ etiam particulares obtinent feuda in eodem Territorio, ſicuti eſt *Baro Regargioſali, Baro Zarbi, Baro olim Pitirrana.*

Secundò dicunt, quod attinet ad feudum S. Nicolai, & feudum Marcati ferrati, nunquam poſſederunt Comites, ſed Prior, ac Beneficialis S. Nicolai, & S. Mariæ la Noua; & hoc *dalla propria bura*; qua Comites illa prædicto Priori, ac Beneficiali concesſerunt, fundando dictum prioratũ, ac beneficium. hoc autem ſe ſcire dicunt per famam publicam. Hæc verò depoſitio non ſubſiſtit: ſi enim nunquam Comites hæc feuda poſſederũt, quomodo deindè, ea Priori, ac Beneficiali concesſerunt? Et mirum eſt, hos teſtes etiam de *bora* teſtificare in re antiquiſſima, & memoriam hominum penitus excedente. Quod verò aiunt, ſe id ſcire per publicam famam, ſi id quidem referunt ad fundationem, ac proindè ad probandum titulum Iuriſpatr. nihil euincunt: iam enim *ſuprà n. 46. & ſeq.* monuimus, famã, etiã in antiquiſſimis, nihil quoad Iuriſpatronatus titulum probare, niſi illam longiſſima quaſi poſſeſſio, & *de præſenti*, comitetur.

116 Deniquè, quod addunt teſtes, cappellam Caſtri Caccabenſis eſſe membrum eccleſiæ S. Mariæ, omnino negamus. Neque id probat tranſactio anni 1545. indè enim potiùs contrarium elicitur; nam vt Beneficialis S. Mariæ (poſt ſententiam latam à iudice ſeculari, ac proindè incompetente) ad celebrandũ in dicta cappella obligaretur, neceſsè fuit nominari, atque eligi in eiuſdem cappellæ beneficialẽ, vt ex eodem tranſactionis actu cõſtat. Hinc verò arguitur, quòd ſi quando reperiatur, antecedentes beneficiales S. Mariæ in hac Caſtri cappella celebraſſe, vel ſtipendium pro celebratione præſtitiſſe; id factum ſit, quod ij electi fuerint in eiuſdem cappellæ beneficiatos, vti is eligi voluit, vt ad celebrandum obligaretur. Præterquã quod nihil indè contrà nos ſequeretur: quamuis enim talis beneficialis oneri celebrãdi obſtrictus fuiſſet; hinc certè non ſtatim ſequitur, beneficium S. Mariç eſſe de iurepatronatus Comitis: potuit enim ad id alio titulo, quam iuriſpatronatus obſtringi: cũ præſertim etiam ipſa cappella non ſtatim de iurepatr. Comitis oſtenderetur, niſi id aliundè conſtaret, *ad tradita per Rotã apud Ludouiſ. dec. 222. n. 9. & eſt deciſio in terminis Rotæ apud Viuian. dec.*

87.

87. à nu. 3. *vsque ad finem*. Nec obstat *Farinac. dec. 697. nu. 3. tom. 1.* Ibi enim cōstabat de iurepatr. & solum de pertinentia controuersia erat.

Vnde etiam colligitur, nihil obstare iniunctiones factas gabellotis, & emphyteutæ pro soluendo missatum stipendio, & expensis festiuitatis: tum quia nō fuerunt factæ beneficialibus, sed gabellotis, &c. tum quia non constat de solutionibus: tum quia quamuis de ipsis constaret, id tamen factū fuisset, quia soluentes fuissent beneficiales prædictæ cappellæ: tum deniq; quòd attinet ad mandatum Archiep. de Aedo, quia factum fuit in dorso cōtractus accordij prædicti; & tamen tunc temporis non erat beneficialis S. Mariæ la Noua D. Vincentius Galletti transigens, sed Ioannes Baptista Galletti; obligatio verò prædicta celebrandi solùm fuerat personalis, cum transactio per Archiepiscopum, aut alium Superiorem non fuerit recognita, nec approbata.

§. III.

Ostenditur, nos versari in casu personæ potentis, ac proindè suspectæ de vsurpatione, in quo nullatenus testes admittuntur.

S V M M AE.

117 *Quoad personas suspectas titulus verus iurisp. testibus probari non potest. & cauendū à* Menochio *contrarium innuente*.

118 *Refertur sacra Congregationis declaratio in hac ipsa causa Seminarij, per quam testes, & aliæ probationes coniecturales, non admittuntur*.

119 *Probatur, nos versari in casu personæ potentis, ac de vsurpatione suspecta*.

120 *Præsumptio vsurpationis in potentibus est iuris, & de iure*.

121 Seraph. decis. 1141. *explicatur*.

122 Rota *ex dictione*, plerumque, *infert vniuersalitatem dispositionis Tridētini, etiamsi cessaret præsūptio vsurpationis, ob maiorem, vel minorem potentiam*.

123 *Comes semper potētior fuit Archiepiscopo Pan. & quamuis non fuisset, non tamen inde cessaret præsumptio vsurpationis*.

124 *Cum præsertim simus in Italia, cuius pars est Sicilia, in qua ob recessum Curiæ omnia iurap. præsumūtur vsurpata*.

125 *Possessio iurisp. alterius beneficij nō probat iuspatr. in alio, nisi proueniant ab eadem radice*.

126 *Comitis absentia potius augebat, quam minuebat potentiam illius*.

127 *Comitis pietas non tollit præsumptionē vsurpationis*. & num. seq.

128 Costa *impugnatur, &* Seraph. *explicatur*.

129 *Pietas omnium Comitum non probatur: neque ea tollit præsumptionem vsurpationis*.

117 HIc §. est veluti appendix §. antecedentis, in quo diximus *num. 114. in fin.* nos versari in casu personæ potentis, vti est Comes Mohac, ac proindè vsurpationis suspicio adest: in quo quidem casu iurispatr. titulus verus nonnisi authenticis scripturis, & nullatenus testibus probari potest: quicquid tandem sit de personis priuatis, hac suspicione carentibus; & quicquid in contrariū innuerit *Menoch. cons. 241. lib. 3. & cōs. 336. lib. 4.* dum velle videtur, probationem per præsumptiones etiam in suspectis personis admitti; à quo quidem cauendum esse rectè monuit *Lotterius de re benef. lib. 2. quæst. 38. num. 48. Beltramin. ad dec. 222. Ludouisij n. 11. Moneta de commut. vlt. volūt. cap. 10. n. 210. in fin. Macer. resl. 80. n. 8. l. 1.*

118 Et quidem testes nullatenus admittendos esse ad veri tituli probationem, si de personis potentibus loquamur, Sacra Congregatio declarauit in hac ipsa causa Seminarij 19. Februarij

rij 1633. vt ex authentico documento à nobis exhibito constat. Verba declarationis sunt: *Sacra Cõgregatio Cardinalium Concilij Tridentini interpretum, post maturam discussionem, & nemine discrepante, censuit, probationem tituli ex fundatione, vel dotatione iurispatronatus personæ potentis, seù communitatis, vel vniuersitatis, esse faciendam per instrumenta, seù scripturas authenticas, nec probationem per testes, per præsumptiones, & similes esse admittendã. Robertus Card. Vbaldin. Franciscus Paulutius sacræ Congregationis Secretarius.* Quæ declaratio comprehendit quamcumque probationem patronatus in persona potenti dębere esse per authẽticas scripturas, & nullam per solos testes. Et certè, si Concilium ad probandas præsentationes, ac titulum præsumptum in personis suspectis scripturas requirit, ac de testibus nullatenus confidit; quanto minus de ijs confidere censendum est ad verum titulum ex authentico documento ostendendum, vt aduertit *Ferentill. ad Buratti decis.* 832. *sub nu.* 10. Porrò hæc quidem declaratio pro nostræ causæ decisione lex est, ac censeri debet: cessat enim hic ea *DD.* controuersia, quam supra *num.* 17. & *seq.* retulimus: nemo enim est, qui neget, has Cardinalium declarationes vim legis habere, quoad illum casum, pro quo Congregatio respondit. *Vide supra num.* 54.

119 Versari verò nos in secundo casu Tridentini, idest personæ potentis, manifestum est, quamuis ab aduersarijs omnino abnegetur: vident enim ipsi, à se nullatenus ostendi posse titulum iuxtà Concilij formam, quoad suspectas personas stabilitam: atque ita negãt omninò, versari nos in casu personæ potentis: ac si apertè faterentur, se in hoc casu iuspatr. ostendere non posse. Et quidem nos hac in re intentionem habemus in iure fundatam: tã enim à lege, ac DD. receptum est, suspectam personam cum dici, censerique, qui est dominus loci, vbi beneficium situm est; vel in eo habet iurisdictionem; vel, quamuis neutrum haberet, tamen esset summè nobilis, ac potens, vt diximus *num.* 52. & *seq.* & vide *decis.* 197. *à n.* 30. *par.* 5. *diuers.* In casu autem nostro adest concursus omnium qualitatum: Comes enim est summè nobilis, ac potens, est dominus Caccabi, ac in eius territorio iurisdictionem habet, vbi beneficia sita reperiuntur. Atque ità fuère Comitis Antecessores, quorum potentiam, ac summam nobilitatem passim historiæ celebrant, adeò vt Siciliæ Regib' aliquoties minimè cesserint.

120 Neque dicas primùm, hanc vsurpationis præsumptionem omninò cessare, cum alia contraria adest *ex Seraphin. dec.* 1141. *n.* 9. & 10. Aio enim, primùm, hanc Concilij præsumptionem videri iuris, ac de iure: ac proindè non admittere contrariam probationem; etenim præsumptio *iuris*, & *de iure* dicitur, *iuris* quidem, quia à lege introducta est, & *de iure*, quia super tali præsumptione lex inducit firmũ ius, & eam pro veritate habet, vt *post Bald. Specul. Felin. & alios*, ait *Maschard. de probat. quæst.* 10. *nu.* 48. *Menoch. lib.* 1. *de præsumpt. quæst.* 6. *n.* 17. In re verò nostra, tum ius antiquũ, tum nouissimum Tridentini præsumit in personis potentibus iurispatronatus vsurpationem; ac super ea firmum ius statuit, vt scilicet nullus potens iuspatronatus habere intelligatur, nisi vsurpationis præsumptionem excludat, illud probando authenticis documentis fundationis, aut dotationis, aut immemorabili qualificata, vt suprà explicatum est.

121 Secundò dicimus, falsum esse aduersariorum antecedens. Neque *Seraphini* decisio Comiti fauet; nam ibi non omnino constabat, esse casum personæ potentis, ac suspectæ: aderat immemorabilis possessio, ac præsentationes continuatæ plusquam 50. annorum, & sic probatum iuspatr. iuxta

tà

ta Concilij formam: aderant quoque alia adminicula, vt insignia, antiquissimæ enunciationes, atque etiam vltimus status.

122 Et quidem *Rota diuers. decis. 197. n. 27. par. 5.* ità loquitur: *Decretum Concilij propter dictionem*, plerumque, *qua ostitur, habet locum, etiam quando cessat præsumptio vsurpationis, si iuspatronatus pretendatur à persona potenti, vel magnate, vel vniuersitate, vt censuit sacra Congregatio Eminentissimorum interpretum; & dixit Rota in causa Sorana iurispatr. 28. Aprilis 1603. coram Pamphilio, vbi fuit reprobata decisio in causa Toletana iurisdecimandi tertio Maij 1582. in qua dicebatur, quòd, dato concursu paris, vel maioris potentiæ Episcopi, cessat præsumptio vsurpationis. Et idem fuit dictum coram eodem in Iacen. parochial. 27. Iunij 1603. & in vna Lucana iurispatr. de Podijs 14. Iunij 1611.* quæ est apud *Viuian. dec. 34.* quam etiam refert *Ricc. in praxi nouiss. resol.* 109. Idem notat *Beltramin. ad Ludouis. dec. 22 1 n. 11.* fuit autem error impressoris, quod poneretur, *iurisdecimandi*, cum ponere deberet *iurispræsentandi*, & pro *nono Maij* poneretur *tertio*: ità enim habetur *decis. 578. tom. 4. diuers.* alioquin ad rem nõ esset consideratio de maiori, vel minori potentia, quæ in iurepatronatus locum habet, non autem in iure decimandi. de hac re *vide suprà num.* 5 a. *& seq.*

123 Sed neque probãt aduersarij, adesse in re nostra præsumptione præsũptioni vsurpationis contrariam: quod enim aiũt, Comites fuisse æqualis, vel minoris potẽtiæ, quã fuerint Archiep. Panormitani: aiunt id quidem ipsi, sed non probant; & ex historijs, vt videre est apud *Sorit. Fazel.* & alios, cõtrarium planè colligitur: vbi enim ità Archiepiscoporum, vti Comitum potentia celebratur? Deindè, quamuis id verũ esset, nõ tñ sufficeret, vt modò admonuimus; licet Archiepiscopus fuisset Cardinalis, vt diximus *sup. n.* 58.

124 Cum præsertim simus in Italia, seu Insula ei adiacẽte, quæ pars Italiæ dicitur, *l. insula ff. de iudicijs*. Et venit quidem Sicilia appellatione Italiæ, vt per *Archidiac. in rubrica de tempor. ordinand. nu. 3. in 6. Monach. in cap. sæpè contingit n. 1. de tempor. ordinand. Merolla in Theolog. moral. cap. 2. difficult. 1. fol. 91. tom. 1.*

In Italia autẽ decisio in causa Toletana locum non habet, vt dixit eadem *Rota dec. 581. nu. 3. par. 4. diuers.* quia in Italia, ac per consequens in Sicilia, ob Curiæ recessũ Auenionẽ, à qua Sicilia magis distat, oẽs vsurparunt patronatus *ex Speculat. Put. alijsque*. In Hispania autem, maximè in ciuitate Toletana, semper fuerunt Archiepiscopi potentes, qui nõn passi fuissent huiusmodi vsurpationes.

125 Neque iterum quicquam roboris habet, quod aiunt aduersarij, præsumptionem præsumptioni vsurpationis contrariam esse, quòd apertè constat, Comitem habere aliud Iuspatronatus alterius beneficij in eadẽ Terra Caccabi: ex quo tollitur præsumptio vsurpationis, vt tradit *Rota apud Farinac. dec. 481. num. 2. tom. 2.* refertque *Barbosa in collect. ad Concil. sess. 25. cap. 9. de reformat. & Rota diuers. allata à Farinac. dec. 17. par. 2. tom. 3.* Non obstat, inquã; etenim dicta *decisio* 481. *num. 2.* præsumptionem ex Iurepatronatus alterius beneficij affert ex abundanti, ad tollendam vsurpationis præsumptionem; aliundè enim aptè iurispatronatus titulus probabatur, vt ex inspectione illius constare potest.

Item loquitur de præsumptionibus similium portionum, effectuatarum per tempus à Concilio requisitum, quæ quidem simul cum ea, de cuius iurepatr. agebatur, ab vna, eademque radice proueniebant, ac proindè de iure vniuersali agebatur. simile quidpiam feudistæ docent in feudis: quæ enim ab vna radice proueniũt, omnia eamdem formã habere intelliguntur. decisio verò 17. citata, etiam loquitur

de beneficijs ab vna, eademque radice prouenientibus; puta de tribus dimidijs portionibus, quæ ex eodem canonicatu creatæ sunt. At verò nos loquimur de beneficijs penitus distinctis, ac dotes habentibus omninò distinctas, neque ab vna radice prouenientibus, ità vt hic agi de iure vniuersali non intelligatur.

126 Insuper nostro casui adaptari non potest aduersariorum doctrina, dum aiunt, cessare vsurpationis præsumptionem, cum vnus præsentantium est persona priuata, *ex Ricc. dec. 21. lib. 1. Farinac. dec. 224. num. 9. tom. 1. par. 2.* præsentationes verò non omnes fuisse factas à Comite, sed ob eius absentiã à Regno, nedum à Terra Caccabi, multæ factæ sunt à personis priuatis, ad eiusdem Comitis mandatum.

Adaptari, inquam, non potest: nã vtraque laudata decisio, atque omnes prorsus Doctores hanc doctrinam tradunt in compatronis; aiuntque, cessare vsurpationis præsumptionem, cum vnus eorum est persona priuata, de quo *Lotterius lib. 2. qu. 13. num. 138.* At verò in re nostra præsentans quidẽ principalis semper Comes erat, cuius nomine procurator præsentabat: reuerentia verò, non quidem procuratori, eiusque præsentationi exhibita præsumitur; sed Comiti principaliter præsentanti: cuius sanè potentiam absentia à Regno nihil penitus minuebat; quin immò illam augebat assiduitas, seù residentia in Regis Curia, qui tũc in Hispania morabatur: cum præsertim Archiepiscopus Paternionus, si verum est, quod pars aduersa nititur suadere, tunc esset Regni Præses, qui vt regimen retineret, potuit Comiti conniuere, quò eum patronum in Hispania obtineret.

127 Denique minimè tollit vsurpationis præsumptionem pietas Comitum de Mohac: in illa enim *Toletana* superiùs *num. 121.* citata, non pietas, ac religio Ducis de Bejar probata, aut perpensa fuit; sed solùm æqualitas potentiæ, vt ex illius inspectione constat: & hanc decisionem in Italia non habere locum, monuit eadem *Rota citata dicto num. 124.* & illam quoque fuisse reprobatam ab eadem *Rota, diximus suprà num. 122.*

128 Hanc eamdem æqualitatem considerat *Io. Baptista Costa dist. 90. centur. 1. num. 47. tom. 1.* qui tamen non benè dicit, ita declarasse Sacram Congregationem in causa Ducis de Bejar: illa enim fuit Rotę decisio, non declaratio Cardinalium: in qua tamen, non leguntur ea verba: *Non procedit in magnatibus spectatæ vitæ*, vt constat *ex eadem decis. 578.* quæ habetur *par. 4. diuers.* sed ea addidit *Costa*, cum illã transcripsit. *Seraph. dec. 668.* non de iurispatr. vsurpatione loquitur, sed de vsurpatione bonorum ecclesiæ, vel beneficij, ad effectum incurrendi in censuras; quocirca non sufficit præsumptio aliqua; sed concludens probatio necessaria est. Quòd autem nõ satis sit pietas ad colligendam vsurpationis præsumptionem, patet manifestè in Rege Aragoniæ, & admonitum est *suprà num. 52.* & in ipsomet Imperatore, dixit *Rota apud Put. dec. 56. in nouiss. lib. 1.* vt refert *Campanil. in diuers. Iur. can. rub. 11. cap. 19. nu. 41.* quorum tamen pietas in ecclesias omnibus innotescit. Deindè huius Enthymematis; consequentia non valet: Comites Mohac in plures ecclesias liberalitatem exercuère: ergo iuspatronatus, de quo loquimur, non vsurparunt, vel vsurpare non potuerunt: sicuti non valet hæc: Titius in operibus pijs se exercet: ergo non potest peccare.

129 Præterea probatur quidem pietas quorumdam Comitum, sed non omnium: nescimus autem quem illorum aduersarij velint fuisse nostrorum beneficiorum fundatorem; licet de cætero fateantur, fuisse de domo Capraria, vt *infra num. 162.* probata verò aliquorum pietate, non omnium, etiã eiusdem familiæ, ostensa intelligitur;

qua-

quare semper vsurpationis præsumptio remaneret: cum presertim ex scripturis exhibitis constet, Domnā Timborem, filiam, & procuratricem Comitis Bernardi de Capraria, primi acquisitoris Comitatus Mohac, spoliasse quodam beneficio, sito in Comitatu prædicto Fratrem Antoniū Plaramonium. vbi obiter nota quorumdam errorem putantium, Domnam Timborem fuisse virum, nec fuisse de domo Capraria: cum tamen apertissimè cōstet ex Historijs, & *ex cons. 1. 2. Panormit. lib. 2.* fuisse filiam prædicti Bernardi de Capraria, & matrimonio iunctam Ioanni de Ixar, ex qua descendit Dux de Ixar. & ex scripturis etiam præsentatis liquet, præfatum Bernardum, eiusque filium primogenitum Io. Bernardum, Comitem Mohac, plura bona occupasse ad Regem ipsum, vel eius Fiscum pertinentia.

Et, vt de nostris beneficijs loquamur, animaduertendum est, aduersarios quoddam instrumentum præsentasse anni 1484. 22. Aprilis, per quod constat, tunc temporis fuisse assertū possessorem bonorum Monasterij S. Nicolai de Nemore quemdam fratrē Guilielmum de Caxino, ac ministros, & officiales Comitis, iussu, & expresso mādato ipsiusmet Comitis, persoluisse Fratri Antonio de Amplerio vnc. viginti *pro expedimēto certorum negociorum, pro dicto Monasterio agendorum in Vrbe Romana.* qui quidem de Amplerio postea sequenti anno 1485. obtinuit Bullas Apostolicas prouisionis Prioratus prædicti, cum mentione iurispatr. Comitis de Mohac per verbū, *vt dicitur*, vt infrà *num.* 197. explicabitur. & licet hęc prouisio fuerit subreptitia, & effectum non habuerit, vt dicemus numero citato; tamen ex hac facti serie elicitur tempus, quo Comites de Capraria incæperunt se intromittere in rebus huius Prioratus absque vllo titulo fundationis, & dotationis; & de facto suspectos fieri de vsurpatione.

Demum, quamuis daretur, omnes prorsus personas alicuius familiæ fuisse probatæ vitæ; nihil tamen id importaret in re nostra; quia præsumptio vsurpationis fundatur in beneficij firmatione in territorio prætensi patroni, vt diximus *nu.* 50. & dum hæc ab initio adfuit, nihil iuuat pietas successorum: quamuis hi in sequentibus temporibus non sint domini illius territorij: attenditur enim initium vitiosum. vide *Rot. tom. 5. diuers. decis. 197. nu. 24. & 25.*

Atque ex his inferendum est, cum versemur in casu potentis personæ, in eo nullo modo locum habere Concilij clausulam, *Aliasue secundum Iuris dispositionem. Rota apud Coccin. dec. 25. n. 5. & apud Ricc. in praxi nouiss. resol. 82. & alij*, vt *suprà nu.* 59. Et ratio est, quia cum duas qualitates ponat Concilium afficientes temporis cursum antiquissimum, vna sit immemorabilitas talis cursus, & alia sit verb. g. centenaria, vel nonagenaria, vel similis, idonea tamen secundùm iuris dispositionem; postea in personis potentibus resumit tantum primam qualitatem immemorabilitatis cursus antiquissimi, ibi *nec immemorabilis, &c.* nō enim dixit genericè, nec antiquitas cursus suffragetur; sic enim comprehenderet vtramque qualitatem prædictam; sed dixit specificè, *nec immemorabilis suffragetur, &c.* Reiecit ergo Concilium in personis potētibus secundam qualitatem, idest centenariam, seù nonagenariam, vel aliam antiquitatē idoneam, secundùm iuris dispositionem. Hāc doctrinā adde traditæ *sup. nu. 89. & 96.*

§. IV.

Tertia Comitis ratio, quæ ex fama desumitur.

S V M M AE.

130 *TErtia Comitis ratio ex fama desumpta dissoluitur, & probatur. famam, etiam cum longissima quasi possessione, titulum non ostendere in personis suspectis.*

Hæc

131 *Hæc quasi possessio in potentibus usurpata præsumitur.*

132 Seraph. Mascardus, Baldus, & Cassadorus, *ex adverso allegati, loquuntur de probatione per famam, iuncta longissima quasi possessione, & de pertinentia, non autem de existentia iurispatronatus.*

133 *Fama, ab adversarijs allegata, non est constans, inconcussa, solida, & perpetua, & cui nihil contradicat, & opponitur præsumptioni iuris.*

130 QVæ quidem facillimè diluitur: iam enim antea num. 46. probauimus, solam famam, etiã in priuatis personis, non probare titulum iurispatronatus, nisi simul concurrat longissima quasi possessio, etiam de præsenti: quãtò magis in suspectis personis, in quibus etiam fama cum longissima quasi possessione absque immemorabili titulum iurispatr. minimè probat: *Put. dec.* 55. *iuncta additione, & decis.* 56. *n.3.lib.*1. vbi quòd, stante præsumptione vsurpationis, fama non probat: idest, etiam comitata possessione longissima; nam alioquin neque in priuatis probaret, *vt diximus dicto nu.* 46. *Farinac. decis.* 520. *in selectis, aliàs par.* 4. *diuers. dec.* 520. *nu.* 3. *& Achill. de Grass. dec.* 4. *de inrep. n* 9. *&* 10 *fol. mihi* 120. vbi, loquens etiam secundùm ius commune, dicit, quòd, quamuis in antiquis iuspatronatus probetur per famam; (idest, vt ipsemet se ipsũ declarat *dec.* 6. *eod. tit.* quando adest longissima quasi possessio) tamen id non habet locum, vbi immemorabilis requiritur, vt est in personis potentibus. ità etiam loquitur *Rota coram Pamphilio in Sorana iurispat.* 28. *Aprilis* 1603. *vers. non obstat, & in Iacen. Parroch.* 27. *Iunij* 1603. *coram eod. vers. non obstat.*

131 Ratio est, quia hæc quasi possessio in potentibus vsurpata præsumitur. *Put. dec.* 55. *ibiq; additio in fin. Rota in recẽt. apud Farin. dec.* 53. *n.*2. *&* 7. *sũ.* 1.

132 Neque obstãt DD. ab aduersa parte laudati: nam *Seraph. dec.* 1120, *n.*4. præterquàquod loquitur in priuatis; requirit quasi possessionem de præsenti; ideòque perpendit vltimum statũ; ac præterea loquitur de pertinentia iurispatr. in qua leuiores probationes sufficiunt, vt superiùs dictum est. *Mascbard. concl.* 959. *n.* 19. *&* 20. requirit famam cum longissima quasi possessione; ac loqui intelligendus est de personis priuatis, non verò suspectis, nè communi opinioni aduersetur.

Eodemque pacto explicandus est idem *Mascbard. concl.* 753. *nu.* 47. vbi ait, iuspatronatus probari per famã; intelligendus enim est, iuncta longissima possessione, nè sibi ipsi contradicat. Cum præsertim hic auctor, sicut & cæteri omnes, hanc doctrinam desumpserint *ex Baldo in l. cum super C. de rei vendicat. & in Authent. Quas actiones nu.* 15. *&* 16. *C. de sacr. eccles.* qui quidem vtrobique minimè loquitur de probando iurepatr. sed de ostẽdenda descendentia per matrimonia successiua; id quod potiùs spectat ad demostrandam pertinentiam, quàm existentiam iurispatronatus, vt patet: redditque rationem idemmet *Baldus in d. l.* quia antiqua facta probantur per indicia, & per famam *ex Innoc. &c.* cuius etiam rationis vlteriorem rationem reddit in suo casu: *multum enim valet*, inquit, *ad probandum iuspatronatus* (idest pertinentiam, de qua loquebatur) *antiquissima possessio.* Atque in ijsdem prorsus terminis loquitur *in d. Authent.* vbi de probanda centenaria possessione principaliter quæstionem instituit. *& Cassador. dec.* 2. *de probat. n.* 4. *&* 5. refert eumdẽ *Bald. & nu.* 6. requirit saltem centenariam possessionem secundùm *Fider. de Sen. consf.* 334. Vide quæ dicemus §. *sequenti.*

133 Sunt etiam hoc loco diligenter annotandi plures defectus, quos patitur fama, quam aduersarij se probasse opinantur: etenim non est constans, incon-

concussa, solida, ac perperua, vt certè esse debuerat, vt *ex Bald. Afflict. & alijs* voluit *Rota apud Ludou. dec.* 455. *n* 6 *& dec.* 498. *n.* 13. *& vtrobique Beltram. littera E. & D.* qui alias *Rotas* allegat, *& Menoch. conf.* 191. *nu.* 86. *Caual. dec.* 6. *n.* 5. Adsunt enim in contrarium ea omnia, quæ iam attulimus, & afferemus pro ecclesiæ libertate, ex quibus planè confunditur: probatio enim famæ, vt releuet, nihil in contrarium, ac nullam prorsus contradictionem habere debet: *plures apud Roland. conf.* 3. *nu.* 84. *lib.* 1. *Rota in vna Ouatens. canon.* quos sequitur *eadem Rota apud Ludouis. dec.* 325. *nu.* 17. *& dec.* 498. *n.* 14. Accedit, quòd libertas nostrorum beneficiorum *infrà sect.* 3. euidenter, ac positiuè demonstrabitur: quæ quidem probatio præferri debet, quippe innixa iuris præsumptioni: *eadem Rota d. decis.* 489. *n.* 15. post alios, quos citat. Vnde ipsa apud eumdem *Ludouis. dec.* 325. *n.* 16. rectè post alios docet, non esse admittendã probationem per famam super eo, contrà quod militat præsumptio iuris in contrarium: *vide nu.* 135.

Quàm verò fragilis sit probatio per famam, nemo est, qui nesciat: de qua re videndus est *Farinacius pract. & theor. crim. tract. de testibus quæst.* 47. qui latè hanc rem pertractat. Vndè rectè notant DD. quos sequitur *Rota apud Ludouis. d. dec.* 325. *nu.* 18. famã facillimè prosterni, cum ex iure quodam priuilegiato procedat.

§. V.

Quarta ratio Comitis ex enunciatiuis desumpta.

SVMMAE.

134 *Quarta Comitis ratio ex enunciatiuis, quæ non probat, nisi longissima possessioni adiungatur.*

135 *Enunciatiuæ habent vim famæ, & ideo debent esse vniformes, solidæ, sine contrarietate, &c. ac præsertim emanatæ à personis non suspectis.*

136 Garçia *explicatur.*

137 *Enunciatiuæ non probant, quando agitur de veritate enunciati.*

138 *Neque habent vim, nisi procedant ab habentibus potestatem super his, quæ proferunt.*

139 *Neque probant, si emanarunt ab illis, de cuius principali interesse tractatur; cum habeant vim famæ, quæ non debet originari à parte interessata; alioqui neque adminiculari potest.*

140 *Assertiones* Papæ *in casu nostro potiùs sunt negatiuæ, quam affirmatiuæ, & processerunt ad partis instantiam. Itèm ius præsentãdi nõ arguit iuspatr.*

141 *Papa loquitur conditionatè; & quamuis assertiuè loqueretur, non probaret iuspatr. ex fũdatione, vel dotatione.*

142 *Episcopi assertiones, emanatæ absque causæ cognitione, non probant iuspatr. quin neque sententia, aut confessiones illius: ideoque assertio Archiepiscopi de Aedo nihil probat in re nostra.*

143 *Minus assertiones Vicarij Generalis probant iusp. &* n. 162.

144 *Et multò minus assertiones Comitum, de quorũ principali interesse tractatur &* n. 139.

145 Seraph. Viuianus, *& alij explicantur.*

146 *Imperatoris, Regis, aut Papæ, interesse habentium, assertioni non creditur.*

134 EAmdem vim, quam obtinet fama, habet etiam probatio resultans ex pluribus enunciatiuis antiquis diuersorum instrumentorum, quæ famæ æquipollent secundùm *Rotam apud Garc. par.* 5. *cap.* 9. *nu.* 88. vt scilicet tunc probet, cum longissimæ quasi possessioni adiungetur: at nihil penitus valet quoad personas de vsurpatione suspectas, vt colligitur *ex eodẽ Garc. loco cit. & expressius ait loco citando, & diximus suprà num.* 130.

135 Et quidem doctrina tradita ab eodem *Garc. par.* 12. *cap.* 2. *num.* 249. potiùs nobis fauet, quam aduersarijs: ait

ait enim post plurimos, verba enunciatiua plurium instrumētorum antiquorum vim famæ obtinere, eamque in antiquis probare, dūmodo sit vniformis, & solida, constans, & illæsa, sine varietate, & contrarietate; atq; etiam dummodo hæc instrumenta antiqua à diuersis, non ab ijsdem personis originem habeant; ac verba ipsa enunciatiua sint clara, *ex Rota dec. 168.n.9.par.2.diuers.& in recēt. apud Farinac.tom.1.dec.333.nu. 3. Seraph. dec.355.nu. 5. & ibi notat Theodosius Rubeus eodem num. 5.fol. 59.* quæ omnes docent, famam etiam in antiquis debilitari, vbi aliquid in contrarium adest: probatio enim, quæ est obscura, non releuat: *Mantica dec.88.nu.3. ex cap.in præsentia,de probat. l. non hoc C.vnde cognati.*

Item quod originem habeant à diuersis personis nō suspectis: non enim publicæ vocis, & famæ vim obtinent hæ enunciatiuæ, si à suspectis emanarunt: vt probat *Garçia loco citato nu. 257.& 258. & Rota*, alijque DD. & nouissimè *Ferentillius ad Buratti dec. 172.num.33.* vbi plures *Rotas, & Doctores* allegat. *Vide infrà num.* 139. Et per hanc famam, per enunciatiuas probatam, *Garçia* non aliter vult ostēdi vnionem, de qua ipse loquitur, quā nisi cōcurrente longissima quasi possessione ipsius vnionis, iuxtà illud, inquit, quod aliàs in simili de iurepatronatus tradit *Achill.decis.6.de iurepatr. aliàs 319.* Puteus *decis. 56.& 135. in fin.lib.1.& dictum est suprà par.5.cap. vlt.à num.* 87. quamuis enim aliàs in antiquis probationes leuiores præsūptiuæ, & coniecturales admittantur; hoc tamē contrà possessorem, præsertim qui præscripsit, nō obtinet locum, contrà quem actor plenissimè probare debet, nihil obstante temporis antiquitate, vt docent innumeri apud eūdem *Garc.loco citato n. 270.& seq.*

136 Ex his patet, nihil nobis officere *Garçiam*, vt aduersarij arbitrantur: loquitur enim ipse de vnionis probatione, non iurispatr. ad cuius probationem, præter famam, longissima quasi possessio requiritur in personis priuatis; non tamen satis est in suspectis, vt sæpè admonitum est; & nihilominus ipsemet *Garçia*, etiā in vnionis probatione, iure, præter famam, longissimam exigit possessionem. Deindè fama in re nostra, nequaquam est vniformis, constans, & illæsa absque varietate; constat enim ex scripturis varietas, & contrarietas; verba sunt dubia, & obscura; enunciationes à personis suspectis promanant.

137 Sed, vt rectè intelligatur, quam vim tandem habeant enunciatiuæ in materia probationis. Notandum est primùm, enunciatiuas, seu assertiones, quæcumque, & cuiusque illæ sint, nihil omninò probare, quando principaliter dubitatur, & agitur de veritate enunciati. *Ità Rota apud Seraphin. dec.1278.num.2.post.* Paris. *conf. 94. n.19.lib.1.Put.dec.381.n.5.lib. 1. Rota in recent.decis.568.n.4.par.* 2. quæ loquitur in materia iurispatronatus, aitque ità sæpè fuisse decisum; sicuti & *Rota* in eadem materia *apud Viuiā. dec.9.n.7.& tom.5.diuers.dec.197.n. 70.* loquens etiam de iurepatr. allegat *Clement. final. in fin. de sententia excommunicationis, Paris.conf.114.n.22. lib. 4.Aret.conf.23.nu. 8. & seq.* vbi dicit, hoc procedere, etiāsi super tali assertione Papæ intentio fundetur: *Dec. consf.102.n.15.latè Aymon. de antiquitate temp.par.1.§.1.nu. 9.* præsertim quando concernit interesse partis: *Caputaquen.dec.337.nu.5. par. 3.& fuit in puncto dictum in causa Sorana iurispatronatus* 28. *Aprilis* 1603. *coram Pāphilio*; cuius verba referemus *infrà n. 141.iterum Rota per Farinac. in Posthum.par.1.dec.12.n.5.& dec.93.n. 2. in fin.Theodos.Rub. in singul. par. 1. in notis ad dictam decis.* 1278. *Seraphin. fol.mihi* 116. *& post Alex. Dec. & Aymon.decidit Rota in recent. tom. 4. dec. 580.n.3.*

138 Notandum est secundò, etiam in ali-

aliquorum sententia, qui ab aduersa parte contra nos laudantur, huiusmodi enunciatiuas non habere vim, nisi ab ijs procedant, qui potestatem obtinent super his, quae proferunt. *Rota in recent. apud Farinac. tom. 1. dec. 53. num. 7.* & in re nostra facultatem habent concedendi denuò iuspatr. ex sententia *Decij*, quem ferè omnes in hoc puncto sequuti sunt, *in authent. si quis in aliquo C. de edendo*, & aliorum quos citat, & sequitur *Ludouic. conclus. 521. ampliat. 11. & Mascbard. concl. 959. nu. 23. & 24.* cuius auctoritati aduersarij plurimùm innituntur: qui tamē, sicuti & caeteri ab ijs laudati, ab aliorum sententia minimè discedunt. Atque hoc quidem monitum maximè locum obtinet in assertionibus Episcoporum, qui nullam prorsus facultatem habent cōcedendi iuspatronatus, ac benefitia seruituti subijciendi, vt postea dicemus.

139 Notandum est tertiò, has enunciatiuas indè etiam amittere vim probādi, si fortè à psonis suspectis processerunt, vt antea *num. 135.* dictum est. Id quod certissimè locum habet, cum ab ijs emanarunt, de cuius principali interesse tractatur. *Ità Rota apud Burat. dec. 570. num 4. tom. 2. post Aret. in cap. cum causam n. 21. de probat. Achill. dec. 8. n. 1. & 3. de iurepatr. Hieronym. de Monte de finib. regund. cap. 60. nu. 11. & dictum fuit in decisionibus ab eodem Buratto citatis.* Neque obstat, vt ait eadem *Rota Buratti*, quòd etiam à personis suspectis emanatae probēt, concurrentibus adminiculis; quia id putabant DD. procedere in enunciatiuis, quae processerunt solùm à suspectis, vel aliquo modo interessatis, quorum personae non omninò repellūtur, sed de fide diminuitur; secus quando sunt enunciatiuae ipsius partis, de cuius totali interesse tractatur, cum etiā in antiquis habeant tantùm vim famę *l. cum aliquis. vbi Bald. Salicet. & Castrens. C. de iure deliber. Aymon. de antiquit. tempor. par. 1. §. ampliatur. sub n.* 18. fama autem non debet ortum habere à parte, in cuius fauorem tendit. *l. miles §. fin. vbi DD. ff. de adulter. Salicet. Soccin. & alij.* Et cum nullum probationis gradum constituat, adminiculari non potest: nam aliàs, inquit *eadem Rota*, esset dare nimis magnum priuilegium praedictis enunciatiuis, vt notat *Achill. d. dec. 8. n. 1. de iurepat. & fuit dictum in alijs decisionibus. Vide n. 144. & seq.*

140 Quod igitur attinet ad assertiones, seù enunciatiuas, quae ab aduersarijs afferuntur, aio, eas nil penitus illis suffragari: eae enim vel sunt Papae; qui tamen, vel loquitur referendo; *vt dicitur, vt asseritur*; qui quidem modus loquendi potiùs sonat in negatiuam, quàm in affirmatiuam, & inducit maiorem praesumptionem vsurpationis in suspectis; ac importat solam praetēsionē iurispatronatus, *Rota in Lacens. parroch. coram Pāphilio 27. Iunij 1603. ex Cassador. dec. 4. in princip. nu. 9. de probat.* & sic non est consideratilis, vt post Rotā, & alios notat *Lotterius lib. 2. quaest. 13 n. 144.* saltem nō est assertio, siuè locutio affirmatiua, & qui ea vtitur, affirmare non dicitur suum dictum *Cassad. dec. 4 n. 8. de probat.* & fuit resolutum *in vna Calaguritana confident. 14. Decembris 1592. coram Penia, apud Barbos. de claus. vsufr. claus. final. 188. n. 2.* vbi *n. 4.* monet, per haec verba impersonalia nihil concludi, ac proindè considerari huiusmodi narratiuam, ac si facta non fuisset, *Authētic. si quando C. de constit. pecun.* & fuit dictū *in Romana aperitionis oris 8. Martij 1613.* quae *apud Farinac.* est *decis. 461. nu. 9 par. 1. Recent. Gonzal. gloss. 31. nu. 12. & 13. Garc. par. 5. cap. 9. nu. 99.* 141

Notat etiam *Massobrius in praxi ad contursum pralud. 7. dub. 2. à nu. 12.* hanc clausulam apponi pro cautela impetrantis, dum dubitat, an beneficium sit de iurepatr. Et quamuis absolutè, & simpliciter Pōtifex iusp. narraret, nihil obstaret: nā per Papae narrati-

ratiuam, iuspatronatus non probare, ostenditur copiosè à *Riccio in praxi nouiss. resolut.* 144. qui omninò in hoc puncto consulendus est.

Tanto magis in re nostra, vbi Papæ (Innocent. VIII. in assertis literis Fra Syluestri Carbonelli, de qua *infra num.* 246.) assertio, seù narratio apertè ad partis instantiam processit vt patet in initio Epistolæ, ibi: *Exponi nobis curauit quòd ipse aliàs de dicto Prioratu ad præsentationem tuam, &c.*

Præterquamquod ius præsentandi non arguit iuspat: *vt dixi suprà nu.* 47. Haberi enim potest ius præsentandi ex quadam honorantia offerendi, & nominandi beneficiarium sibi beneuolum, & gratum, vt ait *Gonzal. gloss.* 18. *n.* 90. *post Gemin. Dec. & Ferret.* & explicat *Rota coram Pamphilio in Sorana iurispatr. vers. nec obstat, sub die* 28. *Aprilis* 1603. & vide alios à nobis citatos *d. num.* 47. Quocirca prædicta clausula explicari debet *ad preces tuas, ad petitionem tuam, &c.* & nihil roboris habet ad iurispatr. probationē, cum ad partis instantiam processerit, vt dictum est. Omitto, huiusmodi epistolam (verè epistola est missiua, non sententia, vt non rectè aduersarij volunt) esse de falso admodum suspectā: non enim est in more positum, vt Papa priuatim in rebus similibus scribat: cum præsertim superflua fuisset, dum aderant, vt ibi supponitur, literæ executoriales censuris munitæ. Item non est authentica, nec recognita in Regno, vt moris est. *Vide d.n.* 226.

241 Vel Papa loquitur conditionatè, *si & quatenus est de iurepatronatus*: cōditio autem nihil in esse ponit, *vulgai l. si quis sub conditione ff. de condition. instit.* per quem textum ità decidit in re nostra *Rota diuers. tom.* 4. *dec.* 564. *nu* 0. *& apud Ludouis. dec.* 417. *n.* 3. & 4. *ibique addit. nu.* 1. *Postius de manut. tenendo obseru.* 32. *nu.* 17. & 18. *Garc. par.* 5. *cap.* 9. *n.* 99. *Ricc. in praxi nouiss. resolut.* 146. qui omnes docent, in hoc casu debere omninò cōstare de iurep. ex fundatione, vel dotatione. Et quāuis assertiuè loqueretur, non tamen motu proprio, sed ex suppositione, quod extaret iuspatronatus. Quinimmò, quamuis motu proprio loqueretur; nihil tamen in personis suspectis probare, dixit *Rota apud Alphons. de Leone de officio cappellan. quæst.* 45 *praxi* 2. *n.* 102. Neque dixit vnquam in prouisionibus, quòd illud esset ex fundatione, aut dotatione: vnde sequitur, quòd, si verè extitisset, præsumendum erit, fuisse ex priuilegio, aut ex vsurpatione; præsertim in personis potentibus, ac per consequens per Concilium intelligitur reuocatum, *Rota apud Viuian. dec.* 9 *n.* 6. *Rota diuers. dec.* 409. *tom.* 1. *& dec.* 557 *nu.* 1. *vers. vnde, tom.* 4. *Rota in recent. tom.* 1. *dec.* 154. *nu.* 8. *Ricc. in praxi nouiss. resolut.* 144. *Grilen. cons.* 107. *à n.* 15.

Pro hac re tota omninò legenda erit *decisio Rotæ corā Pamphilio in causa Sorana iurisp.* 28. *Aprilis* 1603. ibi: *quæ dicuntur de narratiua literarum Leonis X. in quibus dicitur, quòd huiusmodi beneficia de iurepatronatus Comitis Alberti esse noscantur, non suffragātur Comiti cum non loquatur de iurepatronatus ex fundatione, vel dotatione, & posset intelligi ex priuilegio, quod est sublatum à Concilio: vltra quòd hæc narratiua non fuit facta motu proprio, nec continet factum proprium ipsius Leonis, sed est ad supplicationem partis, & ità non tribuit aliquod ius, nec probat iuspatronatus, de quo principaliter dubitatur, Clement. fin. in fin. de sententia excommunicationis, Paris. cons.* 14. *nu.* 21. *vers. insuper lib.* 4. *Aret. cons.* 33. *nu.* 8. *& seq. vbi hoc dicitur procedere, etiā si super ea fundetur intentio Papæ. Decius cons.* 602. *num.* 15. *cum alijs relatis per Aymon. de antiquit. tempor. par.* 1. §. 1. *num.* 9. *præsertim quod continet interesse partis, Caputaque. dec.* 337. *nu.* 5. *par.* 3. Hanc eamdem decisionem in causa Sorana totidem verbis sequitur *Rota diuers. dec.* 197. *nu.* 69. *& seqq. to.* 5. & vtraque respondet *decis.* 523. & 524.

524.*par.4.diuers.* in quibus agebatur de assertione Papæ facta motu proprio, & super facto, quod sibi causa cognita innotuerat; neque agebatur de existentia, sed pertinentia iurispatr. & ideo probationes ordinariæ sufficiebãt. Et hæc de assertione Papæ.

142 Vel sunt assertiones Episcopi, quæ, cum non sint cum causæ cognitione, nec iuspatronatus probare, nec ecclesiæ, ac successoribus præiudicare possunt: *Rota in Recent. apud Farinac. tõ. 1. dec. 53. nu. 7. & dec. 333. & tom. 3. dec. 421. n. 3. Verall. dec. 128. nu. 3. par. 2. Macerat. resol. 80. n. 9. lib. 1. Ric. dec. 117. par. 3. & dec. 274. nu. 3. par. 4. & praxi nouiss. resol. 20. post Bald. & alios & resol. 97. n. 3 & resol. 113. num. 1. in fin. post Rot. Caualc dec. 11. nu. 99. par. 3. Paris.* referens ità obtinuisse, *de confident. quæst. 28. n. 250, & seq. post Ripam lib. 2. resp. cap. 28. Borrell. summ. decis. tit. 33. de iurep. num. 103. tom. 1. Lotter. lib. 2. q. 13. n.* 140. qui citat *Rotam dec. 154. n. 7. in recent. par.* 1. quæ quidem expressè statuit, personas suspectas probare debere titulum iurispatr. iuxtà requisita à *Trident.* nec sufficere enunciatiuas, confessiones, aut assertiones Ordinarij: præsumuntur enim extortæ, vt *Lotterius* ait.

Et non solum enunciatiuæ, sed neque sententiæ Episcoporum quicquã in re nostra conuincerent, cum omninò requiratur probatio iuxta formam à Cõcilio traditam, nempè per immemorabilem cum præsentationibus cõtinuatis per 50. annos, effectum sortitis, ostensisque per authenticas scripturas, vt docuit *Rota diuers. tom. 5. dec.* 126. *n.* 12. 13. & 14.

Neque vero hìc omittenda est alia eximia doctrina eiusdem *Rota tom.* 5. *dec. 197. n. 49. &* 50. vbi: *licet*, inquit, *ordinarius in institutione dixerit, cognito tamen priùs de iurepatronatus, &c. attamẽ ista assertio Episcopi non suffragatur sed ex actis probari debet, fuisse cognitum super iurepatr. iuxtà terminos Concilij; quia non statur assertioni facta per Ordinarium, vt in nostris terminis* Rota *decis. 421. num. 3. vers. minus obstare par. 2. in recent. & in causa Mediolan. iurispatr. 21. Aprilis 1589. corã* Perusino, *& in causa Albanens. iurispat. 22. Iunij 1492. in fine coram Gipsio, & in causa Roman. parochialis de Publicolis 31. Ianuarij 1600. coram Episcopo Pacens. vers. nec obstat. Idem est in probatione iurispatr. quod debet fieri de iure cõmuni, nisi verificetur ex actis:* Rota *dec. 199. n. 5. vers. ex his, par. 2. diuers. & dec. 235. n. 4 par. 2. Recent. vbi dicitur, nõ credi etiam assertionibus iudicis, nisi facta sint præuia causa cognitione, & de illis apparet in processu iuxtà cons. Soccini 47. nu. 15. vol. 4. Nec confessio Episcopi, quòd beneficium sit de iurepat. præiudicat ecclesiæ, Caputaque. dec. 128. par. 2. n. 4, Rota d. dec. 421. nu. 3. in fin. vers. tamen etiam tom. 3. par. 2. in Recent. & deberet etiam constare, fuisse citatum procuratorem fiscalem, de cuius interesse agebatur, Seraph. d. dec. 1395. n. 7. vers. nec fuit citatus, nos infrà à nu.* 61.

Eadem Rota loquens in casu personæ potentis: *neque,* inquit, *in hac facti specie discutiendum erit quid possit operari assertio Episcopi, si ageretur de probãdo iurepatr. in familia non potenti; quia, cum agatur de familia potenti, requiritur immemorabilis, cum præsentationibus effectum sortitis spatio 50. annorum, quæ debent probari per scripturas authenticas: quæ probatio requiritur à* Concilio *pro forma, ità quòd aliter facta, vt per testes, vel aliud æquipollẽs, non suffragetur, vt pluriès fuit resolutũ per sacram* Congregationem Concilij *& per Rotam in causa* Sabinens. *beneficij 15. Octobris 1581. corã* Robusterio, *Rota decis. 199. num. 4. par. 2. diuers. coram Clement. VIII. & in causa nullius Archipræsbyteratus 2. Maij, & 1. Iulij* 1588. *coram* Pamphilio, *& in Alben. Prioratus 26. Nouembris 1588. coram Orano, in Aquinatens. iurispatr. 19. Ianuarij 1590. coram Mantica, & aliàs sæpissimè, & nouiter Gonzal. gloss. 28,*

num.79.Gratian.discept.168.num.21. *Quę adeò vera sunt, vt nec sufficiat probatio præsumpta, qua resultat ex enunciatiuis, & institutionibus Episcoporum de præsentationibus coram ipsis factis, vt fuit resolutum in causa Aquinatens. iurispatr. 9. Iunij 1600. coram Seraph. & in Iacens. parroch. 27. Iunij 1603. coram eodē, & nouissimè articulo maturè discusso in causa Terracin. canonic. 10. Aprilis 1628. corā Mellino, in qua, licet pars informans contrarium prætēderet, contrà ipsam solam informantem Rota respondit.* Hæc Rota. vide infrà *n.* 163.

Atque hinc sequitur, nullius esse momenti assertionem Archiepiscopi de Aedo, quam tanti faciunt aduersarij; non solùm ex modo dictis, sed etiā, quia est in Epistola quadam, quam scripsit vti priuatus in fauorem eiusdē Comitis, ac Don Petri Scarpaci, à Comite asserti præsentati, aitque, illud medium fuisse adinuentum, (dandi, scilicet 300. aureos pensionis D. Io. Baptistæ Galletti prouiso Apostolico) vt iuspatr. recuperaretur: ex quibus sanè verbis potiùs colligeretur, amissum fuisse iuspatr. si aliquando extitisset, vt verè nunquam extitit: recuperatio enim supponit amissionē: & quidem Episcopi literis non creditur, cū de non spectantibus ad eius officium testatur: post *Innoc. & alios Ric. in praxi nouiss. resol.22.nu.4.* Et iure Archiepiscopus Comiti fauebat: erat enim illius Procurator, & vti talis Procurator ad Prioratum Sancti Ioannis Grecorum nepotem suum D. Ferdinandū Mattienzo præsentauerat: ipsique Archiepiscopo admodum commodū erat, Comitem habere plures patronatus, vt de illis ipsemet tamquam Procurator prouideret: vel saltem, qui pro tempore Procurator fuisset, id efficeret, vt certè accidit in personam eiusdem de Mattienzo: omnes enim procuratores, ac ministri Comitis cū eodem Archiepiscopo negotia cōsultabant, vti Comitis amicissimo, vt cōstitit per testes. Et hæc de assertione Episcopi dicta sint.

143 Vel sunt assertiones Vicarij Generalis, quæ multò minus probant, quam assertiones Episcopi, vt bis decisum fuit à Rota, quam citat, & sequitur *Mascardus concl.959 num.28. & plures apud Macerat. resol. 80. nu. 9. lib. 1. Ricc. dec.274. n 3. par.4.*

144 Vel sunt assertiones ipsorum Comitum, suorumque Procuratorum; quæ sanè nihil probant, cum à personis suspectis emanauerint: *Rota diuers. dec. 564. num. 10. to. 4. & in Posthum. Farinac. par. 2. dec. 276. num. 8. Achil. dec. 8 de iurepatr. Genuens. in praxi cap. 82. num. 3. Mantica decis. 235. num. 5. ac plures Rotas, & DD.* refert, & sequitur *Garc par. 12. tit. ca 2 nu. 257. & 258.* Iterum *Mantica dec. 88. num. 4.* ab aduersarijs allegatus. *Vide suprà n. 139.*

145 Neque obstat *Seraph. dec. 1141. n. 5.* citans *Achill. dec. 5. de iurepatr.* Nam ibi solum dicit, plures enunciatiuas habere vim famæ, & hanc quidem probare iuspatronatus, concurrente longissima quasi possessione præsentādi: id quod etiam à nobis adnotatum est suprà.

Eodem modo loquitur *Viuian. par. 2. lib. 11. cap. 5. num. 49. & Garc. par. 5. cap 9. num. 91.* vbi ait, has enunciatiuas pro adminiculis haberi. Hi autē omnes, cæterique, contrarium innuētes, loquuntur in sensu *nu.* 138. suprà explicato: nemo enim dicit, enunciatiuas personarum, interesse habentiū, aliquid probare.

146 Id quod adeò verum est, vt neque ipsimet Regi firmiter asserenti credatur, si interesse habeat in eadem re, vt rectè probauit *Decius cons. 445. n. 60. post Isern. aliosque,* quē citat, & sequitur *Mantica in tract. de tacit. lib. 3. tit. 11. num. 12. Gram. dec. 105. num. 64.* & Siculi consulentes in celebri causa Palazzoli, post plures *Menoch. consil. 378. num. 3. lib. 4. Alex. cons. 124 lib. 1. Becc. cons. 16. num. 22. Schrad. de feudis par. 9 sect. 13. num. 1.* qui id etiam ad

Im-

Imperatorem, & Papam extēdit, quãuis illud in mortis articulo asseueret: idemque dixit *Torniell. consf. 23. à nu. 29. Rosental. de feud. cap. 11. q. 11. à n. 18.* Hinc benè dixit *Menoch. d. consil. 378. num. 5.* nō valere decretum, quo cauetur, quòd credatur Principis assertioni, attestantis de crimine læsæ Maiestatis: est enim contrà naturalem æquitatem, vt idem sit pars, & testis. Semper autem recolendum est, nos versari in iurepatronatus à personis suspectis prætenso, in quibus hæc probatio per enunciatiuas, etiam concurrente longissima quasi possessione, locum non habet, vt diximus suprà *nu. 130.*

§. VI.

Quinta ratio ex præsentationibus desumpta.

SVMMAE.

147 Quinta Comitis ratio ex præsentationibus, quæ non probant, nisi sint effectuata, præsentatio vero dicitur effectū sortita, si sequatur acceptatio, institutio, & possessio.

148 Quinquagenaria, à Concilio requisita, à quo die initium sumat.

149 Præsentationes solæ, etiam multiplicatæ, non sufficiunt absque immemorabili.

150 Concilium inanem reddit omnem possessionem iurispat. nisi titulus probetur.

151 Doctores ex aduerso allegati, loquuntur de pertinentia iurisp. & non de existentia; & nemo docet, per solam possessionem ostendi titulum, nisi sit immemorabilis.

152 Refertur decisio Rotæ, quæ est formalis decisio nostri casus.

QVoad præsentationes, quæ ab aduersarijs afferuntur, præmonendum est id, quòd probauimus suprà §. 2. & 4. sect. 1. non satisfieri Concilio, si solæ præsentationes proferatur, nisi etiam illæ immemorabili tempori coniūgātur in priuatis ꝑsonis: in suspectis verò adsint quoque continuatæ quinquaginta annorum, effectum sortitæ, idest quòd illas præsentatorum acceptatio, & ordinariorum institutio, atque etiā possessio subsequutæ sint: vt post *Calder. Oldrad. & plures Rotas* ait *Gonzal. gloss. 18. n. 85. & seq. Ricc. in nouiss. praxi resol. 116. Viuian in praxi iurispatr. lib. 11. cap. 5. n. 82. & alij passim.*

148 Qui quidem quinquaginta anni, quorum meminit Tridentinum, ab illo die initium sumunt, quo apparet, factam fuisse primam præsentationē, & antiquiorem productam in actis, cū subsequenti institutione: ità decidit *Rota apud Campanil. in diuers. iur. canon. rubr. 11. cap. 13. n. 426. Viuian. in praxi lib. 11. cap. 5 n. 86. Barbos. de potest. Episcopi allegat. 72. nu. 59. Nouar. in pract. noui iur. Pontif concl. 2. de iurepatr alias 95. n. 5 post Rotam.*

149 Quod verò non sufficiant *Tridentino* præsentationes solæ ad titulum iurispatronatus ostendendum, sed requiratur quoque immemorabile tempus, mihi videtur manifestum: ait enim Concilium, ostēdi posse huiusmodi titulum ex multiplicatis præsentationib: vbi apertè supponit dari, probarique has multiplicatas præsentationes, quæ ad minus duæ esse debent, vt communis omnium sententia docet: eas tamen non satis esse censuit, ideòque addidit, ex illis ostendi quidem iurispatronatus titulum, si fuerint per antiquissimum temporis cursum, qui hominum memoriam excedat. Non igitur Concilio solæ præsentationes satis fuerunt: si enim id fuisset, profectò non statim exigisset antiquissimi temporis cursum. Quamobrem illi quoque, qui censent, ijs Concilij verbis, *Aliàs quàm secundum iuris dispositionē*, tertium probandi modum constitui; ingenuè fatentur, illo minimè includi probationem, quæ tempori innititur, cuiusmodi illa est, quæ ex multiplicatis præsentationibus desumitur: illud

enim

enim semper immemorabile esse debere, Sacra Concilij Congregatio declarauit, vt diximus suprà *n*. 48. Quoniam verò hæc declaratio plurimum rei nostræ conducit, ideò illam hoc loco transcribere decreuimus. Ità ergo loquitur.

An si quis probauerit, se per quadraginta annos præsentasse, & in possessione, seù quasi se fuisse, ad præsentandum admitti debeat, non obstante decreto Concilij hoc cap. cum aliàs titulus præsentationis 40. annorum esse videatur, & prædicto decreto conformis, ibi, Aliasuè secundùm iuris dispositionem; *conclusum est, Congregationem censuisse, non debere admitti, nec obstant illa verba*, aliasuè secũdùm iuris dispositionem, *quia Congregatio intelligit, vt non respiciant tempus, de quo iam expressè suprà disposuit, & voluit esse immemoriale, &c.* Hinc eadem Congregatio apud *Garc. par.* 5. *cap.* 9. *n.* 145. *vers. tertia*, perpendens breue quarumdam præsentationum tempus, ità decreuit: *an satis sit afferenti, sibi competere iuspatr. ex fundatione aut dotatione, si in vna, aut altera præsentatione de anno* 1554. *&* 1561. *quæ effectum sortita fuerint, ostendatur. Congregatio censuit, non esse satis die* 10. *Febr.* 1581. Concilium ergo non solas præsentationes requirit, sed tempus etiam immemoriale exigit, quod necessarium, & satis est ad titulum præsumptum ostendendũ.

150 Id quod vlteriùs probatur, & explicatur: etenim per plures præsentationes, solitariè acceptas, idest immemoriali tempori non coniunctas, quid aliud, quam possessio iurispatronatus ostendi potest; vt certè aduersarij ostẽdere conantur, innumeris penè DD. allegatis? At verò id Concilio non satis est, cum tituli, non possessionis probationem requirat. Quinimò in *sequẽti* §. inanem reddit omnẽ prorsus possessionem, si titulus per formam ab eo traditam non ostendatur, vt latè explicuimus *à n.* 60. vnde etiam reiecta remanet aduersariorum pretensio, volentium, sibi concedi manutentionẽ; quæ tamen post Concilium locum nõ habet, vt dixmus *n*. 68.

151 Neque huic doctrinæ contradicũt nonnulli, quos aduersarij laudãt: eorum enim plures, non de probando iurepatr. sed, de eo plenè constito, solùm de eius pertinentia loquuntur, docentque, esse manutenendum in possessione illum, qui in ea reperitur, vt notat *Postius de manutenendo obser.* 32. *nu.* 26. *& seq. Ferentill. ad Buratt. dec.* 139. *nu.* 17. & ita loquuntur *Rota, relatæ à Riccio in prax. nouiss. resol.* 84. *n.* 4. *& ipse Ricc. ibi à nu.* 1. *vsque ad* 4. vbi ait, secus esse, cum agitur de existentia iurispatronatus, quia tunc sola quasi possessio nõ suffragatur, nisi priùs verificato iurepatr. cum causæ cognitione ad formam Concilij, idest probato titulo, & ità ait fuisse sæpissime in *Rota* decisum, refertq; nonnullas decisiones: *Ludouis. dec.* 349. *nu.* 2. *& dec.* 452. *n* 6. *&* 19. qui *d. dec.* 349. *n.* 7. monet, quòd si prouisus vti de libero, consensum à prætenso patrono petat, obtineatque, non ideò hic patronus in quasi possessione præsentandi constituitur: *Rota par.* 1. *diuers. decis.* 791. *n.* 8. vbi *n.* 10. dicitur non constitisse de iurepatr: *Rota in recent. apud Farinac. dec.* 154. *nu.* 4. *par.* 3. *& decis.* 274. *num.* 11. *tom.* 3. vbi etiam expressè fundatio aderat: *Crescent. decis.* 2. *de iurep. Put. dec.* 301. *in correctis*, in cuius causa alius nõ erat in quasi possessione præsentandi, & ius commune nullatenus resistebat.

Nonnulli verò alij ad rem non faciunt, nam *Postius d. obseru.* 31. licet dicat, quasi possessionem præsentandi acquiri ex vnico actu, sequuto effectu; id tamen *num.* 26. limitat, nisi iuspatr. controuertatur, vt monuimus. *Rota in recent. apud Farinac. dec.* 312. *par.* 1. non est in casu quasi possessionis, sed vt in petitorio probat iuspatronatus, & quidem quoad priuatas personas. *Viuian. d. lib.* 11. *cap.* 6. à nobis stat: ait enim, hodiè post Concilium non sufficere

cere docere de quasi possessione, & vltimo statu, nisi doceatur de legitimo titulo iurispatr. ex fundatione, vel dotatione, &c. *quia*, inquit, *derogat non solum titulo, sed etiam quasi possessioni iurispatr. aliter quæsiti, quam ex fundatione, vel dotatione; ideo vt quasi possessio suffragetur, est docendum de titulo.* Et, si rectè DD. placita perpendantur, nemo est, qui velit, possessionem, nisi sit immemorabilis, vllatenus prodesse ad ostendendum titulum iurispatr. iuxtà formam à Concilio stabilitam.

152 Atque hæc quidem omnia locum habent, etiã quoad personas de vsurpatione minimè suspectas: quoad suspectas verò, vt est casus noster; cõsulenda omninò erit *Rotæ diuers. decisio 409. par. 1.* quæ agens de casu nostro simillimo, rem determinat hisce verbis: *Tenuerunt domini, quòd, nisi Octauius probet immemorabilem possessionẽ cum qualitatibus requisitis a Concilio, non constat de iurepatr. ex fundatione, vel dotatione: quia præsumitur quod Ill. D. Frãciscus Vrsinus, qui dicit se patronum sit Dominus, & patronus eiusdem loci, in quo consistit beneficium; ideò intrat suspicio quod sit patronus ex priuilegio, vel alias, & non ex fundatione, vel dotatione, vt ex iuris dispositione præsumitur; & in eodem Cõcilio confirmatur: meritò intrat dispositio illius capituli, Non obstant plures præsentationes cum institutionibus, ac illarum effectu subsequuto ab anno 1522. Quia ista quinquagenaria possessio istis præsentationibus effectuatis non sufficit in istis domi nis loci, nisi, vltrà illas, probetur possessio immemorabilis, vt expressè statuitur in eod. cap. 9. Non obstat confessio Cardinalis Columnæ Episcopi, qui in instrumẽto institutionum fatetur, quod pleni simè sibi constat de dicto iurepatr. Nam domini dixerunt, quod secundùm regulas iuris, confessio debet interpretari in fauorẽ confitentis, vt minus illi præiudicet immò debet suppleri, & adiuuari ex præsumptionibus iuris iuxtà qualitates personarum, & sic potiùs est præsumendum, quod sibi constiterit de iurepatr. ex priuilegio seu consuetudine, vel præscriptione, quàm ex fundatione, vel dotatione, &c.* Hæc Rota.

Hæc quidem decisio est formalis decisio nostræ causæ: respondet enim duobus præcipuis aduersariorum fundamentis, puta præsentationum, & assertionum, quæ euersa omninò remanent ex hac *Rotæ* doctrina, quamuis nihil aliud à nobis adderetur: cum tamen suprà abundè probauerimus, assertiones, seù enunciatiuas, quibus illi innituntur, nullum robur obtinere: atque etiam mox probabimus, minus præsentationes, quas proferunt, Seminario refragari.

§. VII.
De prætensis præsentationibus in beneficio S. Mariæ la Noua.

SVMMAE.

153 *Præsentationes duæ assertæ in beneficio S. Mariæ non complent quinquagenariam à Concilio requisitam.*

154 *Neque effectum sortitæ sunt.*

155 *Doctrina* Oldradi cons. 229. *explicatur.*

156 *Ale duæ assertæ præsentationes nõ fuerũt effectuatæ, neque continuatæ, & nihil probant.*

157 *Ad præsentandum requiritur speciale mandatum, & non sufficit generale, etiam cum libera.*

158 *Speciale mandatum ad præsentandam certam personam non valet.*

159 *Mandatum, etiam enunciatum, ex temporis antiquitate non præsumitur: & nullitas, & illius defectus etiam post mille annos opponi potest.*

160 *Neque quasi possessio acquiritur, non cõstito de speciali mãdato, quamuis instituens de eo testetur.*

161 *Præsentatio illius* de Capraria *nulla fuit, quia erat regularis, & ordinis S. Augustini,* & n. 132.

162 *Item quia fuit facta Capitulo, & sedes*

non

non vacabat: & institutio Vicarij nihil prodest.

163 *Præsentationes probari debent authenticis scripturis; & non sufficit, quòd sint enunciata ab Episcopo instituente, vt est asserta præsentatio illius* de Abarca.

164 *Iste* de Abarca *capit possessionem virtute Bullarum Apostolicarum, & non institutionis Episcopi.*

165 *Derogatio iurispatr. pro medietate patronorum, nullam habet vim, si vnus tantum sit patronus.*

153 IAm verò, quod attinet ad duas præsentationes ab aduersarijs allatas in beneficio S. Mariæ la Noua, quarum prima est anno 1487. altera in actu institutionis enunciata anno 1504. eas nihil aduersæ parti suffragari, manifestum est. Etenim primùm, cum nos in casu potentium personarum versemur, in quibus in omnium sententia, locum non habet Concilij clausula, *Aliasuè secundùm iuris dispositionem*, vt diximus *suprà n. 59. & 129. in fin.* quomodocũque de cætero hæc clausula sumatur, vt hæ præsentationes probarent iurispatr. titulum, immemorabili tempori coniugi deberent, & explere quinquaginta annorum spatium, & effectum sortitæ. Nullum autem horum obtinent: neque enim immemorabilis vllo pacto probatur: deindè ambæ, quamuis essent veræ, & non defectuosæ præsentationes, nonnisi triginta septem annorum spatium complent: nam anno 1487. 15. *Octobris*, ob mortem *Ioãnis de Molino* præsentatus fuit *Bernardus Ioannes de Capraria*, & institutus *die 22. Ianuarij* 1488. ob cuius deindè mortẽ anno 1504. 15. *Aprilis* ab Archiepiscopo instituente in actu institutionis factæ die 15. Iunij eiusdem anni 1504. asseritur præsentatus *Matthæus Abarca*, qui apud Sedem Apostolicam obijt anno 1525. & ità, loquens de præsentationibus triginta nouem annorum, non sufficere decidit *Rota in recent. apud Farinac. decis. 135. tom. 3.* quam transcribit, & sequitur *Campanil. in diuers. iur. can rubr 11. cap. 13. num. 428. & 434. vers. fuit conclusum. Ricc. in praxi par. 1. resol. 132.*

154 Denique effectum sortitę non ostenduntur, cum capta possessio authenticis scripturis non probetur, vt à Concilio requiritur: *Rota apud Gozal. gloss. 18. n. 84 Barbos. de potest. Episcopi allegat. 72. n. 60 Nouar. in pract. noui iur. Pontif concl. 2. aliàs 95. n. 5. Riccius in praxi par. 1. resol. 134 nu. 2.* quicquid dixerit *in praxi nouiss. resol. 105.*

155 Et quamuis *Rota* aliquãdo amplexa sit doctrinam *Oldrad. cons. 224. teste Barbos. in collect. concil. Trid. sess. 25. cap. 9. de refor. n. 60. & de iure ecclesiastico lib. 3. cap. 12. nu* 115. edocentis, præsentationum effectuationem etiã indè probari, quòd per obitum præsẽtatorum aliæ successiuæ præsentationes factæ sint; tamen ea expressè, nõ de præsentationibus, sed de institutionibus, & collationibus loquitur, quarum effectuatio rectè indè colligitur, quia non datur alius titulus beneficiã possidendi: at verò res non ità se habet in præsentationibus, cum alio titulo, quàm præsentationis, beneficiarius potuerit possidere. Vnde si quando *Rota* expressè de pręsentationibus loquatur, non ei admodum deferendũ est, tum ob rationem modò positam, tum etiã quia hæc interpretatio verbis Concilij repugnare videtur; non enim requirit probationem præsentationum simpliciter, sed qualificatarũ, idest continuatarum, & effectuatarũ ac probatio quidem ab eo requisita, cadit super præsentationibus qualificatis, quæ per authenticas scripturas fieri debet.

156 Neque hic in consideratione haberi debent aliæ duæ præsentationes, altera anni 1525. in personam cuiusdã *de Bille*, alia verò anni 1583. in personam cuiusdam *de Iuliana*.

Quia nulla earum effectum sortita est. Nam anno 1525. ob mortem illius *de*

de Abarca, à Clemente Papa VII. de eodem beneficio prouisus fuit *D. Baptista Galletti*, cum iurisp. derogatione per clausulam cōditionalem: *si & quatenus esset de iurepatronatus*. Vndè, quamuis præsentatus sit ille de Billè, non tamen institutionem obtinere potuit, quamuis illam enixè petierit. Ideò anno 1537. præfatus D. Baptista Galletti idem beneficium *Vincentio Galletti* liberè renunciauit, absque vlla prorsus iurispatronatus mentione; neque etiam per clausulam conditionalem. Qui quidem Vincentius illud quoque liberè, nulla iurispatr. mētione facta, *Ioanni Baptistæ Galletti* anno 1581. renūciauit. Sequuta verò morte Vincentij resignantis anno 1583. præsentatus est ille de *Iuliana*, qui neque institutionem obtinere potuit, nec vllatenus impedire literarū Apostolicarum exequutorias, quæ concessæ fuerunt, nihil penitus refragante Comitis contradictione. Præterea neque huiusmodi præsentationes fuisset continuatæ, vt Concilium requirit; discontinuatæ enim, quamuis ducentorum essent annorum, non sufficerent, vt omnes volunt. *Vide Ricc. par. 1. resol. 133. per totam.*

157 Plures quoque defectus huiuscemodi præsentationes patiuntur: ea enim, quæ facta fuit anno 1487. 15. Octobris *à Francisco Oriuerio* nulla penitus fuit: non enim præfatus Oriuerius speciale mandatum ad præsentādum obtinebat, vt necessarium erat, vt valida foret; neque sufficit generale, etiam cum libera administratione: Omnes *in cap. fin. de concess. præben. & passim Rota, ac DD.* hanc doctrinam amplectūtur, vt videre est apud *Garc. par. 5. cap. 9 n. 201. Barbos. tract. de claus. vsufr. clausula 35 num. 40. & de potest. Episcopi allegat. 7. n. 106. Ricc. in prax. par. 1. reso. 171. Macerat. var. resol. 7. n. 14.*

158 Neque dicas, pro præsentatione illius de Abarca adfuisse speciale mādatum anno 1503. Nam fuit speciale ad præsentandum certam personam in beneficio vacaturo, idest Don Matthæum Abarca, ac per cōsequens nullum fuit, vt est *textus expressus in ca. final. de concess. præbēd. vbi omnes DD. Cassādor. dec. 5 de iurepatr. & alij passim.*

159 Neque iterùm dicas, mandatum ex temporis antiquitate præsumi, cōtrarium enim apud omnes receptissimum est, vt scilicet neque per mille annos præsumatur: & ità docent innumeri apud *Menoch. de præsumpt. lib. 2. præsumpt. 14. n. 3 & latiùs præsumpt. 33. Maschard concl. 1007 nu. 43. Ricc. dec. 149. n. 1. par. 2. Nouar. apud eumdem Ricc. dec. 116. par. 2. n. 1.* & loquēs de iurepatr. *Caualcanus dec. 28. n. 6 & 16. par. 3.* ità vt nullitas ex mandati defectu etiam post mille annos opponi possit: *Peguer. dec. 177. Ricc. collect. 2119. par 6.*

Quamuis autem nonnulli velint, mandatum, in antiquo instrumento enunciatum, præsumi, id tamen edocēt locum obtinere, quoties inter eosdem contrahentes, seu ab eis causam habentes, res agitur; secùs verò contra tertium, vt accidit in re nostra: post plures *Caualc. dec 13. nu. 9. & dec. 45. n. 11. lib. 1. Menoch. cons. 1. n. 80. lib. 1. Maschard. concl. 1008. nu. 14.* Imò instrumenti verba mentionem facientia de mandato, nihil probant *latè Intrigl. singul. 73. nu. 14. lib. 3.* vbi innumeros allegat. Omitto, quoad præsentationem illius de Abarca, ibi mandatum præsumi non posse, etiam ex eo, quòd inualidum productum fuit, vt dictum est numero antecedenti.

160 Hinc verò sequitur, nullam fuisse quęsitā quasi possessionem iuris pręsentandi, non constito de speciali mādato præsentantis, etiamsi Præsul instituens de eo attestetur: *Rota apud Put. dec. 245. in correctis lib. 2. & iterū in dec. per titulos decis. 23. & 26. de iurepatr.* & tradunt alij, quos citat, ac sequitur *Cāpanil in diuers. iur. can. rubr. 11. cap. 13. num. 413.* qui omnes rectè

monent,nullam esse institutionem factam vigore huiusce inualidæ præsentationis,etiam factæ vi inualidi mandati.

161 Insuper,quod spectat ad præsentationem *Io. Bernardi de Capraria* etiã nulla fuit(saltem presupposita aduersariorum prætensione,volentium,beneficium Sanctæ Mariæ esse seculare) quia hic presentatus erat Prior Ecclesiæ Cephaledensis ordinis Sancti Augustini,vt in ipsis præsentatione,& institutione asseritur, ac proindè persona regularis erat, ideòque incapax præfati beneficij secularis, ex vulgato iuris axiomate,*secularia secularibus,& regularia regularibus conferenda:* & ità in terminis,loquens de Canonico regulari,dixit post plures *Viuian.par. 2. lib.6.cap.2 à nu.1. Macerat resol.20. à n.12.lib. 1.* vbi in puncto præsentationis nullæ. Quod si velis, vt certè nos volumus,prefatum beneficium S.Mariæ esse regulare, vtputa membrum, seu gangiam Prioratus S.Nicolai de Nemore *vt infr.nu.186.* tunc quidem nulla erit præsentatio, quia præsentatus erat ordinis Augustiniani,at beneficium ordinis Benedictini.

162 Item fuit nulla,quia presentatio facta fuit Capitulo Panormitanç ecclesię sede vacante cum tamen minimè vacaret; erat enim Archiepiscopus *Petrus de Fuxo*, siuè *Foix*, vt constat ex Siculis Annalibus,cuius quidem Vicarius,quamuis instituerit, nulla præhabita causæ cognitione, Archiepiscopo tamen,& ecclesiæ præiudicare non potuit; vt de eius assertionibus antea dictum est,& notat *Maschard.conclus. 959.num.28. post duas Rotas,Caualc. dec.11.num.99. Macerat.resol.86.nu. 9.lib.1.Rota in recent.dec.598.num.8. par.1.Ricc.dec.274.nu.3 par. 4.*

Quod attinet ad assertionẽ huius presentis procuratoris, obligantis Ioannẽ Bernardum ad dicendum missas pro anima *Fundatorum de domo Capraria*, nihil ea probat ex ijs, quæ diximus *supra §.5.* præsertim à *nu.133.* atq; adeò neque vim habet mandatum Archiepiscopi in discursu Visitæ pro istis missis celebrandis factum in dorso contractus accordij,de quo dixi *n.116.*

163 Quo verò spectat ad assertam præsentationẽ Matthæi Abarca, animaduertendum est, eam minimè probari iuxtà formam Tridentini, puta, *authẽticis scripturis*,sed solùm ab Archiepiscopo in actu institutionis enunciatur: etenim Episcopi enunciatiua in actu institutionis,asserentis, præsentationẽ fuisse factam,non probat ipsam præsẽtationẽ, maximè in personis de vsurpatione suspectis,vt pluriès *Rota decidit in vna Aquin.Benef.9. Iunij 1606. coram Seraph. & in Iacen. 27. Iunij 1603.vers præsentationes, & apud Viuian.dec.9.nu 8.Verall.dec.128.num. 3 par.2.Seraph.dec.1367 n 5. Coccin. dec.106 n.3 Macerat.resol. 80. nu. 9. lib 1.Gonzal.gloss.18. num. 64. & 83. Beltram.ad Ludouis.dec.222.num. 11. Ricc.p.1.resol.132.n. 5. & 6 aliasque* Rotas refert,& sequitur *Barbos.de iure ecclesiastico lib.3.cap 12.n.123.* ac latè, & doctè probat *Lotterius de re benef.lib.2 quæst.38. nu. 36. & pluribus seq.* omninò legendus; ibi enim Rotę, ac DD.auctoritate,& rationibus ostẽdit, vnamquamque præsentationem constare debere publico instrumento, idest rogato per notarium publicum, adhibitis testibus,alijsque requisitis; & eo quidem secum cõsecuto ab actu institutionis,cum Concilium de testibus nõ confidat; sed probationem per scripturas authenticas requirit. Episcopi verò assertio vnius tantum testis vim obtineret. & quamuis,si ageretur de probando facto præsentationis, enunciatiua instituentis sufficeret, vt *Lambert.*& nonnulli alij ab aduersa parte allegati,arbitrantur; tamen si agatur de probatione præsentationis, ad effectum iustificãdi iuspatronatus, nullatenus sufficit: cum præsertim institutio,ac presentatio res sint penitus diuersæ,quarum vna aliam non includit. docet etiam post *Bellamer. decis.*

311. nec sufficere patẽtes literas cum sigillo ad probandam præsentationẽ: aliaque tradit *Lotterius* apud ipsum omninò consulenda, & *Ferentill. ad Buratt. dec.* 139. *à n.* 14. vide *suprà nu.* 142.

164 Iterum animaduertendum est, neque hanc institutionem habuisse effectum; non solùm quia nulla apparet capta possessio, vt suprà *num.* 153. *& seq.* dictum est; verum etiam, quia idẽ de Abarca 15. *Maij eiusdẽ anni* 1504. à Papa de eodem beneficio prouisus fuit; cuius quidem litteræ Apostolicæ exequutoriatæ sunt in Regno 12. *Nouembris eiusdem anni* 1504. & eodem mense apparet actus ingabellationis. Ex quo præsumitur habuisse beneficiũ virtute litterarum Apostolicarum: nã institutio ab Archiepiscopo facta fuit 15 *Iunij* illius anni 1504. & tamen vsque ad mensem Nouẽbris nullum edidit actum Abarca vti beneficialis, nisi post exequutoriatas literas Apostolicas. Nec aliter præsumi potest, cũ semel ac Papa prouidet de aliquo beneficio, inferioris manus ligantur, & prouisus Apostolicus, ad inferiorem recurrens, cadit à iure suo, vt post alios notat *Gonzal gloss.* 25. *n.* 23.

Et quamuis in illis fiat mentio iurispatr. ea tamen clausula non ad beneficium S. Mariæ, sed ad alia ibi relata, & collata beneficia referri videtur. Et licet ad ipsum referretur, nihil tamen concluderet assertio Pontificis, non edita motu proprio, nec cum causæ cognitione, sed ad partis, vel alterius relationem, vt constat, ibi: *sicut accepimus*, ac proindè iuspatronatus 166 verificari debuerat: *Put. dec.* 117. *in correct. par.* 2. Nec sufficit sola prouisio 167 Apostolica, absque præsentatione ad illud probandum: *Rota sæpè apud Viuian. dec.* 9. *num.* 8. ac præsertim cum simus in potentibus, in quibus huiusmodi 168 clausulæ nõ inducunt probatio- 169 nem iurispatronatus ex fundatione, vel dotatione, *Rota apud Crescent. dec.* 1. *aliàs* 13. *de iurepatr. fol.* 187. *apud* 170 *Manticam.* patiturque prædicta assertio Pontificis omnes defectus, quos suprà *à nu.* 147. & deinceps, in similibus perpendimus. Præterquamquod, neque Papa asserit, esse de iurepatr. Comitis Mohac, sed de iurepatr. laicorum: probare verò deberet Comes, suum esse hoc iuspatr. quod genericè ait Papa esse laicorum: probare, inquã, deberet, iuxtà formam à Concilio præscriptam. *Vide Decium cons.* 149. *nu.* 4 *lib.* 1. *& alios apud ipsum.*

165 Demum, cum Pontifex iuripatr. laicorum derogat, non ex integro, sed pro medietate patronorum id præstat; cum verè Comes prætendat, se solũ esse patronum, ac proindè indiuisibilem; certè iuripatr. derogatum nullo modo, neque quoad medietatem, cẽsetur, vt post alios firmant *Viuiã par.* 2. *de iurep. lib.* 14 *cap.* 2. *nu.* 20. *Campanil. diuers. iur can. rubr.* 11. *cap* 13. *nu.* 490 *Garc. par.* 5. *cap.* 1. *nu* 585. *& seq.* Ac proindè potuisset tunc præsentare, si verè patronus extitisset: quod, cum non præstiterit, sed potius virtute literarum Apostolicarum capta possessio præsumatur, vt diximus, signum manifestum est, non habuisse ius præsentandi, vt etiam constat ex obseruantia subsequuta.

§. VIII.

De prætensis præsentationibus in Prioratu S. Nicolai: & conclusio quoad omnes.

S V M M A.

Euertitur præsentatio D. Paulis Lagnello.

Vnica præsentatio nihil facit, ac præsertim, si sit remota: & vltimus status sit libertatis, quamuis præsentatus possederit per 50 *annos.*

Gratia nobis fauet, non aduersatur.

Præsentatio non dicitur effectuata, nisi institutio subsequatur, & acceptatio præsentati infra quatrimestre.

In beneficijs regularibus non datur iuspatr.

patr. nisi constet de priuilegio Apostolico in limine fundationis; quamuis euidenter constaret de dotatione: neque illud probari potest per immemorabilem, nisi probata fama priuilegij,

171 Rota diuers. Put. & Seraph. *explicatur.*

172 *Praestatio, seu possessio illius* de Agnello *fuit solum quattuor annorum, & ideo nullius considerationis.*

173 *Item fuit intrusa, capta per procuratorem, non habentem speciale mandatum, & facta à procuratore habente generale, sed non ad omnia bona administranda, vt requiritur.*

174 *Actus turbidi, & obscuri, & dubij non inducunt possessionem, nec est locus manutentioni.*

166 IAm verò, quod spectat ad prætensam præsentationem *Don Pauli l'Agnello*, factam à Comitis Procuratore in Prioratu S. Nicolai de Nemore, euidentissimè constat, eam Comiti nihil penitus suffragari.

Primùm quidem, quia ex omnia, quæ in facto referuntur, hanc præsentationem præcessisse, non iniuria suspicamur, data opera fuisse præstita, vt Comes aliquo tandem modo in Prioratus prouisione se ingereret: ac præsertim considerandum est apertũ mendacium D. Pauli prædicti, Pontifici exponentis, se Carbonello Prioratum renunciasse, cum regressus reseruatione: cum tamen euidens sit, Carbonellum anno 1484. incæpisse fuisse Priorem, aliaque in facto explicantur, quæ hoc loco inculcare superuacaneum est. de prætensa prouisione Apostolica in persona istius de Agnello, *vide infrà n. 198.*

167 Secundò hæc præsentatio vnica est, quæ nihil efficit, saltem post Concilij decretum, multiplicatas requirentis, vt omnes prorsus animaduertunt; & ipsi quoq; monuimus suprà à *nu.* 147. neque multiplicatas sufficere, nisi immemorabilis possessio, & quidem qualificata, in potentibus, ostendatur: per vnicam tamen præsentationem non tribui quasi possessionem præsentãdi, omnes penitus confitentur. *Vide Crescent. dec. 5. de iurep. Put decis.* 166. *lib. 2. Ricc. coll. 1643. par.* 5 Quamuis præsentatus in ea possessione beneficij steterit vltra 50. annos: post alios *Ricc. par. 1. resol. 127. n. 4. Cauale. dec. 17. n. 10 par. 2. Rota in recent. apud Farinac. decis.* 557. *tom. 1. & apud Ferentill. ad decis.* 159. *Buratti n.* 12. Præterquam quod est nimis remota, quæ nullam tribuit quasi possessionem, vt sæpiùs decidit *Rota*, vt videre est *apud Farin. in recent. dec. 381. num. 3. tom. 1. par. 1.* cum præsertim vltimus status sit libertatis: *Ricc. in praxi nouiss. iurispatr. resol. 103. n. 4. vers. alia verò.* Vnde immemorabilis requisita a Concilio in præsentationibus attingere debet tempus moræ litis, ita vt possessio ista immemorabilis debeat esse etiam de præsenti, subducto litis tempore, alioquin nihil valet. *vide sup. n.* 84.

168 Neque contrarium dixit *Garc. par. 5. cap. 5. num.* 104. Nam loquitur de pertinentia, non de existentia iurisp. vt patet ex toto discursu *à nu.* 58. sed agens de existentia, & post Conciliũ, latè, & optimè ostendit *à num.* 137. textum *in cap. consultationibus de iurepatr.* indistinctè non procedere, cum Concilij decretum locũ etiam habeat in possessorio: & ideò non est admittenda præsentatio existentis in quasi possessione præsentandi, nisi verificato prius iurepatr. additque Congregationis declarationes, aliaq; plura apud ipsum consulenda. *vide suprà à num. 66.*

169 Tertiò effectum sortita nõ est: tum quia directa fuit ad Papam, cuius tamen confirmatio, seu institutio, & prouisio subsequuta nõ fuit, ac proinde de nullius considerationis existit; post alios *Visian. lib. 5. cap. 4. num. 35. Gonzal. gloss. 18. n. 86. Paris. de confident. q. 28 n. 108. Calder. cons. 12. de iurepatr.* Tum quia facta fuit, absente prædicto *de l'Agnello*, de cuius tamen acceptatione infrà quatrimestre non con-

stat

stat, vt certè necessarium est: plures *Rota ac DD.* quos refert, & sequitur *Viuian.lib.6.cap.8.num.15.Ricc.p.1. resol.141.* Quinimò facta fuit sex mensibus post primam captā possessionē, & tribus mensibus post secundam; atque adeò non ipsius vigore possessio capta fuit, vt omninò necesse erat, quo effectum sortita præsentatio diceretur, vt superius monitum est *nu.* 154.& notat *Gonzal.gloss.45.§.2.nu.37.post plures.* Vnde ex ea quasi possessio præsentandi acquiri non potuit, vt *post Oldrad. Calder. Rip & Gomez* tradit *Viuian.lib.5.cap.4.num.35.& Ricc.dec.39.par.2.*

170 Quartò cum Prioratus huiusmodi sit beneficium regulare, in eo iuspatronatus consistere non potest, nisi ex priuilegio in ipso limine fundationis, non autem postea, quamuis de fundatione, & dotatione euidentissimè constaret; cum inconueniens sit in huiusmodi electione laicum patronū simul cum monachis, & regularibus interuenire, *cap nobis §. caterū,ibique Glossa,& omnes Scribentes,de iurep ca. sacrosancta, de electiion. Put decis.35. 355.379.lib.2.Mobed.decis.10. de iurepatr.aliàs 340.*Seraph dec 1305.nu. 5.& dec.1253.n 5.& 1367.& 1395. *n.2.& 3.Marescott.var.resol.cap.52. lib.2.Rota in recent.apud Farinac.dec. 53.tom.1.& dec.411.tom.3. Rota diuers.tom.4.decis.563.& 564. 573.& 574.Ricc collect.1240.& 1486.Mas sobr.in praxi ad concurs.prælud.7.dub. 21.nu.25.Rota apud Ric.par.1.resolut. 182.Barbos alleg.72.n.64.* latè, & benè *Rota diuers. tom.4.d.dec.564.* quā omnes sequuntur, eamque transcripsit *Garcia par.5.cap.9.n.99.* qui *num.141.* refert Sacræ Congregationis declarationem, quæ in ordine est 14. declaratio, non probari huiusmodi priuilegium per immemorabilē qualificatam, iuxtà Concilij formam, nisi probata fama talis priuilegij, alijsque concurrentibus requisitis, secundùm iuris dispositionem. Idem edocent plures *Rota, & DD.* quos ci tat, & sequitur *Ricc.in praxi nouiss. in risp. resol. 62.& Rubeus in singular. ad dec 350. Oradin. lib.1.fol.395.* vbi, quod id etiam in Regibus locum habet, ac etiā in ecclesia conuentuali habitu tantū, & Collegiata, & post *Alex. consil. 74. vol.2. Mandell.cons.16.vol.1.Turret. cons.195.à nu.6.Peregr.dec.1367.nu. 3.* dixit *Ricc.d.resol.182.* vide *infrà nu. 215.*

Et quamuis aliqui testes aduersæ partis nonnihil dicant de huiusmodi priuilegio; nihil tamen conuincunt: licet enim de fama apertè deponerēt, cum omnibus à iure requisitis, quod tamen non præstant; tamen hæc fama iungi oporteret immemorabili possessioni, & de præsenti, vt ijdem suprà citati DD edocent; quod non euenit in re nostra, vt ex se est manifestum.

171 Neque obstat *Rota decis.563.nu.1. tom.4.diuers.* ait enim, præsumi confirmationem Apostolicā ex lapsu 40. annorum, & obseruantia subsequuta, atque etiam præsenti statu, vt constat *ex ead.nu.1.5.& 7.* quorum nihil in casu nostro reperitur: eodemque modo loquitur *Ricc.collect.1488.*

Neque iterum obstat *Put.dec.183. in correct.lib.1.* non enim loquitur de præsumendo priuilegio, de quo ipsi agimus, sed de alijs solemnitatibus ex cursu 30. annorum: atque ita etiam loquitur *Seraphin.dec 507.nu.3.*

172 Quintò, asserta præsentatio, seu possessio prędicti pręsentati *de l'Agnello,* est breuissimi temporis, idest non ampliùs, quam quattuor annorum, & tamen est necessaria immemorabilis, seù, secūdùm aliquos, ad minus 100. annorum, etiam in non suspectis, vt suprà annotatum est, *& vide Parisi, de confident.q.28.n.160.Barbos. d. allegat.72 n.35.Macerat. resol. 80. nu. 11.& alios apud ipsos.*

173 Sextò, tum possessio, tum præsentatio plures alios defectus patiuntur. Possessio enim capta fuit, viuente beneficiali, idest 29. Augusti 1522. ac proin-

proindè inualida, & intrusa, quæ secundam etiam possessionem infecit: capta enim fuit per procuratorem, nō habentem speciale mandatum: *Ricc. in praxi nouiss. resol.* 124 & alij passim: & auctoritate propria, non verò de mādato delegati. Item præsentatio facta fuit à D. Federico Mattienzo; qui tamen, quamuis habuerit generale mandatum ad præsentandum anno 1520. nihilominus nō præcesserat generale ad omnia bona administranda, vt requiri videtur ad vitandam omnē suspicionem captādæ alterius mortis, vt innuunt DD. præsertim *Abb. in cap. fin. de concess. prabend. Rota in recent. par. 1. dec.* 511. *n.* 7. *Viuian. par.* 2. *lib.* 5. *ca.* 6 *n.* 10. *Ricc. in praxi par.* 1. *resol.* 164. *in fin. Mares. var. l.* 1. *c.* 33. *n.* 3.

De afferta præsentatione *Syluestri Carbonelli* dicem⁹ *infrà n.* 140. *&* 197. Item de alijs *Nicolai Bille, Aloysij Torres D. Petri Scarpaci* dicemus *infrà n.* 207. *vers. imò anno.* quarum prima verè nō est præsentatio: aliæ non habuerunt effectum, vt ibidem explicabimus.

174 Ex quibus quidem omnibus manifestè concluditur, Comitem nunquā prorsus habuisse possessionem iurisp. 175 seu iurispræsentandi, neque in Prioratu, neque in beneficio S. Mariæ, vt falsò aduersarij asseruerant; non solū quia actus, quibus ipsi innituntur, omninò sunt inepti ad inducendam hanc possessionem; verum etiam quia, 176 licet non essent apertissimè inepti; tamen sunt turbidi, dubij, & obscuri, 177 non verò clari, ac certi, vt esse deberent. Communis est omnium senten- 178 tia, quod ex turbidis, & obscuris præsentationibus, sicut, & collationibus, 179 & electionibus nulla prorsus possessio acquiritur, vt sæpè fuit in *Rota* resolutum, testaturque *Gonzal. gloss.* 45. §. 2. *n.* 38. sicuti nec locus est manuten- 180 tioni, quando possessio non est clara, sed intricata, turbida, & offuscata: eadem *Rota apud Caputaque. dec.* 200. 181 *num.* 1. *par.* 2. *& Gonzal. vbi supra nu.*

39. Neque possessio resultans ex actu æquiuoco, & obscuro releuat: *Abb. Felin. Dec. Gomez, Gonzal. ibid. n.* 40. & consuetudo ex actibus æquiuocis, & difformibus, ac turbidis non inducitur, *Aymon. Rocch. de Curte, Rota, & Gonzal. ibid. n.* 41. cum præsertim nos simus post Concilium, quod requirit possessionem immemorabilem, ac de tempore præsenti, vt præter citatos *n.* 46. expresè voluit post *Rot. Bellar. in cit. c.* 9. *Trid vers. vsurpatione.* item claram, ac certam, & quidem qualificatam in potentibus personis, vt admonitum est, neque aliàs possessio, quæcumque illa sit, sufficit Tridētino: vide *num.* 46. *&* 167.

SECTIO TERTIA.

Ostenditur vtriusque Ecclesiæ libertas.

§. I.

Ostenditur ex primæua fundatione.

S V M M AE.

Fundatio libera ecclesia S. Nicolai de Nemore.

Caccabus significat caput equinū: vnde olim Carthago Siciliæ dicta. Ibi floruit S. Theostistus, cuius festum celebratur à Græcis 4. Ianuarij.

176 Probatur idētitas ipsius ecclesia, & eius pluralitas non præsumitur.

177 Hanc pluralitatem non probant aduersarij.

178 Monachi Benedictini aliquando eremitæ appellantur.

179 Dominus Caccabi in communibus vniuersitatis quando habeat ius diuidēdi. non est dominus communium, sed solùm in illis habet iurisdictionem.

180 Ecclesia S. Nicolai de Nemore ab initio habuit actu possessiones, & Gangias.

181 Ecclesia absque dotis constitutione fundari nō potest, nec aliter præsumi pōt.

Eccle-

175 QVæ hac tertia sectione afferemus, abundè afferemus, non quòd ijs indigeamus: nostrum enim munus, & onus fuit, respondere aduersariorum rationibus, quibus iuspatronatus ostendere enitebantur, vt initiò admonuimus: cui quidem muneri satis, superque hucusque satisfecimus.

Sed vthinc quoq; aduersarijs via pcludatur, animaduertendū est, Ecclesiam Sancti Nicolai de Nemore fuisse fundatam, ædificatam, & constructā in statu libero ex eleemosinis Christi fidelium, opera Fratris *Lucæ Eremitæ*, eiusque confratrum præhabita licentia, seu mandato *Berardi Castachii Archiepiscopi Panormitani* (qui tunc temporis erat etiam dominus prædictæ Terræ Caccabi, vt constat ex donatione anno 1215.) *in sylua Montis Sācti Calogeri supra Terrā Caccabi.* (olim KAKKABE, quod lingua Punica significat Equinum caput, atque etiam, & iure, Carthago dicta; vnde illam antiqui scriptores, *Carthaginem* Siciliæ nuncuparunt, idemque ex priscis Numismatibus æneis, Punicis literis notatis, apparet. qua de re vide *P. Ioa. Lud. de la Cerda in Aeneid. Virgil. vers.*

Monstrarat caput acris equi.

n. 2. post Cælium lib. 18. cap. 38. & alios, Stephani Epitomatorem apud Philippū Cluuerium Siciliæ antiqua lib. 2. in oppido Hippana fol. 392. Anton. August. dialogo 6. fol. 185. Fazellū decad. 1. lib. 1. cap. 9. fol. 37. Deindè verò Græci, Caccabi nomen potius Latinum, quā Punicum esse autumantes, illudque vas æneum, seu Ollam significare, *Cucumion* app. llauere.) *Qui locus ex antiquo consueuit esse Oratorium Eremitarum*; quorum primus in eadem Caccabensi regione, prædictique loci superior antiquitùs fuit Sāctus Theothistus, aliàs communi, & generali Monachorum nomine dictus *Calogerus*; vndè prædicta Sylua, & Mons Sācti Calogeri etiam nunc appellatur. Atque huius S. Theothisti festum à Græcis celebratur 4. Ianuarij, vt in *Menologio Græco, & notat P. Caietanus in Idea in Martyrol. Siculo mense Ianuarij.*

Quam quidem ecclesiam ita ædificatam, ac constructam, *cum iuribus, & pertinentijs suis, cum augmentis, additamentis, possessionibus, ecclesijs, grangijs, & alijs bonis omnibus, quæ ipsi confratres pro dicta ecclesia iustè poterunt adipisci, seu acquirere, vel habere in posterum à fidelibus Iesu Christi*, Leonardus de Comitibus, Berardi successor, eidem Fratri Lucæ, eiusque confratribus concessit anno 1260. cum onere vnius rotuli ceræ, soluendæ ecclesiæ Panormitanæ, in signum recognitionis, dominij, & subiectionis. Cuius quidem concessionis tenor, ex qua integrâ hæc facti series colligitur talis est.

Leonardus miseratione diuina Panormitanus Archiepiscopus vniuersis Christi fidelibus dilectis in Christo filijs *sa-*

salutem in Domino. Nouit vniuersitas vestra, quòd accedens ad præsentiam nostram Frater Lucas seruus Dei, & eremita, nobis humiliter supplicauit, vt Ecclesiam Sancti Nicolai de Nemore, quam ipse cum quibusdam suis confratribus eremitis de eleemosinis fidelium Iesu Christi ædificauit, & cõstruxit, de mandato Domini Berardi quõdam Archiepiscopi prædecessoris nostri, sitam in sylua montis S. Calogeri, supra Terrã Caccabi nostræ Panormitanæ Diœcesis, qui locus ex antiquo consueuit esse oratorium eremitarum, sibi, & suis confratribus tam præsentibus, quam futuris, de nostra speciali gratia cõcedere dignaremur; cuius supplicationibus inclinati, Ecclesiam ipsam Sancti Nicolai cum iuribus, & pertinentijs suis, cum augmentis, additamẽtis, possessionibus, ecclesijs, seu gangis, ac alijs bonis omnibus, quæ ipsi pro dicta ecclesia iustè poterunt adipisci, seu acquirere, vel habere in posterum à fidelibus Iesu Christi, eidem supplicanti, & confratribus suis eremitis, tam præsentibus, quam futuris, quos sub nostra protectione recepimus, duximus concedendam. Mandantes vniuersis, & singulis Christi fidelibus sub vinculo excommunicationis, vt nullus sit, qui eumdem fratrem Lucam, & confratres suos eremitas, tam præsentes, quam futuros, in eadem ecclesia commorantes, indebitè molestare, vel inquietare præsumat. Volumus tamen, quòd ipse frater Lucas, & dicti confratres sui, tam præsentes, quam futuri, in signum recognitionis, dominij & subiectionis ecclesiæ nostræ Panormitanæ debeant, & teneantur dare in singulis annis in Assumptione Beatæ Virginis Mariæ rotulum vnum ceræ. Ad cuius rei memoriam & eiusdem fratris Lucæ, & confratrum suorum, tam præsentium, quam futurorum, cautelã, præsens scriptũ exinde sibi fieri fecimus, nostri sigilli munimine roboratum. Dat. Panormi Anno Dominicę Incarnationis millesimo ducentesimo sexagesimo sexto, Pontificatus Domini Clementis Papæ IV. Anno 2. octauo Septẽb. x. Indit.

Hìc autem animaduertendum est, nos minimè asserere, vt falsò aduersarij comminiscuntur, Archiep. siuè Berardum, siue Leonardum fundasse, aut dotasse ecclesiam S. Nicolai de Nemore, ac proindè iuspatronatus illius acquisiuisse: potiùs enim contrarium ex modo relatis elicitur: nam Berardus solùm veniam concessit fratri Lucæ ecclesiam ædificandi in sylua S. Calogeri, ex eleemosinis Christi fidelium, neque ipse fundum, aut dotem dedisse constat, sed solam licentiam, quæ de iure requirebatur, vt est communis omnium sententia; de qua *Barbos. de iure ecclesiastico lib. 2. cap. 2.* Leonardus autem ecclesiam fundatã, & ædificatam, ac etiam dotatam ex eleemosinis fidelium, qui possessiones, ac pertinentias, & cætera, quæ modò recensuimus, dedisse præsumũtur, eidem fratri Lucæ concessit, cum onere rotuli vnius ceræ soluendæ Ecclesiæ Panormitanæ.

Atque ex hoc ipso onere etiam arguitur, nullum prorsus iuspatr. Archiepiscopo fuisse acquisitum, quamuis fundum expressè dedisset; cum iuspatr. non acquiratur ex fundi datione, si fundi Dominus retinere vult aliquod ius dominij, vel census, vel seruitutis, vt diximus *suprà num.* 187. Sed verè hodiè non constat de dotatione, aut fundatione Archiepiscopi ad effectum probandi iuspatr. secundùm Concilij formam, vt patet. Et quamuis id constaret, tamen non indè sequeretur, Comitem de Mohac habere hoc iuspatronatus: tum quia dotatio facta fuisset de bonis allodialibus, non verò feudalibus, cum Terrã Caccabi Archiepiscopo donata sit in purum allodium, vt constat ex donatione, & etiam de iure præsumitur: vide suprà *nu.* 196. Comes verò possidet bona titulo feudi: tum quia probare deberet Comes, se habere ius, & causam ab Archiepiscopo Panormitano; quod non probat, nec probare poterit.

Vbi

176 Vbi primùm notandum est, Ecclesiam hanc Sancti Nicolai *de Nemore* esse illam eamdem, de qua nos loquimur, non solùm ob idem nomen; verum etiam ob eumdem situm, in quo etiam hodiè reperitur; tantò magis, quia non apparet, quòd inibi detur alia Ecclesia sub inuocatione S. Nicolai *de Nemore*, nec aliàs pluralitas præsumatur: *Aymon. cõs.* 198. *num.* 1. & 4. *Cephal. cons.* 170. *nu.* 43. *Menoch. cons.* 248. *n.* 33. quos citãs, ac sequitur in nostris proprijs terminis *Rota Romana per Farinac. in Posthũ. decis.* 191. *nu.* 7. *par.* 2. & *apud Coccinũ dec.* 235. *num.* 18.

177 Neque verò aduersarij vllatenus probant ecclesiarum pluralitatem (vt certè deberent, cum ei innitantur, vt est communis opinio, de qua *Menoch. lib.* 6. *præsumpt.* 15. *n.* 1.) ex eo, quòd in territorio Terræ Caccabi, & in nemoribus antiquis tres fuerunt ecclesiæ Sancti Nicolai, quarum vestigia hodiè etiam apparere audacter affirmãt: etenim nulla earum appellata vnquã est, nec appellatur Sancti Nicolai, cũ hoc addito *de Nemore*, sed simpliciter Sancti Nicolai, ac proindè de illis ecclesijs Berardi licentia, ac Leonardi concessio verificari non potest; à quibus quidem, vt hæc nostra distingueretur, additum fuit, *de Nemore*, vt apertè distinctio illius ab alijs innuetur. Quin imò ex hoc ipso, quod aliæ extiterint ecclesiæ, sub inuocatione Sancti Nicolai, præsumendum est, fuisse additum, *de Nemore*, ad illarum distinctionem constituendam. Deinde ecclesiæ istæ, quarum vestigia nunc cerni autumant aduersarij, non suprà Terram Caccabi, sed ab ea distantes versus feudum, seu territoriũ Brucati reperiuntur.

178 Nec quicquam considerationis habet, quod aduersarij addunt, nostrã ecclesiam S. Nicolai *de Nemore* esse ordinis S. Benedicti, cuius Religio nõ Eremitas, sed Monachos habet. Etenim euenire potuit, vt quæ antea Eremitis concessa fuerat, postea Monachis Benedictinis concederetur; vel quòd eremitæ extincti sint, vel quòd non ità benè viuerent, ac disciplina eremitica laxata sit, vel ipsimet Eremitæ habitum, & regulam Benedictinorum assumerent, vt Deo sub certa regula, & capite deseruirent, vt factũ sæpissime legimus in eremitis Palestinæ, Aegipti, Syriæ, & aliarum partium: cernentes n. quòd viuẽtib' ipsis absque regula certa, & absque vno capite, & superiore, multa incommoda sequebantur, in vnum cogebantur, ac certam regulam profitebantur: vel deniquè, quòd ab initio ipsimet eremitæ essent ordinis S. Benedicti, qui tamen eremiticam vitam elegerint ducendam, sub vno tamen superiore. Neque id repugnat regulæ S. Benedicti: nam etiam hodiè alicubi reperiũtur Monachi Benedictini, qui vitam eremiticam ducunt in suis cellulis aliquantum distitis, & disiunctis, in quibus suum oratorium habent; qui tamen omnes vnam ecclesiam habẽt communem, quam etiam *Oratorium* appellare solent, vbi conueniunt Sacramentis recipiendis; in qua quidem moratur Prior, qui eorũ superior est, ipsique monachi *Eremitæ* nuncupantur. Huiuscemodi rei exemplum eximiũ hodiè habemus in eremitis Mõserrati, qui eo modo, quo diximus, viuunt, & eremitæ ab omnibus appellantur. Vbi animaduertes Superiorem eorum cõstitui sub nomine Prioris, non Abbatis: quæ coniectura nostræ ratiocinationi plurimùm fauet, cũ in ecclesia nostra S. Nicolai de Nemore nunquam Abbas, semper Prior cõstitutus fuerit: quod mirum videri posset, nisi sciremus in huiusmodi ecclesijs, seu oratorijs, eremitarum vsui destinatis, superiorem sub Prioris, non Abbatis nomine consueuisse decerni. Quis scit, an huius generis essent Monachi, qui solitarij in Prioratibus habitabant, de quibus loquitur *Honorius III. in cap. fin. de cappell. Monach.* Ad-

de, quod anno 1301. in quadam donatione eidem ecclesiæ facta, hi eremitæ *Monachi* appellantur.

Ad rem nostram propiùs accedit exemplum Monasterij Montis Virginis Neapolis, seu Montis Virgilij, vt antea vocabatur, ac in Sicilia Monasterij S. Ioannis Eremitarũ Panormi: vt enim testantur Historici non pauci, ac præsertim *Syluester Maruli in hist. sacra lib. 2. tit. de origine Sacra Congregat. Montis Virginis fol. mihi 161. & 168. Vincentius Venace, seù Thomas Costo in historia Montis Virginis in vita Sancti Guillelmi Fundatoris dictæ Congreg fol. mihi 62. & seq.* cum primùm dictus Guillelmus eremiticam vitam, in eo Monte degendam, cum aliquibus socijs suscepisset, vndè vulgò Guillelmus eremita appellabatur; postmodum, vt religiosiùs viuerent, prædictam Congregationem instituit sub regula Sancti Benedicti, Papa Cęlestino III. illam approbante. Indè Rogerius Siciliæ Rex, vt eidem Guillelmo morem gereret, aliud monasterium suis sumptibus prope Palatium Panormi ædificauit, illudque ob eiusdem eremitæ reuerentiam, *Sancti Ioannis eremitarum*, nuncupauit; cum tamen ab ipsismet incunabulis huius Monasterij Alumni regulam Benedictinam professi sint. Vbi obiter nota contrà nonnullos, non errore vulgi corrumpentis S. Hermetis in eremitarum nomen, hoc monasterium S. Ioannis Eremitarum vocitatum; sed ab causam prædictam: quicquid sit, an hoc monasterium antea fuerit S. Hermetis, à Sarracenis postea euersũ. Hæc quidem omnia, aliaque huiuscemodi apud duos laudatos Historicos latiùs inuenies enarrata: & ex pluribus priuilegijs vtriusque Monasterij eliciuntur. Ex quibus certè illud apertè colligitur, potuisse id ipsum accidere Religiosis huiusce Monasterij S. Nicolai de Nemore: puta quòd initio quidem eremitæ, postea verò verè Monachi extiterint, vt accidit in dicto Monasterio Montis Virginis: vel quòd semper quidem professione Monachi, nomine verò Eremitæ nuncuparētur; vt accidit in Monasterio S. Ioannis Eremitarum: quod quidem hodie Caroli V. pietate, ac munificentia, vnitum reperitur sex Canonicatibus, S. Ioãnis Eremitarum nuncupatis, in hac Panormitana Cathedrali; suntque de iurep. D. Regis Siciliæ, ad cuius præsētationem equidem vnum adeptus sum, post dimissionem alterius, *del Porto*, nuncupati, quem antea ad eiusdem D. Regis præsentationem adeptus fueram.

179 Nec iterum obstat, quod addunt aduersarij, hanc ecclesiam esse in fundo Comitis, ac per consequens ab eo fundatam. Nam huic obiecto satis suprà *à num. 101. & seq.* respondimus, aientes, fuisse in fundo ipsius ecclesię constructam, præsumique ex hoc potiùs vsurpationem iurispatr. quam probationem, cum Comes Dominus sit Terræ Caccabi, in cuius territorio beneficium situm est. Præterquam quod Mons S. Calogeri, sicut & quædam alia feuda non sunt Comitis, sed Vniuersitatis, ac Comes in ipsis diuidit, assignatque ciuibus terras concedi solitas, vti communes.

Est enim recepta omnium sentētia, dominium locorum, seù terrarum, pertinentium ad aliquam Vniuersitatem Iure vniuersitatis, esse ipsiusmet Vniuersitatis, & ad illam omnimodè pertinere; licet intrà hoc dominium vniuersale vniuersitatis possint particulares habere particulare dominiũ quorumdam agrorum, & prædiorum; dominium verò iurisdictionis, & protectionis ad illius Comitis dominium spectat. Vnde hæc tria dominia omninò distinguũtur, *dominium*, scilicet, *Vniuersitatis, iure vniuersitatis, dominium particularium, ac dominium iurisdictionis, & protectionis*. Vndè ad tale dominium pertinet diuidere huiusmodi terras concedi solitas, vt ordinatè procedatur; in qua quidem diuisio-

uisione potest intrare ipsamet vniuersitas, non iure vniuersitatis, sed vt quilibet particularis. Ipse verò Dominus etiam potest in huiusmodi terris communibus vti iisdem iuribus, quibus alij ciues vtuntur, cum semper dominus reputetur ciuis, &, vt nõnulli loquuntur, primus ciuis. Hæc omnia inuenies latiùs explicata *per Soccin. in l. 1. n. 27. ff. de acquir. possess. & cons. 95. lib. 3. Couarr. in regula peccatũ §. 9. num. 8. par. 2. de regul. iur. tom. 1. Mol. tom. 1. de iust. & iure tract. 2. disput. 3. vers. præmissa ergo post Bart. in l. 1. §. per hanc ff. de rei vendic.* Origo verò horum communium rectè explicatur *à Petro de Gregor. de concess. feudi par. 2. q. 7. nu. 29. & Capibl. de Baronibus prag. 11. tom. 1. & tom. 2. super eadem prag. 11. cap. 73. 74. & 75.* vide *sup. cons. 46. à n. 31. vsque ad 34.*

Hic veluti obiter annotandum est, territoria istæc communia, ab initio in vsus Ciuium pro pascuis destinata, reduci non posse ad culturam per vniuersitates, & Barones: *Crauett. consil. 296. Guid. Pap. dec. 556. Couarr. pract. quæst. cap. 37. n. 6. post Auendan. Hier. de Monte aliosque Capiblanc. de Baron. tom. 1. in pragm. 11. n. 35. & seqq. & n. 114. & tom. 2. cap. 41. n. 12. & ca. 75. nu. 1. & seqq nouissimè D. Nouar. de grauam. vassall. grauamin. 36.* vide *Mastrill. decis. 49. n. 1. & Rotam apud Farin. in Posth. p. 1. decis. 433.*

180 Secundò notandum est, prædictã ecclesiã, quando eremitis cõcessa fuit, habuisse *actu* iura, pertinentias, possessiones, ecclesias, seù gangias: actu, inquam, vt significat pronomẽ illud, *suis*, quod significat possessionem de præsenti: & quamuis postmodum additur, *ac alijs bonis omnibus, quæ ipsi in posterum habere poterunt*; id tamen non ad omnia præmissa, sed ad ipsa bona referri debet: nam pronomen illud, *suis*, ac nomina, *possessio ecclesiæ, & gangia*, non finunt aliter interpretari: illud enim pronomẽ, vt dixi, actualem possessionem significat: possessio absolutè pronunciata, actualem, non futuram innuit: ecclesiæ, & gangiæ contrà communem loquendi vsum de futuris interpretantur: & cum hodiè videamus ecclesiã habere has possessiones, procuidubio congruentiùs dicitur, has esse illas easdem, quæ tunc temporis habebat, & concessæ fuerũt; cum mutatio non præsumatur, eodẽque titulo, quo hodiè possidet, & olim possedisse præsumatur; nomine verò iurium, & pertinentiarum veniunt omnia prorsus bona, quæ ecclesiæ cõpetere poterant.

181 Atque hæc quidem iura, pertinẽtias, ac possessiones pro dote olim cõstituta fuisse ecclesiæ prædictæ, certũ esse debet; quandoquidem certum etiam est de iure, ecclesiam absque dotis constitutione fundari, aut cõstitui non posse: *cap. nemo de consecrat. dist. 1. & cap. ad audientiam de eccles. ædificand. apud Viuian. de iurep. lib. 1. cap. 1. n. 34.* & eam fundãs, eamdem dotare tenetur, alioquin Episcopus, permittens ædificare absque dote, de proprio ad dotandum obligaretur: *ca. cum sicut, iuncta Glossa verb. consecrãda, de consecrat. ecclesiæ; Viuian. lib. 2. cap. 3. n. 13. Borrell. summ. decis. tom. 1. tit. 32. de iurep num. 164.* Atque adeò ecclesia nunquam absque dote erecta præsumitur; & contrarium asserenti probandi onus incumbit: *cap. 1. de præscript. cap. ad decimas, de restit. spoliat. Verall. decis. 62. par. 1.* alijque plures *apud Borrell. loco cit. tom. 2. tit. de probat. num. 237.*

182 Hæc verò dos in prædictis iuribus, ac pertinentijs, constituta fuit ex eleemosinis eorumdem Christi fidelium, quorum etiam eleemosinis fundata, & constructa fuerat, vt in prædicta concessione dicitur; ac etiam de iure præsumitur, vt post alios notat *Viuiã. lib. 1. cap. 6. n. 58 Abb. in cap. querelam n. 9. in fin. de electiõn.*

Hinc verò inferendum non erit, iisdem Christi fidelibus iuspatr. in eadẽ ecclesia fuisse acquisitum, hæc enim illa-

illatio falsissima est, dum non constat,
quòd construxerint animo acquirendi
iuspatronat⁹, vt aduertũt plures, quos
citat, & sequitur *Ricc. in praxi nouiss.*
iurisd. resol. 101. nu. 5. vers. præsertim,
Marescott. var. resol. cap. 52. n. 4. lib. 2.
Viuian. lib. 1. cap. 2. nu. 54. Coccin. decis.
106. nu. 12. vbi, quòd ex eleemosina
in ecclesiæ constructione iuspatrona-
tus non acquiritur: & quòd eleemosi-
nas tribuentes, nõ dotatores, nec fun-
datores, sed *Benefactores* dicuntur,
post Abb. Lambert. & alios. Omitto hãc
illationem, quamuis ea vera foret, ad-
uersarijs nihil penitus fauere: neque 182
enim probant, se construxisse, aut do-
tauisse: & iam constat de huiusmodi
fundatoribus, & dotatoribus, vt di-
ctum est: neque Comes est horum
Christi fidelium successor. Adeò ve-
rò erga ecclesiã S. Nicolai de Nemo-
re fidelium deuotio eo tempore vi-
gebat, vt non solùm Caccabi incolæ,
sed etiam alij deuotionis gratia eccle-
siæ prædictæ sua bona elargirentur;
vt constat ex quadam donatione anni
1301. ac ex altera anni 1430. alijsq;

183 Cum igitur habeamus ecclesiam
Sãcti Nicolai *de Nemore* ab initio suæ
constructionis, fundationis, & dota-
tionis, fuisse liberam, liberamque cõ-
structam, fundatam, & dotatam; eui-
dens est, nunquam potuisse in seruitu-
tem redigi, neque ex cursu temporis
immemorabilis, vt post innumeros
probat *Viuian. lib. 2. cap. 9. nu. 10. 11.*
& 12.

184 Hanc quidem veritatem agnoscens
Comes *Ioannes de Claramonte*, cu-
ius forte officiales prædictam eccle-
siam iniustè occupauerant, anno
1424 post causæ cognitionem, vt in-
nuit verbum, *certificati de iure*, decla-
rauit, & ingenuè fassus est, illam cum
suis iuribus, ac pertinentijs vniuersis
ad collationem Archiepiscopi Panor-
mitani immediatè pertinere pleno iu-
re, nullumque ius in ea sibi compete-
re, ideòque illam in manibus Archie-
piscopi resignauit, præcepitq; dictis
officialibus, ne se intromitterent in
eadem, sed Archiepiscopo, eiusque
Ministris assisterent consilio, auxilio,
ac fauore, vt patet ex literis eiusdem
Comitis, quarũ tenor est huiusmodi.

Ioannes de Claramonte Dei, & Re-
gia gratia Comes Mohac, & Ragusa
Dominus, &c. Iacobino Ciro, procura-
tori Terræ Caccabi familiari suo, ac v-
niuersis hominibus dictę Terrę fidelibus
nostris salutem, & gratiam. Cum certi-
ficati sumus de iure, quòd Ecclesia Sãcti
Nicolai de Nemore, sita in territorio
Terræ nostræ de Caccabo, cum eius iu-
ribus, & pertinentijs vniuersis, ad colla-
tionem ven. in Christo Patris Domini
Ioannis Dei gratia Panormitani Ar-
chiepiscopi, immediatè pertinet pleno
iure, & nullum ius nobis competat in
eadem. & ob hoc ecclesiam ipsam cum
iuribus, & pertinentijs supradictis in
manibus dicti Domini Archiepiscopi du-
ximus resignandam; vobis, & vestrum
cuilibet districtè præcipimus, & man-
damus, quatenus de ecclesia supradicta,
iurium, & pertinentiarum suarum, vos
non intromittatis de cætero, sed eundẽ
Dominum Archiepiscopum, aut eius cer-
tum procuratorem, vel nuntium, eiusdẽ
ecclesiæ pertinentiarum pacifica posses-
sione gaudere; assistentes eidem Domi-
no Archiepiscopo, vel eius procuratori,
aut nuntio in præmissis, fauore consilio,
& auxilio opportunis. In cuius rei testi-
monium præsentes nostras patentes lite-
ras scribi fecimus, & nostri sigilli im-
pressione muniri. Dat. Panormi die
3. Ianuarij 8. Ind. 1324.

Transumptata dicta litera in actis
Notarij Lanceæ de Bisconti Caccabi,
sub die 24. eiusdem mensis Ianuarij 8.
Ind. 1324.

Hæ literæ sunt repertę in Thesauro
maioris Panormitanę Ecclesię, vbi an-
tiquæ scripturæ, non solùm ad eam
spectantes, sed etiam ad Panormi Ci-
uitatem pertinentes, mos erat, & est,
asseruari; ex quo extractæ, ac transũp-
tatæ de mandato Archiepiscopi apud
omnia Tribunalia fidem faciunt, &
au-

authenticæ reputantur. Atque ità de mandato Eminentissimi Domini Cardinalis Archiepiscopi, eius Magister Notarius D. Antoninus Camali (qui id munus quinquaginta fermè annis summa cum laude functus est, atque hodie fungitur) prædictas literas extraxit, ac transumptauit: cum præsertim hæ literæ regiſtratæ etiam reperiantur in libris eiusdem Ecclesiæ Cathedralis, qui sunt scripturæ authenticæ, plenamque probationem etiam contra tertium inducunt, vt *post Felin. Anchar. Roman.* & alios ostendit *Riccius in praxi nouiss. resolut.* 27. omninò hac in re videndus.

Et vniuersaliter verissimū est, scripturam antiquam, ac positam in loco publico, & manifesto, etiam in ijs, quæ sunt magni præiudicij, plenam, ac perfectam probationem facere, vt post innumeros aduertit *Menoc. lib. 2. præsumpt. 59. nu. 1. & seq.* ex ipsa verò inspectione literarum prædictarum in pargameno exaratarum patet ad sensum, quàm antiquæ sint, quòdque septuaginta annorū spatium excedūt: in iure verò cautum est, scripturas hoc tempus excedentes, nō esse recognoscendas, *vt post Put. decis.* 151. *lib.* 1. *& Caputaquens. dec. 5. par. 3.* docuit *Gonzal. in regul.* 8. *Cancellar. gloss.* 18. *num.* 41. & post eumdem *Put. dec.* 146. *lib.* 1. *in nou. & dec. 9. de fid. instr. Seraph. dec.* 1077. *lib.* 1. *Rotam in Tridentina decimarum* 14. *Febr. coram Sacrato*, decidit *Rota apud Burat. dec.* 776. *n.* 4.

185 Atque hæc quidem Comitis confessio, & assertio procul dubio magni facienda est; tum quia est ipsiusmet personæ interesse habentis, & contrà se confitentis, cui magis de iure creditur, quam pluribus in sui fauorem attestantibus: tum quia est in fauorē libertatis ecclesiæ; tum quia videtur fuisse facta cum causæ cognitione, vt innuimus: tum quia est antiquissima: tum quia probat id, quod ipsi abundè, & manifestè probauimus, ac proindè est assertio, & confessio plurimum adminiculata: tum denique quia doctrinæ omnes, quas antea de assertionibus tradidimus, hoc loco optimè procedunt, cum agatur de probanda libertate, non seruitute. Hinc autem manifestè sequitur, Comites subsequentes per vsurpationē fecisse actus & subsequētes cōtrà beneficiorum libertatem, cum verè nullum ius in illis haberent, vt prædictus Comes confessus est.

186 Tertiò notandum est, in prædicta concessione Archiepiscopi Panormitani asseri, Ecclesiam Sancti Nicolai de Nemore habere sub se alias ecclesias, seu gangias: inter quas ponenda est omninò Ecclesia Sanctæ Mariæ la Noua: tū quia sita est in eadem sylua, vbi ecclesia S. Nicolai reperitur, ac ꝓpe illam, & in solo, seù terris illius, & in medio earum: tum quia hodiè nulla alia Ecclesia, seu gangia inuenitur: tū quia nulla prouisio huiusce ecclesiæ, seù beneficij adest ante annū circiter 1487. quo incipiūt apparere duę assertæ præsentationes asserti procuratoris Comitis Fiderici, quia scilicet prouisio ecclesiæ S. Nicolai de Nemore etiam hanc Gangiam includebat: tum quia ab anno 1537. hùcusque sēper vnà, eàdemque prouisione, vtrūq; beneficium collatum est, vt ex facto constat: tum quia in aliquibus Visitationibus, & instrumentis hæc ecclesia vocatur membrum, & aggregatum dicti Prioratus; tum deniquè quia idē Fidericus hanc ecclesiam vocat eremitam. Quæ quidem coniecturæ, in re vetustate penitus senescente, cogūt asserere, hanc ecclesiam fuisse, ac esse membrum, & gāgiam prædictæ ecclesiæ Sancti Nicolai. Quamobrem cum satis hùcusque probatum sit, ecclesiā Sancti Nicolai ex primæua sui fundatione, ac dotatione fuisse, esseque liberam; consequens est, vt dicamus, etiā hanc Sanctæ Mariæ la Noua initio suę fundationis, vti illius gangiam, & mēbrum, in libertate fuisse fundatam, & dotatam. Et quamuis hinc colligatur, eam

eam initio fuisse regularem, tamen postea tractu temporis, ac prouisionibus subsequentibus, secularis effecta est, vt hodiè manet.

187 Neque dicas, Comitem habere ius glandis, & pascendi à die 14. Septembris vsque ad 6. mensis Decembris cuiuslibet anni, in terris huius ecclesiæ S. Mariæ la Noua, ac per cõsequens præsumi, ipsum illam dotauisse, ac proinde esse patronum: nam potiùs cõtrarium inferri deberet: certum enim est ex fundi, dotisuè traditione pro ecclesia construenda, non acquiri iuspatronatus, si fundi dominus penes se vult retinere dominium aliquod directum, vel censum, vel seruitutem: *Lambert. de iurep. lib. 1. qu. 5. art. 4. n. 4. & 5. fol. 32. Lotter. de re benef. lib. 1. q. 31. nu. 34 35 & seq. & lib. 2. q. 10. num. 29. per text. in cap. sancitum, de censibus, vbi Abb. & per Gloss. in cap. si quis basilicam. de consecr. dist. 1. Grilenz. cons. 62.* Et quamuis ecclesia domino redditicia foret, nõ tamen ex hoc iuspatr. probaretur; sed clarè ostendi oporteret, vt post *Bald. cons. 368. lib. 1.* aliosque ait *Tuschus verb. iuspatronatus concl. 600. n. 11.*

Atque hinc etiam colligitur, non obstare, quod ait Comes, Caccabenses habere ius lignandi, venandi, & coquendi calcem in vtriusque ecclesię feudis; atque hinc inferri, prædicta feuda fuisse ipsius, ac per ipsum dotata, cum ijdem Caccabenses hodie habeant eadem iura in eiusdem Comitis feudis: non obstare, inquam, tũ ex modo dictis: tum quia plura sunt feuda, quæ certissimè fuerunt Comitis, & tamen post eorum alienationẽ Caccabenses nullum prædictorum iurium exercere permittuntur, vt sunt feuda, *Regargiofali, Zarbi, Xiaccati*, & aliorum: vnde etiam in feudis dictarum Ecclesiarum prohiberi deberẽt, exercere huiusmodi iura, vti in cæteris, postquam alienata sunt.

188 Insuper aio, ex hoc iure pascendi, nõ benè inferri dotationem: nam potuit Comes habere hoc ius, antequam ecclesiæ fundus donaretur; qui quidem cum eodem onere, & causa transire debuit, vt *post Suar. in defens. fid. lib. 4. cap. 20. à nu. 5.* ait *Lotter. de re benef. lib. 1. q. 31. n. 39.*

189 Præterea esse situm beneficium in alicuius fundo, & ex illo percipi decimas, non arguit iuspatronatus, & dotationem, quia potuit fundari, ac dotari, antequam ad illius manus fundus deuenerit, vt annotat *Rota diuers. tom. 2. decis. 199. n. 5. in fin.*

190 Item hoc ius glandis, ac pascendi non obtinet Comes in omnibus terris ecclesię *Sancta Maria la Noua*, sed solùm in illis, quæ *S. Maria la Noua* nuncupantur, non autem in feudo, seu territorio *Marcati ferrati*: quod signum est, aliquo peculiari titulo cõpetere, non communi omnibus terris, ac proindè non rectè inde argui dotationem.

191 Veritas autem est, vt cõstat ex publicis scripturis, quod ex quodam pacto, & accordio inito inter Vniuersitatem Terræ Caccabi, ac Superiorẽ ecclesiæ Sancti Nicolai de Nemore, qui beneficium S. Mariæ la Noua etiam administrabat, illæ terræ peruenerũt ad ipsam vniuersitatem cum onere soluendi beneficiali vncias duas, & tarenos duodecim. Quoniam verò aliæ finitimæ terræ vocatæ *li Chiani, & di San Calogero*, cõmunes ipsius vniuersitatis, subiectæ sunt Comiti in iure glandis, ac pascendi à die festi S. Crucis mensis Septembris vsque ad festũ Sancti Nicolai mẽsis Decembris; ideò Comes eodem modo, & iure vti cæpit in prædictis terris S. Mariæ. Adueniẽs verò beneficialis, qui etiam Prior erat S. Nicolai, iure sibi fauente, seruatis seruandis, prædictas terras ab vniuersitate sibi reuocauit, prohibuitq; ob id Comitem vti iure pascendi: Comes verò statim spolium de recenti tentauit, & obtinuit; & quamuis fuerit à beneficiali appellatum; tamen postea nescio quo casu litẽ prosequutus non est:

est: si enim prosequutus fuisset saltem in petitorio, proculdubio obtinuisset. Nam ex ipsismet scripturis, ab adversarijs initio præsentatis in incartamēto pro institutione huius beneficij obtinenda, apparet, has terras immunes fuisse ab hoc iure glandis, & pascendi.

§. II.

Ostenditur vtriusque beneficij libertas ex vsu, & prouisionibus subsequutis.

SVMMAE.

192 *Libertas vtriusque beneficij ostēditur ex vsu, & prouisionibus*, & num. seq.

193 *Prioris electio, quæ ad monachos prius pertinebat, eorum defectu ad Archiepiscopum Panor. anno 1414. plùs minùs translata est.*

194 *Prior de Picbiuta fuit Prior ante præstationem Comitis.*

195 *Priori de Picbiuta successit Prior de Ioppo, ob cuius mortem extrà Romanam Curiam Papa contulit Prioratum Fratri Nicolao de Montana, qui illū renunciauit Fratri Antonio de Amplerio.*

196 *Prouisio Apostolica libera Prioratus in personā Fratris Siluestri Carbonello ob liberam resignationem supradicti de Amplerio, & aliæ subsequentes prouisiones liberæ. Idem in beneficio S. Mariæ.*

197 *Altera prouisio Apostolica in personam illius de Amplerio de anno 1465. fuit subreptitia, & non habuit effectum, & est de falso suspecta.*

198 *Item prouisio Apostolica illius de Agnello est subreptitia, neque nobis obstat.*

192 Voniam in iure certissimum est, in ecclesijs, seu Prioratibus Regularium, ipsosmet Priores per monachos, seù regulares eligi debere, ac proindè in ijs iuspatronatus consistere non posse, quamuis de dotatione, & fundatione euidentissimè constaret; cum inconueniēs sit in huiusmodi electione laicum simul cum monachis, & regularibus interuenire vt diximus supra nu. 170. ideò, quod spectat ad primas huiusmodi Prioris electiones, nihil nobis innotescit: fiebāt enim per monachos, seù eremitas monasterij.

193 Id autem præstitum est, quousque ipsi monachi defecerunt, quod accidisse anno 1414. plùs minùs, non iniusiâ suspicamur: tunc enim temporis Archiepiscopus Panormitanus *Vbertinus de Marinis* prædictum Prioratū ob mortem *Fratris Aloysij* Prioris vacantem, in commēdam, (quam potest Episcopus per sex menses concedere, & ità intelligitur hìc concessa: *Riec. resolut. 140. par. 3. post Franc. Marc. & Fuscum*) concessit cuidam *Fratri Nicolao de Iurlando*, ordinis minorum S. Francisci, in cuius literis habetur, dictum Prioratum ad Archiepiscopū Panormitanum *pleno iure* pertinere.

Quin imò ante id temporis monachos defecisse, constare videtur ex quodam contractu emphyteutico cuiusdam vineæ facto per prædictum Priorem Fratrē Aloysiū anno 1408. vbi legitur, ipsum Prioratum tenere *absque Monialibus*, idest monachis, quorum certè consensus capitulariter congregatorum, si adfuissent, de iure necessarius fuisset ad valorē emphyteuticationis.

Post prædictam verò commendam apparet, fuisse Priorem quemdā *Fratrem Ioannem de Picbiuta*: is enim anno 1419. prædictam emphyteuticationem confirmauit: præcedente tamē concessione, auctoritate, licentia, consilio, & voluntate prædicti Archiepiscopi *Vbertini*; ad quem scilicet, post monachorum defectionem, Prioratus collatio pertinebat, vt ex hoc ipso apertè colligitur.

194 Idęque Prior Picbiuta anno 1414. in præsentia prædicti Archiepiscopi Panormitani constitutus, de illius speciali consensu, voluntate, & licentia con-

conceſſit *Eccleſiam S. Nicolai Quarte-rij Siralcadij* in Ciuitate Panormi, cū onere ſoluendi tarenos ſex annuatim prædicto Prioratui, vt in litteris ipſius Archiepiſcopi legitur; in quarum calce etiam leguntur quędam verba, quę dicuntur eſſe *Comitis Ioannis Bernardi de Capraria*, quæ aduerſarij aiunt, fuiſſe præſentationem prædicti Ioannis Pichiutæ in Priorem: quod tamē vaniſſimum eſt, cum apertè conſtet ſaltem ab anno 1419. eū fuiſſe Priorem, vt patet ex actū relato *nu. præcedenti*.

195 Huic Priori Pichiutæ ſucceſſit *Frater Antonius de Ioppo*, vt conſtat ex inſtrumento donationis omnium bonorum factæ prædicto Fratri Antonio tāquam Priori dicti Monaſterij ab Antonio de Marino anno 1430. vbi apparet, hunc fuiſſe Priorem vſque ad annum 1469. ob cuius mortem extrà Romanam Curiam Paulus ſecundus contulit prædictum Prioratum *Fratri Nicolao de Montana*, atque, ad ſe huiuſmodi prouiſionem, & electionē pertinere, ob reſeruationem dudum factam omnium Prioratuum ordinum quorumcumque. Et quamuis eo tempore iterum Monachi ad prædictum Monaſteriū redierint, vt colligi videtur ex pluribus actibus à Priore Ioppo factis, cum conſenſu, & interuentu Capituli; tamen Summus Pontifex Prioratum conferebat ob reſeruationem prædictam per regulas Cancellariæ, quas Nicolaus V. qui anno 1447. 6. Martij Pontifex creatus fuit, ad ſtatum, & ordinem, quem nunc habēt, reduxit, vt *per Barboſ. allegat. 37. num. 59.*

Hic verò Prior de Montana plures actus fecit, vti talis Prior. Deindè verò Prioratum reſignauit in fauorem *Fratris Antonij de Amplerio* cū reſeruatione cuiuſdam penſionis, ſibimet ſoluendæ: qui quidem de Amplerio vigore Bullarum Apoſtolicarum Sixti Papæ IV. prædicti Prioratus poſſeſſionem adeptus eſt anno 1480. 19. Ianuarij, pluresque actus fecit, vti talis Prior.

196 Anno 1488. primo Ianuarij expeditæ ſunt quædam Bullæ Apoſtolicæ, per quas Papa contulit Prioratū prædictum *Fratri Syluestro Carbonello*, tāquam liberum, & ob liberam reſignationem factam in manibus Papæ per prædictum Fratrem Antonium de Amplerio: quæ quidem Bullæ executoriatæ ſunt in Regno 8. Februar. euſdem anni. Et hic Prior perſeuerauit vſque ad annum 1522. quo mortuus eſt, vt ex pluribus actibus conſtat.

Et eodem modo ad hæc vſque tempora Prioratus prædictus ſemper fuit liber à Pontificibus collatus eſt, vt cōſtat ex prouiſionibus Apoſtolicis ſubſequentibus iſtam Carbonelli, puta in perſonam *Don Pauli Agnello* anno 1521. *D. Battiſta Galletti* anno 1526. *D. Vincentij Galletti* anno 1537. *D. Ioannis Baptiſta Galletti* anno 1581. & *D. Caſaris Lauaggi* anno 1595. Vbi notandum eſt, in dicta prouiſione anni 1526. in perſonam ipſius *D. Baptiſta Galletti* derogari iuripatr. *Quatenùs de illo; ac ex fundatione, vel dotatione beneficium exiſtat, pro medietate ipſius patronorum; alias in totum*: quæ quidem conditionalis locutio, non ſolum requirit probationem iuriſpatr. ſed etiam quòd ſit ex fundatione, vel dotatione; alias in totum Pontifex abrogauit, vt certè poſtea per Concilium præſtitum eſt. de hoc modo loquendi conditionatè vide *ſupra num. 141.*

Quod verò attinet ad beneficium S. Mariæ, eodem modo conſtat, fuiſſe liberè collatum, præſertim ab anno 1504. hucuſque, vt patet ex prouiſione Apoſtolica, facta *D. Matthæo Abarca*, de qua diximus *nu. 163. & ſeq.* & an. 1525. *D. Baptiſta Galletti* ob mortem illius de Abarca, de qua *nu.* 156. & ann. 1537. *D. Vincentio Galletti*, & ann. 1581. *D. Io. Baptiſta Galletti*, & ann. 1595. *D. Caſari Lauaggi*, qui vixit vſque ad ann. 1626. Et licet earū prima

ma

ma mentionem faciat iurisp. laicorũ, non tamen nominat D. Comitem; & mentio fit ex aliorum relatione. secũda mentionem facit conditionatè: vis de n. 141. aliæ tres omnino liberæ sũt, absque vlla iurisp. mentione.

197 Neque obstat asserta prouisio in personam Fratris Antonij de Amplerio Dat. Romæ 7. Iunij 1485. expedita cum clausula: & de iurepatr. laicorum, præsertim Comitis Comitatus de Monbaus vt dicitur, existat. Non enim habuit effectum: & iure, quia dolosè, ac subreptitiè post factam renunciationẽ, & resignationem dicto de Carbonello, nulla de hoc facta mentione, impetrata fuit. Præterquamquod Pontifex loquitur conditionatè, & ex aliorum relatione, de quo vide supra nu. 139. & seq. Et nota manifestam repugnãtiam in prædictis bullis: ait enim, se derogare iuripatronatus huiusmodi, si quid sit, & si patroni accedat assensus: quæ enim est isthæc derogatio, si patronus assentiatur? Nota etiam modum insolitum conferẽdi per sex mẽses in commendam, & deindè in titulum. Quæ omnia falsitatis suspicionẽ inducunt.

Et quamuis prædictus de Amplerio litem mouerit dicto de Carbonello in Romana Curia; succubuit tamẽ anno 1488. si veræ sunt literæ Innocentij VIII. vt aduersarij prætendũt, cuius tamen relationi, & assertioni respondimus suprà dicto num. 140.

198 Neque iterum obstat prouisio Leonis Papæ in personam Dñ. Pauli Agnello Dat. Romæ 6. Nouembris 1521. cũ clausula: Qui, vt à nonnullis asseritur, de iurepatr. laicorum dilecti filij Federici de Caprera moderni; & pro tempore existentis Domini temporalis eiusdem Terræ, existit. Tum quia fuit obreptitia, & subreptitia: exposuit enim, se dictum Prioratum renunciasse dicto de Carbonello, reseruato sibi regressu ob decessum, cuius Bullæ Apostolicæ expeditæ non fuerunt, petijtque tunc expediri, cum tamen ex dictis cõstet, in hoc fuisse mentitum: & vti in hoc, ita & in relatione iurispatr. mẽtitus est. Tum quia huiusmodi assertiones Pontificum non obstant nobis, ex ijs, quæ latè diximus suprà à num. 140. Et ob hanc quidem prouisionem Apostolicam, effectum habere non potuit libera prouisio Archiepiscopi Panormitani in personam Ioannis Cepollæ facta 27. Nouemb. 1521. quia scilicet aderat dictus de Agnello prouisus Apostolicus, qui eodem die 27. Nouembr. possessionem cæperat: inter hos verò prouisos lis agebatur, & prouisus Apostolicus præferri debuit; non verò agebatur de iurepatr. quod ad rem non pertinebat. De prætensa verò præsentatione istius de Agnello egimus supra à num. 166.

Denique nõ obstat prouisio D. Baptistæ Galletti ex his, quæ dicemus infra num. 212. & seq.

§. III.

Regula, Prouisiones Apostolicæ beneficiorum statum non mutant, exponitur.

S. V. M. M. AE.

199 Obiectio aduersariorum, iuris regula, quòd prouisiones Apostolicæ non mutant statũ beneficiorum, sed conseruant quasi possessionem præsentandi patrono, refertur, & dissoluitur num. sequẽt.

200 Regula prædicta potius nobis fauet, quã obsit.

201 Eadem regula supponit prouisionem tum beneficij esse iurispatr. ut illum non mutet.

202 Doctores ex aduerso allegati, omnes loquuntur in sensu prædicto, & eorum dicta referuntur.

203 Nemo eorum dicit prouisiones Apostolicas esse de medio tollendas, sed solum tempus illarum, & intentionem de iurispatronatus.

204 Scientia, vel ignorantia prouisionum Apostolicarum, an prædicti patroni;

 nisi

nisi aliunde plenè constet de iurepatr.

205 *In dubijs vltimus status libertatis attẽdi debet, ac præsertim si præscriptus sit; quamuis de contrario plenè constaret.*

206 *Quæ requirantur ad præscribendam beneficij libertatem; & ea in rè nostra reperiri probatur*, & num. seq.

207 *Iuspatr. amittitur per non vsum.*

208 *Vltimus status non prodest patronis, nisi probent titulum iuxtà formam Cõcilij.*

199 HIc acriter insurgunt aduersarij, aiuntque, prouisiones hasce Apostolicas Seminario nihil penitus prodesse; nobisque in memoriam reuocant, tritissimam, vt ipsi vocant, regulam apud suprema Rom. Curiæ Tribunalia, prouisiones, scilicet, Apostolicas nullum prorsus statum beneficiorum mutare. *Laudat. Seraphin. Bellamer. Coccin. Caualer. Rotam in Posthum. Farinac. Viuian. & Rot. locis statim citandis*; eamque locum obtinere dicunt nõ solum respectu dominij, & tituli, sed etiam respectu quasi possessionis præsentandi, cũ ex illis illæsa, & intacta conseruetur quasi possessio Patronis, & de medio fine tollendæ, *Rota in posthum. Farinac. par. 1. dec. 172. 275. num. 5. & 568. Achill. de Grass. dec. 13. de iurep. Verall. dec. 189. par. 3. Cassador. dec. 6. n. 5. de iurep. Seraph. 799. & 1367. Viuian. par. 2. lib. 5. cap. 4. n. 59.*

Rationem fundamentalẽ indè reddunt, quòd Papa non nisi cum magna causa iuripatr. præsertim Comitum, ac Baronum, derogat. *Couar. pp. qq. cap. 36. num... Paris. de resignat. lib. 2. qu. 4.* cumque deberet constare de Pontificis voluntate, volentis præiudicare Patronis, ac de illius scientia, verè noscentis tale iuspatr. ad laicos pertinere: *Seraph. dec. 1301. nu. 2. Viuian. par. 2. lib. 11. cap. 3. n. 17. & lib. 5. cap. 3. n. 56.* & alij nonnulli, & vt actus, seù prouisiones, eo animo fiant, quò libertas quæratur: *Rota dec. 109. à num. 8. par. 2. diuers. & in Posthum. Farinac. dec. 263. par. 2. in fin.*

Aliàs ista possessio non est manutenibilis, etiam ad libertatis fauorem contrà patroni quasi possessionem: *Postius de manutenend. possess. obseru. 36. n. 3. Viuian. par. 2. lib. 5. cap. 4. nu. 55. Gabriel conf. 185. n. 19. lib. 2. Lara de anniuersarijs par. 2. cap. 1. nu. 57. Gonzal. gloss. 45. §. 2. n. 34. Rota supradicta dec. 172. nu. 9. Aegid. Bellam. dec. 1073. & 212. Put. dec. 6. de iurep. Ripa in cap. cum ecclesia nu. 64. de caus. possess. apud Rot. d. dec. 109. num. 12. Garc. de benef. par. 5. cap. 5. nu. 111.* aliaque addunt, quæ postmodum referentur, & dissoluentur.

200 Sed reuera nihil ipsi tradunt, quod Seminario aduersetur: semper enim supponunt, se iuspatr. ostendisse, & probasse: quod tamen ex dictis constat, verum non esse: imò plura, ab ipsis tradita, nobis plurimùm suffragantur. Etenim regula illa, quam tanti faciunt, apertè seipsam explicat: ait enim, Prouisiones Apostolicas statũ beneficiorum non mutare: quæ, quemadmodum verissima est, ità manifestè supponit, beneficia habuisse statum (puta in re nostra statum iurispatr.) ante huiusmodi prouisiones, & de eo euidenter constare; eoque præsupposito tamquam certissimo, sic prouisiones Apostolicas illum nullatenus immutare: id quod nos libenter damus aduersarijs; sed addimus, rei nostræ adaptari non posse; cum vtrumq; beneficium, de quo agimus, nunquam prorsus statũ iurispatr. habuerit; quin imò semper ambo libera fuerint, etiã initio fundationis, & dotationis, vt satis hùcusque probauimus; & cum ante Apostolicas prouisiones satis cõstet de libertatis statu, eundem certè prouisiones huiusmodi omninò firmarunt, seù vt loquitur *Rota apud Farinac. in recent. tom. 3. dec. 315.* designarunt, & declararunt statum beneficij, vbi de anteriori statu minimè cõstat, iuxtà notata *in cap. cum de beneficio,*

cio, *de prabend. in 6.* & sæpè *in Rota* decisum fuit, refertque *Genuens. in prax. Archiepiscopali cap. 100. vers. in probăda, in nouiss. Rota diuers. tom. 4. decis. 615. n. 5. Caualer. dec. 126 nu. 12.* Ricc. *collect. 784. in fin. par. 4.* quantò magis vbi, vt in nostro casu accidit, de anteriori statu libero constat; & vbi, prouisiones sunt vniformes per longissimum tẽporis spatium obsèruatę. vnde potiùs parui faciendæ erunt intermediæ illæ prouisiones, de quibus *num.* 164. 197. 198. quæ mutare nequeũt statum liberum vtriusque beneficij, de quo cõnstat satis: tum quia iuspatr. non aptè probatur iuxtà *Tridentini* formam: tũ quia directè probauimus libertatem. Atque ita ea regula potiùs nobis fauet, quam aduersetur.

201 Huius verò regulæ intellectum, à nobis modò traditum, apertè supponunt ijdem DD. quos aduersarij laudarunt: omnes enim, supponentes vti certissimum, atque constantem statũ beneficiorum esse iurispatronatus, atque de hoc nullum prorsus subesse dubium; tradunt, illum per prouisiones Apostolicas, nullatenus immutari. Adduntque plures, de huiusmodi iurepatr. debere easdem Apostolicas prouisiones mentionem facere, eique pro ea vice derogare.

202 Itaque *Seraphin. dec. 799. nu.* 3. supposito, ac plenè probato, & constito de iure cõferẽdi ad Episcopum pertinente, quia quædam Apostolicæ prouisiones opponebantur: respõdet, illas non mutare statum, de quo plenè constiterat: eodemque pacto idem *Seraphin. dec. 1367. nu.* 4. exponendus est; qui tamen minimè tractat de statu mutando per Apostolicas prouisiones; sed de probatione contrarij eius, quod fuerat articulatum. Vbi obiter nota, hanc decisionem nobis plurimũ fauere; atque adeò legenda erit.

Coccinus dec. 230. n. 6. posteaquàm plenè probauit *n. 1. 2. 3. & 4.* iuspatronatus, ait, non obstare prouisiones Apostolicas, quæ non mutant statum, de quo plenè constitit.

Caualerius dec. 252. n. 2. disertis verbis, exponens regulam prædictam, ait, eam esse véram, *vbi constat*, inquit, *de contrario statu*. Et id ipsum confirmauit *in dec. 266. n. 2. & 3.* quãuis enim recesserit à decisis *in dict. dec. 252.* volueritque, benè dictam regulam suo casui adaptari; id tamen accidit, quia postea plenè constitit de contrario statu, vt patet *num. 3. ibi: ex quibus apparebat de statu præcedenti legitimè præscripto, &c.*

Rota dec. 172. n. 9. in Posthum. Farinac. par. 1. apertè, & plenissimè constitit de statu iurispatr, vt patet; ità enim incipit: *de iurepatronatus familia de Marsilijs liquidissimè constare visum fuit:* tum *n. 8. & cum pleraque*, inquit, *ex prædictis per se sufficiant; simul iuncta reddunt rem indubitatam, & clarissimum iuspatronatus, ad text. in cap. cum causam, de probat. &c.* Ac proindè rectè addidit *d. n. 9.* prouisiones Apostolicas non mutare hunc statum liquidissimè ostensum, in præiudicium patronorum: idque procedere sine scrupulo docet, quando in prouisionibus Apostolicis fit iurispatr. mẽtio, eique pro illa vice tantum derogatur: *Cassador. dec. 20. num. 2. de concess. præbend. Lambertin. par. 3. quæst. 7. art. 7. n. 11.* refertque, ita sæpè fuisse decisũ. *Rota diuers. tom. 1. dec. 545. n. 3. Viuiã. lib. 11. cap. 3. num. 15.* apertè supponũt iuspatr. & tradũt regulam prædictam.

Riccius in praxi nouiss. resolut. 218. instituens quæstionem, an prouisiones Apostolicæ, mutent statum, &c. *Respondetur*, inquit, *quòd licet vbi de contrario statu non apparet, collationes Apostolicæ faciant statum collatiuum*, &c. Qui quidem auctor aptè nostro casui fauet, cum de iurepatr. nullatenus constet.

Iterum Ricc. *dec. 6. par. 2. in nouiss. et in antiquis, in praxi Curiæ Archiepiscopalis par. 1. dec. 204.* ait, non esse denegandam audientiam patronis, probare cupientibus iuspatr. ob prouisiones

Apostolicas, quia non mutant statum, si verè, ac planè status iurispatr. ostẽdatur.

Aegidius Bellamer. decis. 107. à quo omnes hãc doctrinam mutuasse videtur, apertè supponit, constare de iurepatr. vt ex eius inspectione liquidissimè constat.

Et prædictam quidem traditæ regulæ explicationem sæpè amplexa est *Rota Romana*, vt *in tom. 4. recent. per Farinac. dec.* 580. *n.* 7. innixa *in cap. cũ de beneficio, de prabend. in* 6. vide *Marescott. var. resol. cap.* 55. præsertim *à num.* 18. *lib.* 1.

203 Atque in his terminis cęteri omnes Doctores loquuntur; qui verè non aiunt, prouisiones Apostolicas esse de medio tollendas; sed solùm tempus illarum esse de medio tollendum, cum de primo statu iurispatr. constat, ità vt tempus illud intermedium patrono, neque prosit, neque officiat, sed eo tempore iuspatronatus veluti dormit: notanda sunt verba *Rota apud Guidobonum dec.* 1. *de praescript. aliàs* 125. *in manuscriptis apud Garc. par.* 5. *cap.* 5. *n.* 119. *licet collatio*, inquit, *Apostolica non mutet statum benefi ÿ de iurepatr in liberum, nec priuet patronum possessione præsentandi; tamen non præscribit iuspatronatus, durante possessione prouisi Apostolici, quia toto illo tempore dormit*, *Achill. de Graff. decis.* 326. *in fi. & decis. Tirason. apud Garc. par.* 12. *cap.* 2. *num.* 242. *ante finem*, omninò videnda.

204 Hinc verò infertur, inanem esse quamdam aduersariorum doctrinam, aientium, tempus harum Apostolicarum prouisionum sibi prodesse; quia, inquiunt, vel nullam illarum habuerunt notitiam, sicque illis nullum præiudicium est illatum; aut notitiam habuerunt; & tunc censentur has habuisse ratas; atque adeò nihil ipsis præiudicij illatum est, & illarum tempus pro iurepatr. cucurrit: inanis, inquam, est hæc doctrina; eam enim rectè explicuit *Rota in Posthum. Farinac. par.* 2. *dec.* 276. *n.* 4. *& apud Viuiã. dec.* 25. vbi edocet, eam procedere, supposito iurepatr. tamquam certo; secùs verò, cum de eo dubitatur, agiturque de illius probatione. Et certè in re nostra, cum nulla prorsus iurisp. mentio fiat, sed prouisiones omnino liberæ per centum fermè annos factæ fuerint; nescio quo tandem modo cõgruè dici queat, patronum assensisse liberis prouisionibus, ac per hunc cõsensum sibi iuspatr. præseruasse. Imò, quamuis prouisus Apostolicus consensum patronorum petijsset, atque obtinuisset; hinc tamen nullum libertati ecclesiasticæ præiudicium illatum fuisset, si alio modo de iurepatr. minimè constaret: *Rota in recent. Farinac. tom.* 1. *dec.* 13. *n.* 5.

205 Sed quamuis hoc negotium dubium esset, puta quòd neque iurispatr. neq; libertatis status plenè probaretur ante Apostolicas prouisiones; (quamuis ipsi libertatis statum plenissimè probauerimus, aduersarij verò nè apparenter quidem statum iurispatr.) tamen vltimus status omninò attendendus erit, (licet nõ in materia iurispatr. ob reuocationem Concilij, vt diximus *supra n.* 70. & infrà *num.* 208.) qui stat pro beneficiorum libertate, plusquam centum annorum obseruatus: est autẽ satis trita regula illa, quod in dubio status vltimus attendi debet: *Rota* sæpè *apud Ferretill. ad dec.* 776. *Burats. n.* 18 *& apud Cauaaler. dec.* 373. *nu.* 6. *& in recent. apud Farinac. tom.* 4. *decis.* 737. *n.* 5. vbi plures citat, atque fuisse ità sæpissimè resolutum: & iterum *nu.* 6. *in medio*, ibi: *Quia in dubio attẽditur vltimus status, secùs quando constat de veritate in contrarium*: quod verum, est, quamuis hic vltimus status non sit præscriptus: *Rota in nouiss. dec.* 2. *de prabend. Marescott. var. lib.* 1. *cap.* 55. *n.* 22. *Rebuff.* & alij apud ipsum, *& Rota apud Buratt. dicta decis.* 776. *nu.* 2. censuit, sufficere decennium ad ostendendum vltimum statum collatiuum. Et est iuris axioma, vt in omni re vltimus status attendatur: *l. illud C. de coll.* alij-

alijsque apud *Barbos. axiomate* 229. *n.* 2. ac præsertim in beneficialibus, vt edocent passim *DD. apud Barbos. loco cit. nu.* 3. vbi scilicet non constat de contrario statu legitimo præcedente, vt post *Rotam Romanam* annotat idē *Barbosa*: non constat, inquam, plenè, quamuis adsit aliquod dubium: nam si nullum prorsus apparet vestigium prioris status, nulla etiam esset necessitas toties inculcandi axioma prædictum: certissimum enim esset, attendi debere vltimum statum, seù meliùs præsentem; cum nullus alius agnoscatur.

Supponit ergo hoc axioma, versari nos in terminis dubijs status beneficij, decernitque, tunc attendi vltimū statum: id, quod satis innuit hæc eadē vox, *Vltimum*, quæ procul dubio refertur ad priorem statum, de quo, licet aliqualis notitia habeatur, non tamē de eo constat, ac proinde res remanet dubia; & tunc attendi debere vltimū statum, regula docet.

Et quamuis de cōtrario statu legitimo plenè constaret, seù liquidissimè, vt certè necessarium esset secundùm *Rotam* sæpè *apud Ferētill. ad dec.* 776. *Buratt. n.* 15. *&* 16. tamen certum est, attendi debere vltimum, si legitimè præscriptus reperiatur *cap. cum de beneficio, de præbend. in &. Rota in nouis dec.* 2. *de præbend. aliàs* 32. & sæpè alibi, vt videre est *apud Farinac. tom.* 1. *dec.* 188. *in recent.* C*aualer. decis.* 337. *n.* 4. *& Barbos. d. axiom.* 229. *in fi. Lotter. de re benefic. lib.* 1. *q.* 34. *n.* 39. *Marescott. var. lib.* 1. *ca.* 55. *à n.* 67. *Viuiā. lib.* 11. *cap.* 6. *nu.* 12. In re verò nostra vltimus libertatis status præscriptus legitimè videtur.

206 Etenim, vt status præcedens, & anterior contrario statu immutatus, ac pscriptus intelligatur, plura cōcurrere debent, de quibus latè, & benè *Rota diuers. to.* 2. *dec.* 109. *plures apud Marescott. d. cap.* 55. *n.* 69. *Lotter. d. q.* 34. *à n.* 45. *Viuian. par.* 3. *lib.* 15. *cap.* 5. *num.* 87. *vers. & quod suprà dictum.*

Vult igitur *Rota*, ad præscribendā beneficij libertatem contra iurispatr. seruitutem, (de qua etiam plenissimè constet) quam vrbanæ potiùs comparat, quam rusticæ, requiri bonam fidē, tempus 10. vel 20. annorum, factum ipsi seruituti directè contrarium, sciētia, ac patientia aduersarij, & vt ille, qui facit actum seruituti contrarium, faciat iure libertatis, non autem ex gratia, vel necessitate.

Quæ quidem omnia in nostro casu adesse videntur. Nam bona fides procul dubio præsumitur, præsertim vbi ius non resistit, quod potiùs libertati fauet: *Garc. par.* 5. *cap.* 5. *nu.* 84. *& seq.* Tempus est plus quam centum annorum: factum seruituti contrarium sūt prouisiones Apostolicæ liberæ: Pontifex fecit iure libertatis, putans, (vt verè erat) beneficia nō esse seruituti subiecta, & sic iure libertatis prouidit; cū præsertim huiusce prætensi iurispatr. aliqualem notitiam habuisset anno 1525. & 1526. quo tempore prouidit in personam D. Baptistæ Galletti cum clausula conditionali, *si & quatenus de iurepatr. existat*; & tamen de anno 1537. eodem Baptista Galletti renūciante, liberè prouidit in personā D. Vincētij Galletti, & deindè subsequētibus personis.

207 Quod verò attinet ad Comitis sciētiam, ac patientiam, vtraque videtur abnegari non posse; quia beneficiarij, ac prouisi Apostolici in ipsius Comitis territorio possessionem capiebant; & impossibile est, quòd saltem illius officiales, & procuratores de hac re noticiam non habuerint: quod satis fuit *Bart. in l. si publ. §. fin. n.* 2. *ff. de public. Rota dec.* 166. *n.* 3. *& dec.* 600. *n.* 5. *par.* 1. *diuers. Garc. par.* 5. *cap.* 5. *n.* 136. Item scientia præsumitur ex lapsu lōgi temporis, ex multiplicatione actorum, & eorum qualitate, & publicitate, vt ex pluribus *Rota* decisionibus, aliorumque auctoritate affirmat *Garcia par.* 5. *cap.* 5. *nu.* 129. 130. 131. *& seqq.* cum præsertim resignationes publi-

blicati debuerint, iuxtà formam *Bullæ Greg. XIII. apud Paris. lib.* 1 *in præf. & in Bullario bulla* 85. *eiusdem Gregorij tom.* 2. cũ præcipue ab anno 1527. vsque ad 1589. fuerit litigatum inter Comitem, & prouisum Apostolicum in cuius fauorem fuerunt latæ interlocutoriæ, *vt num.* 213. *& seq.*

Imò anno 1525. & 1526. volens Comes præsentare illum de Billè, & iterum anno 1583. D. Aloysium Torres, & D. Mauricium de Iuliana, & etiã anno 1589. D. Petrum Scarpaci, non obstãte prouisione Apostolica, repulsus est.

Vnde hìc etiam optimè intrat doctrina *Calder. cons.* 15. *de iurepat. Roch. de Curte verb. competens q.* 28. *nu.* 44. *Lambert. lib.* 2. *par.* 1. *q.* 3. *ar.* 15. *n.* 3. *& Rota in Chisanens.* 72. quos retulit, & secuta est *eadem Rota in vna Papiens. Archipresbyteratus Lunæ* 9. *Apr.* 1601. *coram Ramphilio in manuscriptis*, quã vnàcum alijs citat, & sequitur *Viuiã. par.* 3 *lib.* 15. *cap* 1. *nu.* 17. *vers. & quod in medio, & apud eumdem dec.* 30. *nu.* 8. Hi enim omnes aiũt, amitti iuspatr. per non vsum, cum scilicet patroni à præsentatione desistunt, quia præsẽtarè volentes, non sunt admissi. Quãobrem etiam ex hoc capite Comes iuspatr. amisisset, si aliquando habuisset; quod penitus abnegamus; & ipse nunquam ostendit: & quoad non vsum, *vide Put. dec.* 96. *in correctis lib.* 1. *& lib.* 2. *dec.* 369. *& dec.* 7. *de surep.* vbi non vsus fuit 12 o. annorum: *& Seraph. decis.* 1367. vbi non vsus fuit 70. annorum, & prouisiones factæ fuerũt absque mentione, & derogatione iurispatronatus.

208 Quæ quidem omnia veluti obiter dixerim; nam vere status seruitutis probatus non est, & ita contrarij status præscriptione minimè indigemus. Probauimus enim euidenter vtriusq; beneficij libertatem; & quamuis id nõ præstitissemus manifestè, vt verè præstitimus; saltem nemo negabit, si modo sanæ sit mentis, id nos præstitisse saltem probabiliter; atque adeò, gratis dato, quòd in dubijs versemur, proculdubio Seminarium obtinere debebit, cum ei vltimus status liber penitus suffragetur, quem in dubijs attẽdi debere antea probauimus. Neque video quid huic rationi probabiliter ab aduersarijs responderi possit.

Illud autẽ velim hìc annotes, hoc, quod diximus de vltimo statu, prodesse quidem libertati beneficiorum, aut etiam, si agatur de pertinentia præsentationis, aut collationis, vt post plures Rotas, ac DD. monuit *Ferentill. ad dec.* 776. *Buratt. nu.* 11. non autem seruituti, ac iuripatr. præsertim post *Concilium Tridentinum*: ille enim non sufficit; sed probari debet titulus secũdùm Concilij formam, vt notat *Rota diuers. tom.* 5. *dec* 83. *num.* 8. *&* 9. vide *suprà num.* 70.

§. IV.

Clausulæ, *pro hac vice derogantes; & dummodo ad nos hac vice pertineat*, exponuntur: ac nonnulla obiecta diluuntur.

SVMMARIVM.

209 Clausula, pro hac vice derogãtes; *& altera*, dummodo ad nos hac vice pertineat, *nobis non obstant, & explicantur*, & num. seqq.

210 *Clausula*, dummodo ad nos, &c. *apponi solet, quando Papa prouidet de reseruato, ad præseruandum ius ordinarijs, non verò patronis.*

211 *Eadẽ clausula potius aduersarijs nocet.*

212 *Derogatio iurisp. Comitum debet esse expressa; aliogui non valet.*

213 *Interloquutoria, quod literæ manutentionis stẽt, & exequantur, lata in fauorem Don Baptistæ Galletti prouisi Apostolici contrà Comitem.*

114 *Expectatiuæ non comprehendunt beneficia iurispatr.*

215 *Iuspatr. in ecclesia regulari, cum compe-*

tat

tat ex priuilegio, amittitur per nõ usũ.

216 *Cum in prouisionibus Apostolicis non derogatur iurip. expressè, patronus sibi praiudicat, nisi reclamet.*

217 *Beneficia per resignationem vacant.*

218 *Vacantia in Curia non sunt reseruata, si sint iurisp.*

209 Iterum insurgunt aduersarij, vt prouisionibus Apostolicis obstant, aiuntque, per eas iuripatr. nullum penitus præiudicium inferri: ob idque perpendunt clausulas, quas in illis reperiri autumant, nimirum: *pro hac vice derogantes, &c. Et dummodo ad nos hac vice pertineat*: p quas, inquiunt, iuspat, potiùs conseruatur. Sed hìc quoque, sicuti antea, aduersarij apertè supponunt id, quod probare primùm tenebantur, nimirũ, cõstare de iurepatr. quod nos semper negauimus, & constanter negamus: ipsi verò; hoc tamquam certum supponentes, multa congerunt, quæ nihil proindè conuincunt.

Quod verò attinet ad prædictas clausulas, admonendum est, primam non fideliter referri, cum non absolutè, ac simpliciter, sed conditionatè per voculas, *si & quatenus*, per Pontificem apponatur, atque eriã ex aliorum relatione per verbũ, *vt asseritur, vt dicitur, &c.* vt latè explicuimus supra *num. 140. & seq.*

210 Iterum adnotandum est, prædictã primam clausulam nonnisi in duabus prouisionibus anno 1525. & 1526. reperiri, vt loco citato prædiximus. Aduersarij verò id extendunt ad omnes subsequentes prouisiones, quod ex illarummet inspectione constat, falsissimum esse: factæ enim semper fuerunt vti de liberis beneficijs; & quamuis in ijs apposita sit alia clausula, *dummodo ad nos hac vice pertineat*; ea tamen de stylo in omnibus prorsus prouisionibus apponitur, ac per eam Papa prouidens, declarat, se nolle prouidere, nisi quatenus beneficium reseruatum existat. hæque clausula Papæ intentionem excludit in præueniendo, & concurrendo cum ordinario; ideoque apponi consueuit, quando Papa prouider de reseruato; vt hæc, aliaque, ad hanc clausulam pertinentia, benè explicuit *post Rotam, Barbosa tract. de clausulis vsufreq. clausula 45. Simonetta de reseruat. q. 61. n. 3. Marchesan. de commiss. par. 2. nu. 4. Ludouis. dec. 314. Viuian. dec. 20. n. 5.* Quamobrem ea ad ordinariorum ius præseruandum apponitur; non verò nè prouisionibus Apostolicis aliquod patronis præiudicium fiat, vt aduersarij opinantur, nulli nixi fundamento, nec alicuius Doctoris auctoritati. Nemo enim est, qui id asserat, nec asserere potest; quãdoquidẽ beneficia omnia libera præsumuntur, ac proindè semper vti libera conferuntur; nec vlla dubitatio de iurepatr. cadere potest, ità vt propter eam præfata clausula addi debeat; vt certè additur ob dubitationem, quæ semper adest, num scilicet ad Ordinarium collatio pertineat.

Quando verò de iurepatr. liquidissimè constat, non illa, sed alia clausula apponitur, idest, *pro hac vice derogantes, &c.* vel, si aliquod dubium à prætendentibus in narrationibus ingeritur, apponitur alia conditionata, *Si & quatenus de iurepatr. existat, &c.* cum verò nullum subest dubium, neq; hæ clausulæ, quæ ad iuspatr. propriè spectant, apponuntur; secunda verò clausula nullatenus ad iuspatronatus refertur, vt dictum est.

Et quamuis *Rota apud Viuian. dec. 26. n. 10. & dec. 29. nu. 5.* quam pro se allegare poterant aduersarij, si animaduertissent, doceat, per hanc clausulam præseruari iuspatr. id tamẽ est, quia vel in ipsismet Bullis, vel saltem in supplicationibus fit expressa mentio iurispatr. ac proindè tunc illa clausula relationem dicit ad iuspatr. de quo mentio facta est, vt ipsamet *dec. 26. n. 10.* se explicat: id quod non euenit, cum absolutè, & simpliciter absque illius mentione apponitur, vt accidit in casu nostro.

Et

211 Et certè, si hæc clausula, *dummodo ad nos hac vice pertineat*, ad iuspatr. referri debeat, aduersarijs proculdubio nocet: per illam enim Papa secūdùm ipsorum intentionem non vult iuripatr. derogare, illudque potius præseruat; quamobrem non impedit, posse patronum præsentare, & præsētatum obtinere institutionem: cum ergo Comes non presentauerit, vel præsentans repulsus fuerit; signū est manifestum, illum non habuisse iuspatr.

Vnde non habet hic locum doctrina *Monetæ de commut. vltimar. volūt. cap.* 11. *num.* 252. *Rot. dec.* 275. *nu.* 6. *par.* 1. *in Posthumis Farinac.* & aliorum aientium, patronos sibi minimè præiudicare, si per prouisiones Apostolicas impediti, etiam per 100. annos non præsentauerint: in re enim nostra prætensus patronus nullatenus impeditus fuisset, vt dictum est, & sic sibi proculdubio præiudicasset, vt statim subnecto.

212 Ad excludendum etiam hoc prætēsum impedimentum, diligenter notandum est, in Apostolicis prouisionibus, in quibus mentio fit iurispatr. vel ex aliorum relatione, vel conditionatè, vt supra explicatum est *num.* 140. *& seq.* non derogari, saltem in nonnullis, expresse iuripatr. Comitis, vt certè erat necessarium, quod validè derogatum censeretur, *ex regul. Cancellar.* 40. *vel* 41. *ibique Soto, Kochier, Couar. pp. qq. cap.* 36. *nu.* 4. *Garc. par.* 5. *cap.* 1. *n.* 555. *Vbaldi lib.* 14. *cap.* 2. *nu.* 10. Quamobrem nullatenus impeditus fuisset præsentare, si Papæ derogatio nulla erat, ob non factam mentionem Comitis de Mohac: solum enim dictum est, *Si & quatenus esset de iurepatr. laicorum*. Ita accidit in prouisione de beneficio S. Mariæ la Noua, & in prouisione Prioratus in persona D. Baptistæ Galletti anno 1525. & 1526.

213 Vbi etiam animaduertendum est, prædictum D. Baptistam anno 1524. obtinuisse expectatiuam omnium beneficiorum Panormitanæ Diœcesis: & cum anno 1525. vacasset dictus Prioratus ob mortem D. Pauli l'Agnello, D. Baptista virtute expectatiuæ Prioratum elegit, & acceptauit, ac illius possessionem cæpit; deinde Bullas nouæ prouisionis illius obtinuit, prout de iure requirebatur, & exequutorias harum bullarum consequutus, cum vellet Prioratum administrare, *à Friderico Mattienzo*, asserto Procuratore Comitis, & *à Cl. Nicolao Billè*, asserto præsentato per eumdem de Mattienzo, dictum Prioratum occupantibus, repulsus est, aientibus, se Comitis nomine possidere. Quocirca prædictus D. Baptista Proregem adijt, petijtque manuteneri in possessione Prioratus antea legitimè capta, & declarari spolium de recenti à prædictis commissū; fuitque mandatum, quòd illi cogerētur subire, & testificari, an Comitis nomine Prioratum possiderent: qui negatiuè responderunt, fueruntque inde literæ manutentionis concessæ 15. Aprilis 1527. & cum ad effectum fuerit missum à prædictis, quod non sigillarentur, tandem 30. Iulij 1527. fuit interloquutum, *Stent literæ, & exequantur*. Et quamuis non destiterint ijdem de Mattienzo, & Billè vsque ad annum 1529. continuè litigare, [illegible] tamen, quia prædictus de Galletti tandem obtinuit.

214 Ex cuius quidem facti serie elicitur manifestè, Comitem nullum prorsus iuspatr. in Prioratu obtinere, & illi obstare rem decisam, tum quia, non obstantibus bullis expectatiuæ, poterat præsentare, cum ea beneficia iurispatr. de iure minimè comprehendãt, *Garcia de benef. par.* 5. *cap.* 1. *n.* 555. *in medio* post plures, quos allegat, tum quia Bullæ prouisionis iuripatr. derogabant pro medietate, si & quatenus beneficium esset de iurepatr. laicorum ex dotatione, & fundatione: Quamobrem probare potuisset fundationē, aut dotationem, ac sine impedimen-

to præsentare; quia fuisset vnicus Patronus, & sic derogatio nulla erat, vt diximus supra *n.165.*

Tum quia, cum esset Comes, cuius iuripatr. derogatum non censebatur, absque illius expressa mentione, vt dictum est, profectò potuisset illud ostendere, ac sine impedimento præsentare: vnde sequitur, ipsum verè nullatenus fuisse impeditum, sed ideò non præsentasse, quia verè iuspatr. non obtinebat; & quamuis habuisset; illud tamen ex prædictis actis iudiciarijs amisisset, & quia non impeditus desijt præsētare, vt antea monuimus.

215 Ac præsertim cum simus in beneficio regulari, cuius quidem iuspatronatus nõnisi per Pontificis priuilegiũ haberi potest: vt diximus *num.* 176. certum autẽ est iuspatronatus, ex priuilegio competens, per non vsum lõgi temporis amitti; vt probat *Lotter. lib.2.q.7.n.22 & seq.ex l.1.ff. de Nũdin.DD.in cap.cum accessissent. de constit.* præsertim *Felin. num.* 25. *& Dec. nu.63.Decian cons.* 2. *nu.* 125. *vol.* 2. cum alijs adductis *per Surdum consil.* 419. *num.* 5. Dummodo se obtulerit occasio præsentandi, vt post alios declarant *Lotterius, & Surdus.*

216 Atque ex his elicitur responsio aliorum, quæ addunt aduersarij, non fuisse opus reclamatione, nec nocuisse taciturnitatem, &c. *ex Rota apud* Put. *dec.*512.*alias* 402.& alijs. Nam in casibus huius *Rotæ*, & aliorum expressè iurip. derogatum est: ac proindè illud præseruabatur; ideòque, quia actus illi præiudiciales non erant, nulla reclamatio requirebatur, nec taciturnitas officiebat: non enim Ordinarius præscribit libertatem aduersus iuspatr. inquit *Rota* ab aduersarijs allegata *apud Viuian. dec.* 87. *num.* 44. per simplicem non vsum præsentandi patronorum; sed requiritur factum Ordinarij directum, contrarium seruituti, hoc est, libera collatio: & tunc quidem reclamatio requiritur; alioqui libertas præscribitur, si cætera adsint, de quibus supra *num.* 206. *& seqq.* ac præsertim cursus 40. annorum: cuius sanè defectu *Rota* ad aduersarijs laudata *dec.* 109 *par.* 2. *diuers.* censuit, patroni taciturnitatē minimè nocuisse. Atqui in nostro casu collationes liberæ fuerunt, ac per cursum plusquam centum annorũ obseruatę: vnde procuIdubio taciturnitas obfuit.

In casibus verò *Put. ac Rotarũ*, prædictarum prouisiones, vel liberæ non fuerunt; vel tempus legitimum desideratum est, vt ex ipsarum inspectione apertissimè constat.

217 Neque dicas, ideò tacuisse Comites, nec reclamasse, quia verè beneficia nunquam vacauerunt; nam vel per resignationem, vel ob obitum obtinentium, in Curia sequutum, collata sunt: etenim falsum est, per resignationẽ, non solùm simplicem, & absolutam, vt sunt omnes nostræ, vt patet ex inspectione Bullarum, ibi: *per liberam resignationē in manibus nostris,* &c. verum etiam per conditionalem, & in fauorem, beneficia non vacare: contrarium enim est ab omnibus receptum; & talis vacatio dicitur accidere ex ciuili obitu, ac voluntaria abdicatione, idque omnes colligunt *ex cap. susceptum, de rescriptis in* 6. *ibique Scrib. alijsq; pluribus apud Mandos. regul.Cancellar.*30.*q.* 7. *Flam. Paris. de resign.lib.*1.*qu.* 4. *&* 5. aliosque, quos citat, ac sequitur *Barbos. de potest. Episcopi alleg.*57.*n.*22.*& alleg.*72.*n.*9.*& seq. Mascard.concl.*1395.*nu.*3.& certè si beneficia per resignationem nõ vacarent, conferri non possent: neque enim collatio beneficij non vacantis fieri potest. Deindè resignationes beneficiorum de iurepatr. si fiant absque consensu patroni, veniunt annullandæ, vt omnes fatentur *apud Paris. de resign. lib.*2.*q.*4.*à n.*4.*Tusch. verb. iuspatr. concl.*618.*Garc. par.*5.*cap.*9.*à n.*238.*Viuian. lib.*13.*cap.*10.*num.*15. aliosque passim: & sic poterat, ac debebat Comes reclamare, atque etiã præsentare.

218 Demum beneficia iurispatr. in Curia vacantia, non intelliguntur reseruata, vt communiter firmant DD. & latè *Gonzal.gloss.28.à nu.2. Garc.p.5. cap.1.§.11.à nu.571.Ricc.dec.37.par.2.* Vndè poterat Comes præsentare, non obstantibus prouisionibus Apostolicis, vel ijs consensum dare, expressum tamen, nam tacitus non sufficiebat, vt post plures *Seraph. decis. 1163.Gonzal.gloss.47.à n.20. Nouar. nou iur.Pontif.concl.75.n.7.Viuian.de iurep.lib.12.cap.5.n.39.& seq.*

Atque ex his omnibus, quæ latissimè hucusque explicuimus, clarissimè constat, D. Comitem nullo prorsus modo ostendisse iuspatr. quod prætēdit, iuxtà formam à Concilio requisitam, neque vti personam particularē, neque vti potentem: iam enim apertissimè eius omnes rationes dissolutæ sunt, & abundè etiam ostendimus vtriusque Ecclesiæ libertatem.

§. V.

Probatur valor vnionis horum beneficiorum Seminario factæ.

S V M M A E.

219 B*Eneficia secularia secularibus, regularia regularibus conferenda.*

220 *Episcopi possunt vnire Seminario beneficia simplicia regularia commēdata, quæ cura, & conuentu carēt.*

221 *Beneficij appellatione beneficia regularia comprehenduntur.*

Episcopi habent intentionem de iure fūdatam, tam quoad collationes, quam quoad vniones omnium beneficiorum etiam regularium simplicium non exemptorum.

222 *Noster Prioratus non est exēptus, exēptio non præsumitur.*

223 *Cardinales virtute Indulti etiam beneficia regularia conferre possunt.*

224 *Lis inter Comitem, & Seminarium est de iurepatr. tantum, non de valore vnionis, pro quo extant Bulla Pontificia.*

219 PRobata horum beneficiorum libertate, statim infertur valor vnionis horum beneficiorum Seminario factæ, de qua initio huius Consilij dictum est: si quid enim obstitisset, id fuisset iusp. quo quidem explosa, nihil remanet, quod illi officere possit. Neque verò regularitas, quam aduersarij obiectarunt, quidpiā obstat: nam, quod attinet ad vnionē beneficij S. Mariæ, nulla est difficultas in ipsorum aduersariorum sententia, qui volunt, illud esse seculare. Solum dubium esse posset de Prioratu, qui ab ipsis, sicuti & à nobis regularis agnoscitur. obsistere autem huic vnioni videbatur illa iuris Pontificij regula, quæ in omnium ore versatur, *beneficia secularia secularibus, regularia regularibus conferenda, ca. cum de beneficio, ibique Scrib.de prab. in 6. cap. nullus, & cap. cum causam, de elect. Tridēt. sess.14.cap.10. de refor. & cap. 21. de reg sess.24.* alijque passim præsertim *Gonzal.in reg. 8.gloss.7.per tot.& Ludouic. Bello cons.60.* qui pro recto huius regulæ intellectu omnino consulēdus est.

220 Sed, nihil penitus obstante regula prædicta, omnino hæc vnio, de qua loquimur, valida est. etenim hanc quæstionem mouit doctiss. *Bellarm.ad Trid.in cap.18.de reform.sess.23.vers. necnon*; eamque resoluit hisce verbis, *Quaeritur, an possint vniri Seminario beneficia simplicia regularia, commendata, quæ cura, & conuentu carent. videtur quod sit, quia verba legis comprehendunt quamcumque qualitatem, & sic etiam regularium, quæ quidem qualitas est, præterea sess. 24. cap. 15.* (idem in simili statuit cap. 13. de regul. ead. sess. 24.) *permisit Episcopis, quòd possint vniri beneficia mensæ, & excipit expressè regularia: ergo, quando Concilium noluit, expressit; quando voluit, inclusit sub hac generali comprehēsione. Et quòd hæc fuerit mens legislatoris testatus est mihi Reuerendissimus Facchinettus, Episcopus Neocastrensis,* huius

huius decreti compilator, nunc amplissimus Cardinalis SS. Quattuor Coronatorum, postea Pontifex O. M. Innocētius IX.

221 Huius autē resolutionis ratio, quā tetigit *Bellarminus*, confirmari potest, tum ijs, quæ ipsi tradidimus *cons. 3. à num. 2.* tum regula, quam firmat *D. Barbosa appell. 32.* scilicet beneficij appellatione etiam regularia comprehendi. Id quod præsertim locum habere debet in materia collationum, atque vnionum respectu Episcoporum: hi enim, non solùm quoad collationes beneficiorum, tum secularium, tum regularium, in sua diœcesi existentiū, habent de iure intentionem fundatā, *cap. ex frequentibus, de instit. cap. conquerente de off. ord. & vtrobique DD. Abb, Vital, Felin.* alijque apud *Gonzal. in reg. 8. §. 1. proœm. n. 21. Durād. decis. 441. n. 1.* præsertim regularium non exemptorum: post *Rotam Romanam in vna Ferrarien. Prioratus 18. Aprilis 1611. Riccius collect. 2954. & 2960. Gonzalez glos. 23. n. 22. post Abb. & alios;* verum etiam quoad vniones beneficiorum, regularium, simplicium, nō exemptorum: *Rebuff. in praxi benef. tit. de vnionib. benef. n. 22. Castropalao post alios tom. 2. tract. 13. disp. 6. punct. 12. §. 2. n. 2.* Vnde nō obstant nonnulli, qui contrarium innuunt: loquuntur enim de beneficijs regularibus exemptis, & ita sunt omnino explicandi.

222 Neque dubium est, quin Prioratus, de quo loquimur, sit regularis, non exemptus: tum quia, sicuti non præsumitur factum, ac priuilegium *vulg. iurib.* ita neque exemptio, *cap. 1. de constit. in 6. Rom. cons. 327. nu. 8. vers. nunc verò, Cocchier. de iurisd. ordin. in exempt. p. 1. q. 8. nu. 1.* tū quia hic Prioratus semper, absque hominum memoria in contrarium, visitatus fuit ab Archiepiscopis Panormitanis, eiusq; Priores, ac Commēdatarij ijsdem Archiepiscopis semper subiecti extitère, vt constat ex pluribus visitationibus, & actibus exhibitis in hac causa: ijdēq; Archiepiscopi collectas imposuère pro Seminario; vti hæc omnia ad probandam non exemptionem considerat *Rota Rom. apud Durand. decis. 14. n. 13. in fine, & decis. 92. sub nu. 16.* Cū præsertim initio fundationis huius Ecclesiæ Leonardus Archiepiscopus Panormitanus Fr. Lucam eremitam, suosque confratres sub sua protectione receperit: id quod in iure significat iurisdictionem: sicuti in nostro casu apertè innuit solutio illius rotuli ceræ in signum recognitionis, dominij, & subiectionis, de quo *sup. n. 175. vers. Leonardus.*

223 Item nostra vnio firmissimè innititur Indulto concesso Eminentissimis DD. Cardinalibus, qui virtute illius beneficia, etiam regularia, conferre possunt; & per illud omnia obstacula, si quæ adessent, sublata censerentur: *Germonius in tract. de indult. Card. §. regularia.*

224 Denique nos de hac Prioratus vnione habemus Bullas Pontificias, more solito expeditas, facta etiam regularitatis mentione.

Illud demum admonuerim, in hoc iudicio minimè tractari de valore huiusce vnionis; sed solùm de libertate prædictorum beneficiorum, an scilicet sint libera, an verò de iurepatronatus. vnde, nisi aduersarij probent iusp. nihil ipsis proderit validitas, vel inualiditas vnionis; ipsisque iure dicet Seminarium, quoad te liberas ædes habeo.

§. VI.

Epitome totius Consilij 49.

EA omnia, quæ *hoc conf.* tradidimus, quinque punctis cõprehendi possunt, quæ in sũmam redigo compendiariam, velut in apertam tabellam. Primo quid in genere assumat probandum D. Comes. Secundo quam speciem patronatus probare debeat de iure. Tertio quõnam modo eam speciem ex iure ostẽdere teneatur. Quarto non eamdem ipsam speciem de facto probat D. Comes, quem de iure probare debet. Quinto nec eo modo de facto probat, quo probare teneretur.

Primum punctum. Comes assumit probandum patronatum suum in Ecclesijs Sanctæ Mariæ, & Sancti Nicolai, non quidem aduersus alium patronum, quasi certissimè vtriusque Ecclesiæ supposita seruitute; sed absolutè contrà Ecclesias ipsas directè, ità vt velit Comes probare, eas Ecclesias esse sibi seruas. Quare in hac cõtrouersia agitur de Ecclesiarum prædictarum seruitutibus, quæ valde efficaces rationes, & omnino concludentes exposcit; sicuti & in dominij probatione requiruntur; cum quo iusp. fraternizat.

Hinc sequitur, seruandam esse regulam traditam ab *Aristotele in Problematibus sec. 29. quæst.* 13. vbi suadet iudicibus, vt in dubio libertatis, & seruitutis, libertati faueant, & seruos dubios, dubiasuè seruas liberent: *nã, etsi iniquum etiam est*, inquit, *liberum asseruisse eum, qui seruus est; longè tamẽ iniquius est, seruum sanxisse eum, qui liber est.*

Item meminerint pij iudices, totum *Concilium Lateranense sub Alexandro Tertio anno Domini* 1181. ingemuisse, quòd Ecclesia Romana substinuerit iurapatronatus, nempe Ecclesiarum seruitutes; quinimo, & maculas; nam seruitus omnino est macula: expressè in *l. Præses C. si seruus, aut libertus lib.* 10. Hoc igitur probare contendit Comes, idest duplicis Ecclesiæ perpetuã seruitutem.

Secundum punctum. Quattuor, saltem sunt fontes, ex quibus potest deriuari patronatus: Fundatio constructionem includens, Dotatio, Gratuita Papæ concessio, & Augmentum dotis. Concilium decernit, non qualecumque patronatum, seu non qualecumque speciem patronatus esse admittendam à iudicibus in litigium, & probationem; sed eum solum patronatum, qui est, seu deriuatur ex fundatione, vel dotatione: cæteros, idest Papæ priuilegium, & augmentum dotis, à iudicijs ablegat, & propulsat. Hãc igitur speciem determinatam debet probare D. Comes ex iure, seu forma iuridica Tridentina.

Tertium punctum. Et hanc ipsam speciem patronatus, ex fundatione, vel dotatione caussatum, probare tenetur Comes, non quomodocumque; sed modo peculiari, & determinato à Concilio; nempè ex authentico documento, idest ex scriptura: documẽtum enim in iure Canonico, & Cæsareo sumitur pro sola scriptura, exclusis testibus, & quibuscumque alijs probationibus: & nullibi prorsus sumitur in iure pro scriptura simul, & testibus, alijsuè probationibus.

Documentum istud authenticum continere debet ipsam fundationem, vel dotationem. neque hoc ad efficacem Patronatus probationẽ satis est; nam potest verum esse, quod documẽtum continet, idest Titium v. g. Ecclesiam fundasse, vel dotasse; & tamẽ Titius non fit patronus: quia videlicet, vel primo noluit inde patronus fieri, vel secundo voluit solus ipse exceptis hæredibus, patronus esse; ipse autem ante litem, ab hæredibus motam, extinctus est; vel tertio etiam hæredes admisit; sed intra tantum tẽpus, quod expirauit: vel quarto consensus Epi-

sco-

ſcopi, vel Papæ non interfuit; qui tamen ad fundandum patronatum eſt neceſſarius: vel quinto ex præſcriptione non præſentandi amiſſus eſt patronatus: quæ quidem ſunt ea requiſita, quæ à Concilio exiguntur, ijs verbis: *& alijs à iure requiſitis.*

Hęc Comitis probatio debet eſſe oſtenſiua, ideſt clara, pellucida, conuincens. hæc eſt vis in iure verbi, *oſtendatur*: & rectè id ſanxit Concilium; quia agitur de eccleſijs ſubiugandis, ideſt ſub iugo ſeruitutis perpetuę ſupponendis.

Quod ſi primus iſte probandi modus deſit; in promptu eſt ſecundus apud Concilium, ex vi nimirum poſſeſſionis immemorabilis in fauorem prætenſi patroni, ſi is oſtenderit multiplicatas præſentationes intrà tēporis curſum antiquiſſimum, non quemcumque, ſed immemorabilem, ideſt ſaltem centenarium.

Vnde hoc ſignificant ea verba *aliaſuè ſecundùm iuris diſpoſitionem*, non autem tertium probandi modum, per famam, per enunciatiuas, per inſignia familiæ inſculpata in Eccleſia, vel per alia ſimilia adminicula; ſiquidem (quod accuratiſſimè notandum eſt) nullibi habetur talis diſpoſitio de probando patronatu per iſta adminicula in toto iure Canonico, & Cęſareo, ſiue in corpore, ſiue extrà corpus, ſed ea à nonnullis Doctoribus fuerunt adinuenta, per quæ Eccleſiæ ſeruituti iuriſp. impudenter ſubijciebantur, vt Concilium ait. quomodo igitur idem Concilium potuit tertium probandi modum per ea verba inducere, ſe remittens ad iuris antiqui diſpoſitionē, quæ nec extat, nec vnquam extitit, nec aduerſarij vllum textum induxerūt, ſed ſola diſpoſitio Tridentina eſt abſolutiſſimè prima, quæ tradat ſpecificos modos oſtendendi patronatum?

Et hæc ipſa ſecunda probationis via, *per multiplicatas, &c.* debet eſſe oſtenſiua, quia in Concilio ſtat ſub eodem verbo, *oſtendatur*, vt patet; ſiue de cætero fiat per ſcripturas, ſiuè per teſtes, habentes ſaltem quinquaginta quattuor annos, & cæteras qualitates; neutrum enim requirit determinatè Concilium.

Denique complet Sancta Synodus ſecundum probandi modum per multiplicatas præſentationes, decernens in perſonis potentibus pleniorem, & exactiorem requiri probationem, non arbitrio iudicū remiſſam, ſed in textu poſitam; nempe vt nec ipſa immemorabilis ijs perſonis ſuffragetur, ideſt ut nec ipſæ multiplicatæ præſentationes intrà tempus immemorabile, alioqui ſufficientes in perſonis priuatis, ſuffragentur perſonis potentibus, aduerſus Eccleſias, etiam particulares, niſi habuerint tres haſce determinatas qualitates, præter reliquas, ideſt exiſtentiam, cōtinuationem per quinquaginta annos, & effectuationem; quæ omnes authenticis ſcripturis probentur.

Perſpicuè hic conſtat reiectos eſſe teſtes, reiectam famā, reiecta inſignia in Eccleſia, reiectas enunciatiuas, & ſi quid aliud eſt huiuſmodi, pro oſtendendo patronatu in perſonis potentibus. Atque hic eſt modus iuridicus probandi in Concilio deſignatus.

Quartum punctum. Dignoſcamus nunc, quam ſpeciem patronatus probet D. Comes. Nec clarè oſtendit, nec obſcurè probat patronatū illum ſpecificum à Concilio deſignatum, ideſt deriuatum ex fundatione, vel dotatione; ſed probare nititur patronatū vagum, & indifferentem. deficit ergo D. Comes in eo, quod probare tenetur. De iure tenetur vnum, nempe à Tridentino poſitum; ipſe de facto probat alium patronatū, ſeu potius probare conatur: neque enim vllum reuera probat.

Quintum punctum. Tenetur, vt dixi, D. Comes oſtendere patronatum ſecundùm formam iuridicam Tridētinam; hæc enim hodie eſt ius directiuum in hoc litigio. forma autē, vt patronatus oſtendatur, eſt ex documēto au-

authentico, siue ex multiplicatis præsentationibus intrà temporis cursum immemorabilem, cum tribus qualitatibus prædictis. Probat autem ex extrinsecis, & extraneis, longeque petitis capitibus, seposita Tridentina forma: nimirum primo ex eo, quod ipse est dominus fundi, in quo duæ illæ Ecclesiæ sitæ sunt: secundo ex fama: tertio ex testibus dicentibus, Comitem esse patronum: quarto ex enunciatiuis, seu assertionibus quibusdã: quinto ex præsentationibus.

Sed quis non videat, prima quattuor capita prorsus esse insufficientia, cum sint extrà formam Tridentinam? Adde, quòd singula reuera deficiunt multipliciter, vt in toto *hoc Cõsilio* perspicuum est, præsertim *sect.* 2.

Quintum caput ex præsentationibus non est iuxtà formam Tridentini: neque enim complent immemorabilem possessionem, cum immemorabili tempori minimè coniungantur. Itẽ earum existentia, continuatio per quinquaginta annos, & effectuatio neque authenticis scripturis, neque aliter probatur. etenim vna, quæ affertur in Priotatu, non habuit effectũ: cæteræ, etiam aduersarijs fatentibus, effectum sortitæ non sunt. Vna, quę affertur in beneficio S. Marię, quæ verè effectum habuit, potius Comitem in mala fide constituit: eam enim alię subsequutæ non sunt: & licet altera afferatur, non tamen sufficienter probata est; sed solum in actu institutionis enunciatur: & ambæ minimè cõplent tempus quinquaginta annorum immemorabili coniunctum: reliquæ, etiam ipsis aduersarijs fatentibus, effectum sortitæ non sunt.

Hæc omnia in toto hoc Consilio continentur: hìc breuissimè præ oculis posita ad memoriam adiuuandã.

(: † :)

CONSILIVM L.

Fructus beneficiorum post obitum beneficiarij ad quosnam pertineant, ad heredesne ipsius beneficiarij, an verò ad successorem in beneficio.

FRequens est controuersia inter demortui beneficiarij hęredes, ac nouum beneficiarium super beneficij fructibus consequendis, quã hoc loco explicare decreuimus. Sed antequam ad illius resolutionem accedamus; operepretium est exponere in quotuplici differentia sint fructus, de quibus disputamus. Sit igitur.

§. I.

Fructuum descriptio, & differentia.

SVMMAE.

1 *Descriptio fructuum.*
2 *Doctrina* Baldi *circa fructuũ diuisionem in naturales, industriales, & mixtos: & qui sint naturales.*
3 *Qui sint industriales, & n.* 4.
4 *In dubio an naturales, an industriales dicendi.*
5 *Refertur alia* Baldi *explicatio.*
6 Bartoli *doctrina, diuidentis fructus in naturales simpliciter, & industriales, & in ciuiles.*
7 *Pensiones domorum dicuntur quasi fructus.*
8 *Ciuiles fructus vnde denominentur.*
9 *An dentur fructus ciuiles, alij aiunt, alij negant.*
10 *De oliuis, oleo, lana, & similibus quorũdam doctrina.*
11 *Explicatur à* Bartolo.
12 *Oliua, & oleum sunt fructus industriales.*
13 *Item lac, lana, caseus, vua, vinum, segetes, frumentũ, farina, & n.* 14. *&* 15.

Aui-

16 *Animalium fœtus regulariter sunt fructus industriales.*
17 *Operæ seruorum, & partus ancillarum sunt naturales secundùm aliquos.*
18 *Auctor sequitur diuisionem* Bartoli.
Exempla fructuum purè naturalium, industrialium, & ciuilium.
Decima qui fructus.
19 *Qui sint fructus percepti, & qui percipiendi.*
20 *Quinque casus* Calderini *in materia fructuum beneficiorum referuntur.*

1 FRuctus intelliguntur, ait *Iurisconsultus in l. si à patre in fin. ff. de pet. hered. ibique Scrib.* deductis impensis, quæ gratia illorum quærendorum, colligendorum, & conseruandorum fiunt, etiamsi possidens sit prædo. quam quidem fructuum ...iptionem omnes amplectuntur, vt apud *Barb. appell.* 103. *n.* 22. variãt tamen nonnihil in fructuũ diuisione. referam breuiter eorum placita, quæ fermè in idem recidunt, si accuratè perpendantur.

2 *Baldus in l. ancilla n.* 12. *C. de furtis*, cuiusque rei fructus diuidit in naturales, industriales, & mixtos. *Naturales* ait esse poma: quæ, si mutantur ex sua materia in aliud materiatum, vt ipse loquitur, idest ex ipsis aliud conficiatur, eorum naturalis vsus corrumpitur. Hos alij vocant merè naturales, qui scilicet sua spontè nascuntur, absque vlla hominis industria, vt herba, aliique fructus syluestres. ita *Sanchez lib. 2. Summa cap.* 23. *nu.* 48. post alios.

3 Industriales vult *Baldus* esse frumẽta: quia, vt ipse ait, digressio de materia in materiatum, non corrumpit, sed finalem rei vsum inducit: quia scilicet, vt ego interpretor, vsus finalis frumẽtorum non est, vt ijs vtamur in propria materia, seu specie frumentorũ; sed potius vt ex illis panis conficiatur, eoque postea vtamur: quod non accidit in pomis, quibus vtimur in materia, seu specie pomorum. Sed verè hęc fructuum differentia potius sistit in industria vsui necessaria, quam fructuum quæsitioni, collectioni, & conseruationi.

4 *Corasius lib. 3. Miscellaneorum iuris cap. 9.* commentitiam vocat hanc fructuum industrialium denominationẽ: contra quẽ nuncupatim, & latè scripsit *Menoch. de arbitr. iud. casu* 210. *à n.* 6. Hanc tamen denominationem ità explicat post alios *Sanchez d. n.* 48. vt velit, præter fructus merè naturales iam explicatos, dari fructus naturales mixtos; in quibus scilicet, vltrà naturam operantem, interuenit aliqua hominis industria. & hos quidem ait à prąualenti denominari, vt in hermaphrodito *l. quæritur ff. de stat. hom.* si enim magis industria, quam natura operetur, dicuntur fructus simpliciter industriales: si autem plus natura, quã industria operetur, dicuntur simpliciter naturales. vndè præualens à iure consideratur vt principale; reliquum vt accessorium. hęc diuisio colligitur à *Sanchez*, post alios, ex *l. fructus percipiendo ff. de vsuris*, eamque amplectuntur innumeri, quos ipse citat.

Vbi verò dubium est, quænam magis operetur, natura, an industria; iudicis arbitrio relinquitur, cuius generis fructus existant, vt aiunt plures apud *Sanch. nu.* 49. Quod si id nec iudex, nec vir prudens discernere potest, naturales sunt denominandi. *Bero. & Sanch. n.* 50. Vtra verò plus operetur, iuxtà diuersum prouinciarum vsum erit iudicandum: *post alios Sãchez n.* 51. vide nouissimè doctissimũ *P. Steph. Fagundez in præcept. decalogi to. 2. lib. 7. c. 16. à n. 1. & s. 20. à nu.* 15.

5 Tum aliam *Baldus* tradit huiusce rei explicationem; vt scilicet ij fructus naturales dicantur, qui sine semine proueniunt, & exemplum pomorum affert; item lignorum, syluæ ceduæ, ac similium. Sed statim subdit, huic explicationi plurimum refragari decisionem *l. si eius fundi ff. de rei vend.* vbi decernitur, oliuas, atque vuas esse fructus industriales.

Idem

Item cõſiderãdum monet *Baldus*, an tales ſint fructus, qui exactam, ac diligentem culturam requirant, vel in eorum vſu perſpicacem induſtriam; an verò nullam, vel modicam exigant: ac fructus quidem primi generis *induſtriales* vocat; ſecundi verò generis nuncupat *naturales*; cum natura in eorum productione, & vſu plurimum poſſit. Et hæc, ſubdit, eſt veritas: quę quidem coincidit cum doctrina *nu. 4.* De mixtis nihil auctor laudatus: an quia ex traditis per ipſum eorum explicatio colligi poteſt?

6 *Bart. in l. & ex diuerſo. n. 1. ff. de rei uend.* poſt relatam *Gloſſæ* diſtinctionẽ, vt alij dicantur naturales, veluti poma, alij induſtriales, vt ſegetes, quæ induſtria hominum quæruntur, vt iã explicatum eſt; ipſe diuidit in *naturales & ciuiles*: naturales ſubdiuidit in *induſtriales*, in quibus plurimùm verſatur, vt ipſe loquitur, de hominum induſtria, vt ſegetes, & ſimilia: & in *purè, ac ſimpliciter naturales*, in quibus modica, aut nulla induſtria verſatur, vt poma, & ſimilia: & in hoc conuenit cum Baldo, & alijs apud *Sanch. d. n. 48.* & cum diſtinctione tradita *n. 4.*

Ciuiles fructus ait eſſe penſiones domorum, vecturas nauium, & ſimilia, quæ non ex re, ſed ex prouiſione hominis quæruntur, & percipiuntur propter rem, *l. ſi nauis in princ. ff. de reiuend.* & iſtorum ciuilium quoſdam vult *Bartolus* eſſe honeſtè perceptos; quoſdam verò inhoneſtè, *l. ancillam ff. de pet. hæred.*

7 Et quidem *Bald. in l. ſi traditio, in fine C. de action empt.* penſiones ait fructus cẽſeri, quæ quaſi ex re percipiuntur: vnde rectè dicuntur quaſi fructus; & loco fructuum, ſeu pro fructibus haberi, vt in *l. prædiorum, ff. de vſuris, l. mercedes ff. de pet. hæred. d. l. ſi nauis, §. 1. ff. de reiuend. & l. domum. C. eod.*

8 Appellantur autem ciuiles, quia fictione iuris ciuilis pro fructibus reputantur, vt colligitur ex *d. l. ſi nauis, §. 1.* ibi: *non natura prouenit, ſed iure* (ciuili addit gloſſa) *percipitur, ff. de reiuend.*

9 Admittunt hos fructus ciuiles non pauci, quos citat *Sanch. nu. 52.* Sed alij commentitiam vocant hanc fructuum ciuilium denominationẽ, quia nullo iure probatur, omneſque fructus, qui non ſola natura naſcuntur, ex hominis induſtria proueniũt; ideoque ex præualenti, vel naturales, vel induſtriales appellantur, iuxtà id, quod explicuimus *num. 4.* ità plures, quos citat, ac ſequitur *Sanch. d. num. 52.* cõmuniter tamen eos ad induſtriales reducunt, vt animaduertere licet apud *Sanch. num. 53.* quicquid dixerit *Caſtillo l. 1. de vſufr. cap. 36. num. vlt.* imo *Bald. in d. l. ſi traditio, in fine*, eos vocat *induſtrialiſſimos*; & verè magna induſtria neceſſaria eſt in domibus v. g. ædificandis, repsrandis, locandis, cenſibus conſtituendis, &c.

10 Quod verò attinet ad fructus in particulari, non conueniunt Doctores, an hi, vel illi dicendi ſint naturales, vel induſtriales. Et quidem de oliuarum fructibus, ſeu oleo, de lana, lacte, & ſimilibus, Doctores in *l. certũ C. de reiuend.* aiunt, iudicis arbitrio relinquendum, an ſint induſtriales fructus, an naturales, qui examinare debet, an plus induſtria, quàm natura aperetur.

11 Horum Doctorum placitum *Bartolus in d. l. & ex diuerſo n. 2.* ait, aliquãdo cenſeri verum, vt in fęno, ſylua, & ſimilibus: quandoque enim magnam exigunt curam, quandoqoe modicam iuxtà locorum naturam, ac conditionem: ideoque, an ſint fructus induſtriales, an naturales, arbitrio iudicis relinquendum *Bartolus* monet, conſiderato eo, quod præponderat *arg. l. ſi quæritur ff. de ſtat. hom.*

12 Sed, quod attinet ad oliuam, eſt *tex. expreſ. in l. ſi eius fũdi ff. de reiuẽd.* quod ſit fructus induſtrialis: & ità ait *Bart. in d. l. & ex diuerſo n. 2.* alijque 3 quos ibi citat *Add. lit. F. & Sanch. nu.* 57.

57. quidquid dixerit *Loriothus de fructib. & expensis axiomate* 17. Idemq; potiori iure dic de oleo, ex illis expresso. plures apud *Sanch. d. num.* 57. quidquid dixerint nonnulli apud illū.

13 De lacte, & lana, quòd sint fructus industriales, docuit *gloss. in §. si quis à non domino, verb. & cura, instit. de rer. diuis.* quam communiter sequuntur DD. vt videre est apud *Sanch. n.* 54. & 55. quidquid dixerint aliqui apud ipsum: ac potiori iure caseus ex lacte coagulatus: plures apud *Sanch. d. nu.* 54.

14 Vuæ secundùm communem sunt fructus industriales, quidquid velint nonnulli apud *Sanch. n.* 56. ac proinde potiori iure vinum, vt edocent plurimi apud *Sanch. loc. cit.*

15 Idem dico de segetibus, alijsque omnibus, quæ seminantur, vt constat ex *l. fructus percipiendo ff. de vsuris* & potiori iure frumentū, & farina. Ità plures apud *Sanch. n.* 58.

Horum omnium ratio est, quia in his fructibus quærendis, colligendis, & conseruandis plurimùm industriæ adhiberi debet.

16 Quod attinet ad animalium fœtus alij aiunt esse naturales, alij esse industriales; alij, fortè meliùs, vt *Garcia de expens. cap.* 23. *n.* 8. & *Sanch. n.* 59. distinguunt, vt vbi spōtè absque hominis industria per montes, & syluas producuntur, dicantur naturales, de quibus aliquæ leges loquuntur: at vbi necessaria est hominis industria (vt in nostris regionibus regulariter accidit) in eorum productione, conseruatione, &c. tunc industriales appellentur.

17 Operæ seruorum magis accedunt ad naturales, sicuti & partus ancillarum, secundùm aliquos, apud *Sanch. n.* 60. *Molin. tom.* 3. *de iust. p.* 2. *disput.* 719. *n.* 2. *Tusch. concl.* 485. *n.* 14.

18 Nos hoc loco sequemur *Bartoli* diuisionem, maioris claritatis gratia; vt scilicet fructus alij sint naturales, siue merè, ac purè sint tales, siue sint industriales, alij verò sint ciuiles.

Naturales purè, & sīpliciter sūt v. g. poma, alijque fructus syluestres, herbæ glans, fœnum, syluæ ceduæ, castaneæ, ligna, aues, & feræ syluestres; quia in his plꝰ natura, q̄ industria operatur.

Industriales sunt v. g. triticum, hordeum, paleæ, fabæ, vinum, vuæ, oliuæ, oleum, saccarum, lac, caseus lana, animalium fœtus, segetes, alijque fructus similes, etiam non maturi, mororum frondes, flores, & aues domesticæ, nix recondita.

Ciuiles sūt redit^9 fōsi, responsiones, pēsiones domorū, vectura nauium, operæ seruorum, partus ancillarum, mercedes iumentorum. de quibus, ac similibus vide *Gratianum decis.* 34. *cum add. & Barbos. appellatione* 103. *Lambertheugh. de contractib. gloss. verb. in alienationibus à n.* 38. & *nouissimè Farinac. in Repertorio iudiciali q.* 67. *n.* 1. & *seq. Nouar. in collect. sup. pragm.* 5. *de administ. vniuers. nu.* 70. & *seq.* Decimæ censendæ sunt fructus, vel naturales, vel industriales, prout ex fructibus naturalibus, vel industrialibus colliguntur.

19 Denique fructus alij sunt percipiendi, idest qui adhùc in arbore v. g. pendent, qui pars fundi reputantur *l. fructus pendentes ff. de reiuend.* & veniunt in fundi reuendicatione *l. Iulianus §. si fructibus, ff. de act. empt.* alijsque apud *Sanch. nu.* 61. Alij sunt percepti, idest qui sūt à solo separati, de quibus vide *Bart. in d. l. & in diuersis nu.* 4. & *seqq.* aliosque apud *Sanch. d. n.* 61. qui latè agit, an possessor bonæ fidei suos fructus faciat.

20 In re autem beneficiaria communiter notant Doctores quinque casus ex *Calder. cons.* 2. *de pecul. cleric.* Aut enim primò beneficiatus moritur, fructibus separatis, sed in area, vel in campo iacentibus: aut secundò fructibus recōditis à colono, sed non dum beneficiato traditis: aut tertiò, beneficiato assignatis, sed non dum consumptis: aut quartò quando certi fructus, vel precium debentur post separationem per

vnum, duos, vel tres menses, & interim beneficiatus moritur: aut quintò si beneficiatus moritur post dictum terminum, non dum dicta specie, vel pecunia soluta.

His ità præmissis, quæstio proposita exagitari potest: primò ex iure cõmuni: secundò ex consuetudine: tertiò post Bullam Iulij III. & aliorum.

§. II.

Quæstionis resolutio de iure communi quoad fructus naturales recollectos. item quoad pendentes.

SVMMAE.

1 *Fructus purè naturales, & industriales recollecti, & in horreis reconditi hæredibus debentur.*
Idem si bona sint locata pro annua mercede, qua loco fructuum est, eodemq; iure censetur.
22 *An beneficiarij sint domini fructuum beneficiorum, remissiuè.*
23 *In vita æquiparantur vsufructuarijs; in morte vsuarijs, secundùm communem.*
24 *Vsuarius non transmittit ad hæredes mercedes locationis, & alios fructus inexactos, sed solùm in horreis recõditos.*
25 *Fructus etiã à solo separati, sed depositatis & non consumpti ad successorem spectant, nisi obstet consuetudo, & n. 32.*
26 *Pecunia redacta ex fructibus sed non exacta pertinent ad successorem.*
Translatus quos fructus petere possit.
27 *Quid dicendum in hoc casu quoad resignantem.*
28 *Expensa litium, & similium, ad successorem transmittuntur.*
Fructus recollecti, & conuersi in vtilitatem ecclesiæ, ipsi cedunt, sicuti meliorationes.
29 *Eodem modo ecclesiæ cedunt res emptæ ex fructibus; qui extantes dicuntur, quando ijs est emptum prædium.*
30 *Fructus purè naturales, & industriales pendentes, ad successorem spectant: licet mortis beneficiarij tempore recollectio instaret.*
31 *Idem in affictis inexactis horum fructuum pendentium.*
32 *Ac in fructibus à solo etiam separatis, sed inexactis, & n. 25.*

21 Qvod igitur attinet ad fructus naturales, siue tales sint simpliciter, siue sint naturales industriales, si à solo separati, seu recollecti, & in horreis reconditi reperiãtur, iure communi defunctl hæredibus debentur. Est communis sententia omnium Doctorum, quam supponit vti veram *Rota Romana decis. 761. nu. 4. & seqq. p. 1. diuers.* eamque docet expressè apud *Marchesan. p. 1. fol. 458. in vna Mediolan. fructuum 9. Maij 1592. coram Orano, post Gloss. & DD. in cap. fin. de pecul. cler. Couarr. lib. 1. var. cap. 5. nu. 3. latè Nauarr. de red. eccles. qu. 2. mon. 3. & seq.* ex quo, inquit, Rota, statim atque fuerunt à solo separati, dicuntur à beneficiato percepti: *Tiraq. de retr. cõu. §. 5. glos. 4. nu. 1. Couarr. lib. 3. var. cap. 15. n. 12. doctus P. Alphons. de Leone de off. cappell. q. 5 sect. 6. à n. 72.* doctè, vt assolent, *D. Trullench. in Bulla Cruciatæ lib. 3. dub. 4. casu 1. n. 9. D. Bonac. t. 3. in tract. var. disp. 4. punc. 3. n. 7. D. Barbos. de iure eccl. vniu. lib. 3 cap. 17. num. 77.* plures que alios idem sentientes retulit, ac sequutus est doctissimus *D. Alexander Sperellus decis. 82. nu. 1. & Lotterius de re benef. lib 1. q. 44. nu. 23.* qui *n. 24.* monet, quoad hoc, nihil referre, quòd bona sint locata pro annua mercede; quia, si fructus sint a solo separati, eadem ratione debetur ea merces, licet nec dum mercedis cesserit dies, ex *Salic. Alex. Natta, Bero. Anch. Abb apud Hõded. cõs. 85. n. 13. & 23. l. 2. Sur. 333. n. 4. Rota in Barens. fructuum 2. Iun. 1610. coram Caualer.* apud quem est *decis. 104 nu. 6.* quam expressè sequitur *Rot. in recẽt. tom. 3.*

de-

decis.278.n.1.& seqq.& in una Papien.fruct.11.Feb.1601.coram Lancell. extat post resol.46.Macerat.lib.1.ea enim merces loco fructuum succedit, l.defuncta, de vsufr.l.diuortio, in princ. & §.item si mensis ff sol.matr. Bart. in l.vlt.§.Triphonio nu. 1.ff. de iure fisci, vnde, sicut in ipsis fructibus inspicitur tempus, quo à solo separantur; ità idē tempus attenditur, inspecto communi iure, respectu mercedis, quæ pro fructibus exsoluitur: Alex.cons.78. lib.1.

22 Rationem huiusce opinionis, atque etiam sequentis reddidit D. Sperellus d.decis.82.à n.5.vsque ad 11.quia scilicet, quamuis sint, qui censeant, beneficiarium esse dominum fructuum bonorum ecclesiasticorum, vt post innumeros cum Theologos, tum iurisconsultos defendit Marc. Ant. Marsil. Columna in tract.de redit.eccles.p.1.ca.15.& cap.35.& Sarmiento eod. tract. p.2.cap.1.& 2.ac cæteri apud ipsos, & Sperell.n.6.de qua re eximiè, vt solet, doctiss.Episcopus, ac Regens D.Corsettus in Idea Episcopi §. Doctor Martinus Nauarrus fol.9.& seqq. alij verò arbitrentur, eum esse merè vsuarium, vt plures voluère apud eosd. DD. alij distinxerint inter beneficium habens administrationem, & illam nō habēs, vt apud Sperell.nu.7. & Coccin. decis. 376.n.1

23 Nihilominus, inquit idem Sperellus, receptior, ac à Rota sæpiùs canonizata opinio est, vt beneficiarius, siue habeat, siue non habeat administrationem, in vita æquiparetur vsufructuario; in morte autem vsuario, atq; ibidem penè innumeros recenset, idē sentientes: & vltra eos alios citat D.D. Franc. Hieron. Leo decis.145 lib.2. nu. 11.Tuseb.verb. beneficiatus concl. 79. n.9.& Bello.cōs.3.n.2. vocat hāc distinctionē cōmunē, atq; fuisse Bald.l.2.C. de Ep.Barb.de iur. eccl.l.3.c.17.nu.77.

24 Hinc infert Sperellus, beneficiarium posse quidem, dum viuit, de beneficij fructibus disponere, veluti vsufructuarium: eo autem decedente, seruādas esse leges de vsuario loquentes, quæ ipsum prohibēt ad hæredes trāsmittere mercedes locationum, vel alios fructus inexactos l. plenum §. operas ff. de vsu, & habit. sed illos dumtaxat, quos cum effectu percepit, & in horreis recondidit. allegat innumeros Doctores n.10.ac plures Rotas.

25 Adderē ex Rota apud Coccin. decis. 376.n.1.& 476.fructus, à solo etiam separatos, sed depositatos, ac proinde non consumptos, inspecto communi iure, ad successorem in beneficio, nō ad hæredes defuncti beneficiarij pertinere, vt multis allegatis iuribus cōcludit Calder.cons.2.nu. 2. vers.tertius casus, de pecul.cler. non habita differētia, an beneficiarius sit administrator, necnè: post alios Couarr.in cap. cum in officijs n.6.de testam. Iason.cons. 75. n. 6.& 7.vol.3.Card. Viu. alijque apud Coccinum, & infrà n.32. nisi consuetudo sit contraria, vt est in Regnis Hispaniarum, alijsque locis: idem Coccinus, alijque apud ipsum.

26 Item Rota diuers.tom.1. decis. 809. vult, pecunias redactas ex fructibus beneficiorum, sed non exactas, ac proinde non consumptas, pertinere ad successorem in beneficio; quamuis defunctus beneficiarius pro illis consequendis diligentiam, etiam iudicialem, adhibuisset. Quod si beneficium vacasset per traslationem, posset trāslatus Prælatus petere fructus sibi debitos ratione beneficiorum, quæ ante translationem obtinebat, vt post alios monet ibidem Rota n.2.

Hinc dubia redditur opinio doctissimi Viuian.in praxi iurisp.p.3.lib.14. cap.8.n.6. volentis, fructus inexactos ad hæredes pertinere; Doctores autem, quos citat, loquuntur de fructibus iam recollectis, & exactis; non verò de inexactis, ac proinde extantibus, & non consumptis.

27 Quod verò spectat ad resignātem, Rota apud Cavaler.decis.104.num.5. post alios, quos citat, decernit, fructus purè naturales, & industriales, deberi

ipſimet reſignanti vſque ad diem prouiſionis reſignatarij, ſi à ſolo ſunt ſeparati, etiam quòd in affictum locati fuerint, & dies ſolutionis non venerit: nam debetur rata affictus pro fructibus ſeparatis à ſolo, & maturatis: affictus enim locationum eodem modo, & iure iudicantur, quo fructus, pro quibus ſoluuntur, vt dixi *num.* 21. Hãc deciſionem nuncupatim ſequitur *Rota in recent. tom. 3. deciſ. 278. nu. 1. & ſeq. vide Surd. conſ. 333. n. 4.*

28 Eſt autẽ hoc loco omnino animaduertendum, quod licet fructus à ſolo ſeparati, ac recollecti ad hæredes prędeceſſoris pertineant, vt dictum eſt; expenſæ tamen factæ per eumdem prædeceſſorem in litibus v. g. alijſque ſimilibus, quamuis præſumantur de eccleſiæ reditibus factæ, ac proinde ex dictis fructibus recollectis: tamen actio illas repetendi ab ijs, qui eas reficere debent, non ad defuncti hæredes, ſed ad ſucceſſorem in beneficio ſpectat, vt decidit *Rota diuerſ. deciſ. 761. tom. 1.* quia fructus recollecti per prædeceſſorem, & conuerſi in eccleſiæ vtilitatem, veluti pro defenſione bonorum eccleſiæ, iuriſdictionis, aut ſimilium, æquiparantur meliorationibus factis per beneficiarium in rebus eccleſiæ, quæ illius ſunt dum viuit; ſed de ijs teſtari nequit, vt ait *Abb. in cap. fin. in prin. de pecul. cler. Rota d. deciſ. 761. vide Surd. conſ. 333. an. 25.*

29 Ità etiam docent plures, non poſſe clericum teſtari de rebus emptis ex fructibus beneficiorum: & huiuſmodi fructus dici extantes, quando ijs eſt emptum prædium. *vide Fab. de Anni conſ. 119. nu. 17. & 18. tom. 2. Surd. de aliment. tit. 9. q. 12. n. 2. D. Giurb. deciſ. 89. n. 28. D. Io. Ant. Nouar. in ſumma Bull. tit. de benef. fruct. nu. 5. Garc. p. 2. cap. 1. n. 89.* Item *Rota apud Seraph. deciſ. 594. nu. 9.* ait, bona acquiſita ex reditibus eccleſiæ, regulariter non eſſe beneficiarij, ſed ad eccleſiam pertinere; quod procedit etiam in fructibus beneficiorum ſimplicium ſecundùm communem: de quibus tamẽ ipſi alibi, Deo iuuante, agemus.

30 Iam verò, quod attinet ad fructus purè naturales, & induſtriales pendẽtes, ac nondum à ſolo ſeparatos; iure communi ij ad ſucceſſorẽ in beneficio ſpectant, Eſt etiam communis ſententia Doctorum, quam amplectitur *Rota apud Marchesan. loc. cit. num. 1. ex gloſ. & DD. in cap. præſenti de off. ord. in 6. & in ca. fin. de pecul. cler. Bald. Salic. Dec. Calder. Tiraq.* alijſq; quos citant, ac ſequuntur *Couarr. lib. 1. var. cap. 15. n. 2. D. Sperell d. deciſ. 82. nu. 3. Lotter. d. lib. 1. q. 44. nu. 27.* latè *Calderin. conſ. 2. de pecul. cler.* Ratio eſt, quia ius percipiendi fructus in defuncto finitur, antequam tempus ſolutionis cedat; quantumcumque mortis tempore recollectio inſtaret, vt notat *Rota in d. Baron. fructuũ, & in deciſ. 278. n. 2. in fin. p. 2. recent.* vide plures apud *Viuian. in praxi iuriſp. p. 3. lib. 14. cap. 8. n. 5.*

31 Hanc aſſertionem extendit, *D. Sperell. n. 4.* ad affictus inexactos horum fructuum, qui adhùc pendent, *per tex. in cap. relatum 2. de teſtam. cap. quia ſæpè, de elect. in 6. cap. præſenti, de offic. ord. in 6.* hæc enim iura decernunt, bona decedẽtium beneficiariorum, etiã vacationis tempore obuenientia, Eccleſiæ, vel ſucceſſori in beneficio eſſe reſeruanda: & communiter Doctores hanc extenſionem amplectuntur, quorum aliquos citat ipſemet *Sperell. num. 4. cit.*

32 Idem iuris eſt de fructibus à ſolo etiam ſeparatis, ſed inexactis, ac proinde non conſumptis, vt dixi *ſup. num. 25. & ſeq.* & docent DD. ibi citati, & alij apud *Viuian. d. p. 3. lib. 14. cap. 8. num. 5.* vbi citat plures *Rotas*, & apud *Barboſ. de iure eccl. vniu. lib. 3. cap. 17 num. 76.*

(: † :)

S. III.

§. III.

Quæstionis resolutio de iure communi, quoad fructus ciuiles. Quid de consuetudine quoad omnes fructus.

SVMMAE.

33 *Fructus ciuiles inexacti iure communi sunt diuidendi pro rata temporis inter hæredem, & successorem, quamuis dies solutionis non aduenerit.*

Hi fructus quotidie incipiunt deberi.

34 *Extenditur conclusio ad fructus naturales, qui quotidie colliguntur, vt herbagia, &c.*

35 *Doctores, qui censent, etiam fructus naturales esse ità diuidendos.*

36 *Rationes in fauorem successoris: diluuntur n.* 39.

Constitutio Iulij III. in hac materia præsumitur vsu recepta, nisi contrarium probetur.

37 *Rationes in fauorem hæredum, secundū quas fuit decisum, &* n. 37.

38 *Beneficium datur propter officium.*

39 *Quænam sit cōgrua portio beneficiarij, secundùm aliquos.*

40 *Bulla Iulij III. vbi non sit vsu recepta, & quānam non includat secundùm aliquos.*

41 *Auctoris iudicium de prædicta conclusione.*

42 *Canon emphyteuticus cui soluendus.*

43 *Quid dicendum in resignante.*

44 *Quid de consuetudine.*

33 AD hæc, quod spectat ad fructus ciuiles inexactos, iure communi pro rata temporis esse diuidendos inter hæredem defuncti beneficiarij, & successorem in beneficio, pluribus probat *Petrus Barbosa in l. diuortio p.* 2. *à num.* 22. *ff. solut. matrim.* aliique plures apud *D Sperel. à nu.* 14. *D. Bonacin. tract. var. disp.* 4. *pun.* 3. *n.* 8. *tom.* 3. Ratio est, quia hi fructus quotidie currunt, & quotidie incipiunt deberi, atque ideo pro rata temporis sunt diuidendi, quamuis dies solutionis non aduenerit. Ità *Salic. Bart. Surd.* alijque multi apud *D. Sperell. n.* 26. *& D. Bonacin. loc. cit. doctus Naldus in summa verb. fructus nu.* 11.

34 Et hoc quidē est, quod voluit doctus *Lotter. n.* 30. idest fructus ciuiles, quorū solutionis dies tempore mortis iam aduenerat, & quotidie incipiunt deberi, vt ait *n.* 32. pertinere ad hæredes, reliquos ad successorem, ex *Gald. Couar. Tiraq. Honded.* alijsque, quos sequitur *Rota d. decis.* 278. *num.* 2. *p.* 2. *recent.* id quod extendit *Lotterius* ad fructus naturales, vel industriales, qui quotidie colliguntur, veluti herbagia hortorum, vecturæ nauium, operæ seruorum, similesque, ex *Caccialup. de pens. q.* 25. *nu.* 2. *&* 3. Putat autem *Lotterius*, hos fructus potius dici obuentiones ex *Aret. in l. si diuortio n.* 7. *ff sol. matrim. Rota d. decis.* 278. *nu.* 5. *p.* 2. *recent.*

35 Quin imo de omnibus fructibus, tū purè naturalibus, tum industrialibus, quoad hanc diuisionem, idem, quod de ciuilibus, docere vidētur *P. Filliuc. de statu cler. tract.* 41 *cap.* 6. *num.* 44. *Molfes. Vazq. Garc. p.* 2. *c.* 1. *n.* 96. alijq; apud *Bonacin. d. disp.* 4. *punct.* 3. *n.* 7. *&* 8. *Barbos. de iure eccl. vniu. lib.* 3. *ca.* 17. *n.* 75. quorum tamen rationibus satisfacit *Bonacina.*

36 Quamuis autem *D. Hieron. Leo decis.* 145 *lib.* 2. in fauorem successoris in beneficio alleget *cap. relatum* 2. *de testam. ibique Abb. Couar. Thesaur. decis.* 143. *Rota diuers. p.* 1. *decis.* 809. *ex cap. cum in officijs, de testam. cap. præsenti, de officio ord. in* 6. *ibique gloss. cap. inquirēdum, & fin. de pecul. cler. extrauag. suscepti regiminis de elect. Ioan.* 22. *& constit. Iulij* 3. quæ præsumitur vsu recepta, nisi contrarium probetur: *Macer. lib.* 1. *var. resol.* 46. *nu.* 2. *Quian. in praxi iurisp. p.* 3. *lib.* 14. *cap.* 8. *nu.* 10. *Leo n.* 7. & iuxtà eam sæpè iudicatū refert *Leo. n.* 7. & *D. Fontanell. de pact. nupt. claus.* 4 *glos.* 18. *p. p. n.* 140. *& seq.*

vbi

vbi illud extendit, etiamsi pro earum exactione iudicialiter prædecessor egisset: ibique refert plures decisiones, monetque debita, ac legata pia defuncti beneficiarij solui prius debere ex fructibus non exactis, si alia non subsunt, quam successori dentur, refertq; ità decisum: validumque sumatur argumentum pro hac opinione ex *l. 1. C. de Annon. Ciuil. lib. 11.*

37 Quamuis, inquam, hæc pro pro successore in beneficio allegentur: tamen decisum refert *Leo n. 12.* pensiones, siue reditus decursos, quorum solutionis dies cesserat in vita beneficiarij iā defuncti, pertinere ad huius beneficiarij hæredes pro rata temporis, quo beneficium obtinuerat: reliquos verò ad successorem in beneficio.

38 Et ratio præcipua fuit, quia beneficium datur propter officium *cap. fin. de rescrip. in 6.* plures apud *Monet. de distrib. quotid p. 2. q. 2. nu. 40. Garci. de benef. p. 1. cap. 2. n. 60. & p. 7. ca. 11. n. 1. Barbos. axiom. 36. nu. 7.* id autem est propter onera: dignum enim est, vt ecclesiæ stipendijs sustententur, qui in ea diuinis obsequijs adscribuntur, *ca. cum secundùm Apostolum qui alteri seruit, viuere debeat de altari, de præbend.* quamobrem locum habere hîc posset dispositio *l. fructus S. Papinianus*, quæ in vulgata editione est *l. diuortio ff. sol. matrim. vbi Bart. nu. 12. & Couarr. lib. 1. var. cap. 15. n. 12. Cardinal. cōs. 110. n. 3.* Quod si beneficiarius proprijs impensis se aluit; iustum, ac conueniens videtur, vt tantumdem ad hæredes trāsmittat de beneficij fructibus, quātum ipsi necessarium erat ad propriā sustentationem: sicuti omnes volunt, posse beneficiarium in quoscumque vsus, etiam profanos, disponere illud totum, quod propriæ subtrahit sustentationi.

39 Quod si dicas cum *Nauarr. in Apolog. de reditib. q. 2. monito 13. in fine*, solum deberi honestum salarium, & quantum præcisè necessarium erat ad congruam beneficiarij sustentationē: nō verò ratam fructuum integrorum: respondet *Leo n. 17.* integros fructus beneficiario decerni, seu designari pro congrua sustentatione, ac veluti salario condecenti.

40 Pro hac sententia innumeros citat *Leo nu. 18. & 19. & plurib. seqq.* vbi ait post alios, ità in Hispania seruari: & clericos de consuetudine etiam in nō pia opera de beneficiorum fructibus disponere posse, iuxtà plurimorum opinionem: *extrauagantem suscepti regiminis, de elect. Ioan. 22.* de vacātium beneficiorum fructibus loqui: *Bullam Iulij III.* licet Romæ sit recepta, atq; etiam in Cathalonia; non tamen in Regnis Castellæ, nec in Prouincia Mediolani, nec Valentiæ, quoad simplicia beneficia: eamque non comprehendere tenuia, quæ victum, atque alimenta non excedunt: *Caualcan. dec. 8. n. 76. p. 3.* fructus distributionum, Missarum, anniuersariorum, & aliorū bonorum, acquisitorum industria, ac labore beneficiarij, ad huius hæredē, non successorem, iuxtà multorum opinionem, pertinere: beneficiarium habere in beneficij bonis potentius ius, quam vsufructuarius in bonis vsusfructus: ac demum refert *Leo n. 27.* decisionem.

41 Hæc quidem opinio, si de iure cōmuni loquamur, ac præscindamus à Bulla Iulij Papæ Tertij, postmodùm referenda; atque etiam de ijs beneficiarijs loquamur, qui in beneficijs, quæ obtinent, residere debent vti sunt Curati, Canonici, alijque similes, qui per semetipsos ecclesijs inseruiunt: hæc, inquā, opinio mihi minimè displicet: in his enim beneficiarijs locum obtinent ea omnia, quæ latè tradunt illius patroni: iustum enim est, vt hi, ecclesiarum obsequio laborantes, ab ijsdem congruè sustententur.

42 Rectè tamen monuit doctus *Bonacina tom. 3. disp. 4. pun. 3. num. 8. vers. hæc tamen*, hæc omnia, quæ diximus nō militare in Canone, qui ab emphyteuta soluitur. Ideo *Moneta de distrib. p. 3.*

p. 3. q. 4. n. 24. & Surd. conf. 84. nu. 4. to. 1. aliįque notant, hunc canonem illi solùm integrè deberi, qui eo tempore beneficium possidet, in quod solutionis dies cadit, rationem reddentes, apud illos consuetudinem: vnde inferũt, hūc canonem non esse diuidendum inter antecessorem, & successorem, modo explicato de alijs fructibus ciuilibus. vide apud *Bonacinam, & apud Barbos. de iure eccl. vniu. lib. 3. cap. 17. n. 81.* cõstitutionem *Concilij Prouincialis 7. Mediolan. tit. de fruct. eccles. vers. si verò.*

43 Quod verò attinet ad resignantem, *Rota apud Caualer. decis.* 104. post plures alios, quos allegat, & *D. Sperell. n. 27.* docet, fructus ciuiles, quorum dies tempore resignationis non aduenit, & fructus pendentes esse successoris in beneficio, seu resignatarij; nec posse resignantem post liberam resignationem aliquos fructus percipere; & exactos teneri restituere, tamquã malè fide perceptos, & sine titulo colorato, ac possessione, cum à se omne ius, & possessionem abdicauerit. Hãc decisionem nuncupatim sequitur *Rota in recent. tom. 3. decis. 278. à n. 1.* vbi & obiecta dissoluit: *P. Alph. Leo. de off. cappel. q. 5. sect. 6. num. 74.* qui alias refert.

44 Quod attinet ad consuetudinem, quia vnaquæque prouincia abundat in sensu suo, nihil certi tradere possum: legendi sunt auctores antea citati, ac infrà citandi, qui de diuersarum prouinciarum consuetudinibus testantur: ac præsertim *Viuian. d. p. 3. lib. 14. cap. 8. à nu. 10. Barbos. de iure eccl. vniu. lib. 3. cap. 17. à nu. 79.*

§. IV.

Resolutio quæstionis quoad omnes fructus secundùm Constitutionẽ Iulij III. & quid in Regno Siciliæ.

SVMMAE.

45 Hodie in hac materia attendi debet constit. Iulij III. vbi est vsu recepta, & quid illa statuat, & n. 46.

47 Vbi sunt Collectores Cameræ Apostolicæ ipsa excludit tum ecclesiam, tum successores.

48 Constitutio Sanctissimi Domini nostri Vrbani Papa VIII. hac de re.

49 Prædicta Bulla Iulij III. præsumitur vsu recepta, nisi contraria consuetudo probetur, & quidem plenè, & concludenter.

50 Includit omnes fructus inexactos, tum purè naturales, tum industriales.

51 Item & ciuiles, qui nomine fructuum veniunt, & n. 52.

53 An Bulla locum habeat in vacatione per obitum ciuilem.

54 Includit fructus exactos post obitum beneficiarij ante collationem, & fructus locationum solutos anticipatim.

55 Solutio facta moribundo non præiudicat successori.

56 Animalia, & similia empta ex fructibus beneficij, includuntur hac Bulla, & in dubio ex illis empta præsumuntur.
Res immobiles empta ex fructibus etiã nomine beneficiarij, ipso iure ecclesia acquiruntur.

57 Eadem Bulla non comprehendit quotidianas distributiones, quæ nomine fructuum non veniunt, & ad hæredes transmittuntur, quamuis non quotidie, sed certo anni tẽpore distribuerentur, & beneficium non haberet alios fructus, & n. 58. & 59.

60 Neque includit anniuersaria, funeralia, emolumenta massæ communis, & similia.

61 Neque illud, quod beneficiarius subtrahit sua congrua substentationi.

Paro-

Parochis Panormitanis quanam sit cōgrua portio, quæ à Senatu Panormitano illis soluitur.

62 *Neque beneficia tenuia secundùm aliquos.*

63 *Obligat non solum in foro exteriori, sed etiam in interiori.*

64 *In Regno Siciliæ non adsunt Collectores Cameræ Apostolicæ, ac proinde in eo seruanda est Bulla* Iulij III. *relat.* n.45.

65 *In beneficijs regij iurisp. fructus inexacti, sicuti spolia, ad D. Regem pertinent.*

66 *Prædicta Bulla in Regno est vsu recepta: habetque decretum irritans, proindeque non potest dici de non vsu illius, & quòd fuerit per contrarium vsum abrogata.*

45 SEd quicquid tandem sit de iure communi, hodiè omninò attendi debet *Constitutio septima Iulij Papa III.* vbi est vsu recepta, quæ habetur in nouo *Bullario tom. 1. fol.* 697. eamque refert *Leonard. decis.* 45. *lib.* 2. qua quidem expressè cauetur, fructus omnes, & affictus inexactos ad successorem in beneficio pertinere, etiamsi defunctus beneficiarius omnē diligentiam adhibuerit, vt illos consequeretur. Quam quidem Constitutionem explicant plures, quos refert *D. Sperell. d. decis.* 82. *nu.* 12. *Rota apud Duran. decis.* 304. *nu.* 1. *Rota diuers. decis.* 809. *p.* 1. *Seraph. decis.* 394. *Coccini decis.* 376. & 476. *Francus Marc. decis.* 446. & *D. Franciscus Hieronymus de Leone dec.* 145. *lib.* 2. *Surd. consil.* 337. & *n.* 11. *vers. tertiò. Marescott. lib.* 2. *var. resol. cap.* 12. *Valenz. cons.* 47. *Macerat. resol.* 46. *lib.* 1. *Valer. in differ. iuris.* 2. *verb. beneficium, Garcia p.* 2. *cap.* 1. *nu.* 89. *Riccius collect.* 657. & 1729. *p.* 5. *Caualcan. decis.* 44. *p.* 1. *Io. Ant. Nouar. in summa Bull. fol.* 86. qui plures ampliationes, ac declarationes huiusce Bullæ post alios doctè explicat. *D. Ioa. Francisc. Leo in thesaur. fori eccles. p.* 3. *cap.* 3. *anum.* 43. *P. Filliuc. de statu cler. tract.* 41. *cap.* 6. *n.* 44. *Barbos. de iure eccl. vniu. lib.* 3. *cap.* 17. *nu.* 78. & *seqq.* & *de pot. Epis. alleg.* 117. *alijq; cit. n.* 2.

46 Sed idemmet Pontifex *Iulius III.* aliam edidit constitutionem, primæ declaratoriam, quæ habetur in *d. Bullario to.* 1. *cit. fol.* 698. Declarat igitur, seu potius restringit supradictam Constitutionem, vt solùm locum habeat ijs in locis, in quibus non sunt, nec deputari solent *Collectores* spoliorum Ecclesiasticorum, & in quibus ius commune seruandum foret; in ijs verò locis, in quibus huiusmodi Collectores sunt, vel deputari consueuere, nullo pacto obtineat locum; in quibus proinde locis fructus, atque affictus inexacti ad Cameram Apostolicā pertinent, non autem ad defuncti beneficiarij hæredes, aut ad successorē.

47 Atque ità latè ostendit *Redoan. de spolijs ecclesiast. q.* 5. quem, & duas Rotæ refert, ac sequitur *D. Sperell. d. decis.* 82. *n.* 12. vbi ait, per hanc declaratoriam constitutionem, aliasque Summorum Pontificum, & præsertim Pij IV. hodie Cameram Apostolicam quoad huiusmodi fructus inexactos subrogatam, ac suffectam fuisse in locum Ecclesiæ, ac successorum. *Rot. Redoan. d. q.* 5. *n.* 25. *Nauarr. de spol. clerc.* § 6 *n.* 6. & 7. *in fin. Honded cons.* 85. *n.* 3. *in vol.* 2. & ideò Ecclesiam, & successores excludere, neque denique fructus capere vti spolia clericorum, vt verè sunt, *ad trad. per Redoan. nu.* 7. & *Nauarr. d.* § 1. *n.* 2. *Sperell. n.* 19. & 14. *n.* 5.

48 Refert *D. Sperell. d. decis.* 82. *nu.* 30. Cōstitutionem *D. N. Vrbani VIII.* quæ est 80. *in tom.* 4. *Bullarij fol.* 394. statuentē facultatem eam non comprehendere fructus inexactos; sed eos ad Cameram Apostolicam pertinere: puta vbi prædicti Collectores reperiuntur. Huius Bullæ fragmentum trāscripsit *P. Alphons. de Leone de off. cappell. q.* 5. *sect.* 2. *n.* 72.

49 Prædicta Bulla *Iulij III.* præsumitur vsu recepta, nisi contraria consuetudo probetur, vt diximus *n.* 36. quæ qui-

quidem plenè, ac concludenter probanda est, vt post alios decidit *Rota in vna Papiens. fructuũ 21. Feb. 1622. coram Remboldo, apud Barbos. de potest. Ep. alleg. 117. nu. 10.* vt certè probata est pro Regnis Hispaniarum, vt constat per plures Rotas relatas in vna *Brachanens. fructuum 3. Decẽb. 1627. coram Piruano*, quam refert *Barbos. in add. ad d. alleg. 117.*

50 Certum autem est apud omnes, hãc Iulij constitutionem includere omnes fructus beneficiorum inexactos, siue sint purè naturales, siue sint industriales, vt videre est apud *DD. cit.* Difficultas tamen esse potest, num etiam ciuiles fructus comprehendat. circa quam inuenio *D. Io. Ant. Nouar. in summa Bullar. tit. de benef. fruct. non exact. in vita benef. n. 10. fol. 88.* censere, prædictam Bullam procedere solũ in fructibus naturalibus, & industrialibus, non autem in annuis reditibus pensionum domorum, affictuum, & alijs, citatque *Leon. decis. 146. part. 2.* in meo codice est *decis. 145.*

51 Sed cõtraria opinio verior videtur, atq; etiam communiter recepta, supponiq; ab omnibus Doctoribus allegatis: omnes enim quæstionem instituentes, ad hæredesnè, an verò ad successorem pertineant hi ciuiles fructus, fermè omnes respondent, inspecto communi iure, inter vtrosque fore diuidendos; ac de facto ità diuidi debere in plerisque locis, nihil obstãte Iulij constitutione, cum in illis non sit vsu recepta. supponunt igitur, eam ciuiles fructus comprehendere, atque esse seruandam, vbi vsu recepta est. Ità expresse respondit *Leo. n. 23.* quã obrem ipse nobiscum sentit.

52 Et certè non est ratio excipiendi fructus ciuiles ab ea constitutione, generaliter loquente, ac proinde eos cõprehendente, non solum quia fructuũ appellatione ij includuntur, *l. si is qui §. 1 ibique Bart. alijque ff. de pignor. & alij apud Barbos. appell. 103. n. 5.* verũ etiam, quia eadem Bulla expressè, præter fructus, statuit nominatim pecunias non exactas ad successorem pertinere: pecuniarum verò nomine nonnisi fructus ciuiles videtur comprehendere posse. Addo, ciuiles fructus verè vel esse purè naturales, vel industriales, vt vidimus *suprà num. 9.* ac proinde, si Bulla de naturalibus, & industrialibus loquitur, etiam ciuiles includet.

53 Insuper hæc Bulla comprehendit etiam fructus inexactos beneficij vacantis non solum per obitum naturalem, sed etiam secundum aliquos per ciuilem, idest per renunciationem, translationem, consignationem, priuationem, similesq; modos per quos beneficium vacare contigerit: licet enim loquatur de obitu beneficiarij; obitus tamen nomine etiam ciuilem comprehendi, ostendimus *cons. 3. nu. 192.* eademque ratio, ac motiuum Papæ in vtroque obitu militare videtur. Ità expressè docuit per eamdem rationem *Caualc. decis. 44. n. 1. & 4. p. 1. post Couarr. Redoan. Rebuff. & alios.*

54 Præterea eadem Bulla includit fructus exactos post obitum beneficiarij ante collationẽ: ideo successor eos petere potest tam contra hæredes, quã conductores: item includit fructus locationum solutos in vita beneficiarij anticipatim: *Caualc. d. decis. 44. n. 7. 8. 9. p. 1. post Couar. Redoan. Franc. Marc. & alios; Nouar. in sum. Bull. tit. de benef. fruct. non exac. nu. 4. post Rot. Auen. decis. Laurent. 117. & alios*, quia huiusmodi locationes, anticipatis solutionibus factæ, nõ præiudicant successoribus, iuxtà *Conc. Trid. sess. 25. cap. 11. de ref.* & ideo successor habet actionem ad repetendum contra recipientem, vel eius hæredem: idem *Caualc.* post alios. Quod si conductor, qui anticipatim soluit, velit prosequi conductionem, tenebitur denuò suc-

 cef-

cessori pensionem soluere, & pro anticipatim soluta habebit recursum contrà hæredes locatoris, vt monuit *Barbos. de pot. Ep. alleg. 94. nu. 5. & 7. post Surd. decis. 326. nu. 47. & 79.* & alios.

55 Notat D. *Nouar. in sit. Bull. loc. cit. n. 3.* solutionem factam beneficiario moribundo non præiudicare successori, seu Cameræ Apostolicæ: post *d. Rot. Auen. decis. Laurent.* 117. & alios.

56 Item latè ostendit *Ludouic. decis. 33.* præsertim *n. 14. & 16.* hanc Bullam comprehendere animalia empta ex fructibus beneficij, (ex quibus in dubio empta præsumuntur *Ludou. nu. 6. Surd. cons. 333. à n. 40.*) proindeque ea ad successorem pertinere. De rebus autem immobilibus emptis ex fructibus, etiam nomine beneficiarij, quòd Ecclesiæ ipso iure acquirantur, vide quos citauimus *sup. num.* 29. & plures apud *Surd. d. cons. 333. à n. 40.*

57 Conueniunt autem communiter Doctores, hanc Iulij constitutionem non comprehendere quotidianas distributiones: quia eæ nomine fructuum beneficiorum minimè includuntur; *DD. in cap. vn. de cler. non resid. lib. 6.* alijque innumeri apud *Barbos. appell. 103. n. 12. & lib. 3. de iure eccl. vniuers. cap. 18. n. 8. Bonacin. disput. de horis canon. q. 7. pun. 2. n. 4.* hæ namque distributiones non sunt de corpore beneficij, sed dantur ratione seruitij personalis, laboris, & mercedis: vndè non veniunt in fructuum condemnatione, seu amissione ob non factam fidei professionem, vt hæc, aliaque huiusce modi tradunt plures apud *Barbos. ll. citt.*

58 Hinc communiter docent, has distributiones ad hæredes transmitti, etiam post Bullam prædictam, vt ex communi sententia voluit *Couarr. in cap. cum in officijs n. 4. de testam.* quam omnes amplectitur, monuit *Rota apud Seraphin. decis. 394. n. 6. Barbos. de iure eccl. cap. 17. n. 31.* vbi innumeros citat, præsertim recentiores; & *cap. 18. nu. 35. Monet. de distrib. quot. p. 3. q. 6. à num. 28. Bonacina tom. 3. disp. 4. pun. 3. nu. 8. & 18. Franc. Leo in thes. for. eccl. p. 3. c. 3. n. 27.* vbi post *Paris. cons. 33. vol. 4.* de communi, *Hier. Leo d. decis. 145. num. 25.* innumeri apud *Garciam p. 2. cap. 1. n. 10. vers. quamuis in contrarium,* vbi de comuni.

59 Dixi distributiones *quotidianas*: nam, si bona, seu reditus in ecclesia in communi possidentur, ac postea certo anni tempore distribuerentur, qui quidem reditus dicuntur *Grossi*, ac succedunt loco præbendæ; hæ sanè distributiones, seu reditus, tum fructuum appellatione comprehendantur, plures apud *Barbos. d. appell. 103. nu. 16. & d. cap. 18. n. 11.* in prædicta Bulla includi quispiam asserere posset. Sicuti & cum beneficium non alios fructus, nisi distributiones habet: tunc enim & fructuum appellatione comprehendi, voluit *Moneta, Gonzal.* & alij apud *Barbos. d. appell. 103. n. 17. & d. cap. 18. n. 11.*

In his tamen, ac similibus putauerim, quando verè sunt distributiones, idest datæ ratione seruitij personalis, laboris, & mercedis, eas prædicta Bulla minimè comprehendi: quamuis non quotidie, sed statuto anni tempore distribuantur: id enim per accidens est, cum de cætero quotidie debeantur; & ità beneficiario acquiruntur, vt de ijs possit in quoscumq; vsus disponere, de ijsque testari, & ad hæredes transmittere, vt aiunt citati Doctores.

60 Idem iuris est de anniuersarijs, sumptibus funerum, alijsque bonis acquisitis industria, ac labore ipsius beneficiarij, etiam ratione beneficij, vt post *DD. in cap. 1. 2. 3. de pecul. cler.* aliosq; plures docuit *Hier. Leo d. decis. 145. n. 25. Garcia p. 2. cap. 1. nu. 10. in fine,* vbi idem de obuentionibus pro tempore obuenientibus, & non perpetuò reli-

ctis

ctis beneficiatis: post *Nauar. Mol.* & alios.

Item de emolumentis massæ communis, in quam, non obstante prædicta Bulla, succedere hæredes beneficiarij pro parte temporis, quo seruitium præstitit, & non exegit, docuit *P. Naldus verb. fructus n. 20.* redditq; rationem: *hæc enim participatio*, inquit, *ratione seruitij non interdicitur per d. Bullam Iulij III.*

61 Similiter de congrua portione beneficiario debita ratione suæ congruę sustentationis: quicquid enim illi subtrahit beneficiarius, ità acquirit, vt de eo possit in quoscumque vsus disponere, & transmittere ad hæredes: *Bonacina tom. 3. disp. 4. pun. 3. n. 4.* plures apud *Garciam p. 2. cap. 1. nu. 19. & D. Io. Ant. Nouar. in summ. Bull. tit. de benef. fruct. prob. test ari n. 5. post Ludouis. decis. 401. & alios*: atque ità si integram subtrahunt, integram transmittere possunt.

Hinc censeo, Parochos Panormitanos, cum eorum congrua portio sit à Pontifice statuta 175. aurei. Siculi, quæ à Senatu Panormitano illis soluitur, vt constat *ex Bulla Clem. VIII. apud D. Abb. Pirr. in notit. Eccl. Panor. fol. 168. & seq.* quicquid huic detrahunt, ad hæredes transmittere; atque ideo, quod inexactum ex ea post illorũ obitum inuenitur, hæredibus deberi, non successori.

62 Hinc quoque *Caualcan. decis. 8. nu. 76. p. 3.* & post illum *Leo d. decis. 145. n. 25.* voluère, d. Bullam non comprehendere beneficia tenuia, non excedentia victum, & alimenta.

63 Hæc Bulla non solùm obligat in foro exteriori, in quo omnino secundùm illam iudicandum est, vt notat *Franc. Leo in thes. for. eccl. p. 3. cap. 3. de spol. cler.* quia habet decretum irritans, &c. & clausulam *sublata, &c.* quæ remouet aliter iudicandi, & interpretandi facultatem, *cap. si eo tempore de elect. in 6. cum simil.* tollitque plurimas lites inter hæredes, ac successorem, quæ antea oriri solebant, quibus, vt plurimum, laici in præiudicium successorum, fructus, & pecunias inexactas, os boui trituranti alligando, exigebant, vt benè notat, ac mouetur *Iulius III. in d. Bulla.*

Sed etiam in foro interiori, quicquid innuat *Valer. diff. 2. verb. benef. n. 1. vers. in foro tamen*, cum non ex ijs legibus sit, quæ in præsũptione fraudis innituntur, de quibus dixi *consil. 47. n. 42.* quin imo rationes, quibus mouetur Pontifex, potius naturali iuri congruunt, vt patebit consideranti.

64 Quoniã verò in nostro Regno Collectores ecclesiasticorum spoliorum non deputantur, ac proinde in eo ius commune seruandum esset; in eo locũ non habet restrictio, seu declaratio *Iulij III.* relata *n. 46.* sed seruanda erit prima Bulla, quæ determinat, omnes prorsus fructus, & affictus inexactos cuiuscumque beneficij, ad successorem in beneficio pertinere, etiãsi defunctus beneficiarius omnem adhibuerit diligentiam, etiam iudicialiter agendo, vt illos exigeret, & consequeretur, vt expressis verbis determinat Bulla.

65 Loquimur autem de fructibus eorum beneficiorum, quæ non sunt Regij iurispatronatus: nam, si sint huiusmodi, eorum fructus inexacti, & vacante sede obuenientes, ad D. Regem pertinent titulo spolij, sicuti & ipsa spolia decedentium clericorum, qui illa obtinebant, vt diximus *consil. 18.*

66 Hæc Bulla in hoc Regno, est vsu recepta; tum quia secundùm illam ità semper fuit iudicatum, & obseruatũ, ac præsertim in M. C. Archiepisc. Panorm. *ann. 1590. 9. Iunij 3. Ind.* in fauorem D. Ioseph Vitali Archipræsbiteri Caccabensis: & tunc etiam d. Bulla præsentata in scripturis reperitur: & in literis prouisionum clausula appo-

apponi solet, *unà cum censibus decursis, etiam non exactis*: tum quia ità præsumitur, vt diximus *sup. n.36.* tum quia, cũ habeat decretũ irritans, non poteſt dici de non vſu ipſius, ac minus prætendi poteſt, quòd fuerit per contrarium vſum abrogata: *Rota in vna Papienſ. fructuum coram Remboldo* 21. *Febr.* 1622. apud *Barboſ. d. alleg.* 117. *num.* 10. *& de iure eccl. lib.* 3. *cap.* 17 *n.* 80. poſt *Gabriel. de clauſ. lib.* 6. *concluſ.* 3 *num.* 40. *Rot. deciſ.* 197. *num.* 3. *p.* 1. *recent.* plures apud *Barboſ. clauſul.* 40. *n.* 35 tum quia, etiam circumſcripta d. constitutione, fructus inexacti ſpectant ad ſucceſſorem, iuxtà iuris communis diſpoſitionem, non verò ad hęredes, vt ſupra à *num.* 30. probatum eſt: & ità ponderat *d. Rota Papienſ.* Et omnes quidem doctrinæ, anteà traditæ in fauorem ſucceſſorum, multò magis locum habent poſt d. Bullam: ea enim ſucceſſoribus fauere voluit, non aduerſari.

39 Hinc putauerim in omnibus quinque caſibus ſuperiùs *n.* 20. ex *Calderino* recenſitis, fructus ad ſucceſſorem pertinere: quamuis enim Bulla Iulij III. ſolùm de inexactis loquatur, ac proinde de omnibus illis caſibus, tertio excepto, vt notat *Rota apud Coccin. deciſ.* 476. *n.* 2. tamen, quia, inſpecto iure communi, etiam in tertio caſu fructus beneficiario conſignati, vel alteri nomine ipſius, non tamẽ conſumpti, ad ſucceſſorem pertinent, vt poſt *Calder.* ait *Rota*; ideo in omnibus his quinque caſibus ſpectant ad ſucceſſorem, nihil obſtante prædicta Bulla, que iuri communi nihil derogat;
40 quoad ea quæ ſpectant ad ſucceſſoris fauorem, vt ex eadem *Rota* colligitur.

Atque hìc finem imponimus primo noſtrorum Cõſiliorum libro: alios in lucem, Deo iuuante, edituri, ſi hunc tibi, Candide Lector, gratum comperiemus.

FINIS.

Imprimatur
Abbas Geloſus Vic. Gen.

Imprimatur.
De Denti Præſid.

INDEX
RERVM NOTABILIVM
QVAE HOC PRIMO CONSILIORVM
Volumine continentur.

B

conf.

Cap.

Cau-

D

Deli-

E

Ere

secun-

G

per

qui-

Ma

N

Nun-

P

bet

Præ-

uare

Pro-

Re-

S

T

Ver.

LAVS DEO.